


Sultan Mehmed II, the Conqueror
Ex Libris
George Crews Mc Ghee
United States Ambassador
to Turkey

NICOLAI SCHMITTH E SOC. JESU,

IMPERATORES OTTOMANICI

A CAPTA

CONSTANTINOPOLI,

CUM EPITOME

PRINCIPUM TURCARUM.

TOMUS II.

DUM ASSERTIONES EX UNIVERSA PHILOSOPHIA IN ALMA, AC *CELEBERRIMA* ARCHI-EPISCOPALI SOCIETATIS JESU UNIVERSITATE TYRNAVIENSI

Anno Salutis M. DCC. LXI. Mense Augusto, die publice propugnaret

PERILLUSTRIS, AC PERDOCTUS DOMINUS

JOSEPHUS NAGY, de Felsö-Bük, Ung. Röjtökensis e Comitat. Sopron. AA. LL. & Philosoph. Magister, e Regio-Archi-Episcopali Nobilium Convictu.

EX PRÆLECTIONIBUS

A.R.P. LADISLAI HEGEDÜS, e Soc. Jesu, AA.LL. & Philos. Doctoris, ejusdemque Prof. Publ. Ord.

A.R.P. MICHAELIS HORVÁTH, e Soc. Jesu, AA. LL. & Philos. Doctoris, Ethices Profess. Publ. Ord.

A.R.P. JOSEPHI KENYERES, e Soc. Jesu, AA. LL. & Philos. Doctoris, Matheseos Prof. Publ. Ord.

AUDITORIBUS OBLATI.

CELSISSIMO

AC

REVERENDISSIMO

S. R. I. PRINCIPI

FRANCISCO

E COMITIBUS

BARKOCZY,

DE SZALA

PERPETUO IN PALOCZ, ET TAVARNA,

E. ARCHI-EPISCOPO

STRIGONIENSI,

REGNI HUNGARIÆ PRIMATI,

S. Sedis Apoſtolicæ Legato Nato, Summo, & Secretario Cancellario,

EPISCOPO AGRIENSI,

S. C. Regiæ Apoſtolicæ Majeſtatis Actuali Intimo, nec non Regii Locumtenentialis Conſilii Conſiliario, Comitatuum Strigonienſis, Heves, & Exterioris Szolnok Supremo Comiti, Excelſæ Tabulæ Septem-Viralis Co-Judici, &c. &c.


PATRONO BENIGNISSIMO.

CELSISSIME

PRINCEPS,

PATRONE

BENIGNISSIME!



Nter festivas bonorum omnium acclamationes non dedignaberis, CELSISSIME PRINCEPS, *hoc meum clientis in* TE *obsequium; neque enim sum nescius, qua Benevolentiæ* TUÆ *significatione, quibusve officiis eruditos omnes labores excipias, & complectaris: ut adeo non ille-*

cebra modo, sed præmium etiam ipsum jam sit Bonarum Artium, amor in illas TUUS. *Nec ingratas ulla unquam ætas sentiet. Prodent Posteris ad insignem memoriam exemplum* TUUM, *&* *quantum a* TE *diliguntur, tantum Excelsos conatus* TUOS *ubique Gentium probabunt. Quod ego trophæis omnibus illustrius puto, dum non in columnis æreis, sed Literarum monumentis Nomen* TUUM *inciditur. Ibunt in sæcula Laudes* TUÆ, *neque ante, quam rerum magnarum scriptores, evanescent. Quanquam si scriptores etiam contabuerint, superabunt de rebus* TUIS *volumina, & dum eruditis manibus terentur, insignia facta* TUA *enarrabunt. Videt hæc jam nunc Philosophia mea, seque totam in Clientelam* TUAM *dedicat; non ignara, nihil ad præcipuam felicitatem sibi defuturum, si æque in manibus* TUIS, *& animo conquiescat; eoque vel maxime nomine publicam se fore, quia* TUAM. *Neque enim res ulla a* TE *probatur, ut non probetur a summis quibusque, neque quidquam abditum in tenebris latere potest, quod Clarum, spectatumque facit Benignitas* TUA. *Et*

vero,

vero, qui non Urbes, sed Regna ingentia, multa corpore, omnia rerum gestarum gloria peragrasti, an quisquam in Tutela TUA *& Præsidio esse potest, & ignotus? an* TECUM *degere, & non a fulgore ornamentorum* TUORUM *collucere? Multa hic mihi in mentem, quæ de* TE *magnifice & vera cum laude prædicare possem; verum tam illustri ea loco sita sunt, ut suo celsiori fastigio meis laudibus neque attingi, minus vero crescere ulla ex parte possint. Vel ipsam nascendi Conditionem si considerem, quis est, qui non Illustrem sanguinem* TUUM *noverit? cujus* TU *pulcherrimo quodam impetu ad maxima quæque raperis. Legimus Majores* TUOS *& belli, & pacis laude florentissimos. Certe, quam gloriosa Prosapia natus es, tam difficilem eorum, qui Ceras, Imagines, & Gloriam Majorum* TUORUM *evolvere volunt, facis industriam; nec enim uno die referre datum est, quæ plurima sæcula vix satis admirabantur. Sed enim Sua sit Magnis illis Majorum* TUORUM *Manibus gloria, Suus honor;* TU TE *uno sat Magnus es. Ita enim sparsas per omnes*

 vir-

virtutes in TE *uno collegisti; ita se totas illæ in* TE *explicant, ut citra assentationem dicere possim: plus a* TE *Majores, atque* TE *a Majoribus splendoris accepisse. Scilicet non satis* TIBI *erat, claro* TUORUM *Stemmate censeri, & splendidis Progenitorum condecorari Insignibus; nisi* TUIS *amplius virtutibus inclaresceres. Nec poteras non inclarescere, cujus labores pro Patria, pro Rege, pro Religione omnium ore sunt celebrati, & veluti majoribus theatris propositi. Ac primum, quam singulare est* TUUM *in Patriam studium? quæ in ea amplificanda solicitudo? Vident, & sentiunt Summi in utraque Republica Viri, quæ a* TE *sive in Hungaram Juventutem, sive in ipsas, quæ cum illa educantur, literas, beneficia proficiscantur. Publico nimirum bono cum natum* TE *scires, e Republica id esse maxime apud Animum* TUUM *statuistis, si a teneris ei annis Juventus præparetur. Præparas quotannis,* CELSISSIME PRINCEPS, *quos singulari Munificentia alis, instituis præceptis illustribus, ad Reipubl. utriusque munia pro dignitate sustinenda provehis,*

bis. Omnia immortali emolumento Patriæ. Non desunt certe, qui sive Sagum sive Togam induti felicitatem suam, atque adeo Regni, TIBI *in acceptis ferant, documenta daturi, de quam fertili ingentium comodorum palæstra prodiissent. Literæ porro quantam Magnificentiam, quæ incrementa* TE PRÆSULE *acceperunt? Non satis* TIBI *erat, quod & plurimas, & gravissimas ipse condidiceris; ut alii condiscant item, omnem curam, omne subsidium adhibes. Stat attonita Agria, dum intuetur, ut insigni Artificum labore, ita, & vel maxime,* TUO *in literas, & literatos studio ac benevolentia ornatas, & auctas Sapientiæ Ædes, ex quibus ut dulciores in seram Posteritatem promanent fructus, vectigalia iis perpetua destinasti. Magnum hoc non erga sapientiæ studiosos modo, sed erga sapientiam ipsam meritum. Sentire isthoc tecta ipsa videntur, & exultare, quod frequentes viros & excipiant, & plures Patriæ, ac Ecclesiæ reddant. Non ignoras,* SAPIENTISSIME PRINCEPS, *in præsentibus venturam Posteritatem erudiri. Neque enim scientiæ scientes tantum exornant;*

 sed

ſed in alios quoque, velut lucis radii, derivantur. Quem latet ab Ariſtotele in Macedone, a Platone in Dione, ab Anaxagora in Pericle multos inſtitutos fuiſſe? Ita, miro artificio, ordinando præſentia, in præſentibus ordinas futura.

Jam TUA *in* AUGUSTAM DOMUM *merita ſtudiaque omnia quis recenſeat? Quis item Illius in* TE *Benevolentiam? ſeu clauderentur belli portæ, ſeu aperirentur rurſum, ſingularis ſemper fuit* TUA *in* AUGUSTISSIMAM DOMUM *Obſervantia. Triumphabas cum triumphante, cum pugnante pugnabas. Utrobique: & in adornando apparatu ad pompam, & in ſubminiſtrandis militibus ad pugnam Illuſtris.*

Hæc utut magna ſint omnia, majore tamen quadam luce emicant, quæ in Religionem, in Eccleſiam confers, ornamenta. Utprimum jam olim ſacram Rempubl. ANTISTES procurare juſſus es, tantoque propius

DEO

DEO admotus, quanto sublimius supra vulgus evectus; nihil TIBI *erat antiquius, quam ut ea accurares diligentissime, quae ad recte constituendam Ecclesiasticam Dignitatem, Disciplinamque pertinent. Neminem fugiebat, quae vota pro salute* TUORUM *susceperis, digna nimirum munere* TUO, *digna magnis Antistitibus, dignissima* TE*ipso. Nec quidquam fere intererat, inter* TUA *desideria, & ipsa facta. Vidimus illico Clerum* TUUM, *morum gravitate, ubertate scientiarum, summa in sacris muniis vigilantia ubique insigni laude floruisse. Vivunt apud* TUOS *sacrae Exedrae, eliditur haereticorum audacia, Templa ipsa, velut rediviva, exultant. Et quid ni exultent ea cumprimis, quae* TE *strenue pro Aris decertante, sacrilegis haereseos erepta manibus, ac velut de crudelissimo exilio in Patriae libertatem asserta, pristinam Majestatem receperunt. Quid ni exultent, quae per solicitudinem* TUAM, *Fortitudinem, Authoritatem, Jurium Sacrorum excellentem peritiam a squallore ad insigne decus, ab improbitate ad Virtutem, a morte ad vi-*

tam sunt traducta? Quidni exultent, quæ a TE *quotannis invisuntur, ornantur, augentur?*

Felix Ungaria! quæ tot Ecclesiæ implicita hostibus TE *& summum Antistitem, & Propugnatorem acerrimum nacta est. Trepidat hæresis, & pene ante interitum exanimatur. Utut ad summa quæque cæcutiat, videt nunc, quam fortis omnis perfidiæ vindex, quæ clades, quæ ruina cervicibus suis instet. Apparatur in adversarios sinceræ Religionis bellum; instructi tot per* TE, CELSISSIME PRINCEPS, *pugiles, quot sacri Præcones, quot viri a doctrina, a vitæ integritate quam ornatissimi. Et ne arma desint, viros Apostolicos deligis, qui sanctioris doctrinæ rudimenta Populo tradant, animosque ad bella pro DEO gerenda inspirent. Probo jam lacrimas Agriensium, & collaudo, qui* TE *amissum etiamnum lugerent, nisi illos jam ita beasses, ut vel absente* TE, *a* TE *tamen, quia* TUO *beneficio, felices esse possent. Sed non est mihi animus illustria* TUA *decora, quæ in* TE *& natura coegit, &*

vir-

virtus cumulavit, omnia his angustiis concludere; erunt haec non unius olim Panegyris argumentum.

Fruere igitur honore isto, CELSISSIME PRINCEPS, *ad quem* TE *Magna in Religionem, in Regem, in Regnum universum promerita evexerunt! Felix Patria! quae tali gaudet* PRIMATE, *quem omnis optaret Europa. Nimirum sperare nunc demum haud immerito possumus, fore, ut Hungaria tot superiorum temporum calamitatibus afflicta per* TE *recreetur: avita Patriae nostrae felicitas, majore etiam augmento restituatur: omnia denique ad pristinum reflorescant splendorem. Magna sunt, quae jam inchoasti; majora, quae provida mente dudum designasti; maxima, quae efficacissimis juxta, atque sapientissimis consiliis perficies. Perge jam vivere in longissimam aetatem, Magnum Ecclesiae Hungaricae Praesidium! nec enim aliud ad felicitatem aut Religionis, aut Regis, aut Regni optare possumus; nec aliud, quam ut Romana Purpura plurima* TUA *in Ecclesiam merita*


coro-

coronet, deesse videtur. Ego dum commune hoc bonis omnibus votum mihi habebo peculiare, illud infimis contendo precibus, ut me in TUIS, *inter quos numerari maximam esse felicitatem scio, & esse, & dici patiaris*

CELSITUDINIS
TUÆ

Infimum Clientem.

JOSEPHUM NAGY.



EX LOGICA.

I. IDea est repræsentatio, ac imago quædam objecti. Ideæ Intellectuales non distinguuntur a Perceptionibus, nisi solum ratione nostra. Illæ dum reipsa simplices sunt, falsæ esse nequeunt. Complexæ & veræ & falsæ esse possunt. II. Judicium non componitur ex ideis attributi & subjecti, convenientiæque vel disconvenientiæ eorum; sed est actus simplex distinctus mentis, quo ea assentitur, vel dissentit; neque est actus voluntatis, verum Intellectus. III. Intellectus, quando illi solum convenientia vel disconvenientia attributi cum subjecto proponitur, non pendet a voluntate quoad speciem judicii. Quando vero & convenientia, & disconvenientia ex diversis rationibus eidem suadetur, pendet quoad speciem judicii a voluntate. Propositiones aliquid contingenter futurum enuntiantes sunt in se determinate veræ vel falsæ. IV. Datur apud homines multiplex scientia. Criterium veri cum Leibnitzio recte triplex statuitur: Evidentia nempe Intellectus, evidentia sensuum, evidentia Authoritatis. V. Methodicum Cartesii dubium, seu per illud intelligatur dubium serium ac positivum, seu suspensio judicii ad tempus, non est necessarium Philosopho universim ad aquirendam scientiam: primo modo acceptum sæpius nec assumi potest.

EX METAPHYSICA.

VI. PRæter Omnipotentiam DEI tanquam externam rerum possibilitatem, datur earundem possibilitas etiam interna; quæ consistit in concordia attributorum essentialium. VII. Existentia rerum ab essentia actuali in re non distinguitur, sed sola nostra cogitatione; neque ab essentia pure possibili quoad rem; distinguitur tamen quoad statum. Omnia accidentia sunt solum modi substantiarum. Hinc nulla dantur accidentia absoluta. VIII. Potentia agendi convenit etiam proprie entibus creatis. Atque etiam causæ materiales proprie agunt; sed solum ut causæ instrumentales. Hæ simpliciter nequeunt agere in subjectum distans. Actiones causarum nec consistunt in entitate aliqua, nec in respectu resultante ex entitate causæ, actu primo proximo, & prima effectus existentia; sed in diversis pro diversa actionum ratione. IX. Creatio causis creatis nec quidem, ut instrumentalibus causis convenire potest. Neque eductio ullius entitatis ex mente scholasticorum illis est tribuenda. X. Mundus est ex nihillo productus a DEO in tempore; ideoque non est æternus. Habet is omnem perfectionem ad finem a DEO intentum necessariam; hinc secundum se, & in suo genere est perfectus. XI. Duratio est continuata & permanens rei existentia. Tempus saltem apparens & relativum est ordo & series successionum. Locus corporum internus & absolutus est spatium ab ipsis occupatum. Locus vero secundarius & relativus est certus situs & respectus corporum ad alia corpora. XII. Spatium omni omnino corpore destitutum vacuum dicitur. In mundo hoc non datur actu vacuum coacervatum; neque est possibile naturaliter; extraordinaria tamen DEI voluntate fieri potest, ut illud detur. Vacuum vero disseminatum multo probabilius est dari in hoc universo. XIII. Existentia Angelorum certa est ex Sacris Literis. Angeli tam boni, quam mali aliquid potestatis in res mundanas obtinent; inde dantur vere Energumeni, Spectra, Magiæ. XIV. Mentem in nobis existere, quæ sit Principium cognitionum & volitionum, certum est. Mens humana substantia mere materialis esse non potest; sed est spiritus, sive substantia excellentior omni corpore, intelligens, & volens, ac naturaliter indefectibilis immortalis. XV. Unio animæ cum corpore, atque commercium non recte explicatur in systemate Occasionalistarum, aut Malebranchiano per corpus, Animam & legem a DEO sibi impositam affectiones certas efficiendi in alterutro occasione affectionem alterutrius. Neque in Systemate Harmoniæ præstabilitæ Leibnitzii. Verum in hoc commercio admittendus est influxus physicus corporis in mentem, & mentis in corpus ea ratione, ut mens in corpore producat, efficiatque omnes motus voluntarios: corpus vero animam determinet ad certas affectiones aliquo modo reapse. XVI. Ideæ innatæ menti neque si pro actuali rei notione sumantur, neque si per eas formæ ac imagines rerum a perceptionibus distinctæ intelligantur, admittendæ sunt. Verum Ideas omnes sibi efformat Mens ipsa partim dependenter a sensu, & phantasia partim dependenter ab attentione, reflexione supra ideas prius habitas, consociatione, divisione, conjectura, ratiocinio. XVII. Mens non sentit in singulis membris, sed in solo cerebro; ac sentit impressionem in cerebro factam immediate percipiendo. Sensus communis est facultas mutationes omnium sensoriorum prout in communi quodam sensorio conveniunt, cum discretione earum, percipiendi. Locus sensorii communis probabiliter est pars callosa cerebri. Atque in hac parte præcipua sedes est Animæ; non vero in alia; neque in toto corpore. In Anima humana extat libertas a coactione, simulque indifferentiæ. XVIII. Bruta vera cognoscendi facultate prædita sunt, motus suos spontaneos habent, affectibus aguntur; aliquo etiam imperfecto ratiocinio, obvia ex obviis inferendo pollent: idcirco anima spiritualis, imperfectior tamen multo ex natura sua animabus humanis, defectibilisque illis est tribuenda. XIX. Existentia DEI, Ejusque unius argumentis plurimis evincitur.

EX PHYSICA GENERALI.

XX. ESsentia corporis physici universe spectati non potest constitui in actuali impenetrabilitate, nec in trina extensione, nec in ordine ad materiam, nec in divisibilitate, nec in mole quantitativa, nec in sensibilitate per accidens; sed essentia ejus, prout illud nobis notum est, recte videtur

posse constitui in eo: quod sit substantia exigens naturalem impenetrabilitatem. XXI. Principia sensibilia prima corporum sunt elementa physica; secundaria vero sunt 5. elementa chemica. Insensibilia denique corporum principia sunt materia prima & forma. Materia prima in sensu physico accepta sunt corpuscula exilissima, impenetrabilia, & quoad entitatem probabilius homogenea. Forma autem ea ratione considerata apte reponitur in certa particularum combinatione, plexu, temperatione, ac motu, ex quibus diversus status sensibilis, diversæ qualitates, & operationes resultant. XXII. Quantitas corporum est ipsa actualis illorum extensio ab ipsis corporibus non nisi modaliter distincta. Vis inertiæ, seu virtus quædam peculiaris innata corporibus, qua in statu motus aut quietis se conentur conservare, & causis externis ex eo statu deturbare nitentibus resistant, non datur ulla. XXIII. Vis attractiva, si accipiatur pro phænomeno ipso accessus ad se corporum; non recte causa effectuum statuitur; si autem pro aliqua actione causæ ignotæ; per eam non redditur causa phænomenorum, nihilque penitus explicatur; si pro vi aliqua interna & pro actione vera profecta ab illa vi; explanantur effectus per eam ita dilucide, sicut aliquando per qualitates & vires occultas explanabantur. XXIV. Gravitas corporum, quæ omnibus telluris nostræ corporibus competit; non recte explicatur per vim gravificam corporibus ex natura inditam; neque per atomos hamatas & uncinatas Gassendi e terra erumpentes; neque in sententia eorum Newtonianorum, qui contra ac Newtonus senserit, vim proprie se attrahendi corporibus tribuunt; neque per motum vorticosum materiæ cælestis ab occasu in ortum; neque per pressionem rectilineam ætheris, sive a peripheria versus centrum, sive a centro versus peripheriam; adeoque per nullam materiam secundum leges nobis adhuc notas agentem. XXV. Probabile est cohæsionem firmorum oriri ex contactu immediate in majusculis superficiebus molecularum varie inter se plexarum, & permixtarum, & ætheris jugi in eas pressione: Cohæsionem autem fluidorum ab exili molecularum contactu, ætherisque in illas pressione. XXVI. Elasticitas corporum habetur præcipue ab æthere inter particulas corporum moderate duras, rigidas, & flexiles compressione, aut tensione constricto, tum vero cessante vi externa motu suo se partem in omnem expandere nitente. XXVII. Motus corporis est ejus de loco in locum fluxu continuo facta migratio. Motus omnis inchoati causa vel immediata vel mediata est spiritus. Motus vero continuati in corporibus non est vis inertiæ; sed impulsus ille, qui corpora ad motum determinat, ita ut ad motum suum prosequendum corpora accepto semel impetu nulla alia causa secunda opus habeant. XXVIII. Causa motus refracti est major aut minor medii, quod corpus oblique subit, resistentia. Reflexi motus causa non est solus ille impulsus sive impetus, quo in obicem impingit corpus; sed in perpendiculariter reflexis est sola elasticitas vel corporis impingentis, vel obicis, vel utriusque; in oblique autem reflexis elasticitas & motus directus. XXIX. Communicatio motus aliis legibus peragitur in elasticis, aliis in non elasticis. Motus in corporibus nobis notis communicatur successive. Impedimenta motus præter corpora firma sunt resistentia medii, & affrictus. Corpora gravia quamcunque ponderis ac massæ ad se invicem habeant rationem: In vacuo Boyleano pari velocitate decidunt, gravia in minoribus ad minus distantiis labendo motum suum accelerant, ut progressionem numerorum imparium ad sensum proxime æmulentur, causa hujus accelerationis repetitur ex gravitate, & natura motus. XXX. Vires centrales dicuntur, quæ corpus in gyrum actum vel repellunt a centro motus, vel ad illud compellunt; vis centrifuga in corporibus habetur a quantitate motus ipsis a potentia movente versus certam plagam communicata. Vis vero centripeta ab obice, corpus in plagam, ad quam determinatum est, moveri prohibente, aut etiam motu suo versus centrum repellente. Ad mechanicam opus est scientia staticæ. Hæc dividitur in geostaticam & Hydrostaticam. Machinæ omnes vel pertinent ad vectem, vel ad planum inclinatum. XXXI. Fluida ponderosa premunt sibi subjectas partes æque deorsum, sursum, ac ad latera. In vasis uniformibus perpendiculariter erectis premitur tota basis a toto fluido, pars vero baseos a columna directe sibi incumbente. In differentibus vasis si fluida sint homogenea, pressio vel est in ratione altitudinum, vel basium, vel in ratione composita basium, & altitudinum. In heterogeneis spectanda est gravitas fluidorum, basis, & altitudo. Componunt se fluida tum homogenea, tum heterogenea ad æquilibrium at diversis legibus. XXXII. In tubulis capillaribus ascensus fluidorum supra libellam videtur repeti posse ab adhæsione ad latera vitri, & minori aliqua aeris in tubulum pressione, & quadam etiam actione ætheris. Suspensio vero mercurii in barometris fit per æquilibrium columellæ aereæ in eandem cum mercurio basim prementis. Corpora solida, demersa in fluidum componunt se ad æquilibrium cum partem fluidi ejusdem secum gravitatis extrudunt. Hinc sunt libellæ hydrostaticæ. Ad motus intestinos pertinet rarefactio, condensatio, putrefactio, fermentatio, effervescentia, solutio, præcipitatio, fusio, incinerato &c. Rarefactio habetur ab ingressu, aut motu corpusculorum vi aliqua impulsorum, quæ suo motu moleculas a se separant, dividunt, sicque majus volumen efficiunt. Condensatio ab omni vi motuque corporum moleculas contra se invicem urgente, particulas intra se constringente. XXXIII. Calor corporum, ut est in objecto, situs est in motu celeri vibratorio in omnem partem, ac expansivo exilissimarum insensibilium partium. Frigus vero in quiete respectiva partium minimarum insensibilium corporis frigidi. Glacies non fit per particulas salinas, & nitrosas corpus glaciatum suo ingressu figentes; sed per quietem respectivam majorem molecularum se invicem contingentium. Fluiditas corporum per particulas exilissimas sphæricas vel quasi sphæricas, dissociatas, se nonnisi in exilibus punctis contingentes. Humiditas per particulas mediocriter viscosas, & tenaces, aut etiam per particularum fluidarum aptitudinem ad subeundos poros, & adhærendum corporibus: siccitas per contraria. XXXIV. Sapor, ut est in objecto situs est in particularum præcipue salinarum corpus sapidum constituentium humore salivæ solubilium certo motu: & actione. Odor ut est in objecto, positus est in effluviis subtilissimis præcipue sulphureo mercurialibus ablatis per aerem a corporibus, quæ, ubi cum eo, tanquam vehiculo, narium cavernas subeunt, harum fibrillas nerveas variis modis impellunt, & commovent. XXXV. Sonus, ut est in corpore sonoro positus est in motu tremulo exilissimarum & insensibilium partium corporis sonori. Ut vero sonus est medio, consistit in tremulo ac oscillatorio motu aeris analogo motui tremulo corporis sonori. Propagatur sonus ea lege, ut æqualibus temporibus æqualia spatia percurrat. Magnitudo soni in ipso medio habetur a pluribus aeris particulis motu tremulo motis, & a majoribus earum vibrationibus. Echo habetur per reflexionem soni directi ab aliquo obstaculo. Augeri potest sonus condensatione aeris, radiorum sonororum reflexione, ipsorum obstaculorum egregia elasticitate. XXXVI. Lux sita est in motu rapido, & concitato, quo particulæ corporum subtilissimæ a centris ad peripheriam creberrime oscillant: Lumen non consistit in effluviis quibusdam substantialibus e corpore lucido emanantibus; sed in motu vibratorio rectilineo ætheris a vibrationibus partium exilissimarum corporis lucidi effecto. XXXVII. Diaphana corpora sunt per eam

par-

partium dispositionem, qua luminosos pulsus per poros rectilineos aut per ipsas particulas sive immediate sive mediante æthere transmittere, atque transferre queunt. Opaca sunt, quæ hac dispositione carent. Reflexio fit ea lege, ut angulus reflexionis æqualis sit angulo incidentiæ. Hinc diversæ leges reflexionis sequuntur, tum in speculis concavis, tum convexis. Refractio fit ea ratione, ut e medio rariore in densius oblique incidendo lumen deflectat ad perpendiculum: e densiore autem in rarius veniendo a perpendiculo. Refractiones variis legibus peraguntur in vitris planis, aut convexis, aut concavis. Distractio luminis est aberratio radiorum a linea recta circa corpora opaca. Causatur per atmosphærulam corporibus circumfusam. XXXVIII. Color ut est in objecto, consistit in certa magnitudine, figura, situ, ac textura molecularum pororumque certa dispositione. Ut est in medio consistit in varia radiorum luminis vibratione, & pulsu a corporibus coloratis effecto. Color albus habetur ab omnis generis radiis luminosis in oculos reflexis. Medii colores non consistunt in combinatione motus circularis particularum & motus recti. Neque in varia mixtione lucis, & umbræ. Neque in simplici radiorum reflexione; neque in particulis, quæ in se sint determinati coloris, & efficientes tantum perceptionem certi coloris: sed congrue explicantur colores hi per hoc, quod particulæ corporis certo modo dispositæ a luce incidente in proprium sibi motum oscillatorium excitentur, tum similes motus & pulsus ætheri communicent.

EX PHYSICA PARTICULARI.

XXXIX. IN Systemate Tychonico phænomena physica, & astronomica omnia explicantur, at multa faciliori via in Systemate Copernici. Planetæ omnes sunt ad sensum figuræ sphæricæ. Sol constat partibus heterogeneis, potissimum tamen igneis. Cæteri planetæ sunt corpora densa, opaca, suum lumen a sole habentia. Maculæ solis sunt exhalationes illius. Maculæ perennes Lunares sunt partes Lunæ planiores reflectendo lumini minus idoneæ. Variabiles maculæ videntur esse umbræ montium. XL. Ecclipsis Solis fit per interpositionem diametralem globi lunaris inter Solem ac terram, solumque in ea parte horizontis, in quam umbra, vel penumbra Lunæ incidit: neque fit nisi in novilunio. Lunæ autem ecclipsis fit per hoc, quod ipsa in umbram terræ incurrat. XLI. Stellæ fixæ sunt corpora lucida soli similia, propria luce fulgentia. Asterismi nunc numerantur 76. De magnitudine, distantia, numero fixarum nihil definiri potest. Cometæ sunt probabilius stellæ errantes mundo coævæ. Cauda cometarum sunt subtiles quædam exhalationes ex nucleo eorum per solis radios incalescente erumpentes, atque in partem a sole aversam propulsæ. Astra non influunt in sublunaria præterquam actione suæ lucis. XLII. Globus terraqueus est circumdatus Atmosphæra complectente præter aerem diversos vapores, & halitus. Causa ascensus diversorum corpusculorum in atmosphæram est ipsa impulsio & motus constans ætheris, aeris, levitas specifica molecularum attenuatarum, adhæsio earum ad particulas aereas, expansio ipsarum, & majuscula superficies, ignes centrales. XLIII. Hæc atmosphæra, ac fluidum, in quo vivimus, secundum sensum vulgarem solum aer est. Purus aer est corpus a congerie vaporum & exhalationum distinctum, egregie fluidum, subtile, constanter elasticum, multum porosum, pellucens, vehementer compressibile. Aer non tantum impurus, sed & purus gravis est. Ventus est fluxus aeris concitatior; causa ventorum est turbatum æquilibrium aeris, quod efficiunt: Sol sua actione, nubes præcipitatæ, effervescentes halitus, incendia, ignes subterranei, erumpentes e cavernis halitus. XLIV. Ignis elementaris est corpus subtilissimum, fluidum, per omnia diffusum ab æthere probabilius indistinctum. Vulgaris ignis est congeries particularum sulphurearum, & aliarum ab igne elementari motu vibratorio vehementer exagitatarum. Præcipuum hujus principium est sulphur. Fulmina, ut plurimum in nubibus generari solita, Fulgura, Bolides, Stellæ cadentes, trabes ignitæ Dracones, columnæ, stipulæ, ignes fatui oriuntur ex diversis halitibus, ac particulis sulphureis, salinis, bituminosis condensatis effervescentia inflammabilibus. Tonitru est vehemens impulsus, & tremor multiplex aeris a fulmine effectus. XLV. Auroram Borealem probabilius efficiunt tenuiores quædam, ac rariores exhalationes in superiore Atmosphæra fermentantes, effervescentiaque facile inflammabiles, Iris, seu arcus coloribus prismaticis distinctus in nube roscida apparens fit per radiorum solarium refractione separatorum in oculos nostros reflexionem. XLVI. Aqua sunt corpuscula exilia majora particulis ignis elementaris, minora aereis non compressis, lævia, rotunda, rigida, figuræ suæ tenacissima; hinc secundum suas particulas probabilius nulla vi mechanica est compressibilis. Nebulæ, Nubes sunt congeries halituum, & vaporum potissimum frigore, aut aliis ex causis condensatorum. Pluviæ, ros, pruina, nix, grando oriuntur maxima parte ex vaporibus collectis, diversis tamen rationibus. XLVII. Terra constat probabiliter particulis cubicis, aut ad cubum acedentibus. Figura telluris nostræ saltem ad sensum rotunda est. Hanc propius superficiem constituunt: præter aquas, terra varia, succi diversi, mineralia. Causa motuum terræ est subita vehemens inflammatio diversorum halituum sulphureorum, bituminosorum, salinorum, expansio, ac refractio ingens aeris, ac vaporum in cavernis & meatibus subterraneis. XLVIII. Electricitas corporum tum Idioelectricorum tum symperielectricorum habetur a fluido quodam subtilissimo per omnia corpora diffuso; quod videtur esse ignis ipse elementaris particulis sulphureo-acidis permixtus, qui pro varia in corporibus dispositione ad motum effluxumque varie concitari possit. Phænomena Electricitatis utcunque explicantur per effluxum materiæ illius Electricæ, refluxumque ejus aut repulsionem. Lapides multi magna cum metallorum parte corpora mundo coæva sunt. XLIX. Fontium diversorum diversa est origo. Alii ex pluviis, nivibus solutis; ac vaporibus copiosis deciduis, alii ex maribus ortum suum ducunt. Aquæ salsæ item minerales spirituosæ & corporeæ evadunt per particulas salium, metallorum, semi-metallorum, succorum macrorum, & pinguium abrasas, aut ope caloris, effervescentiaque solutas, & moleculis aqueis permixtas; dum per ductus salinos aut metallicos, aut alios fonticuli decurrunt. Plantarum semina probabilius efformantur in ipsis plantis. L. Animalia sunt substantiæ corpore organico vivente principioque sentiendi, appetendi, motus corporis spontaneos efficiendi præditæ. Nullum animal ut ut vile nascitur ex putri; sed animalia omnia oriuntur ex ovis animalium fæcundatis.

EX ETHICA.

I. Ethica est facultas dirigendis, & perficiendis moribus instituta, cujus ortum non ad socratem, sed ad Authorem naturæ, atque adeo ad ipsa conditi hominis initia referre debemus. II. Id autem disciplina hæc suis præceptionibus spectat, ut hominem ad eam, quam viribus naturæ assequi possit, beatitudinem perducat. III. Hæc duplex est: alia objectiva, formalis alia. Illa neque in bonis corporis, aut fortunæ, neque in bonis animi constituti potest; IV. Sed in solo DEO collocari debet. V. Ista cognitionem DEI, & amorem complectitur. VI. Perfecta beatitudo in hac vita haberi nequit, sed confecto duntaxat vitæ mortalis curriculo obtingit. VII. Norma, ad quam actiones suas exigere debet, qui beatus esse cupit, recte constituitur in voluntate Dei necessario aliquid præcipiente, aut prohibente, prout hæc per congenitum rationis lumen nobis innotescit. VIII. Lex porro istius modi mutationem aut dispensationem non admittit. IX. Principium cognoscendi, num hæc vel illa actio sub hujus legis imperio comprehendatur, non est socialitas; X. Verum infinita DEI perfectio. XI. Officia hominis ad tria potissimum capita revocantur: ad ea scilicet, quæ DEO, quæ sibi ipsi, quæque aliis hominibus jure naturæ quisque debet. XII. Officia hominis erga DEUM sunt actiones ex debito conformandæ legi naturæ præcipienti Religionem erga DEUM, quantum quidem naturalibus eam viribus consequi valemus. Porro cum actiones humanæ interiores aliæ, aliæ sint exteriores, utrisque homo DEUM religiose colat, oportet. XIV. Itaque tum internus tum externus DEO cultus jure naturæ debetur. XV. Genera autem officiorum hominis erga se ipsum tam sunt varia, quam variæ sunt partes, quibus ille componitur, & quam variæ facultates, quibus partes hominis singulæ instructæ sunt. XVI. Omnia tamen ad duas classes revocari possunt: ad conservationem videlicet bonorum a DEO sibi concessorum & rectum eorundem usum. XVII. Hinc excolendus primum intellectus, tum etiam voluntati opera commodanda. XVIII. Conservanda item vita, sanitas, & integritas corporis. XVIX. Contra nefas est se ipsum occidere, famam, & facultates projicere. XX. Licita tamen est indirecta sui occisio. XXI. Duellum honoris tuendi causa susceptum juri naturæ omnino adversatur. XXII. Officia erga alium nituntur jure, quod habet ille ad assequendum finem suum. XXIII. Nemo igitur lædendus in vita, corpore, fama, & facultatibus. XXIV. Jusjurandum per se licitum est, adjectumque promissioni parit obligationem religionis. XXV. Mendacium, & restrictio pure mentales pugnat cum lege naturæ.


THEOREMATA EX MATHESI.

I. In proportione Geometrica facta extremorum, & mediorum; in Arithmetica summæ æquantur. II. Quartus terminus æqualis est in geometrica quoto, qui oritur ex facto secundi in tertium diviso per primum; in arithmetica differentiæ, quæ relinquitur, si ex summa secundi ac tertii primus subtrahatur. III. Quadratum radicis Binomiæ constat ex quadrato utriusque termini & ex facto dupli primi in secundum. IV. Cubus binomii componitur ex cubis utriusque termini & ex factis tripli quadrati cujusvis termini in alterum. V. Anguli ad verticem oppositi, alterni, externus & internus ad eandem partem sibi mutuo æquantur, interni pares sunt duobus rectis. VI. Omnes trianguli anguli simul efficiunt duos rectos, externus internos oppositos adæquat. VII. Duo Triangula sunt æqualia, si vel 1°. habeant omnia tria latera æqualia, vel 2°. duo latera cum angulo intercepto, vel 3°. Unum latus cum angulis adjacentibus. VIII. In triangulis æquiangulis latera homologa sunt proportionalia: & si in aliquo Triangulo basi ducatur parallela, secat latera proportionaliter. IX. In Triangulo rectangulo demissa ex angulo recto perpendiculari fiunt duo Triangula minora sibi & toti similia. X. Diameter ad chordam perpendicularis secat eam, & arcum bifariam. XI. Angulus ad centrum duplus est anguli ad peripheriam. XII. Parallelogrammum quodvis per diagonalem dividitur in duo triangula æqualia. XIII. Parallelogramma, aut Triangula eandem, aut æquales bases habentia inter easdem parallelas æquantur. XIV. Quadratum hypethenusæ æquale est quadratis cathetorum. XV. Superficies Polygoni regularis æquatur Triangulo, cujus basis æqualis sit perimetro hujus polygoni, & altitudo perpendiculari. XVI. Circulari area est omnium Isoperimetrarum capacissima. XVII. Quæ Generalia Architecturæ Civilis Theoremata.

PROBLEMATA.

XVIII. Datis tribus terminis Geometrice aut Arithmetice proportionalibus quartum invenire. XIX. E quadrato aut cubo perfecto radicem extrahere. XX. Erigere aut demittere perpendicularem: parallelam rectæ ducere. XXI. Rectam in duas æquales partes dividere: per tria puncta non in directum jacentia circulum describere. XXII. Dato arcu circulum perficere: datis tribus rectis quartam; datis duabus mediam proportionalem invenire. XXIII. Magnitudinem anguli polygoni cujusque, aut angulorum summam invenire. XXIV. Distantias locorum accessas, vel inaccessas indagare. XXV. Investigare aream, quam totam seu liceat, seu non liceat pertransire.

O. A. M. D. G.



PRÆFATIO
AD
LECTOREM.



Curſum Hiſtoriæ Imperatorum Ottomanicorum ut pari, qua cœpi, contentione proſequar, tua Lector benevole humanitas facit, qua primam Partem ſuperiore anno editam, magna voluptate te evolviſſe, atque hanc alteram non minore aviditate præſtolari, dextro Apolline intelligo; citra omnem interim laudem, ac gloriationem meam, quando hanc qualemcunque commendationem, ipſum argumentum ſcriptionis triſtibus & lætis refertum, atque tua benevolentia, cui me

plurimum debere ſentio, & gratus profiteor, mihi conciliare videntur.

Iſthoc prolocutus,nihil ultra præfari me oportebat, cum in priore Parte rationem ſuſcepti operis, ac pertexendæ Hiſtoriæ modum minutatim prodiderim; hoc loco tamen ſatisfaciendum putabam anxiæ paucorum ſciſcitationi: ecquid cauſæ fuerit, cur miſſis tot illuſtribus argumentis ſcribendi, ſive de rebus Hungariæ ſacris, ſive profanis, a nemine fortaſſis ad tempus iſtud occupatis, vel certe nullo ſucceſſu pertractatis, huic uni memet illigaverim, nec poſuerim calamum ante, quam nobiliſſima præſidia Temeſiam, & Taurunum, A) auſpiciis Cæſaris CAROLI VI. ac ductu ſereniſſimi Principis Eugenii Franciſci Sabaudiæ, & Pedemontii Ducis ſubacta, atque pacificationem Paſſaroviczii confectam narraverim? dicam perpaucis.

Ut vidi Imperatores Orientis, hoc eſt: Byzantinam Hiſtoriam per vaſtiſſimos XXV. Tomos extenſam, opera R. P. Franciſci Borgiæ Kéri e noſtra Societate ad votum eruditorum omnium in compendium redactam ad tempora uſque captæ Conſtantinopoleos; illico me inceſſit cupido noſcendi, quanam fortuna uſi fuerint Principes e Palæologorum

A) Ita Plutarcho, Ptolomæo appellatur Belgradum, ſive Alba Græca, vel Bulgarica.

rum & Comnenica ſtirpe Imperatorum Græcorum ſuperſtites in Peloponneſo, ac Trapezunte, cæterique eorum populares? quibus viribus Ottomani procedente tempore adeo increverint, ut abſorpta propemodum omni Hungaria, Auſtriam, ipſamque Viennam terra & aquis oppugnare non dubitarint? interea quidquid vacui temporis ſcholaſtica reliquerunt penſa, nitidioris ſermonis gratia, nunc Principum Chriſtianorum, nunc Turcarum clades, aut victorias chartis illiveram; crevit opus ſub manibus; & quoniam e diverſis Scriptoribus, veluti longinquis ſylvis, materia comportanda fuit (nam ſi demas Portam Ottomanicam Germano idiomate ſcriptam, haud reperies, quod ſciam, Hiſtoricum, qui continenti narratione res Turcicas a capta Conſtantinopoli complexus eſſet) curas meas eo intendi, ut præliares conatus Ottomanorum, per infinita ſparſos volumina, in unum contraherem, quo Lector citra jacturam boni temporis uno in conſpectu eos haberet.


Ad hæc animadverti, poſt Nicolai Iſtvánffii, Patriæ noſtræ Livii, Hiſtoricas elucubrationes, res Hungarorum & Illyrorum admodum jejune, & nonnunquam fide ulceroſa a quibusdam narrari; idcirco operæ pretium me facturum exiſtimavi, ſi accu-

curatiori calamo utriusque nationis conatus, ad refringendam Ottomanorum vim impenſos, pertractarem, & aliquando decretoriis certaminibus velitares pugnas, maximis exercitibus turmas equitum, ingentibus navigiis celoces armatas (Saikas nominamus) miſcerem. Denique pacificationem Paſſaroviczenſem ſcriptionis meæ limitem poſui, tum quod ita collibitum mihi fuerit, tum quod aliam ſcribendi materiam delegerim. Tantum habui proloqui paucorum gratia. Vale.



AMURATHES IV.

IMPER. OTTOM. XI.



Ttomanorum hunc Imperatorem, multis fuiſſe inſtructum decoribus, præliari inprimis ingenio, ſolertia, magnanimitate, ac inſtaurando illi Imperio parem, difficillima bella, quæ ipſe confecit in Aſia, teſtantur. Duodecimo ætatis anno, habenas Imperii moderari cœpit, tanta animi vi, atque ingenii, ut populus (qui Ab exordio principatus initi reliquam felicitatem auguratur) non immerito eum alterum monarchiæ fundatorem fore divinaret. Illud inprimis ſummo ſtudio curavit, ut viros militari ſcientia claros, ad latus haberet, quorum præceptis ab adoleſcentia imbutus, naturæ dotes ad magnum fortunæ cultum perduceret. Eum in finem Baſilem veterem, fidumque Osmannis miniſtrum, in aulam honorifice evocat. Degebat is ſine deſiderio urbis ad mare Euxinum, quo per impotentiam Chuſſainis Vezirii abactus fuit, cum nonnullis Purpuratorum; hujus conſiliis ſi Imperator obtemperaſſet, multo pacatiores res Turcicæ fluxiſſent. Peracta inauguratione in moſchea principe, animum applicuit ad ærarium augendum, quod pro tantis, quæ tum temporis premebant, rebus erat multo tenuius, ſive illud diminutum fuerit turbis in Aſia obortis, ſive in illud viſcoſas manus, quod populus non abs re clamabat, Vezirii intulerint. Et Chuſſaines quidem peculatus reus, maturata fuga ſemet prodidit, quinque aureorum millibus ei decretis, qui eum judicio ſiſteret, aut quoquo modo interficeret. 1623.

Compoſitis domi rebus, arma in rebelles vertit. Abaſſa Janicsarorum acerrimus hoſtis, quos Osmannis proditores compellabat, ſine belli ſtrepitu ad obſequium rediturus videbatur. Nec erat animus Vezirio, congrediendi cum viro non minus milite, quam opibus inſtructo. Idcirco Amurathis nomine, Erzeri urbis præfecturam pollicetur, modo Turcico fœderi innexus, adverſum Perſas copias ſuas conjungat. Annuit conditionibus Abaſſa. Janicsari, qui hoſtem ulturi, certaminis ſignum avide expectarunt, promulgato fœdere vix armis abſtinuere; adeo privatas injurias ſupra commodum Reipublicæ æſtimarunt. At militari aſtu emolliti, ad modeſtiam redierunt. Minoris Aſiæ Præfectus, connivente Vezirio e caſtris Turcarum erumpens, juxta Abaſſam cum quindecim ſuorum millibus tutam caſtris ſtationem capit, Janicsaris cædem intentat, niſi pactis ſteterint. Illi præſentibus 1624.

A. C. 1624. tibus minis subito perculsi ab armis discedunt, Abassam ut amicum in castra accipiunt. Quanquam haud diu post soporatus dolor recruduerit vehementius, ut non nisi cruento bello restingui potuerit.

1625. Antequam hæc cura decederet Amurathi, fama belli Tartarici A) exorta est. Sed pauca prius repetam, quam hujus belli initium expedio, ut ad cognoscendum omnia illustria, magisque in aperto sint. Fuit ea gens perpetuo Turcico nomini addicta; eosdemque hostes censuit, quos Ottomani. Imperatorem, aut Vezirium ad bellum proficiscentem equites sequuntur armati, vix ullam legeris in Europam expeditionem, cui illi non interfuerint. Quo sævius Christianorum agros evastent, nulla stipendia ab Imperatore accipiunt. Prædam omnem pro mercede habent. Unde incredibili studio prædandi, hostiles provincias incursant; mox ubi validius agmen obsistit, velocitati equorum confisi, semet ad robur exercitus strenue recipiunt. Hac arte bellandi, dici non potest, quantopere maximos etiam exercitus fatigent, diffusas regiones uno quodammodo cursu, populatione, cædibus, villarum incendiis hauriant. Quanquam istud intempestivum, sævumque prædandi genus, Janicsarorum vulgo displiceat, quod opima spolia levi impendio præripiant illi, hi non nisi subrutis mænibus multo cum sanguine spolia emant. Vetus hæc querela est; at forti stomacho concoquenda, ne gens adeo utilis Ottomanicæ potentiæ, tum multitudine hominum, tum propinquitate agri, obsequium detrectet. Suberat & altera ratio (si fides Historicis) cur Turcæ Tartariæ populum sibi offensum nollent. Inter vetera pacta, quibus uterque populus coaluit, & prope in unum Imperium concessit, istud præcipuum fertur: stirps Ottomanica si deficeret, non alia ex domo Imperatorem electum iri, quam e Regum Tartariæ sanguine. Inde non ut monarchiæ obnoxios, sed ut germanos suos & coluerunt, & foverunt olim. Processu tamen temporis, molle imperium, quo præ cæteris gentibus habebantur, in tyrannidem mutari est visum. Præterquam enim, quod Caffam principem urbem Crimææ, suo præsidio obtineat Imperator, filiumque Regis natu majorem, obsidis loco Byzantii habeat; liberis suffragiis legendi Reges potestatem ademit. Atque istud tot annorum decursu inviolatam amicitiam abrupit.

Nam Rege, sive Chamo B) Tartarorum decedente, cum Proceres cuidam Mehemeti, genere, opibus, atque fama potenti, Regios honores deferrent; Turcæ contra Giangerem filium Chami, in aula Byzantina multis annis versantem, paternæ dignitati admovere vellent, res ad arma devenit. Giangeris in patriam appulsus, ab armatis civibus hostilem in modum acceptus, vix manus suorum popularium effugit. Deformatus ærumnis, inops triste exilium Byzantii tulit. Ab Achmete Imperatore, Persicis bellis involuto nihil auxilii sperare potuit. Osmannes in Polonos nimium exacerbatus, exulis causam, ac dedecus Turcicæ genti illatum, non neglexit modo, sed insuper Mehemetem ad Poloniæ ditiones populandas accersivit; ubi prælio strenuus, & bonus consilio, inter amicos Imperatoris habebatur. Huc accedebat munificentia animi, ingenii solertia, quibus rebus sibi multos e Purpuratis familiari amicitia conjunxit, ut adeo nemo omnium fuerit, qui ei litem moveret de regno occupato. Amurathem tum læsa authoritas, tum exulis preces flexerunt, ad subveniendum Giangeri, & pervicaciam Tartarorum severe vindicandam. Calil Purpuratus unius hominis causa amicissimam Turcis nationem, lacessere armis inconsultum censuit. *Nihil referre*, ajebat, *quis apud Tartaros primas obtineat, modo is cum populo Ottomanico amicitiam colat, suam fortunam nostram existimet, grande præsidium, in nobis censeat. Hæc omnia Mehemetem ad unguem præstitisse.*

A) In minori Tartaria ad Pontum Euxinum. Crimæa, olim Cimmerium, ut Plinius, & Mela testantur, ubi princeps civitas Caffa, de qua Tom. I. narratum. B) Istud fortassis referendum est ad annum 1611. Achmete imperitante. Nihil tamen motum in Tartaros, bello Persico omnia permiscente; neque Mustaphæ, aut Osmanni animus erat veteres amicos divexandi.

tisse. A) *Nec tantum crimen incurrisse ob Giangerem expulsum, ut continuo nostra amicitia indignus videatur. Eum Regiis natalibus ortum, votis omnium Regem nominatum minime peccasse, si illud accepit, quod natales, quod libera suffragia dedere. Multis annis Regem agnitum, de legitimo throno deturbare, ex Tartaria ejicere admodum difficile fore. Intempestivum præterea dicebat, pacatos, obsequentesque bello irritare, simulque finitimos Cosaccos ad opem Tartarorum pronos provocare. Cavendum ea maxime tempestate belli civilis incendium, dum MULTI adsunt, qui illud opibus, milite alant. Denique non posse sine multiplici hominum, urbiumque strage armatorum vim infringi; & quamvis Amurathes bello vinceret, in sociis tamen victum iri.*

A. C. 1625.

Sed potior pars Purpuratorum in arma, ultionemque impulit Amurathem. Itaque classis armata Caffam expeditur. Abeunti Archithalasso inter monita præcipue commendatum: ut omissis armis, Tartaros quibuscunque conditionibus ad accipiendum Giangerem in paternum thronum, fortunasque alliciat, exauthorato Mehemete. Ad Caffam exscensione facta, Primoribus populi voluntatem Amurathis declarat, hortaturque simul, ut Mehemete in ordinem redacto, rursum in suffragia eant, palamque faciant, utri candidatorum sors melior sceptrum porrectura? eam in rem bina vexilla in patenti campo figuntur, Mehemetis alterum, alterum Giangeris. Populus, secus ac putaverat classis Præfectus, maximo numero ad signum Mehemetis vertitur. Giangeris fortunæ suæ metuens, Præfectum urget, ne se, ne causam suam deserat; copias terræ exponat, arma minetur; terrore intentato facile suffragia auferri posse a levissimo vulgo. Obsecutus oranti, octo millia armatorum Tartaris opponit. Illi in fugam effusi, incautum Ducem in imas solitudines alliciunt. Circumfusus ab equitatu, vix ullo ad effugium exitu reliquo, cæditur. Ne porro bellum inter utramque gentem exardesceret, Calil Purpuratus multum adlaboravit. Amurathes victoria ferocem muneribus utcunque placavit, adjectis literis non satis pro dignitate Imperatoria, quibus errorem sui Ducis purgavit. Hæc res ut populum Turcicum non parum turbavit, ita Tartaro animos adjecit. Et Mehemetes in dies confidentior, potentissimum Imperium suis viribus occupaturum se jactaverat præsente Turcarum Legato. Verum alter ab hinc annus B) novis molitionibus, & regimini finem attulit.

Fœdus ille sanxerat cum Polonis, & Cosaccis haud dubie ad coercendos Turcas. Istud in Tartaris, raptu vivere asvetis, tantum odium suscitavit, ut imperio exutum, exilio damnarint. Placuit Amurathi arrogantissimum hominem cum dedecore in præceps actum, ea etiam de causa, quod sublato rivali, Giangerem, veterem suum clientem, paternum sceptrum adepturum speraret. Apud Rhodios agebat Regius Princeps, privatis rebus intentus, dum hanc rerum conversionem fama vulgarat. Ad reparandam fortunam nunquam non accinctus Byantium revolat, inde in Crimæam. Tartari frequenti præsidio litora insidentes, veterem regni procum a finibus arcent, Cantemirem copiarum Ductorem ad Caffæ mœnia profligant, ipsam urbem admotis propere scalis capiunt. Reddita est deinde Turcis ea conditione, ne Giangerem inposterum consilio, opibusque adjutum irent.

1626.

Non invitus conditionem accepit Amurathes, quod in Asia vario Marte bellum gereretur ea tempestate, cujus occasio fuit amissum Bagdatum, & geminata defectio Abassæ. Repressis Cosaccorum incursionibus, magnus Vezirius in Persidem abit cum florentissimis copiis, Bagdatumque urbem corona cingit. Rex Sophus (quanquam hoc nomen fere commune sit Persarum Regibus, a Sopho Regulo circa annum MCCCL. imperitante, atque ad Halium referente originem suam, acceptum) c) innumeram multitudinem suis in provinciis armat, ac in quatuor colonias exercitum partitus, quatuor

A) Hunc Mehemetem nepotem fuisse Regis Tartar. ajunt, alii fratrem Giangeris; alii denique utrumque negant. Consule Annales Ferdinandeos Tom. X. & Sagredo. B) Annus 1627. c) Ita noster Dionysius Petavius in suo Rationario Temporum Parte I. Lib. IX. C. VII.

A. C. tuor e partibus Ottomanis infeſtus incumbit. Qua ratione Amurathi quo-
1626. que neceſſitatem impoſuit, totidem Duces cum armatorum manu opponendi Perſis, ne per ditiones Turcicas impune volitarent, pavore, tumultu, miſcerent omnia, vel immanibus tributis, ac vaſtitate haurirent populum. Sed nusquam locorum ardentius res acta, atque ad Bagdatum, Perſis pro veteri ſede ſtrenue juxta, feliciterque dimicantibus, ut adeo Turcæ in deſperationem verſi, damnoſa oppugnatione abſtinerent, poſthabito Vezirii mandato. Milites, quo culpam rei male geſtæ effugerent, unius Vezirii inſcitiæ cladem tribuunt, ac ſua authoritate damnatum obtruncant. Tulit eam inſolentiam pacato animo Amurathes, jureque cæſum pronunciavit, ne quid contra ſuam voluntatem ſtatuiſſe, aut feciſſe argueret eos, quos plectere non potuit. ET Principes adulari debent incenſæ multitudini, ne majeſtatis jacturam faciant.

Sophus hac obtenta victoria, pacem, quam bellum maluit. Miſſus caduceator ad Purpuratum Calil, qui Vezirius nominatus ſupplementa militum adduxit in Perſidem, nihil pacati retulit; quod Bagdatum in hoſtium manibus relinquere Amurathis imperio prohiberetur. Itaque hoſtilitates pauliſper ſopitæ, recruduerunt. Expugnata civitate Tauri, alacriorem jam militem Bagdato admovit. Victores Perſæ iisdem animis, quibus nuper, mænia tuentur. Et quamvis Rex nihil ambigeret de virtute præſidiariorum, tamen ut excidii metum omnem a Regia urbe amoveret, ipſe cum delectis quadraginta equitum millibus pervigil excubat: annonam intercipit, regiones proximas igni, ferroque vaſtat: quidquid uſui eſſe poteſt, corrumpit, ſterile, ac nudum ſolum relicturus hoſti, ſi in obſidione perſeveraret. Ingraveſcens fames, multos Ottomanorum a ſignis avocavit. Obſeſſorum præterea procurſionibus, atque excubiis prope in horas minuebatur exercitus. Calil eatenus animi invictus, cum graviora fierent in dies, & anguſtiora omnia, nulla ſimulatione Sophum de amicitia compellat. Ille memor incerti belli exitus, pacem firmare ardebat cum potentiſſimo populo, dummodo provinciæ bello captæ, jure perpetuo Perſidi cederentur. His pactis dimiſſus Calil cum attrito exercitu, Amurathis, Purpuratorumque odium incurrit; inſimulatus ignaviæ, quod indecoram Ottomanico nomine inierit pacem, juſſusque dignitate cedere, ægre multo auro necem redemit. Fecialis Perſiæ, ſanciendi fœderis cauſa Byzantium appulſus, omnium ſententia re infecta in patriam remittitur. Adeo arma, & fortia conſilia omnium animos occuparunt. a)

1627. Decretum in Perſidem bellum, Abaſſa, Erzeri Dominus, in ſe avertit. Is nuper in fidem acceptus, ſimul Erzeri urbis, cujus dominium ſibi, poſterisque ſuis, armis aſſerere contendit, præfecturam obtinere eſt juſſus. Exorto Perſico bello, cum frumentum, ſtipendiumque præter milites imperatum foret, & ipſe feſtinatis nunciis evocaretur in expeditionem; exiſtimavit ſecum agi inclementius, quam Fœderatum deceret. Moleſtum nempe erat viro imperare aſſueto, inſtar ſatellitis Vezirium comitari, ab illius imperio, nutu pendere, authoritatem ſuam arctis adeo limitibus circumſcriptam videre, ut præter ſplendidos Præfecti titulos, nihil in publico oſtentare poſſet. Ad hæc non levis ſuſpicio oborta eſt ei, quaſi ſpecie obſequii præſtandi, e munitiſſimo loco prolicere vellent incautum, ut circumventus a Janicsaris, præſidio, opibus, liberis, vita denique ipſa exueretur. His cogitationibus jactatus, ſtatuit arma corripere adverſus Amurathem, & Erzerum, ſi qua vis ingrueret, extreme propugnare, tanto utique honeſtius, quanto ſe, filios, ſocios defendere, provinciam in libertatem aſſerere non æquum modo, ſed glorioſum etiam videri potuit. Et favit fortuna bellicoſo Duci. Obſeſſus Erzeri, tanta conſtantia vim invadentium ſuſtinuit, ut deſperato ſucceſſu capiendæ urbis, trepide ſemet receperint copiæ. Victor inſecutus fugientes, non paucos ex agmine poſtremo captivos abducit.

Irrita-

a) Annales Ferdinandei ob res male adminiſtratas tumultum Byzantii obortum ſcribunt; ſopitum multa cæde Præfectorum, qui faces ſubdidere furentibus.

Irritavit obſidentium animos, fervente oppugnatione, crudele factum Abaſſæ. In eruptionibus, ut fit, ad valla, tormentorumque cuſtodiam, excubantes Janicsaros (erga quos capitale odium multis indiciis prodidit) in urbem rapiebant; hos ille e pinnis murorum ſuſpenſos tormentorum ictibus objecit, quaſi impetentibus religionem incuſſurus per ludibrium, ne ſuos commilitones, ſanguine junctos, barbarum in modum diſcerpant. A. C. 1627.

Hoc demum anno, quod mireris, ingenti ardore utriuſque partis cœpta certamina, inexpectata pace compoſita fuere. Gioſul Calilis loco occupato, habito delectu in Europa, Aſiaque, numeroſum exercitum in campum eduxit adverſus Abaſſam, Erzeri invaſorem; conſerturus prælium, ſi æquo Marte vellet contendere, aut certe memorabili obſidione fracturus rebellem, ſi intra munimenta urbis conſiſteret. Ubi videt Erzeri præaltas turres, mænia vario machinarum genere munita, præſidiarios vigente animo, corporeque, pro patriæ libertate paratos ad tuendam ſtationem, multum refrixit ardor ille martialis, non in milite modo gregario, ſed & ipſo Vezirio, Præfectisque. Nondum hoſtilitate illata, placuit hominem abſque armorum præſidio expugnare. Et haud temere ſibi perſuaſerant, accepturum amicitiam, ſi fœdus Amurathis nomine offerrent. Abaſſa minime negligendam ratus occaſionem, qua gratiam Imperatoris occuparet, cum Vezirio paciſcitur de urbe tradenda. Scriptis deinde literis ad Imperatorem, paucis commemorat: *ſe non alia de cauſa arma induiſſe, quam ut ſicariorum parricidium in Oſmannem Imperatorem admiſſum, pro merito vindicaret. Ea nuper optima fide poſuiſſe, ut primum ſibi, ſuisque ſecuritas data. Verum cum multis indiciis accepiſſet, inſidias ſibi inimicorum ſcelere (QUI nunquam virtuti deſunt) parari, odium augeri apud Principem, ac milites; dignitatem ſuam quotidie minoris fieri; in ſui, ſuorumque defenſionem locum circumſpectaſſe, ex quo repellere conatus adverſariorum poſſet; Erzerum occupaſſe, ut ſecuritati ſuæ conſuleret, non ut novum principatum ſibi fundaret, aut genti Ottomanicæ infeſtus eſſet. Redditurum ſe arcem legitimo Principi, ſi nobiliori præfecturæ admoveretur.* Annuit Amurathes eo facilius, quo graviori cura jactabatur ob Perſicum bellum. Signatis tabulis urbs traditur Gioſuli. Morati tantiſper in provincia Erzeri, dum plebs poſitis armis in ſua oppida dilaberetur, uterque Byzantium concedit cum exercitu. Fama venturi Abaſſæ, ingentem civium numerum excivit, cupientium intueri Heroem ſuæ ætatis, cujus virtute Byzantium toties contremuit. Fertur ipſe Imperator huic ſpectaculo, occultus interfuiſſe, & multa cum voluptate virum pugnacem triumphatum, triumphantemque ſpectaſſe. In colendo Abaſſa, quamdiu in urbe egit, nullum officiorum genus intermiſſum. Inter convivia cultus ab Amurathe muneribus, provinciam Boſnenſem gubernandam accepit. A) 1628.

Hac ſpina, expectatione maturius, evulſa, vires in Perſidem converſæ ſunt. Nemo aptior ad ſubjugandum Bagdatum Vezirio habebatur, quod veteris diſciplinæ vindex, militum inſolentiam ſolito rigidius coerceret. Byzantini mercatores queſti de rapacitate Janicsarorum, in eo firmum præſidium ſuis mercimoniis reperere. Inoleverat enim ea conſuetudo apud præferoces, ut reduces e bello omni injuriarum genere, non in urbanos minus, ac agreſtes graſſarentur, apothecis vim inferrent, merces inter ſe partirentur palam, cives hoſtium loco ducerent. Cum acrioribus remediis opus eſſet ad reprimendam tantam proterviam (MORBI quippe inveterati non niſi continuatis, iisque fortioribus medicamentis depelli poſſunt) e peditum, equitumque numero aliquot ſuppliciis affici juſſit, tanto cæterorum metu, ut inter cives modeſte juxta, ac amice inpoſterum egerint. Ex quo militum vulgo inviſus. Sed ille in terrorem, quo tunc opus exiſtimavit, intentus, invidiam, odiumque ſui facile poſthabuit; auditus ſæpius dixiſſe: cum periculo etiam capitis, nihil remiſſurum ſe a cœpto rigore. Altius progreſſus, aulæ, Purpuratorumque vitia, præprimis avaritiam, cenſoria 1629.

A 3 virga

A) Hæc Sagredo. Annales referunt multa ad priorem annum, & diverſa narrant.

A. C. virga notaverat; qua confidentia, atque severitate, multorum odia, apertas inimicitias suscepit. Soltana, Amurathis mater, ultra muliebres curas more priorum semet evehens, exosa permolestum censorem, impense solicitavit filium, ut hominem oblata occasione Persicae expeditionis ab aulae conspectu removeret, periculis, ac curis haud levibus implicandum. Igitur eodem tempore, quo ad inhibendas Cosaccorum populationes alter exercitus est missus, Giosul Vezirius ad Tigrim profectus, Bagdatum obsedit. Rex Sophus sublatis controversiis, quae limitum causa inter magnum Mogolem A) ambitiosum vicinum sunt natae, cum expedita suorum manu advolans, apparatum omnem bellicum, quem decem armatorum millia in castra jussu Giosulis comitabantur, diripuit, caesis, aut captis custodibus. Eo infortunio spe sua dejectus Vezirius, irrito conatu coeptam oppugnationem deseruit, ac in stativa militem suum reduxit.

1629.

1630. Instauratis per hyemem viribus, rebusque necessariis curatis, iterum ad Bagdatum constitit Vezirius, eadem fortuna usus, qua alii aliis annis. Cum enim Persae non obscuris argumentis didicissent, hanc urbem ad ictum destinari, nec facile quietem passuros Turcas, dum ea potiantur; omnes industriae nervos impenderunt, quo princeps propugnaculum Persiae, caputque regionis sua in potestate retinerent. Praeter annonam in plures annos suffecturam, instrumenti bellici vim innumeram, cohortes veteranas praestantissimis Ductoribus huc injecerunt. Ad haec Rex impiger B) cum valentissimo exercitu nunquam non infestus hostium castris, metum, laboremque geminavit, adegitque Giosulem saepius, ut avulsus ab obsidione, in aciem pro castris explicaret militem, & ad tuendos commeatus partem exercitus assiduo in armis haberet. Quo incommodo nimium afflictus miles, & jam impar oppugnationis labori, ubivis terrarum potius, quam ad Bagdatum, alteram Trojam, militare maluit. Vezirius ipse viso, tot rerum difficultatibus conflictari exercitum, veritusque, ne in praesentia validissimi hostis Janicsari seditione mota, a signis dilaberentur; collectis vasis ex hostico abit.

Ob stationes subinde in Syria, Natolia, aliisque vicinioribus Persico agro provinciis designatas e praescripto Amurathis, nonnihil turbarum obortum est inter milites, diuturno labore, & ignominiosa oppugnatione alioquin exasperatos; quae novis accedentibus irarum fomentis, multo tempore Imperium Turcicum vexarunt. Constituerat Amurathes apud animum, procul Byzantio copias in stativis tenere, seu ut Byzantini gravi molestia hospitum levarentur, seu ut Bythiniae provincia repetitis militum profectionibus, & injuriis protrita, indulgentius haberetur, seu (quod belli ratio exigere videbatur) ut non longe a Persicis limitibus hibernantes, in motus hostium intenti, obviarent celeriter, si quid in finitima oppida vi, aut dolo tentaturi essent. Legionariis in alterum annum Byzantio abesse, gravissimum accidit; maxime quod praeviderent, hyeme inter perpetuas velitationes exacta, rursum se objectum iri fortissimo hosti. Ea rerum imagine perterriti, vecordes, & disciplinae militaris immemores, relictis stationibus absque signis, & ordinum Ductoribus Byzantium festinant, quo jam nuper se contulerat Giosul, improsperae expeditionis rationem redditurus. In majus consilium accitus ab Amurathe, odiosis quaestionibus exagitatur. Inquisitum in duorum annorum acta; vitio datum, quod ante cinxerit Bagdatum, quam machinas in castra acceperit; nihil omissum, quo fido, strenuoque ministro invidia crearetur. Postremum de peculatu postulatus, quidquid pecuniarum, partim haereditario jure, partim industria, solitisque artibus collegit, ad Amurathem placandum profundendum erat. Haec ignominia nondum inimicorum furorem stitit. Novas calumnias, nova tela ex officina

na

A) De magni Mogolis, seu Mogoris Imperio consule Geographos. B) Rex Persiae hoc anno mense Martio vitae, & Imperii finem fecit, postquam tribus provinciis in libertatem assertis, regnum suum adauxit. Filium nullis dotibus imperitandi praeditum posthabuit nepoti suo valido juventa, exporrectique vigoris, ac virtutis Principi, cui regnum cessit fato proximus. Annales Ferdin. Tom. XI.

na Soltanæ, quam ſeverus cenſor offenderat, in eum ſpargunt, multumque de fama viri detergunt: cumque modum nullum ſtatuerent ſive veris, ſive fictis accuſationibus, Imperator nimis quam pertæſus tot querelarum, longe alia promeritum, tum civilibus, tum bellicis muneribus movit.

A. C. 1630. 1631.

Multa ſolicitudo Amurathem inceſſit, in quem præfecturam armorum transferret. Poſcebant ea tempora virum, qui non minus domi militibus, quam foris hoſtibus terrori eſſet. Præterquam enim, quod Coſaccorum populus prædabundis agminibus maris litora percurſaret, integrum cum Perſa victore ſupereſſet bellum, in minori Aſia Elis quidam, ſeditioſorum caput, res novas moliretur, militum inſolentia e quotidianis turbis incrementa ſumpſit. Qui effræni licentiæ modum imponere auderet, nemo præter Imperatorem erat. Sed & is in hac periculoſa juxta, ac delicata curatione, alterius potius opera, quam ſua maluit uti; FAMILIARI Principibus inſtituto, ſive ut odium in miniſtros a ſe amoliantur, ſive infra majeſtatem ſuam exiſtiment furentium turbis miſceri, quas dexteritate privati hominis ſedandas arbitrantur. Poſt Gioſulem exauthoratum ancipitis erat delectus, ad quem hæc provincia deferretur. Soltana Caſſem Achmatem, Imperatoris affinitate clarum, tanto operi non imparem putavit, egitque ſedulo, ut Vezirii authoritate ornaretur. Ceſſit petitioni Amurathes, etſi prævideret perdifficilem ſtationem initurum hominem, in qua deceſſores poſt ludibria militum, populi odia, fortunas, vitamque ipſam amiſere, tanto infeliciores, quanto in altiorem gradum eluctati.

Et reapſe vix inito magiſtratu, ſenſit Achmates militnm iras, inolitaque odia in ſe tranſiiſſe cum dignitate, quaſi mutato ſolum nomine, ingenium Gioſulis, rigidos mores, atque irarum cauſas, quibus flagrabat ille, induiſſet. Eminebat inter ſeditioſos Caſreffes, equitum Præfectus, quo non conſulto nihil gregarii agendum ſibi putarunt. Ab hoc tanquam Delphico oraculo reſponſa, conſilia petierunt non equites modo, ſed & Janicsari, quos eadem intemperies in tumultus egerat. Hujus nutu colluvies illa hominum unice regebatur, parata armis petere, quemcunque hoſtem deſignaſſet. In hoc perturbato rerum ſtatu, cum Achmates Vezirius oleum, operamque perderet in milite ſedando, e re fore exiſtimavit, ut ipſum caput turbarum e medio tollatur, quo ſemel ſublato, ſperavit cum obſequio militum turbidæ adeo patriæ lucem redituram, dejectamque metu Rempublicam recreatum iri. Spes incautum fefellit. Trucidato etenim Caſreffe Amurathis imperio, in tantum furorem, ſunt acti ſeditioſi, ut Vezirium obequitantem vicos Byzantinos, lapidibus pene obruerint. Mox ſeceſſione facta, lymphatis ſimiles diſcurrunt, in Hippodromum ſe ſe conjiciunt deliberaturi, qua via iniquiſſimæ cædis authores ulturi. Acria illa offenſorum ſtudia Amurathes, Purpuratique penſitantes, affirmare non dubitarunt, ea cæde tunc primum eſſe ſtabilitas ſeditioſorum partes, brevique multorum cervicibus, unius necem vindicatum iri.

Et ſane in ultionem proni, non diu deliberandum rati, in quos tempeſtatem effundant; Vezirium, binoſque alios, Amurathi familiares, Agam Janicsarorum, & Dephterdarem a) truci clamore ad ſupplicium depoſcunt; ſi renuerit Imperator hæc capita cum militiæ, tum Reipublicæ pernicioſa tradere, ſi armis eripere cogitarit improbiſſimos mortalium, minantur proclamaturos ſe Ibrahimum (Amurathis frater is erat) Imperatorem; Amurathem cum Soltana, cæterisque aulæ aſſentatoribus ferro vindice hauſturos. Ea denunciatione perculſus Imperator, Vezirium metu exanguem furentibus tradendum jubet. Tantillum temporis impetrare non potuit, quo paucis ſuſpicionem perpetratæ necis a ſe amoliretur miſer. Raptus ab armatis, ad fores aulæ excubantibus, in conſpectu Amurathis fruſtatim conciſus eſt. Spectaculum barbarum, eo vehementius affecit Imperatorem, quod tumultuoſo clamore, & militari violentia, ferrum ſanguine præcipui

viri

a) Aga apud Turcas Tribunum militum ſignificat: Dephterdar Præfectum Ærarii, Quæſtorem, Ita Leunclavius in ſuis Onomaſticis Francofurti editis MDXCI.

A. C. 1631. viri tinctum aulam versus vibrarent, tumultuque majori omnia permiscerent. Erat facies longe tristissima totius urbis. Mercatores communem direptionem, populationemque suarum fortunarum veriti (seditiones enim ejusmodi plerumque hunc exitum spectare videntur) recipere sese ad tutiora, ac firmare domorum aditus; cives desperatis rebus fugam adornare cum liberis; milites, quos eadem pestis non corripuit, tanquam impares seditiosorum gregi, omissa tuendi Imperatorem cura, sibi consulere, arma recondere: neque aliis contra hanc tempestatem, quam contra fulmen cura, quod omnes optant, ne in se ruat, nemo manum admovet, ut prohibeat. Amurathes tamen consilium cepit, ut sparso inter Principes seditionis ære, tranquillitatem sibi, urbique redderet. Ne hoc quidem non minus familiaris, quam felix ars emendi mortalium studia, pertinaces movit.

1632. Jam alterum annum, maxime Byzantii, tenuit hoc intestinum malum, quamvis pro libidine militum ad supplicia tracti fuerint, quos ordini suo offensos putarunt. Ita post longa tædia altercationum, & Aga Janicsarorum, & Dephterdar suspendio necati sunt, eorum bonis sub hasta divenditis. Amurathes non minus futurorum metu anxius, quam præsentium mœrore consternatus, cum videret a furiosis, nobilissimos viros in dies trucidari; domos opulentiorum diripi; suam, Purpuratorumque authoritatem ludibrio haberi; statuit medelam afflictis rebus ab armis petere. In eam rem, clam seditiosis, ingentem vim telorum in aulam comportari jubet, e fidis sibi hominibus custodes corporis legit, Purpuratos acribus verbis extimulat, ut generis sui memores adversus factiosos sese arment; præstare dictitans fortiter cadere inter rebellium corpora, quam timide, precarioque vitam trahere. Iisdem diebus novus Vezirius nulla injuria læsus ab Imperatore, flammam seditionis latius spargere adlaboravit. Sub specie honoris in aulam accitus ab erumpente ex insidiis milite præfocatur. Longe maximum incrementum cepisset factio ex hujus accessione, ni mature obviatum foret. Hoc incentore sublato, paulatim ad mentem redire videbantur turbidi. Mehemetes Mempheos Præfectus, nunc Vezirius, ut partem aliquam restituendæ tranquillitatis in se derivaret, multis egit cum factiosis, ut posita ferocia, lenirent iratum Imperatorem, obsequioque suo levarent metu Rempublicam. Sed Imperator animo suo obsecutus, etsi plerique pœnitentia ducti, errorem suum damnassent, tamen perseveravit in ira, atque multos, qui seditioni huic occasionem dedere, capite plecti, aut mergi in proximum mare jussit. Atrox spectaculum habuit urbs Byzantina, dum cadavera tabo fluitantia, in altum ferri vidit; aut in medio foro prostrata, inhumataque.

Neque his contentus Amurathes, quo vires succideret rebellioni inposterum, Spahiorum Præfectos in minorem numerum redegit, stipendiaque minuit. Janicsarorum cohortes ad limites Persiæ custodiendos disposuit. A) Hac tandem severitate turbæ domesticæ, queis pluribus annis Ottomanica monarchia vexabatur, sopitæ fuere. Quod si Persia illis temporibus bellum movisset, haud dubie Turcicas provincias, seditiosorum protervia debilitatas, facile subegisset. Sed illa tueri parta maluit, quam ancipiti Marte aliena impetere. Hoc eodem anno Elidem Natoliæ turbatorem sua illaqueavit Nemesis. Civili bello fessus, quasi justa arma cepisset, ausus est cum Præfectis inducias pacisci, & in præmium belli libertatem, fortunasque (nam Magnesiam urbem occuparat) petere. Constantinopolim perductus feriendi fœderis causa, ab Amurathe veluti perduellis interficitur. Ne crimini daretur cædes, negavit Amurathes se conscio pacta inita, neque Præfectis tantam potestatem fuisse, ut perduellem omnis pœnæ expertem declarent, & inique extorta possessione ditent.

1733. Post tot seditiones, Purpuratorum, militumque cædes Byzantii factas, quasi urbs expiari deberet, fœdum incendium per complures dies, & noctes grassabatur in tecta. Solo æquata pars tertia urbis. Late vagatus ignis,

A) Sagredo, & Annales Ferdinandei ad hujus anni finem.

ignis, Moſcheas venuſti operis, & Imperatorum monimenta abſumpſit. Ea peſte multa mortalium, jumentorumque millia perierunt cum Bibliotheca. A) Amurathes, quo voraci elemento, & perflantibus ventis animato modus ſtatueretur, ſonipede vectus per vicos, præſentia ſua, turbatos improviſo malo cives, ad opem ferendam incitavit. B) Sed furentis flammæ vis, induſtriam humanam prævertit, ſæviitque, quoad pabulum reperit. Nec minus, dum Byzantii omnia fumant incendio, Adrianopolis, aliaque clari nominis oppida triſtibus flammis, iisdem diebus miſcebantur. Tot incendia ſeu caſu, ſeu dolo oborta, futurarum calamitatum, cædium, populationumque prænuncia interpretati ſunt aliqui; auxeruntque metum Perſici motus, ad quos componendos Mehemetem Vezirium miſit.

A. C. 1633.

Cum celeritate opus eſſet, & Vezirius neque vellet, neque poſſet pro dignitate iter inſtituere ob rerum penuriam, a Præfectis quatuor, caſtrenſem ſupellectilem tantiſper ſibi concedi poſtulat, quo ſine mora in provinciam proficiſci poſſet. Negant illi alienum ſive luxum, ſive dignitatem pecunia ſua, rebuſque nutrituros. Is repulſam pro grandi injuria interpretatus, Amurathi rem pandit, miſeroſque præcipitat. In Cyprum deportati, omnibus fortunis evertuntur. Adeo vel in primis ordinum Ductoribus levem contumaciam vindicandam ſtatuit, ne ſerpens malum alios, atque alios corripiat, regnumque, vix nuper ſubrutum, fundet. Eandem ſeveritatem exercuit in cives, ut tyrannidem occupaſſe merito judicaretur. Maximam vim metallorum priſci Imperatores Byzantii congeſſerant, in varios belli uſus. Adegit mercatorum opulentiores, ut præſenti ære maſſam illam exolverent, quo ærarium augeret. Præterea cædibus graſſatus in obvios, ſolicitudinem injecit urbanis, ne hoſtili more haberentur, & media in pace incommoda belli ſentirent. Eam ob cauſam frequentes adeunt Mufftium, ad communem calamitatem remedium quæſituri.

1634.

A Soltana monitus Imperator, congreſſus illos novam tempeſtatem concituros; adeo exarſit, ut Mufftium, ejuſque filium, tanquam læſæ majeſtatis reos, morti addixerit. Hoc patrato facinore, nullum jam erat ſcelus, cujus magnitudine deterritus, præferoces naturæ impetus, Divini, humanique juris contemptor frænaret. Multi ergo civium hujus crudelitati victimæ ceciderunt. Divitiæ præcipuum crimen fuerunt. Poſteaquam ſuos multiplici injuriarum genere vexaſſet, in advenas, peregrinoſque mercatores, impotens ſui, rabiem effudit. Fictis criminibus plerique in carceres compacti, non niſi grandi ære perſoluto, libertatem conſecuti ſunt. Thomas Zanettus Venetus, quod licentius, ac par erat, e domo ſua proſpectarit in aulam Imperatoriam, gravi pecuniæ ſumma mulctatus eſt. Ipſi Legati Chriſtianorum Principum, infra dignitatem habebantur: eorum domus diligenti cuſtodia apparitores circumdant; in interiores ædium partes, in apothecas penetrant; an quid armorum latitet in cellis? ſcrutantur, atque per eam occaſionem multa diripiunt. Sed ultra ſæviendi poteſtatem Polonicum bellum interrupit, deinde Perſicum.

Moſchum inter, & Polonum grave bellum exarſerat, quo victor Rex Poloniæ c) Moſchoviæ clades, populationeſque intulit. Ut victorem Moſchovia detraherent victi, Amurathem in arma concitant, opera uſi Abaſſæ, quem ex Aſia in Boſniam translatum diximus, belli cupiditate, ac turbarum alioquin accenſi. Amurathes parum ſolicitus, quid fœderum ſanctitas exigat, nulla injuria provocatus, in Polonos bellum decernit, copiaſque ipſe Adrianopolim perducit. D) Exercitum dein Abaſſa Iſtro ſuperato verſus hoſtem promovet. Uladislaus feliciter transacta pace cum Moſcho, victorem exercitum Ottomanis opponit. Non juſto prælio, ſed velitationibus ſuperior fuit. Abaſſa Conſtantinopolim accitus, juſſu Imperatoris

A) Brietius ad annum præſentem. B) Annales Ferdinandei, & Chronicon Saracenorum. c) Uladislaus IV. Regis Sigismundi, Filius; cui res in adoleſcentia feliciter geſtæ diuturnam pacem pepererе. D) Vide Annales Ferdinandeos Tom. XII. ubi ordinem agminis Turcici Byzantio proficiſcentis in bellum, copioſe deſcriptum leges.

A. C. toris interficitur, turbarumque in Asia, Europaque inquieto suo ingenio 1634. excitatorum præmium tulit. Murtasanes (hic Abassæ præfecturæ successit) sive Polonorum fortitudine perterritus, sive Persico bello revocatus, opinione celerius inducias flagitavit, misso caduceatore in Regia castra. Pax fere iisdem conditionibus inita, quibus nuper cum Osmanne. Hoc modo bellum vix cœptum, singulari peritia Uladislai desiit, qui eo justiores causas belli gerendi habuit, quo confidentius annuum tributum ab Oratore Poloniæ postularunt Turcæ.

1635. Confecto citra gloriam, & fere sanguinem bello Polonico, in Persidem, quo eum Mehemetes Vezirius, ad extimulandos languescentes militum animos invitarat, toto impetu ferebatur, quæsiturus truci, sanguinariæque ferocitati opportuniorem arenam. Ante tamen, quam se itineri accinxit, e Cosaccorum velitationibus reduces, furiose trucidari præcepit, maxime eos, qui classiariis additi, celeri fuga semet subduxere. Biduo urbs Byzantina occlusis foribus, cædes spectavit, magno bonorum luctu, & animorum ab Amurathe alienatione; nam tot viris, fortuna, non bello superatis orbare patriam, quid aliud fuit, quam ad eam debilitandam dextram, opemque hostibus commodare? Illud solabatur cunctos, brevi excessurum urbe hominis monstrum. Et Purpurati, ne quid abitum moraretur, certatim res expeditioni necessarias, de suo tribuerunt. Administratione urbis, Europæque commendata Præfectis aulæ, & hortorum, A) iter tandem ingressus est. Ad urbem Erzerum, justitiæ, an crudelitatis? exemplum edidit. Illius regionis incolæ Præfecto suo, homini extremæ avaritiæ diem apud Amurathem dicunt. Haud opus erat multis argumentis, quibus accusationem firmarent. Communes querelæ vitam ei abstulerunt.

Motis inde castris, altius se in hostilem regionem induit. Erivanum, B) nobile præsidium Persarum, levi obsidione cinctum paucos intra dies cepit. c) Proditionem intervenisse nemo dubitaverat: nam & præsidiariis cum rebus integris liberum abitum concessit, & Gubernatorem loci (nomen illius silent Annales) liberaliter acceptum in castris, postea inter præcipuos amicos habuit. Et vero proditor iste, suomet ingenio ad omne artificium compositus, opportunis ad placendum sermonibus, brevi in amoribus esse cœpit adeo, ut primus Amurathem ad intemperantissimas perpotationes exemplo, hortatuque suo impulerit, quibus postremos vitæ annos maxime fœdavit. Ob Erivanum captum festis ignibus collucebat Byzantium. At Imperator longe alios in Perside instruxit. Urbs Tauris a præsidio nuda, militi in prædam concessa, victoris iram cumprimis sensit. Ferro, & igne in tecta, domosque sævitum est adeo crudeliter, ut merito ambigas, urbem incolis, an incolas urbi eripuerit. Abducta sine discrimine sexus, multa mortalium millia in durissimam servitutem, sub jugo alieno alienos agros cultura.

1636. Nec minor strages in vicina oppida incubuit. Longe, lateque cuncta incendio hauriebantur. Adversus vim repentinam nihil potuit Rex Persarum, Bagdato suo metuens, & a Mehemete Vezirio opem ferre prohibitus. Sed miles Turcicus, quasi non tam belli, quam latrocinii causa in Persiam venisset, reditum in patriam ursit. Amurathes satur vindictæ, contentusque prospero rerum successu, non invitus signa reverti jussit; & veluti profligato bello, triumphabundus Constantinopolim cum exercitu redit. Præter captivos, opulenta spolia, æs factum, infectumque ærario suo intulit, quibus nihilominus applausum populi eblandiri non potuit. TANTUM est apud vulgus odium incurrisse, ut victorem perinde, ac victum tristi supercilio intueantur. Immaturum reditum medio victoriarum cursu interrupto, plerique damnarunt, & belli peritiores facile præviderunt, Persarum Regem omnia recuperaturum, de quibus adeo ambitiose triumphum egerat. Nec falso.

Quippe

A) Hic Bostangis, alter Caimacan dicitur. B) Erivanum, Geographis etiam Rivanum, Revan. c) Brietius ad præsentem annum.

Quippe discessu utriusque exercitus liber, ad Erivanum oculos adjecit. Murtizanes loco præpositus cum muneribus vinci nollet, armorum potentia est victus. Quanquam præsidiarii, multum obstiterint generosis ausibus Præfecti sui. Etenim acri oppugnatione diu fatigati, ne pervicacia sua irritarent victorum animos in cædem, consilio inter se clam inito, portam hostibus pandunt, seque ad stipendia transferunt Persarum. Rumor obsessi Erivani, solicitudinem Amurathis intendit, ut bellicæ machinæ, cæterique apparatus castrenses quamprimum Constantinopoli fierent, milesque festinatis itineribus ad servandum victoriæ suæ monimentum contenderet. Tot terrarum spatia rursum emetiri, Janicsaris res ardua videbatur; propterea liberius questi, se mitti in longinquam, exhaustamque regionem, Præfectis suis necem conciverunt, quos ejusmodi sermonum fautores arguit sævus Amurathes. Multo licentius grassatus est ferro, postquam Erivanum periit. Quidquid irarum concepit in hostem, in suos exprompsit, maxime ubi vino incaluit. Atque hunc morem sæviendi in militum, civiumque præcipuos, quoad vixit, constans retinuit. Multos vi, multos dolo interfecit; mirumque fuit inter tot cædes fortissimorum hominum, eum mortem violentam vitasse. Ferunt illum sæpius mutata sub veste urbem pererrasse, eo consilio, ut immixtus forensibus turbis, quis sensus foret de Principe, intelligeret, delectatus si acerbioribus verbis crudelitatem, avaritiam suam perstringi audivit. Quo vulgato, illud deinceps obtinuit, ut presso dolore mitius loquerentur de eo, & sæpe probarent verbis, quod animo damnarunt. Ad hæc, ut erat perdite ferox, & sanguinarius, ipse gladiatorum, carnificumque ministeria occupavit. Raro in publicum processit sine funeribus; obvios sclopo, aut gladio veluti mente motus feriebat. Alterum Neronem diceres, si tenebris tectus hæc talia patrasset. a) Inde occursum ejus evitare quam diligentissime quisque studuit; & apparitores turbam submoverant, ne passim sternerentur insontes. In hac publica calamitate nemo erat, qui patriæ auderet succurrere; omnes tyranni metus oppressit. Id unum solabatur miseros, quod intemperie ebrietatis, brevi extinctum iri putarint. Sed DIU VIVIT, qui in suorum exitium vivit.

A. C. 1636.

Hac sævitie ferocem suam indolem pascenti Amurathi, oblata est occasio honestius induendi arma in Persas, qui Erivano occupato non contenti, latius arma, & potentiam diffudere. Mehemetes Vezirius etsi pro viribus obsisteret, tamen postremo tenuitati copiarum diffidens, in Syriam recessit; jussusque tradere præfecturam armorum Bairani Purpurato, Constantinopolim rediit. Invitus provinciam suscepit Bairanes, quod certum, exploratumque haberet, Amurathem ipsum in Persiam venturum, atque Bagdato, invicto eatenus præsidio, oppugnationem illaturum. In mandatis præterea accepit; uti in Syria copias contrahat, bello omni abstineat; principem curam horreis, frumento explendis, impendat. Ex quo conjecit, se Quæstoris potius, quam Vezirii munus in ea expeditione obiturum. Sed obsequendum, aut moriendum fuit. Eodem tempore ad magnum Mogolem, & Asiaticos Tartaros nuncii missi ab Amurathe, ut in veterem hostem arma expediant; recuperaturos facile, quidquid Persarum potentia olim ablatum: non alias faventiorem occasionem fore ambitiosum hostem intra limites Imperii sui continendi, quam si a tergo, a latere, a fronte validissime prematur.

1637.

E nunciis ultro, citroque volitantibus non levis suspicio oborta est, fabam cudi in caput Persiæ. Rex æstimato rei periculo, Oratorem continuo misit Constantinopolim cum muneribus rari pretii, ad fœdus iciendum. Ad Amurathem deductus sermonem habuit tempori accomodatum: *Regem suum nihil per vim, nihil per dolum attentasse in Turcicum Imperium, nihil decerpsisse alienis provinciis. Bagdatum a suo decessore traditum, sine injuria Persarum repeti non posse. Illud semper spectasse ad Persas: nec mirum*

a) C. Corn. Tacitus Annalium L. XIII.

A. C. 1637 *rum videri debere, si deinceps invasori obsistat, & vim vi repellat. Erivanum pariter inter Persiæ urbes non infimo loco fuisse; propterea nuper armis vindicatum. Nihil ultra jam quærere Regem recuperatis limitaneis munimentis Imperii sui. Pacis impetrandæ causa abstinuisse omni hostilitate, expulso Mehemete Vezirio. Potuisse tunc alieno in solo victoriarum fructus legere, & uno cursu Turcicas provincias proterere. Quod si Bagdatum pacem moraretur; paratum esse Regem, illius urbis vectigalium partem Amurathi cedere.* Sed nihil pacati retulit Orator: insuper domi suæ ab excubitoribus obsessus, non nisi altero anno in patriam rediit ad videndum Bagdati excidium. A)

Transacto in adornandis belli, quod in Persiam moliebatur, apparatibus, anno uno; tandem prima Junii Scutari movet cum magna armatorum, artificum, machinatorum omnis generis multitudine. Porro lustratis copiis censa sunt trecenta armatorum millia, ducenta millia fossorum, calonum, quique lucri causa, aut spe prædæ exercitum sequi solent. Tanto numero hominum, apparatus rerum omnium non impar fuit. Bellici præprimis instrumenti vis tanta; quanta e Byzantii armamentariis a nullo Imperatorum educta fuit. Trecentæ majores, minoresque machinæ fuisse dicuntur. Annona, curante Vezirio, ex Ægypto, aliisque frugum ubertate felicibus terris, in Syriam convecta. Præmissi cum militum, fabrorumque globo regionum periti, curavere ex præscripto Amurathis, ut exercitus in plura agmina divisus, ubique expeditum iter haberet, maxime ubi fluvii transmittendi erant. Atque in hunc modum lentis itineribus per Natoliam minorem Asiam, in Syriam pervenit exercitus, nulli incolarum infensus, aut obnoxius.

Nec mireris tantam disciplinam apud militem viguisse; Amurathe ubique in terrorem intento, & leves culpas gravibus suppliciis vindicante. Cæterum in ea permolesta profectione, nullo labore aut corpus fatigari, aut animus Imperatoris frangi potuit. Caloris perinde, ac frigoris par patientia. Delicias aulæ, militare ingenium contempsit. Crederes Amurathem inter armorum strepitum, in Martem migrasse, adeo repente a pristina vivendi norma descivit. Quies nocturna non nisi sub tentorio inter militum fremitus, tympanorum pulsus transacta. Sed nulla re magis militares animos patefecit, quam quod Janicsarorum more vestitus, nunc primis, nunc ultimis agminibus permixtus, injurias cœli fronte serena pertulerit, cibi, potionisque immemor. Jurejurando se quoque obstrinxerat, non ante positurum se vestes illas, quam victor Bagdatum teneret. Dicti ferociam virtute æquavit, multoque felicius fidem exolvit, atque Galli Insubres, qui Duce Britomaro non prius soluturos se balthea, quam Capitolium ascendissent, juraverant. Nam victos Æmilius in Capitolio discinxit. B) Hæc talis vivendi, agendique ratio nihil majestati, aut reverentiæ detraxit. Sub eo cultu corporis crudelem, sævumque Amurathem latere, suffecit militem nosse.

Ad Iconium tendentem convenit Bairanes Vezirius, cum insigni comitatu virorum, cultumque muneribus more gentis, in Syriam deduxit; ubi Alexandriæ, Hierapoli, Antiochiæ festivis tormentorum ictibus salutatus, numerum copiarum auxit ex Ægypto, Palæstinaque adductis legionibus. Hic molliori cœlo usus, quietem fesso militi indulsit, Bairane large suppeditante commeatus. Verum dum curas partitur in diversa munia, quibus tunc urgebatur, totusque desudat aucupandæ Amurathis gratiæ; corrivalium invidia, ut credibile, gratia excidit, paucisque post diebus, quasi offenso Principe vivere non posset, contabuit. Ferunt hominem increpitum ab Amurathe, ac colaphis contusum in corona Præfectorum, quod indulgentius militem habuerit; quo dedecore affectus (alias inter vulnera semper invictus, erectusque) adeo animis concidit, ut omni consortio mortalium evitato, veluti mortifera plaga ictus expirarit, antequam Amurathes e Syria abiret. AMBITIOSOS non alia machina periculosius prosternit,

A) E Sagredo hæc desumpta sunt. B) L. Florus de gestis Romanorum L. II. c. IV.

sternit, quam læsus honor, quasi istis pro corde sit honor, quo semel læso, vivere recusant. A. C.

Mehemete (hic Mesopotamiæ Præfectus erat) Vezirio nominato, rebusque oppugnationi necessariis impense convectis, tandem numerosissimus exercitus castra movit, & superato Euphrate Bagdatum versus contendit. Ut primum intellexit Rex e custodia sui Oratoris, Ottomonico bello, eoque gravissimo implicandam Persiam; Tartaros præterea, atque magnum Mogolem, novam tempestatem effusuros in finitima oppida, quidquid virium in vastissimis terrarum tractibus sui Imperii erat, in defensionem patriæ vocat, ac tripartito dividens copias, hostibus suis obviam processit. Sed minor cura de Mogole, & Tartaris fuit. Turcarum maximi exercitus ut solicitudinem omnem, ita & vires prope omnes in se verterunt. Bagdatum, caput rerum, petitum iri nemo nesciebat. Rex Persarum, quo propinquum urbis excidium aut moraretur, aut plane averteret, nihil non agebat. Ad primum rumorem delecta quadraginta millia armatorum injecit, machinatores omnis generis permultos, maxime rei tormentariæ Magistros, in quorum peritia salus civitatis versari videbatur. Nec minor civium manus ad arma prosiliit cincta jam urbe, patuitque acrius versasse tela pro liberis, pro conjugibus cives, quam mercede conductos. Præter Persas aliquot Christianorum millia propugnandæ urbi utilem operam navasse, Historici perhibent, quos scilicet sive armorum gloria, sive opportunitas in communem hostem dimicandi, eo excivit. Super hæc centum millia veteranorum equitum, par peditum numerus Regio ductu ad opem ferendam obsessis, accincta stabant. Suburbia, ne commodam stationem impugnaturis præberent, jussu Regis funditus exusta, eversaque fuere. Tantis moliminibus cum multitudo hostium, tum Amurathis fortitudo superior fuit. 1638.

Ut in conspectum Bagdati ventum est, non levis horror invaserat Ducum animos, cogitantium quam infauste nuperæ oppugnationes cesserint, quam nullo operæ pretio promptissimi quique occubuerint, quanto denique sanguine nunc statura esset æmula Imperii Turcici. Hæc talia pensitare licuerit, non item vultu, verbis prodere coram Amurathe, qui præterita damna, Veziriorum socordiæ liberaliter attribuens, consilium, & manum oppugnandæ urbi strenue admovit. Aditibus circum occlusis, aggeres tripartito erecti, e quibus propugnacula diu, noctuque verberata sunt. Ad exhauriendum triplex vallum, quo urbs cingebatur, ingens fascium numerus comportari debuit, ut tentaturi assultum ad manus venire possent. Incumbentibus certatim in opus, intra paucos dies fossæ expletæ, æquum dimicandi locum præbuerunt, plusque deinceps frameis certatum, quam tormentis, multitudine nunc sponte sua, nunc Amurathis jussu muros incursante. Hæc maxime agentibus Turcis, allatum est: Regem Persarum, cum centum sexaginta millibus pugnatorum, equites veterani plerique erant, tendere Bagdatum, id quod suspicionem movit, commeatus potius intercipiendi animo, quam dimicandi justo prælio, aut per castra aditum moliendi in urbem, festinare. Amurathes, ne quid detrimenti acciperetur a propinquo hoste; Begum, familiarem suum, cum magno peditum, equitumque numero obviam misit; quo factum, ut suo conatu dejectus Rex, excidii suæ Carthaginis spectator potius, quam defensor fuerit. Nam etsi obsessi multitudine freti, persæpe erumperent, nudatis frameis manus ferocissime consererent, occupatis machinis, aggeribus, ordines Janicsarorum turbarent, ipsa castra tumultu, & cæde complerent; tamen Amurathe ingentibus animis, suos in pugnam rapiente, restaurato pluribus in locis certamine, intra mænia compulsi, maximas cædes nonnunquam accepere. Una procursione sena Persarum millia extra valla cecidisse ferunt; ut non tam velitationibus, sed justo prælio decertasse credas. Itaque continua oppugnatione, factisque eruptionibus fatigati, numeris, animisque non minus imminuti obsessi, posteaquam Regem ad morandam quidem obsidionem, non

A. C. item ſolvendam incertæ dimicationis periculo, veniſſe obſervant; ipſi quoque procurſionibus abſtinent, ne virium ſuarum ante tempus jacturam faciant.

1638.

Amurathes modeſtia obſeſſorum multo alacrior, cupidusque potiundi Bagdati, proſtratis jam undique mænibus, ſupremam impreſſionem ſuis edicit. Muſtaphas Purpuratus, cujus militaris virtus toto oppugnationis tempore plurimum eluxit, primo auroræ exortu, promptiſſimas peditum cohortes in ruinas educit, præſentiſſimæ necis incredibili contemptu. Perſæ, qui ſpatio quinque dierum, continuato certamine ſuperiores fuere, novo ardore vires ultimas colligunt, occupatisque ſtationibus, una fiſtularum diſploſione adverſus tendentium ordines dejiciunt, mox ſtrictis ferociter enſibus, cominus prælio conſerto, invadentes obtruncant. Subeunti Muſtaphæ diſcriminis, laborisque ſumma incumbit. Nihil deterritus ſuorum funeribus, repugnantiumque rabie, obfirmato animo cœptis inſiſtit, Janicsarorum virtutem qua verbis, qua exemplis exacuit. Non minus Amurathes peditum cohortibus immixtus, pugnantium ſuorum agmina accendit, &, ut erat in ſubeundis periculis intrepidus, inter volitantia omnis generis tela, in muros provolavit incautus, Muſtaphæque reſpirandi copiam fecit. Pugnabatur ergo eo die ſummis viribus, utriusque partis tanta pertinacia, ut per acervos cadaverum alii, atque alii ſuccedentes in maximum periculum, ac mortem ruerint. Tandem inclinante jam ſole, fortuna Perſas deſtituit; Muſtapha ſigna Imperatoria in ruinis murorum figente. Tum lugubris clamor ea in parte exortus, Perſarum copias æquo Marte in cæteris ſtationibus (nam quatuor in locis urbem aggredi placuit) pugnantes turbavit. Emir Fetta Gubernator urbis, impar irruentium vi, ſublatis candidis vexillis deditionem facit. A) Juſſu Amurathis a cæde temperatum eſt, ſive indecorum ratus in eos exercere ſævitiam, qui partes fortiſſimorum militum impleverunt, ſive incumbentes tenebræ ſanguinaria conſilia morarentur. Poſitis armis quatuor ſupra viginti millia in deditionem accepta ſunt.

At Muſtapha incitante, reſciſſis extemplo pactis, per ſummam crudelitatem, perfidiamque inermes Perſas, promiſcuum vulgus ſævitiæ victoris militis objicit. Signo dato undique irrumpitur in urbem, omni præſidio nudatam; nullum diſcrimen ſexus, ætatis in cædibus ira fecit; cadunt pari fato milites juxta, & cives. E tanta multitudine vaſtiſſimæ urbis, non niſi ſeptem, & viginti eminentiores in vincula conjecti, cæteros ferrum abſumpſit. Sæviendi ſatietate ad prædam converſi, triduo inimicam, & prædivitem urbem diripuerunt, nec ante modus rapinis fuit, quam omnia diuturna felicitate cumulata bona egeſſere. In tecta innoxia, atque muros non ſævitum incendiis, non ruinis; imo quæ labefactata tormentorum ictibus, iterum inſtaurata fuere. In hunc modum urbs nobiliſſima, in Turcarum poteſtatem venit exeunte Decembri, quadrageſimo die, poſtquam oppugnari cœpta. Victoriæ teſtis Rex ipſe fuit, hauſtoque oculis miſerabili excidio tot civium, in interiora regni ſui trepidus receſſit, bellum melioribus auſpiciis reparaturus. Quod ſi Amurathes mitiorem ſemet præbuiſſet victis inviolata fide, haud dubie magnos inter Imperatores locum habuiſſet perdomito Bagdato. Ea enim urbs quoties ſuperioribus annis obſeſſa fuit, toties Turcarum clades cumulavit, florentiſſimosque exercitus attrivit. Nec iis ſummis viribus in Europam graſſari licuit, quamdiu Perſis paruit. Sed nobilem non minus, quam utilem victoriam in ſuperbiam elatus, ſæviendo corrupit: ADEO non facile injicit animo frænum, qui fortunæ petulantia ſtimulatur. Quanquam tota illa tragœdia, quæ Bagdatum excepit, Muſtaphæ Purpurato, ad genium ſui Domini facto, ab Hiſtoricis tribuatur. B)

1639. Captæ urbis nuncius non ſincera omnium lætitia exceptus eſt Byzantii, multorum certe metu, & ſolicitudine; qui Amurathem hærentem potius ad mænia Bagdati, quam victorem Byzantii videre maluiſſent. Nihilominus ob rem feliciter geſtam, indictis ab Imperatore per Aſiam, Europamque

pamque

A) Chronicon Saracenorum. B) Sagredo.

pamque publicis precibus, festivisque ignibus, tantis lætitiæ significationibus urbs incessit, velut eam victoriam omnium vota, vultusque ratam haberent. Bagdati hilaria sincerius peracta. Nam miles e prædivite urbe opulentior factus, insuper ab Imperatore immodicis verborum præconiis, & muneribus donatus, præsenti alacritate festivos ludos multum provexit. Ea occasione, Præfectorum virtutem in oppugnatione spectatam remuneratus est. Vezirii dignitatem (Mehemetes enim nondum occupato Bagdato diem obiit) Mustaphæ Purpurato, quem primum in urbem irrupisse narravimus, attribuit. Filium Mehemetis, Mesopotamiæ provinciæ imposuit, adolescentem quidem, sed vestigia parentis strenue insistentem, & jam tum Heroicis factis inclytum. Ordinatis deinde Asiæ rebus, relictoque Mustapha cum exercitu ad Bagdatum, Byzantium belli securus abitum parat. Vezirius in Persidem ultra progressus, cum nemo hostium in conspectum veniret, veritus ne in longinquis, nudisque regionibus, sibimet ipsi interitum quæreret, copias in castra reducit ad Tygrim fluvium juxta Bagdatum posita.

A. C. 1639.

Erant in urbe amplius triginta millia peditum; præsidio non Bagdato modo, sed diffusæ circum regioni futura, si quid Persa moliretur. Dum ab omni hoste liberi inter quietem, & otium lautius vivunt, annonæ penuriam sentire cœperunt. Neque enim e Syria, & vicinis provinciis tantis exercitibus, in tempore commeatus mitti poterant. Nec minor in castris rerum caritas; ut jam fames timeretur apud milites, si diutius in exhausto Bagdatensi agro persistendum. Et persuasum erat plerisque, eum annum in Asia transactum iri, ne Rex bello nondum devictus, iterum in campum provolet, & amissam provinciam cum urbe recuperare contendat. Istud cum per otium alii aliis, veluti rem exploratam narrant, subito in urbe, & castris atrox seditio concitata est. Negabant se in depasto, sterilique solo longiori tempore permansuros; æquum videri confecta expeditione finem aliquem militandi esse: confectos jam se labore, & opere, exangues tot acceptis vulneribus. Famem verius, quam rerum omnium inopiam in exercitu adesse.

Ubi verba parum propitiis auribus excipi animadvertunt, vim adhibent; Vezirii domum feroces invadunt; lapidibus jactis in tecta, & fores desæviunt. Amurathes, qui longo usu seditiosorum animos probe perspectos habuit, eo molliori manu tractandos existimavit, quo proniorem facultatem sunt nacti, in terra hostili toti Imperio plagam sane gravissimam infligendi. Nam si desertis signis Byzantium discessissent (quod facere consueverunt) & Bagdatum, & quidquid victricibus armis perdomitum erat, nullo impendio sui juris fecissent Persæ, jactura certe multorum annorum, & maximis exercitibus, ac impensis vix reparabili. Itaque statuit omnes copias deportare in minorem Asiam, indeque in Europam, firmato solum Bagdato præsidio. Sed veritus, ne irritata seditio Byzantii atrocius olim exardescat, & Mustaphas Imperio exauthoratus, militum levitate iterum thronum occupet, clam dimisso Besire Mauro, omnium scelerum conscio, & administro; hominem longe alienum a dominandi cupiditate necari jubet.

Abeuntem Imperatorem Bagdato, secutus est non multo post exercitus, omni calamitatum genere vexatus. Ut equi, cameli, vehicula, ita commeatus erant arctissimi, ac prope nulli. Inde factum, ut grassantibus per iter morbis, & rerum inopia, non pauci occubuerint. Ipse Amurathes seu nimio potu, seu viarum difficultate fractus, pene interiit ante, quam Byzantium intraret, suborto etiam rumore, reipsa interiisse. Quam ille famam adeo non neglexit, ut, priusquam Byzantii evulgaretur, & Ibrahimus frater Imperium invaderet, omnino oppresserit: palam se non prætorianis modo, sed & oppidis, per quæ victor transierat, ostendens. Recuperata valetudine, ut ambitionis pompa, res in Asia gestas extenderet, triumphabundus Imperatoriam urbem ingressus est. Nobiliores Persæ captivi, inter quos eminebat Gubernator Bagdati, catenis vincti trahebantur ante Amurathem Persicam vestem superbe indutum, ac prætorianorum ma-

nu

A. C. 1639. nu ſtipatum. Pecunia Regia cum pretioſiſſimis rerum, quas decem grandiora navigia in portum advexerant, publica via in aulam translata, tota ad ſpectaculum effuſa civitate, inter varios animorum motus, ac clamores civium; quibus alii magnitudinem Amurathis, alii adeo utile bellum ærario deprædicarunt. Eo ſpectaculo non contenta Imperatoris ferocia, captivos ſplendore veſtium conſpicuos non in ergaſtulis, quod maluiſſent, verum in aula ambitioſe cuſtodiri juſſit, quo ſæpius ludibrio civium, externorumque objecti, veluti toties vincerentur, miſeram ſuam ſortem deplorare cogerentur. Adfuit interea a Perſarum Rege Orator, pacem exoraturus a victore. Difficilem ſe exhibuit Amurathes, quaſi ingrata foret legatio, cum tamen Vezirio magnopere commendarit in Aſia, fœdus ut quamprimum procuraret. Poſtquam Muſtapha non minori pompa Byzantium intravit cum milite, tandem de pace eſt actum. Sed Perſa nullis conditionibus ceſſurus, rurſum omnia permiſcuit, provinciamque, ſi Bagdatum demas, recepit. A)

1640. Annus MDCXL. ſupremus fuit Amurathi. Verum antequam illius res geſtas concludam; jure exiget a me Lector, ut, quid in Hungariam, Tranſylvaniam molitus ſit? curſim perſtringam. Dominantibus Muſtapha, de quibus ſupra narratum eſt, & Oſmanne, per civiles turbas, & Polonorum bellum reſpirare licuiſſet Hungariæ, niſi Betlenius, fax turbarum, nova incendia ſparſiſſet in ditiones Ferdinandi II. Regis, & juratos Chriſtianæ Reipublicæ hoſtes in armorum ſocietatem vocaſſet. Purpuratus Budenſis cum intelligeret Hungariam æque, ac Auſtriam, Moraviam hoſtilem in modum diripi B) a Betlenianis, contempta fœderum religione ſigna extulit, & Vacium cum utiliſſimo agro occupavit, Franciſco Struczio loci Præfecto fortiter repugnante. Pax conſecuta C) Ferdinandum inter, & Betlenium, Turcas quoque in otio continuit. Opinione celerius ad ingenium ſuum reverſus Betlenius, fortunam ſuam ferro, quam fœdere ſtabilire maluit. Miſſus D) Conſtantinopolim ad poſtulanda auxilia Mathæus Turrius, omnia perturbata in ea aula offendit. A limitaneis Præfectis Turcæ, Tartarique impetrati; quibus Betlenius auctior, in Moraviam rapidus fertur, ac Cæſareas copias numero longe inferiores ad oppidum Gedingam, clauſas tenet. Lenta obſidione, ac omnium rerum penuria vexatæ, prope erat, ut captivas ſe dederint, fame, & morbis multum imminutæ. Rigidior tempeſtas dedecus, atque impendentes calamitates abrupit. Turcæ Tartaris mixti, non expectato Betlenii imperio, confuſis ordinibus primi diſceſſere. Hos aſſecutus Nicolaus Eſzterhazius, ad Nitriam tendentes internecione delet. Altero die diruto Nitræ fluvii ponte, dum alterum agmen Turcarum ſui ſecurum amne trajicere contendit, rurſum in barbaris ſtragem edit, præda, captiviſque exuit. Tertium ſubinde aggreſſus palantes, & jam commilitonum clade perculſos, pari felicitate profligat. E)

Iſthæc ſociorum clades, Betlenium pacatiorem reddidit, & arx Ecsedia F) a Ferdinando in hæreditatem conceſſa ad pacem ineundam plene permovit. G) Amurathes ratam habuit armorum ceſſationem, ſcriptiſque literis, Hungariam vectigalem, velut ſuam, clientis fidei commendavit. H) Oratores porro illius, Stephanum Betlenium, & Stephanum Erdelium amice habitos Conſtantinopoli, opulentis conditionibus, ingentibusque promiſſis oneratos domum dimittit. Mitigato Betlenio, ut Hungariam malis ſuis ereptam a barbarorum incurſionibus tutam faceret Ferdinandus, Jacobum Curtium Byzantium ablegat, ad renovandum fœdus anno ſupra milleſimum ſexcenteſimum ſexto, cum Achmete I. ictum. Pergrata fuit Amurathi legatio, & in viginti quinque annos pax prorogata. J) Sed quidquid demum

A) Præter Sagredo conſule alios Hiſtoricos. B) Anno 1620. C) Anno 1621. D) Anno 1623. E) Annales Ferdin. Chronicon Turc. F) Ecsedium arx, nunc ruderibus ſepulta, provinciæ Szabolcsenſis; magnorum Báthoriorum quondam deliciæ. Vide Propugnaculum Hung. P. Antonii Mindſzenti e. S. J. ubi Báthoriorum genus in duas familias diſpeſcit. G) Anno 1624. H) Extant hæ literæ in Hiſtoria Regni Hungariæ, P. Franciſci Kazy e S. J. P. I. L. III. pag. 214. J) Chronicon Turc.

mum operæ impendit Ferdinandus ſtabiliendo fœderi, unius hominis ambitio, & bellandi ardor evertit, ingenti omnium bonorum mœrore. Betlenius enim vix peractis nuptiarum ſolenniis cum Catharina Joannis Sigismundi Septemviri Brandeburgici ſorore, exhauſtam cladibus Hungariam iterum repetiit, A) & quaſi infelicem cauſam ſine barbarorum ope tueri non poſſet, Murtezanem Budæ Præfectum in veterem arenam excivit.

A. C. 1640.

Adfuit ille cum non modica ſuorum manu, ac evaſtato Nitrienſis provinciæ agro, repente Neogradum corona circumdat. Albertus Wenceslaus Vallenſteinius Cæſarei exercitus Ductor, Murtezanem facile obſidione depulſum, in extremas anguſtias conjicit cum Betlenio, qui in fuga ſuas copias Turcicis conjunxit. Circumventi in patenti campo a validiſſimo exercitu (ſex ſupra ſexaginta millia pugnatorum erant) veluti Romani B) intra Furculas caudinas, cum ſpes omnis adempta foret cladem vitandi, Betlenius pro vaferrimo ſuo ingenio Duci imponit. Poſtulat tridui, aut bidui inducias, quibus impetratis pollicetur ſe ab armis receſſurum. Fidem habet homini e dolis compacto Vallenſteinius, & cuſtodias, quo hoſtibus viam fugiendi aperiret, undique laxat. Nec illi morati, ſecunda noctis vigilia, tam feſtinato receptu ſemet ex arena ſubduxere, primo ut diluculo jam tribus leucis per exploratores abeſſe conſpicerentur. FACILE luditur, qui facile credit.

Betlenius incertus animi, pacemne, an arma amplecteretur? & Ferdinando, & Amurathi multum negotii faceſſivit. Feciales ſuos nunc Comaromium miſerat c) Ferdinandus, ut tandem aliquando pax de integro confieret. Suſpendit diu homo inquies Hungariæ vota, & non niſi ſua morte abſolvit. Amurathes bello Perſico attritus, clienti pro voluntate adeſſe non potuit, Tartaris tamen poteſtatem fecit ei ſuppetias ferendi. Sed ad limites Poloniæ in inſidias præcipitant, & ſtragem miſerabilem paſſi, in ſua mapalia ocyus revolarunt. Sequenti anno D) Oratores ultro, citroque miſſi, ſpem firmiorem tranquillitatis fecerunt Hungariæ. Joannes Ludovicus Kufſteinius ſua facundia, atque morum ſuavitate Amurathem, alioquin pronum ad inducias ſervandas, a Betlenio multum avertit, neve inpoſterum copiis, aut ære illius res prolapſas erigeret, effecit. Reggiebes Baſſa, pariter ſui Principis negotia ſapienter tractavit Viennæ, & pacem non utilem modo, ſed neceſſariam Turcicæ genti confecit. Betlenius ſejuncto Amurathe impotens ſuſtinendi bellum, quietem toties abruptam tandem ſibi, popularibusque conceſſit, & nondum evoluto anno, quaſi vivere non poſſet absque turbis, Albæ Carolinæ, ſive Juliæ, ex hydrope obiit annorum undequinquaginta.

Catharina Brandeburgica Gabrielis Betlenii conſorte, & Stephano Betlenio, dominatu Tranſylvaniæ Procerum ſuffragiis E) dejectis, Georgius I. e Rakocziana ſtirpe Princeps acclamatus, Amurathi occaſio fuit pacem turbandi. VIII. Kal. Maji ſceptro, enſe, vexillo donatus, paucis poſt diebus dena Turcarum millia ab Amurathe obtinuit, quorum ope Nicolaum Eſzterhazium Pro-Regem Hungariæ, aditu Tranſylvaniæ prohibuit. F) Ferdinandus nihil ultra tentandum ratus, ne armatam Daciam in ſuas provincias irritaret, Eperjeſſini fœdus cum Rakoczio pepigit. Gravior ſubinde tempeſtas hunc Principem excepit. G) Stephanus Betlenius, Gabrieli ſanguine junctus, ob veteres ſimultates, & recentem injuriam (ut putabat) filio ſuo illatam, Budenſem Vezirium adit, præſidium implorat. Byzantii non minus ſtrenue cauſam agit per Moyſem Siculum hominem peroſſenſum Rakoczio, tamque odioſis ſermonibus fidem Principis in Ottomanos traducit, ut Amurathem, & Divanum in ſua vota omnino flexerit.

Gemina legatione altera Conſtantinopolim, Budam altera miſſa, procellam ſibi, Daciæque impendentem avertere conabatur Rakoczius. Sed

 fruſtra.

A) Anno 1626. B) T. Livius Patav. Dec. I. L. IX. c) Anno 1627. D) Vide Annales Ferdinandeos Tom. XI. pag. 253. & 722. ubi utraque legatio fuſe literis inſerta. E) Illa anno 1629. Iſte 1630. dignitate exuitur. F) Chronicon Turc. ad annum 1631. G) Anno 1636. Anno inſequenti fatis ceſſit Ferdinandus II. quo Annales ſuos finiit Khevenhüllerus.

A. C. 1640. frustra. Etenim Budensis Vezirius partim sua sponte, partim Amurathis jussu Betlenii injurias bello ulturus, contractis celeriter copiis in Transylvaniam contendit. Georgius certus, quem obtinuit principatum, armis tueri, suo sibi Marte consulendum putavit. Data exercitus parte Sigismundo Kornisio, veterano Duci, ad oppidum Szalontam acerrimo prælio concurritur. Ancipitem pugnam, & pari numero cæsorum æquatam nox diremit. A) Vincebat haud dubie Transylvanus, si Princeps cum altera parte copiarum adfuisset. Postero die integras Kornisianis conjungens, explicata acie Budensi certamen indicit. Ille non ausus egredi munitis castris; sine armorum strepitu, utriusque inimicitias extinxisse in lucro posuit. Nec Amurathes censuit, Rakoczium, militaris animi Principem, aperto bello petendum, ne exuto penitus obsequio, Cæsareas partes amplectatur. Pacatis hunc in modum rebus retenta insuper dignitate, Rakoczius pacem ab Ottomanis habuit.

Non secus Mathæus Valachiæ Princeps invito Amurathe dominatum armis stabilivit. Lupulus B) Moldaviæ Vaivoda, Turcarum societate opes voto majores accumulaverat. His Mathæum Religionis Christianæ retinentissimum principatu dejicere statuit, eamque dignitatem in familiam suam jure hæreditario transferre. Ambitionem sustentavit immanis avaritia Caimacanis, cujus studia partim promissis, C) partim præsenti ære, sibi conciliavit. Nec minora pollicitus Amurathi, spe aureæ messis arma, militem adversus Valachum impetrat. Mathæus tristioribus in dies nunciis excitatus, cum nemo æquitatis causam tueretur Byzantii, ad arma respexit. Nec mora: deductos e castellis præsidiarios, maxima celeritate contrahit, & tanquam fortem necessitas fecisset, erectis animis festinanti Lupulo ad limites Valachiæ occurrit, commissoque certamine plenam victoriam reportat, cæsis internecione Turcis. Hæc clades Caimacani expeditionis architecto caro stetit. In vincula conjectum, multorum criminum reum, postridie capite truncatum, magna Byzantium gratulatione spectavit; opibus, quas Regias fuisse perhibent, in publicum redactis.

Amurathes, ut memini, e Perside redux, curarum jam vacuus ad pristinam perpotandi consuetudinem cum suis familiaribus redit. Sed non alias, ac omni cerimoniarum genere celebri die (Bairam D) vocant Ottomani) intemperantius haustum. Sæpius restituta repotatione adeo se mero obruit, ut corpore, animoque fractus e convivio indecore efferri debuerit. Inde recrudescente vehementius morbo, quo anno superiori tentari cœpit, quatriduo post extinctus est nullo hærede relicto, Imperii sui decimo septimo anno. Inaudita morte nemo lachrymas fudit, nemo ingemuit: adeo ab optimo imperitandi initio deflexit. Virtutem bellicam, qua eminuit, ingentia vitia obscurarunt, impotens avaritia, inhumana crudelitas, nulla Religio. Divitiæ opulentiorum civium, præcipuum crimen erant, cur suppliciis afficerentur. Inde quindecim millionibus auxisse ærarium scribunt Historici. Ut omnia unus in Imperio posset, primores civitatis, militiæ, velut alter Tarquinius Gabios, interemit. E) Prodigio simile erat, Ibrahimum fratrem sicariorum manus evasisse, in cujus cædem sæpe conspiravit. De Religione illius quidam ex eo conjiciunt, quod Machiavellum nunquam non sinu, ac fere memoria teneret. Cæterum forti animo compressa seditione militum, domito Bagdato, suis, vicinisque Principibus terrori fuit. Justitiæ præterea, quod mireris, acerrimus vindex erat. Sæpe mutata veste forum adiit empturus carnes, orizam, aliaque ad venditionem exposita. Si quis pretium adauxit, vel pondus imminuit, a satellitibus, qui & ipsi occulti imperium Domini præstolabantur, illico obtruncabatur. In Melitenses classem adornari jussit; sed illa vini naufragio periit.

IBRA-

A) Chronicon laudatum plenam victoriam Transylvano tribuit: non item Historia Regni Hung. L. IV. B) Hic etiam Crepulus dicitur Historicis quibusdam. Chronicon Turc. C) Centum millia aureorum pollicitum ferunt. D) Quid nomine Bairam veniat apud Ottomanos? consule Ricautium P. II. de Religione Turcarum c. 24. pag. 119. Vide supra res gestas Selymi Imperat. E) T. Livius Patav. Dec. I. L. I.

IBRAHIMUS. A. C.

IMPER. OTTOM. XII.



Mperium domi, forisque pacatum, in Oriente nobili præsidio auctum, ære, milite, fœderibus firmatum, a fratre accepit Ibrahimus, Princeps insignis vecordiæ, & fœdarum voluptatum mancipium. Equidem Amurathes ultima voluntate, Regi Tartarorum Monarchiam universam transcripsit: sed Soltana Ibrahimi mater, consulta, & decreta omnia rescindi multis contendit; quod Amurathem termino suo proximum, parum animo valuisse omnibus constaret. Purpurati, militum Præfecti, ingentibus promissis onerati, & novis dignitatibus aucti, faciles Soltanæ postulatis acquieverunt. Nec mora: rescissis testamenti tabulis, Ibrahimus Imperator acclamatur. Erat is jam quadriennio carcere vexatus, omnique spe obtinendi sceptri posita, in dies carnificis manum operiebatur. Concurrentium strepitu perculsus, ac supremum diem sibi illuxisse ratus, ostii aditus, quam potest, diligentissime firmat. Non Purpurati, non Vezirius tantum fidei apud timidum, suspicacemque animum habuere, reseratis ut foribus in publicum prodiret, ad capessenda Imperii insignia. Opinabatur enim hanc scenam insidiosi Amurathis ingenio adornatam, qua (patefacta dominandi cupiditate) teneretur, & ultimo supplicio credulitatem lueret. Morarum pertæsa Soltana, ergastuli locum ipsa accedit, ostensoque cadavere Amurathis suspicionem utcunque eximit. Somnio similis res videbatur Ibrahimo. Ut vincula dubitanti adempta, & squallor ablutus est; injecta vestis purpura, auroque distincta, & fides a jurantibus facta; serio jam Imperator, iisdem comitantibus, in palatium pervenit. Eodem die justis Amurathi solutis, apparatu magnifico civitatis vicos obequitavit (quanquam fractis viribus ægre sonipedi insidens) seque Imperatorem inauguratum, urbanos condocefecit. At paucis post diebus corruptissimis suis moribus prodidit, quam indignus foret eo fastigio. Voluptatibus, otio luxurioso, commessationibus immersus, Reipublicæ curam penitus abjecit; nulla gloriæ cupiditas, nullus bellicæ laudis igniculus, animum vecordem, illecebrisque subactum accendere potuit. Soltana, ut callebat omnes articulos illecebrarum; exquisitis ad illius ingenium, novis in dies oblectamentis, Ibrahimum a negotiis publicis avocare conata, dominium arripuit, & velut diviso Imperio, Mustaphæ Vezirio res militares tractandas reliquit. Is Bagdatensi victoria, & Persarum fœdere (quæ duo sua manu, suo consilio confecta sine invidia gloriari poterat) quantum in exercitu aliis Purpuratis prælatus, inclaruit apud Amurathem, tantum & Turcico nomini gloriam apud Persicam nationem, & sibi a sua benevolentiam, authoritatem conciliavit: plane ut nemo unus ante Mustapham existimatione militum haberetur, cui par scientia, fortitudo, alacritas in armorum tractatione esset. Cum apud suos tanta nominis fama floreret, nemo ausus est Purpuratorum, viri decretis intercedere, dum pro libidine sua, arcium Præfectos mutaret, ordinum Ductores dubiæ in se fidei loco moveret, exercitus nunc in Asiam, nunc Europam deportari juberet, bellum denique arrepta quacunque occasione aliis indiceret. Ita dominanti Mustaphæ, facile erat in A) Cosaccos, prædabundam gentem, arma movere, qui Assovia expugnata, piraticam facere cœperunt. 1640.

Sed allati e Perside nuncii moram injecerunt Mustaphæ. Armeni, atque Judæi, qui mercandi studio, celebriores Persiæ urbes percursarunt, nunciis monuerunt Byzantinam aulam: fieri apparatus in Persia longe maximos; delectus haberi in omnibus provinciis, haud dubie Persas, vires admoturos Bagdato. Posteaquam rumores isti evanuerunt, Mustapha in Cosaccos 1641.

A) Assovia, alias Assow, Azak, præsidium ad amnem Tanaim, & mare Euxinum.

A. C. 1641. cos ducere instituit. Jam classiarii, terrestresque legiones signum professionis expectarunt, cum fatali incendio Byzantium corripitur. Mustapha ut erat impiger ad omne periculum, dum ad opem ferendam incautus accurrit, fœde ambustus Silistriæ Gubernatori eam expeditionem commisit. Iste Cosaccos pro imbelli, incondita, ac fugace turba æstimans, ceu victoriæ certus, Assoviæ affunditur, multisque diebus obsessos urget. Ubi vi aperta nihil profecisse se videt, mollioribus Cosaccorum animos subigere tentat: pollicetur præter amplissimas immunitates, duodena aureorum millia, modo recepto Ottomanorum præsidio, se clientelæ Ibrahimi submittant. Illi spreta emptionis liberalitate, eadem constantia, qua cœperant, munimentum suum tueri pergunt. Ergo iterum ad oppugnationem; memorabili assultu septem diebus continuato, valla superare nititur. Ad extremum in castra rejectus, cum res frumentaria in dies angustior fieret, amissis amplius duodecim millibus pugnatorum, conversis velis Byzantium abiit. Præfecturam jussus ponere ob sinistrum rerum exitum, privatam deinceps vitam vixit, tanto quietior, quanto ab aula, negotiosisque muneribus remotior.

1642. Altero, quem exequimur, anno, Ægypti Præfectus in eandem arenam ingressus, majoribus copiis Assoviæ imminebat. Quo confidentius in urbis unius exitium vires Imperii contraheret, legatione gemina effectum est. Cum Cæsareo Oratore Questenbergio controversiæ de limitibus in Hungaria, Illyricoque enatæ, Turcis præter morem modestioribus, compositæ sunt, atque induciæ, in viginti annos prorogatæ. A) Persia morte sui Regis, B) a belli consiliis multum aversa, omnes curas, largitiones eo convertit, ut pax quam primum stabiliretur cum Turcis. Ea de causa Rex Abas, defuncti filius, admodum adolescens, e Tutorum consiliis fœdere, Turcis perutili, semet obstrinxit, eversoque funditus ad mare Caspium munimento C) percelebri, Turciam metu belli liberavit. Cum in Hungaria, & Perside omnia pacata essent, copiis sensim adventantibus auctior Ægyptius, terra, marique Assoviam profectionem maturat. Cosacci tantorum apparatuum haud ignari, circummissis ad vicinos Principes Legatis, auxilium necquidquam rogarunt, quod alienæ salutis causa, Turcici belli tempestate implicari nemo non gravaretur. Moschus, cui se clientelari jure obnoxios profitebantur, negavit se copiis, vel pecunia suppetias laturum, ne violata fœderum sanctitate, populabundis Tartarorum examinibus campum aperiat, in suas provincias irrumpendi. D) Se non consulto Assoviam expugnasse Cosaccos, viderent jam, ut suis viribus locum tueantur. Hæc præcisa Moschorum, ac decretoria sententia tantopere Principes Cosaccorum prostravit, ut temerarium magis, quam generosum consilium cœperint, Assoviam cum omni munitione in auras ejiciendi. Nec segnius, atque decretum est, operi manus admovent. Antequam classis Ottomanica appelleret, uxores, liberos, frumentorum vim ingentem pars in Moschoviæ, pars in Poloniæ finitima oppida dimittunt: tum signo dato, singuli in sua tecta hostili more igne, ferroque deseviunt; muros nitrato pulvere discerpunt tanta ruina, ut Turcæ ad laceræ urbis triste spectaculum festinantes, præter informem lapidum acervum, struemque ruderum e veteri Assovia nihil conspexerint. Triumphatum est tamen de Cosaccis ab Ægyptio: adeo NIHIL interest victoris, sive ipse, sive victi patriam suam ruinis involvant, iterque expeditum ad victoriam sternant. Redierunt postliminio plerique Cosaccorum ad veteres sedes, & jugi Ottomanici patientes, Assoviam, nobile hodierna tempestate emporium, privatis, publicisque operibus instaurare cœperunt. E)

Hoc

A) Conditiones initæ habentur in Chronico Turc. sæpe laudato pag. 287. B) Brietius biennio ante vita functum scribit. Chronicon Saracenorum ad hunc annum refert mortem Regis Persarum. Successit Patri filius. C) Fortrinam appellatum fuisse, Ricautium authorem habeo, qui post Sagredo Ibrahimi, & reliquorum Imperatorum res gestas prosequitur. D) Anno 1637. post Assoviam a Cosaccis captam, missus est Byzantium Legatus ad iciendum fœdus. E) Baptista Nanus rerum Venetarum scriptor Tom. IX. L. I. ait Assoviam proditione captam, quam procudit Princeps Valachiæ. Ricautium secutus sum.

Hoc eodem anno ineunte Septembri pene insidiis interceptum erat Uivarinum, a) adversus Strigoniensium Turcarum latrocinia opportunum præsidium. Promptissimi Janicsarorum more agrestium vestiti, telis probe armati, currus fœno, sociisque onustos versus oppidum egerunt, spe ducti, excubitoriam stationem expeditis strenue armis, facile a se oppressum iri. Suspicionem res movit Præfecto militum, qui in patenti campo, qua personati iter faciebant, venando animum relaxabat. Festinato cursu domum revolans Gubernatorem periculi admonet. Is nihil omisit, quo insidiatores suo artificio male consarcinato irretiret. Portæ jam proximi obruuntur ab excubiis; pars capta, pars cæsa, temere arrepti consilii pænas dedere. A. C. 1642.

Evolutus hoc furto hostis, litem intendit Georgio Rakoczio Principi Transylvaniæ. Miserat is e pactis conventis Betlenii, decem aureorum millia tributi nomine Byzantium. Ad sedandam Purpuratorum avaritiam parum istud fuerat. Rakocziani acerbis sermonibus traducti, nihil asperserunt ultra, fœderumque tabulis protractis, luculente obstenderunt; sex millium aureorum nomina, quæ impudenter oggesserunt Purpurati, satis, superque extincta, quod duo præsidia juris Dacici Betlenius olim cesserit. Cum nihil extundere possent ab exhausta provincia, non ultra verba processum est. Princeps per Legatos securior redditus de studio, & benevolentia Ibrahimi, quoad vixit, juratam fidem liberavit. Hæc de Hungaria, & Dacia memoranda erant. Nam deinceps utrique provinciæ quies fuit, si leviores velitationes, equestriaque paucorum prælia demas, quæ finitimi limitum causa, majori strepitu, quam jactura exercuerunt. 1643.

Anni MDCXLIV. exordium, primis Purpuratorum capitibus fatale extitit. Mustapha Vezirius, qui rara in barbaris prudentia, præfecturam armorum gesserat, militi perinde, ac populo acceptus, præmia laborum, quos in superioribus bellis, pro asserendis Imperio provinciis exantlavit, triste supplicium tulit. Offensionem incurrit ille apud Soltanam, ut delicatissimus est fæminarum dominari volentium sensus, quod ea inconsulta militares dignitates pro arbitrio clientibus suis conferret, multa domi ageret, quæ non nihil authoritati Soltanæ decerpere videbantur. Injuriæ, dolorisque hausti impotens, hominem, meliori fortuna dignum, strangulari jubet. Eundem exitum sortiti sunt Præfecti Hierapoleos, & Caffæ, quos in immensum auctæ divitiæ, & potentia magno numero clientum firmata, molitionum, nescio quarum, suspectos fecere. Archithalassum idem fatum, diversa causa his infelicibus adjecit. Liberior sermo, quo vitia Ibrahimi palam perstrinxit, reum egit incautum, ac morti addixit. Tot primoribus uno impetu sublatis, grata fuit Soltanæ occasio (Ibrahimus enim curas Imperii posuerat) provincias, plerasque Gubernatorum vacuas, ordinandi, quo suorum clientum obsequia nova dignitatis accessione remuneraretur. Mehemetem Damasci Præfectum, hominem sævo, asperoque ingenio Vezirium nominat. Bechirem Rhodi insulæ multis jam annis Gubernatorem, classi Imperatoriæ præponit. Uterque non sine horrore animi fastigium illud tot casibus, tot præcipitiis obnoxium conscendit, non ignari: paucos admodum in ea aula cum dignitate ad senium vixisse: multos in aditu honorum, vel in ipso flore misere cecidisse. Sed hæc melioris Philosophiæ semina, ambitio, & atrox bellum cum Veneta Republica penitus suffocavit. Ante vero, quam ad hujus non minus diuturni, quam cruenti belli calamitates aggrediar, juvat paucis memorare, e quibus fontibus tanta tempestas initium duxerit. 1644.

A Selymi b) fatis, quo rerum potiente Veneti pacem sibi necessariam inierant, Turcarum Imperatores nec mari, nec terra fœderatam Rempublicam vi aperta lacessiverunt, sive istud fœderum sanctitati dederint, sive aliis hostibus, qui patentissimo Imperio raro deesse solent, occupati; sive demum merces, ab utriusque gentis mercatoribus longe lateque per Europæ,

a) Chronicon Turc. & Saracen. Ricautius Jaurino insidias tetendisse Turcas adnotavit. b) Anno 1573.

A. C. 1644. pæ, Asiæ, Africæque portus circumlatæ, quæstuosam pacem continuandam persuaserint. Haud tamen negaverim, lapsu annorum non levia solventibus in Asiam navigiis damna illata, & nonnihil dissidii inter utramque nationem extitisse; sed uti privatorum scelere mercaturæ vulnera inflicta, ita privata duntaxat odia exarserant, & paucorum supplicio lites compositæ. Uscocchi A) subinde, gens non tam numero, quam ferocia metuenda, cum Venetos, tum Turcas vehementer exagitarunt, & pene in apertum bellum utrosque perpulerunt. In Dalmatia, quo se excusso jugo Turcico contulerant, modicum agrum adepti, dum paupertatem inter profundos; nudosque montium saltus diutius perferre non possunt, ad piraticam animum adjiciunt, fabricatisque myoparonibus, Turcarum navigia, Asiaticis onusta mercibus capiunt, maritimas navigiationes, portus Ottomanorum, diu, noctuque volitantes, infestos reddunt.

Mirum! quantum amorem auxerint retinendæ tam quæstuosæ artis, spolia ingentis pretii. Turcæ injuriis lacessiti, apud Venetos, quorum juri plerique obnoxii erant, violatam pacem clamare, vindicias minaci oratione petere: ni faxint irruptione in Reipublicæ ditionem accepta a prædatrice gente damna compensatum iri. Lis isthæc in multos annos extracta, nonnisi multa clade, & fere internecione totius gentis finem habuit. Cum enim Uscocchi jam Venetorum, jam Regum Hungariæ clientelam implorarent, & nihilominus prædandi libidine incensi Dalmatiam, Istriam terrore, & tumultu complerent; agris, & oppidis circumjacentibus vastitatem; civibus necem, & hac tristiorem servitutem inferrent, Venetis nationem inquietam, & omnibus infensam armis aggredi placuit. B) Post datas, acceptasque clades, tandem Mathias II. Hungariæ Rex, abactis Segnia Principibus, & incendio deletis myoparonibus, terrorem illum Dalmatiæ extinxit. Turcæ visa Venetorum constantia in persequendis Uscocchis, ultra querelas non processerunt.

Multo acrius anno supra millesimum sexcentesimum trigesimo septimo utraque natio injurias suas ultum iverat. Classis Africana ab Amurathe bellum in Asiam transferente, ad Bagdatum perdomandum evocata, tempestate adversa disjecta incœpto cursu desistere debuit. Renavigare in Patriam sine triumpho, sine spoliis, Alym Archithalassum, hominem supra modum cupidum, & avarum, copiosi sumptus in maritimam expeditionem impensi prohibuerant. Dum Mediterraneum incertus animi oberrat, cupiditate prædandi everberatus, versis in Adriaticum repente velis, Laureto ab Icone magnæ Matris toto orbe celebratissimo, infestus imminebat. Sed venti prædonis vota cum classe in altum abripuerant. Pacato mari in Dalmatiæ portus irrumpit, naves diripit, maritima oppida populabundus percursat, collectisque maxima celeritate spoliis, Lissam C) Veneti juris insulam, aggreditur. Perierat ager fertilissimus, nisi Antonius Marinus Capellus, classis Venetæ Gubernator, in tempore Turcarum ferociam prævertisset.

Ad Valonam assecutus prædones, in eodem portu mensem integrum obsessos tenuit, factaque impressione septima Augusti, post acerrimum certamen sex, & decem navigia cum ingenti rerum omnium apparatu adimit. Hoc non minus forti, quam glorioso Venetis facinore, diuturnam pacem Capellus sustulisse videbatur; jamque evanescente concordiæ ineundæ commercio, spes una tuendi patriam in armis reliqua erat. Respublica incredibili alacritate civium terra, marique in communem Christianorum hostem bellum molitura, curas omnes in classem, atque militem intendit. Byzantini Africanæ classis jactura vehementer commoti, festinatis in Persidem nuntiis Amurathem totius rei seriem edocuerant. Interea Caimacanes, urbis Præfectus, libera oratione Ludovico Contarino D) Veneto Byzantii Oratori rupti fœderis turpitudinem objicit, navigia contra jus gentium intercepta

A) Hac voce Illyrica compellantur profugi, ut scribit Bapt. Nanus Tom. VIII. L. I. ad annum 1618. B) Anno 1617. C) Lissa haud procul Corcyra; aliis Issa. D) Apud aliquos Scriptores legitur Contarenus, quod idem denotat.

tercepta reddi imperat, nisi Rempublicam perdifficili bello implicare velit. Ludovicus e Reipublicæ sententia negavit sine injuria Venetorum repeti posse spolia, quæ inter stragem hominum, incendia vicorum Turcæ corraserant; aut latronum cæde fœdus violatum; ostenditque luculentissime Africanos hostilitati initium dedisse, & idcirco Capellum de piratis in portu Ottomanico pœnas sumpsisse. De ea sententia cum Senatus Venetus dimoveri non posset, Orator Amurathis jussu, Galatæ carceri mancipatur, etsi tum acutissimis podagræ doloribus conflictaretur.

A. C. 1644.

Res jam ad arma spectavit. Urbanus VIII. maximus Pontifex cum Venetis, in belli societatem stimulavit Principes Christianos. Verum paucis cordi erat Reipublicæ salus, causamque privatam nemo communibus armis propugnandam existimabat. Quo animadverso Contarinus, multo rerum usu vir, nempe in negotiosis Europæ aulis annos quam plurimos versatus, ne victor exercitus e Persia redux Venetis ditionibus infunderetur, mollioribus mediis ferocientes Purpuratorum animos mitigandos sumpsit. Super hæc Respublica datis ad Amurathem literis, Africanorum rapacitatem sinceris adeo coloribus expingit, ut facile sibi persuaserit, Venetos sua duntaxat, non bellum, armis correptis, quæsivisse. Contarino denique adnitente, belli faces restinctæ sunt, commercium inter utramque gentem stabilitum. A)

Anno demum MDCXLIV. quem exorsi sumus, dum Veneti solicite intendunt, ut fœdera cum barbaris pacta religiose servent; neve occasionem tumultibus præbeant, maxima cura evigilant, improviso bellum erupit tanto atrocius, quanto magis plurium annorum odia, & diuturnitate, & frequentia corroborata fuerunt. Res ita se habet. Eunuchus raræ fortunæ, sub tribus Imperatoribus Seraglii curam gessit (vulgo Kuzlir B) Aga) tanta sui æstimatione, ut annosa familiaritate, flagrantissimaque Principum suorum gratia usus, principem locum inter primos aulæ Ministros sine invidia obtinuerit. Humanarum rerum, præcipue aulicarum, vicissitudo hominem admonuit, ut rebus eatenus integris contentus, semet inconstanti aulæ subduceret, & reliquum, quod supererat, vitæ, dulci in otio transigeret. Talia cum ad animum revocaret sæpius, ab Ibrahimo facultatem eblanditur Mecham proficiscendi.

Voti compos, quidquid gemmarum, mercium, æris, in quæstuoso illo munere plurium annorum decursu compilavit, cum sua familia, quam copiosam censuit, classiculæ probe armatæ commisit. Vix Rhodum insulam, quo tempestate maris compulsus fuit, superavit, cum ecce tibi Melitensium sex grandioris molis navigia, omnique telorum genere instructa, classiculam Eunuchi invadunt, ac post octo horarum certamen omnino capiunt. Melitenses patrata victoria in Cretam Venetorum insulam vela dedere, reparatisque suarum navium damnis, Melitam spoliis onusti repetiere. Rumor victoriæ, celeriter Europa tota diffusus, & odioso Melitensis fortitudinis præconio majorem in modum auctus, varie mortalium animos affecit, maxime, quod insigni errore, an mendacio dicam? captivorum gregi liberaliter adnumerarint Ibrahimi pellicem nomine Zaroffam cum adolescente Principe, cujus libertatem multo auro, quæstuosisque conditionibus emptum iri sperabant avari. c) Sed cum nemo in scenicum illum Principem inquireret, minus pretium offerret; spe sua eversi Melitenses, fabellam orbi prodiderunt. Veneti ad repentinam Eunuchi cladem, veluti ad suam non leviter turbati, callide conjiciebant, se graves, ac diuturnas belli calamitates Melitensium nomine laturos; Turcas quippe ferocium instar belluarum esse,

quæ

A) Nanus Tom. VIII. L. XI. ad annum 1638. & Joannes Baptista Verus L. V. B) Fortassis Chaziler, quo nomine appellantur ii, qui Mecham, sive Meccam Religionis causa proficiscuntur. c) R. P. Ignat. Hyacinthus Amat de Graveson sacri Ord. Præd. in sua Historia Ecclesiastica N. T. Seculo XVII. & XVIII. multis contendit (nescio, quam feliciter) hunc Principem, nomine Osmanem, fuisse filium Ibrahimi Imperatoris natu maximum, ac subinde sacris Christianis imbutum, nomen dedisse Sacro Ordini Prædicatorum, atque Dominicum Ottomanum vocitatum.

A. C. quæ vulneribus in rabiem actæ, non percussorem, sed proximum quemque
1644. invadunt, & dolorem sanguine etiam innocentum ulciscuntur.

Et reapse quidquid irarum ob eam jacturam classiariorum conceptum, in unam Rempublicam effusum erat. Arguebantur Veneti, collusisse cum Melitensibus, iisdem amicum portum dedisse ad Candiam, commeatus large suppeditasse, detexisse tandem, quo animo erga Ottomanos forent. Hæc, atque alia id genus, etsi Orator Joannes Superantius, seu Soranzius gravibus rationum momentis, conficta in Reipublicæ invidiam declararet, tamen in turbido illo foro, nihil pacati retulit ab æstuantibus in Venetum bellum. Quanquam summo deinceps artificio usi fuerint Turcæ, ne quid emanaret ad Venetos, de consilio impugnandæ Candiæ. Imo ut omnem suspicionem eximerent, in Melitenses solenni ritu bellum decretum. A)

1645. Simulatio isthæc Melitensis belli tantum non valuit, ut Respublica ceu pacis secura rem maritimam, armorumque curas negligeret; gliscente præcipue exploratorum numero Byzantina in urbe, quorum industria compertum, in Venetos demum effusum iri, quidquid in Melitenses apparari ficto, mendacique rumore de industria circumferretur. Non ex vano hæc talia hausta. Decima Maji Bechir B) Archithalassus, cum Selitare pedestrium copiarum Ductore, e litore Byzantino solvit in Asiam. Soranzius ut certiora de cursu validissimæ classis edocere posset Rempublicam, convenit ante Archithalassum, quam anchoræ præciderentur; modesteque scitatur, num iis viribus Venetos oppugnaturi essent? an vero alterum hostem in Asia quæsituri? Bechir affectæ jam fabulæ partem ut diutius ageret, usitato Oratoribus exordio multa de æquitate Ibrahimi Imperatoris, ac candore erga Rempublicam prælocutus, metu liberum esse jubet, conceptis verbis etiam testatus, omnem tempestatem in Melitenses, Ottomanici Imperii hostes, humani commercii turbatores, incubituram. Soranzius vel ex vultu barbari, Veneto nomini alioquin offensi, legit, in suos populares classem armatam esse, & Candiam, inter Mediterranei maris insulas, multis nominibus celebratam, impetitum iri. Quamobrem Gubernatorem per celeres nuncios admonet, ut animo forti defensionem adornet, litora, portus præsidiis muniat, haud dubie Turcas ad eam insulam oculos, animumque adjecisse.

Veneti ab falsa spe pacis penitus abducti, Principum Christianorum opem contra potentissimum hostem implorarunt. Verum illi discordiis domesticis impliciti (quo malo plerumque laborant) dum lente navigia instruunt, militem ex hybernis educunt, Turcis occasionem præbuerunt Caneam C) urbem occupandi. Etenim Bechir felici usus navigatione, vicesima tertia Junii portus Candiæ, hostili classe vacuos ingressus, propugnaculo D. Theodori duabus leucis Canea dissito, celeriter expugnato, Caneam acerrima verberatione fatigat, ac quinquaginta post dies, obsessos ad urbem dedendam ferro, igneque compellit. Opimas conditiones civibus indulsit, quo citius possessionem adiret, sed eas homo nullius fidei momento violavit. Emisso præsidio, principem Ecclesiam D. Nicolao dicatam, in Moscheam commutat, virgines, adolescentes in conspectu parentum vinciri, ac Byzantium abripi mandat, cives fictis criminibus exilio mulctat, Caneam denique in solitudinem vertit. Imposito quinque millium Janicsarorum præsidio, classem opportuno loco in anchoris tenuit ante Caneam, excepturus Christianorum classem, quæ ex Italia urbi liberandæ missa fuit. Erat illa non multo inferior Turcica numero navium, delectuque virorum a Venetis, Innocentio summo Pontifice, Pro-Rege Neapolitano, aliisque Italiæ Principibus in communem hostem maximis impensis comparata. At fatali Præfectorum dissensione factum, ut sæpe in consilio, in senatu pugnaretur; mari,

aut

A) Ricautius, & Nanus loco laudato. B) Alii alium hujus expeditionis Ducem fuisse scribunt. Ricautius Bechi eum appellat. Bapt. Verus Isuffum L. VI. C) Canea urbs Candiæ, seu Cretæ, mari adjacet, adeo frequens olim incolis, ut mater gentium diceretur. Alio nomine Cydonia insignitur, putaturque metropolis Regis Minois fuisse.

aut terra nunquam. Acceſſit & alterum malum diſſidio iſthoc non multo levius. Adverſæ tempeſtates frequenter eo anno curſum claſſis turbaverant, ut non magis Præfecti, quam elementa tam varia, tam infida ſuppetias morarentur. Inde claſſis nullo emolumento in Italiam rediit. A) A. C. 1645.

1646. Ottomani, ut vires Venetorum diſtraherent, non in Candia modo exercitus aluerunt, ſed in Dalmatia etiam primo appetente vere, ſigna hoſtilitatis extulerunt. Boſniæ Præfectus evaſtatis Venetorum oppidis, Novigradum B), cum juſto exercitu circumdat, & poſt paucos oppugnationis dies, præſidiariis panico terrore, vel auro expugnatis, dum de conditionibus agitur, perfide capit. Sebenicum, urbs maritima, conſtantius reſtitit victori, uti Scardona Venetis. Jadrenſes etſi numero, viribusque longe impares, tamen locorum gnari cum agreſtibus raptim armatis, e latebris incautos adorti, prædas recuperarunt, multosque ſine ordinibus, ſine ſignis in ſpolia ruentes, aut neci dederunt, aut in ſervitutem abſtraxerunt. In Candia vario Marte pugnatum fuit. Ibrahimus, quamvis profundo otio merſus, parum cogitaret de victoria, tamen inflammante Soltana, Selitarem copiarum terreſtrium Ductorem trucidari juſſit, quod Caneæ præſidiariis inter honores militares liberum abitum conceſſerit. Eodem tempore Mehemeti Vezirio exauthorato, ſubſtituit Cuſſainem Budæ præpoſitum, hominem notæ fortitudinis bellicæ apud exercitum. Hic eluſis Venetorum cuſtodiis ad Helleſpontum cum aliquot Janicsarorum cohortibus in Candiam appulit, ac Sudam C) circumvallavit. Interea Thomas Moroſinus Venetæ claſſis in Ægeo Præfectus, rem maritimam feliciter adminiſtravit. Initio veris, fuſis centum onerariis Turcicis, quæ multo commeatu onuſtæ Alexandria Conſtantinopolim curſum direxerant, fauces D) Helleſponti inſedit. Ingens Diſcrimen Byzantium exterruit.

Achmetes, Moreæ Præfectus, quidquid navigiorum in portubus erat, celeriter armat, Venetisque frontem obvertit. Mehemetes inutilium morarum loco, claſſem Byzantio eduxit, Helleſpontum in libertatem aſſerturus. Moroſinus capta occaſione concurrendi, temere venientem profligat, & male mulctatum in priſtinam ſtationem repellit. His incitatus, Tenedum inſulam oppugnare inſtituit, famæ, ac utilitatis magnæ, non magni laboris opus exiſtimans. Sed incaſſum conſumpto ardore, nihil emolumenti cepit, Ottomanicæque claſſi viam aperuit in Candiam enavigandi. Res Venetæ non optimo loco alioquin ibidem erant. Caneam urbem lenta obſidione premebant Veneti, occupatisque maris anguſtiis ad Helleſpontum, ſpes erat non Caneam modo recuperandi fame jam ingraveſcente, verum etiam tota inſula abigendi hoſtem. Spem corrupit domeſticum malum, nimirum diſcordiæ Præfectorum, quod in ſenatu alter alterius placita deſtinatis pridem ſententiis reſpuerit, pugnantium, quam conſultantium ſimiliores: inde in campo omnia languebant, nihil in tempore, nihil ex ordine factum. Vulgatis præterea morbis, veteranorum plerique aut inutiles obeundis muneribus redditi, aut ſine jactura hoſtium extincti.

Cum in hunc modum traheretur potius bellum, quam gereretur in Candia, ſuperato Helleſponto claſſis Turcica advolat, ſolutamque obſidione Caneam commeatibus, & aliis rebus abunde recreat. Ad Sudam interim lentius procedebant opera, quam præfervidus, & militaris gloriæ avidus fervor Cuſſainis ferret. Igitur relictis ad obſidionem pauculis, Rethimum E) verſus per ſylveſtrem, anguſtam, ac confragoſam viam exercitum ducit. Quod ſi Veneti valido præſidio occupaſſent anguſtias, jugumque opportune itineri imminens obtinuiſſent, inulti ſubeuntem aut prohibere, aut opprimere hoſtem potuiſſent. Nemo erat,

A) Hæc fuſe narrat Nanus Tom. IX. L. II. B) Novigradum, Iadera, Italis Zara, Sebenicum, Scardona urbes Dalmatiæ, Turcarum perinde, ac Chriſtianorum cladibus nobiles. C) Suda præſidium nobile in inſula Candiæ. D) Vulgo Dardanellæ: binis caſtellis munitæ ſunt, nempe Seſto, & Abydo; illud in Europa, iſtud in Aſia jacet. E) Rethimum urbs cum præſidio rupi impoſito.

A. C. 1646. qui consilium daret, aut datum exequi vellet, adeo simultatibus Præfectorum, animi militum ægri erant. Maritima quidem auxilia festinarunt; verum vix conspecto hoste, abjectis armis navigia sua repetierunt tanta trepidatione, ut multi præcipiti cursu semet ipsos fluctibus hauriendos dederint. Cussaines oppidum tormentorum ictibus undique laceratum, vicesimo Octobris assultu capit trucidatis Cornaro, & Molino primariis Ductoribus; mox castellum per deditionem accipit. Præsidiarii cum Præfectis alio deportati inter ludibria insultantium victorum, ægritudine animi passim occubuere. A) Nempe NON minus animus, atque corpus, suos acutos, serpentesque morbos habet, quibus correptus tanto celerius contabescit, quanto honestior.

1647. Instabat Candiæ proximum excidium, ni Veneti pro viribus conatus hostium retardassent. Rursum missi Oratores ad Principes Christianos, suppetiarum quidpiam ut extunderent, ne Candia Italiæ unicum præsidium in Asia, torpentibus Christianis, aut in mutua vulnera, & cædes ruentibus Ottomanis summo cum dedecore cedenda foret. More suo verba dederunt alii, alii in alium hostem vires suas destinasse professi sunt. Summus Pontifex, ad avertendum non Italiæ modo, sed totius Christiani orbis exitium suam operam large addixit, atque in Candiam, & Dalmatiam (ubi non minori ardore adhucdum dimicatum fuit) suum militem misit. Melitenses jurati alioquin hostes Ottomanorum, tanto promptius in Asiam vela fecerunt, quanto certius exploratum fuit, eos istorum tumultuum, bellorumque incendia excitasse. Posteaquam in unum confluxerunt vires, nemo non speravit lucem afflictis rebus, hoc demum anno exorituram. Initium sat prosperum cœptum est, Africana classis, secunda e Candiæ portubus navigatione discedens, cæca subinde vi tempestatum multum jactata fuit in Archipelago, B) navibus aliis alio depulsis; binæ, quibus Jusuffes Præfectus, & Mehemetes Celebis, Algerii Reguli germanus, vehebantur, in litus proximum delatæ erant. Morosinus, classis Venetæ Imperator, cum viginti navibus diuturna jactatione fessos aggreditur, & paucis interfectis, qui resistere ausi, cæteros captivos abducit. Hoc successu animatus, dum prædatorias Turcarum naves indefessus persequitur, adversa ventorum vi repente abreptus in Eubœam ejicitur.

Mustapha, qui istius insulæ portus tuendos suscepit, agnita prætoria, continuo classem quinquaginta quinque navigiorum educit. Veneti discrimine in audaciam verso, hostem omni ex parte ingruentem, emissa repetitis vicibus pilarum procella, non sustinent modo, sed illata navigiis strage ad recedendum cogunt. Pudore, iraque succensus Mustapha, sollicitatis in prætoriam remis, quanta vi maxima potest, pugnam cominus init, consertisque manibus, eam longe validiorem, quam putaverat, expertus est. Diu anceps fluctuavit victoria. In Morosini morte victoriam sitam cum existimarent Turcæ, in hunc unum telorum vis maxima effusa. Ducenti aliquot jam se in prætoriam saltu projecerant, ac furentibus similes, ferro viam aperuerant. Morosinus dum suos pro more in certamen incitat, sclopeti glande in caput impacta, nullo edito verbo, in vestigio animam agit. Nihil inde remissior pugna, præcipue postquam Grimanum ad ictus tormentorum admonitum, plenis velis adventare viderunt. Suppetiis aucti signa in confertas hostium naves inferunt, fortuitaque majoris tormenti pila Mustapha icto, victoriam reportant. Fugata classe, Grimanus Hellespontum rursum infestum reddidit, multasque insulas, præsidia, victoriæ fructus, in Archipelago Venetæ potestatis facit. Ibrahimus sinistro eventu in rabiem actus, Mustaphæ opes in suum ærarium intulit, quasi unius ignavia tantum dedecus acceptum fuisset. Sed non ideo tumultus composuit, qui in dies oriebantur ob Hellespontum clausum. Vezirius suo capiti metuens, Oratori Veneto persuasit, ut de pace compellaret

A) Nanus Lib. III. B) Ita narrat Ricautius. Nanus ait a Morosino, non vero tempestate maris, in litus Ottomanos compulsos.

laret Imperatorem. Verum cum Candiam confidenter uterque peteret, abrupta ſpe pacis, iterum ad arma deventum fuit. A) A. C. 1647.

Sudæ, ſuperiori anno a Turcis obſeſſæ opportune ſuccurrit Venetus. Præſidium extrema rerum penuria, peſte inſuper graſſante, adeo imminutum fuit, ut e mille pugnatoribus ducenti ſolum ſuperfuerint. Turcæ non expectato Delphini adventu (hic ad Sudam liberandam accurrit) Girapetram B) contendunt, quam urbem Cuſſaines tentatis duobus inſultibus cepit. Hic homini bellicoſo ſpes atque cupiditas injecta eſt, urbem Candiam, inſulæ caput, corona cingendi; ſed luſtratis copiis e maximo exercitu non niſi duodena millia armatorum præſto fuerunt; reliqui aut urbibus impoſiti, aut variis morborum generibus abſumpti. Neque Byzantio ſperare potuit auxilia, quod Grimanus, minoresque Præfecti, maria omnia ſuis navigiis oberrarint, atque ſparſo late terrore, Ottomanos ad ſua potius defendenda, quam aliena impugnanda adegerint. Nusquam magis trepidatum, ac Conſtantinopoli. Ad maris Ægei inſulas Chium, Mitylenen, Helleſpontique clauſtra, in anchoris hæſit pars claſſis Venetæ, liberaque navigatione prohibuit hoſtem. Inde veluti obſeſſi Byzantini, augente omnia in majus fama, crebros tumultus ciebant, ac Ibrahimo ſolicitudinem faciebant, ne in apertam ſeditionem erumperent.

Is detrimenta hoc anno accepta, & præſentem Venetorum audaciam, Vezirii ſocordiæ callide attribuit, quod neque militem, neque navigia in portubus Byzantinis haberet ad retundendas procurſiones hoſtium; QUASI vero calamitatum faſti non Principum, ſed Præfectorum nominibus notarentur. Cuſſaines eodem tempore res geſtas in Candia, ad Imperatorem perſcripſit, ſupplementaque militum poſtulavit. Adjecit ad calcem literarum: *Vezirium multum obfuiſſe ſucceſſibus Ottomanorum in Candia ob non miſſum militem, & commeatus: quæ ſi in tempore adfuiſſent, haud dubie debellatum jam foret.* Allatum præterea erat, Vezirium malignos ſermones miſcuiſſe cum domeſticis ſuis, quibus Imperatoris facta dicaciter ſugillavit. His talibus exaſperatus, Vezirium inter ſpem, & metum in palatium venientem ferro percutit, ac ſatellitibus ſtrangulandum tradit. Cæſi dignitatem obtinuit Achmetes Dephterdar, qui ſtatim ab exordio ſuæ præfecturæ, anguſtis Candiæ rebus auxilia ſubminiſtravit. Nam Veneti autumno præcipitante non modo Helleſponti, ſed & Eubœæ cuſtodias laxaverant. Turcæ nihil morati, e vicinis inſulis, & Byzantio, in Candiam, armorum ſedem, feſtinata navigatione proficiſcuntur, expoſitisque novem peditum millibus cum frumento, eadem celeritate in ſuas ſtationes redeunt.

In Dalmatia hujus anni expeditio Venetæ genti longe ſecundiſſima fuit; præſidiis partim expugnatis, partim defenſis eo redacta Turcia, ut mari potius, quam terra cum Venetis, congredi optaret. Initium victoriarum Antonius Piſanus fecerat Zemonico c) cum Gubernatore Aly capto, quas Leonardus Foſcolus ingenti nominis Veneti gloria continuavit. Novigradum acri oppugnatione preſſum cum omnibus præſidiariis, & quatuor Agis ſe ſubdidit, poſtquam Sinanem Baſſam in turpiſſimam fugam conjectum vidit. In reparandis mænibus ut ne tempus tereret, ſemiruta opera, & tormentorum ictibus perforata funditus evertit. Mox Scardona, Tinnium, Salona, Nadinum, Urana, aliaque præſidia Dalmatiæ, tanto olim ſtrepitu, tempore, & ſanguine Turcarum expugnata, uno veluti curſu Veneto imperio adjecta ſunt, ut tanto emolumento penſata, facile concoqui poſſet Caneæ, atque Rhetimi jactura. Tot inter militares labores Foſcolus in morbum incidit. Eam occaſionem minime negligendam ratus Techelis copiarum Ductor, cum quadraginta ſuorum millibus Sebenicum recuperandum putavit. Sed tantus erat præſidiariorum, & civium repugnandi ardor, ut deſperato ſucceſſu oppugnatione deſiſtere coactus fuerit.

A) Nanus loco citato. B) Girapetra urbs Candiæ. C) Zemonicum Nanus ait eſſe minorem urbem ſeptenis leucis Jadera diſſitam.

A. C. 1648.

Inter Venetos anno MDCXLVIII. ex obliquo, nec perfunctorie de pace agebatur in Senatu. Plurium animi in eam propendebant; quod exhausto ærario, militibus partim morbis, partim ferro in Candia confectis, vires majoribus rebus gerendis nimis quam impares adessent. Ad hæc frequentiores pluviæ, aquarum eluviones, maximam stragem agris intulerant, ut Respublica cum summa caritate frumenti penuriam sentiret domi; neque videret, unde ad alendos 'foris exercitus commeatum sperare posset. Nihilominus cum ultima potius experiri mallent, quam possessione Candiæ excidere, omnium sententia bellum prosequi placuit. Foscolus intellecto Reipublicæ proposito, primus in Dalmatia arma circumtulit. Clissam A) rupibus præaltis cinctam, & militaribus operibus egregie munitam, magis terrore nominis sui, quam vi intentata Turcis eripuit, fuso, fugatoque Techele, repetito certamine, quem periculum arcis in campum protraxit. Morlachorum B) gentem Turcico jugo diu oppressam, Fascoli fortuna libertati restituit. Ea minime contenti, correptis in veteres dominos armis, multorum annorum injurias, strenue vindicatum ibant. Icto fœdere cum Venetis, & Albaniæ populo, expeditionis modulus, communi consilio designatus fuit, ut Albani Crojam, Morlachi, & Veneti Scodram, de improviso invadant. Hæc cum ita tacite peragi nequirent, quin tectæ conspirationis suspicio commoveretur, & indicium perfidia quorundam civum, quos Turcica societas delectabat magis, quam ostensa libertas, foras avolaret, Techelis quasi ignarus machinationis clam & ipse ad opprimendos Albanos, Morlachosque copias contraxit. Verum fluvii, autumni imbribus vehementer aucti, festinantibus Turcis ut moram injecere, ita Confœderatis spatium dedere semet in tutiora recipiendi. Furor tamen desæviit in Religiosos D. Francisci, quos conspirationis suspectos barbaro supplicio in palos egerunt. Hæc in Dalmatia gesta.

Candiensis expeditio naufragio classis Venetæ luctuosa erat. Grimanus nondum soluta hyeme expugnato Mirabello, permunito in Candia loco, ad obsidendas de more Hellesponti fauces festinavit, quo maritimos commeatus Byzantinis perinde, ac exercitui in Candia hyemanti præcluderet. Per mare Ægeum vela facientem, adeo atrox tempestas deprehendit, ut artem mox a principio, & spem nautis eriperet. Mitescentibus ventis, cum majori numero navium stationem capit reparandis damnis, & militi jactatione ægro percommodam. c) Decimo septimo die mensis Martii, repentini turbines rursum oborti, nocturna quiete sopitos in altum abripiunt. Classis impetu disjecta inter decumanos fluctus, & vortices ferebatur. Auxit trepidationem nox intempesta, ac militum concursatio, qua nautarum ministeria confundebantur. Prætoria navis, amissis velis, scopulis impacta, multisque locis aperta, cum Grimano Archithalasso, cæterisque vectoribus mersa est. Ubi illuxit, cladis primum magnitudo apparuit. Octo, & decem majoris formæ navigia superante mari, depressa fuere; cadavera, vestes, arma, tabulæ passim jactari toto mari conspiciebantur. Qui cladem evaserant, existimarunt non falso, futurum fuisse, ut omnis illa classis deleretur, si vel una piratica turbatos, & præsenti infortunio consternatos invasisset. Melioribus fatis debebatur, quod nondum hostium naves e portu solverint.

Venetorum naufragium continuo Byzantii percrebuit, civesque dubio belli eventu suspensos mire recreavit, quasi vires amplissimæ Reipublicæ uno naufragio absorptæ, nihil deinceps pro Candia possent, vel auderent. Sed nempe ut malaciam maris sævissima tempestas momento temporis excipit, ita Byzantinorum lætitiam tristes nuncii. Eodem enim tempore

pore

A) Clissa a Kleisa, seu clausura dicta, arx ad limites Dalmatiæ. B) Incolæ montium Rasciæ, Bosniæ, & Croatiæ, Morlachi ab Italis dicuntur, veluti nigri Latini. Inspice Joan. Lucium L. VI. c. V. mihi pag. 459. c) Joannem Bapt. Grimanum cum sua classe stationem fixisse in portu insulæ Psaræ tum Nanus, tum Ricautius narrant. Joannes Bapt. Verus L. VI. pag. 400. eam insulam appellat Psyram. Apud Geographos oleum, & operam perdidi hanc insulam vestigando.

pore Jacobus Riva, Venetiis exædificatam classem multarum navium, omni A. C. instrumento bellico munitarum in Hellespontum advertit, quo clauso, 1648. haud facile dictu est, quanta admiratio, & metus Byzantinos incesserit. Imperator ut liberam navigationem suis aperiret in Asiam, eo classem expedivit ductu Ibrahimi Præfecti. Constat eam non minorem fuisse quinquaginta aliquot navigiis; neque classiarios infra quinque mille, præter nautarum ministeria enumeratos. Cum hoc robore virorum dum exitum rimatur per Hellespontum, certis tormentorum ictibus impetitus, Constantinopolim re infecta cogitur redire, & mox jussu Ibrahimi Imperatoris, quod promissis longe minora præstiterit, obtruncatus est.

Interea Cussaines exercitum suum Candiæ urbi, totius insulæ metropoli, circumfundit. Huc ab hostibus iri prospectans Venetus, jam anno superiori rebus omnibus eam apprime instruxerat. Oppugnatio juxta, ac defensio fuit illustris, vehemens, sanguinolenta, Cussaine ad faciendum temporis compendium haud parcente suis. Intellecto etenim Grimani naufragio, spem concepit potiundæ urbis ante, quam auxilia ab Italia mitterentur, sat gnarus Rempublicam omni contentione ad liberandam Candiam militem, opes collaturam. Ludovicus Leonardus Mocenicus, urbis, & classis Venetæ summus Imperator, de cujus bellica virtute plurimum confidebant præsidiarii, nihil eorum omisit, quæ ad producendam in hyemis frigora oppugnationem, conferre videbantur. Et reapse quamvis Ottomani dies, noctesque fulminarent in muros, suffossionibus propugnacula diruerent, A) ollis igniariis in tecta civium sævirent, impressiones summa pertinacia plures in horas extraherent, tamen memorabili fortitudine sex mensium acerrimam oppugnationem sustinuerunt Veneti; hostium viginti, & amplius millibus neci datis. Jactura tot fortium virorum eo acerbior Turcis accidit, quod duo Hassanes, alter Natoliæ Præfectus, alter præcipuus classiariorum, qui primi in Candiam trajecerant, pari fato ceciderint. Fervente adhuc oppugnatione, summa Venetorum conspiratione, tum ad Hellespontum, tum in Candia laborantibus sociis succursum fuit; qua utique constantia Reipublicæ, & Mocenici virtute urbs nobilissima barbarorum conatus infregit. B)

Nondum oppugnatione destitit Cussaines, cum Byzantii festinata morte sublatus est Ibrahimus. Triplici illiciorum genere hanc sibi ipsi accelerasse pervulgatum erat; crudelitate, avaritia, voluptatibus, queis nimirum barbarorum animi plerumque capi solent. Purpurati quo magis conspicui erant gestis muneribus, eo præsentiorem ansam timendi habuere, ne deflorescente Soltani gratia, sive felices in campo progressus, sive sinistram belli aleam suo capite expiarent. Ita remunerari labores pro Imperii salute, pro augendis terra marique provinciis susceptos, jam a capessito Imperio Ibrahimum experti fuerunt. Terrebant primorum civium, Ductorumque militum vestigia, quos indicta causa vecordissimus Princeps e medio sustulit. Eundem scopulum exhorruerunt, quos benignior fortuna supra cæteros mortalium opibus ditavit. Multis crimina impacta, ut vel in exilium abacti, vel suppliciis mactati, insatiabili Imperatoris avaritiæ suis divitiis quoquo modo litarent. Hisce malis diu pressi, ne penitus opprimerentur, in omnem occasionem intenti, exitium monstro Imperii tacite machinabantur.


Neque diu occasio defuit. Nam ut erat in omnem venerem, vagosque amores effusus, Mufftii filiam pereleganti ore, ornatuque in urbe notam, libidini suæ destinat. Illa obstinata, cum nulla ratione in aulam se conferre vellet, per Vezirii satellites vi eo raptata fuit, & mox non sine dedecore in paternos lares remissa. Tanta rei indignitas acerbissimo doloris sensu, Mufftii animum configebat. Sed ut erat harum artium artifex sum-

 mus,

A) Vis prima incubuit in propugnaculum a S. Maria nomen sortitum, quod cuniculis evibratum, summum in discrimen præsidium adduxit. B) Hanc oppugnationem multis enarrat Nanus L. IV.

A. C. mus, & dolorem, & vindictæ cupiditatem fronte ad hilaritatem exporrecta, 1648. dissimulare videbatur. Interim cum Mahomete, Purpuratorum præcipuo, Janicsarorum Ductore, clanculum agit, Ibrahimi avaritiam, crudelitatem, libidinem aculeatis verbis perstringit; scelus Imperatorium in filia patratum, ac vim Vezirii acerbe queritur: author denique fit arma capiendi contra hostilia ausos. Movit Mahometem tum Mufftii mæstitia, tum Aga castigator lachrymarum, atque inertium querelarum. Igitur conspiratione inita adversus utrumque, Janicsaros, serendis turbis aptum instrumentum, in suas partes alliciunt, Soltanam filii turpitudine, ac impotentia offensam (in vetus enim Seraglium relegata fuit) consilia sua præprimis edocent. Septima Augusti ferocissimus quisque cum armis voluntarius in aulam advolat, & Vezirium Achmetem ad necem deposcit. Eo in domo Mufftii, quo miser præsidii causa confugerat, suffocato, Vezirius creatur Mahometes.

Altero die armati apud Mufftium conventicula habent, in iis Ibrahimi vitia toti Imperio perniciosa esse conclamant: *voluptatum dulcia consectari effusius, ac Imperatorem decet; inde studiose evitare, quibus blanda illa, ac voluptaria otia interpellarentur; Imperii molem, ac fastidia in Ministros rejicere. Quid in Candia, quid ad Hellespontum agatur, quibus viribus bellum prosequendum? parum solicitum. In id unum omnes cogitationes, curasque defixas habere, ut viros Principes omnibus fortunis eversos aula abigat, vita privet; inter fœdissimos amores majestatem Imperatoriam sepeliat. Ejus socordia non modo Candiam stare, sed victoriam retulisse luculentam de Cussaine; Hellespontum in oculis Byzantinorum clausum teneri, Ægei maris insulas, Peloponnesum, Dalmatiam a Venetis diripi. Inertia Ibrahimi, militem terra & mari languere, Ottomanicas vires imminui. Ni quis labanti Monarchiæ manum porrigat, actum esse de Byzantio. Ibrahimum voluptatum intemperantia eo jam progressum, ut ergastulo potius, quam throno dignior videatur.* Delectatus hac scena Mufftius, Janicsaros æquissimas rationes habere exauthorandi Ibrahimum palam enunciat. Mox decretum sancit, quo eidem omnis potestas dominandi adempta. Nihil his minis commotus Ibrahimus decretum animosius, quam prudentius discerpit, negatque se alteri dignitatem cessurum. Facti atrocitate magis incensa multitudo, præeuntem Agam sequitur, pavorem, ac tumultum aulæ infert. Inter has turbas Ibrahimus elapsus, apud matrem delituit, cujus facundia militis furor repressus est, ne e vestigio occideretur. Postremo ergastulo redditus, cum iniquissime ferret hanc repentinam commutationem fortunæ, veluti versa mente muliebriter furere, caput parieti illidere cœpit. Quo animadverso, ut ne sui carnificem ageret, immissis percussoribus septima decima Augusti anno MDCXLVIII. vivere desiit. A)



MAHO-

(A Hæc Ricautius, Nanus, Chronicon Turc. tradunt.

MAHOMETES IV.

A. C.

IMPER. OTTOM. XIII.



Bellis diuturnis, & multis quemadmodum involutum regimen habuit Mahometes IV. ita multis, magnisque victoriis, & cladibus orbi innotuit, adeo inclementer fortuna miscente lusus suos, ut quem sexennis occupaverat thronum, eundem post nonum, & trigesimum Imperii annum, cedere coactus fratri suo Solymano III., integroque sexennio carcere constrictus, non sine suspicione veneni supremum vixerit. Venetum bellum eatenus terra, & mari ex æquo gestum, expugnata Candia, pace Turcicæ Monarchiæ quæstuosa composuit. A) Poloniam, Transylvaniam, Hungariam suis armis impetiit, victor sæpius, quam victus. Demum auctus provinciis aliquot in Hungaria, domi securus, æraria re, & militari quam optime constituta, ad opprimendam Europæ libertatem animum adjecit, cincta Vienna, Austriæ urbe, B) acerrima obsidione. Principum Christianorum fortitudini debebatur, quod horribili clade barbarorum copiis protritis, vota intra desideria hæserint. Sed hæc multo post evenere. Nunc ad res præsentis anni revertamur. 1648.

Mahometi Vezirio, vicario nomine imperanti, primum fuit, gravissimumque negotium, ne qua seditio inter levissimum populum exardesceret, tum maxime fervente Veneto bello. Inde præter seniorem Soltanam, fœminam virilis animi, prudentiæque, duodecim Purpuratos delegit, quibuscum Imperii curas, rara apud Ottomanos moderatione, partitus erat. Verum tanta non erat istorum authoritas, ut turbæ inter pedites, equitesque obortæ Byzantii, in tempore sopirentur. Equites ordinem suum læsum existimarunt, quod ipsis insciis, Ibrahimo dejecto, Mahometes in solium evectus sit Janicsarorum opera, propterea tumultuantes, vicos more suo percursant, cædes per tenebras faciunt. Ubi vident nihil se posse proficere, sponte sua urbe excedunt.

Anno abhinc uno Constantinopolim legatus est Ludovicus Contarinus, cum ut novum Imperatorem nomine Reipublicæ Venetæ salutaret, tum, revulsis dissidiorum seminibus, nihil prætermitteret eorum, quæ ad pacem ineundam facerent. Superbe exceptus, cum Candiam, & Clissam peterent, re infecta Venetias abit. Alter Orator, quem Respublica Constantinopoli remanere jussit, quod fastidium Ottomanicæ aulæ placide non ferret, & pro Republica intrepide ageret, in offensionem Vezirii ea causa adeo gravem incurrit, ut contra jus gentium catenis oneratus, carceris squallorem subire debuerit; præcipuo Interpretum (Dragomanos vocant) strangulato. Hoc veluti classico Turcæ, Venetique exciti, ad arma rursum recurrerunt. Et mari quidem ingentibus animis dimicatum fuit. Cum enim Jacobus Riva Hellespontiacas fauces obsideret, intercluso exitu in Ægeas insulas, atque vicinum omne mare navigiis armatis in potestate haberet, Turcæ, ut vires hostium dividerent, classem Africanam, superiori anno maximis sumptibus instructam evocarunt. Africanis pars altera classis Venetæ, obviam missa est, altera stationem ad Hellespontum tenuit. Byzantina classis contempta tenuitate Venetorum, nacta secundos ventos celerrima navigatione Phocæanum C) portum tenuit. Riva animadversa pro- 1649.

A) Anno 1669. B) Anno 1688. C) Phocæa, nunc Fochia, Foja, urbs Ætoliæ, haud procul Smyrna.

A. C. postridie hostium fuga, anchoris propere solutis eos insequitur, & jam
1649. conjunctos Africanis sine mora aggredi statuit. In ipso aditu capacissimi portus acie instructa, Ottomanis certamen indicit tormentorum fragore, incensaque fortuito una navium, quæ cæteris magnitudine præstabat, in pugnam ruentibus trepidationem infert. Quo viso nauta Venetus, in mare continuo desilit, ac funibus præcisis, flammas undique evomentem navim, conspirante in facinus præsertim vento, in proxima hostium navigia impellit. Ea peste pars maxima classis involuta periit. Longe tristissima strages erat nautarum, & militum. Multi intra vela flammis obnoxia combusti, pauci in acie pugnando trucidati, plures e navibus in mare præcipites acti, dum aquas superare contendunt, armis prægraves sunt mersi, aut pilis certo collineatis a tergo trajecti. Remiges plerique Christiani, ut erant vinculis alligati, fœde cremati sunt. Ab hac victoria multum inclaruit Riva, novis honoribus a Republica ornatus.

At Constantinopoli in Vezirium ob exitum improsperum tempestas incubuit, quamvis longe abesset ab illa infelici arena. Amurathes Janicsarorum Aga, tantum potuit apud cæcum, improbumque vulgus, ut hominem dignitate, & vita exuerit; quasi vero in potestate debuisset habere fortunam, QUÆ uti in reliqua hominum, ita certe plurimum in res bellicas potest. Amurathes jam Vezirius, Oratore Veneto libertati restituto, suas curas Candiam porrexit. Eam Cussaines acceptis aliquot Africanorum legionibus, arctius clauserat, quam antea, & ne quid commeatuum furto inferretur obsessis, in omnem partem intentissimis vigiliis curaverat. E gemino suggestu cum sine intermissione fulminatum esset in muros, recenti opere extructos, non magno negotio conciderunt. Nulla tamen impressio facta, quod lento obsidio existimaret edomandam. Mense Octobri, nihil remittente Mocenico urbis Gubernatore, conclamatis vasis Caneæ agrum stativis hybernis occupavit Cussaines. Ingentem invidiam conflarunt ei Purpuratorum nonnulli, quod lentius bellum duceret, velut metuens, ne quæstuoso munere cedendum foret, Candia subacta. Ille mori suo indulgens, libere reposuit: *militem, apparatum bellicum tenuiorem accepisse in castra, quam ut anno uno debellarentur Veneti. Perrumperent semel Hellespontum, & grandes exercitus, tantæ molitioni pares, in insulam deportarent.* Sensit Amurathes se peti hoc Cussainis responso, & ne quam populo criminandi materiam daret, in Candiam suppetias destinat. Verum Riva jam Hellespontum suis navigiis occupaverat. A)

1650. Veneti Candiæ suæ male metuentes, Mocenico septem millia armatorum mittunt, quorum incredibili virtute, multis annis insula, adversus instructissimas barbarorum copias propugnata fuit. Et opus erat tam valido supplemento militum, veteranis morbo, præliis, laboribus confectis, eo maxime temporis, quo Cussaines præsidium, frænum nempe Candiæ, fundabat, in collibus urbis jam bis irrito conatu obsessæ, quam maxima operarum festinatione pariter, & successu. Mocenicus sive quod a nova hac Candia (sic placuit appellare Turcis munimentum) nihil veteri timeret, sive quod alibi utiliorem operam locare posset, non interturbato opere, maritimam expeditionem suscepit. Classem partitus, partem Rivæ ad Hellespontum misit, partem ipse in vicinas insulas dirigit, & ut erant omni frugum genere lætissimæ, nec ab incolis infrequentes, miserrima populatione haurit, quidquid per festinationem aufferri non potuit, in cineres redigit. Annonarias domos, molas, pabula, quæ Turcæ congesserant, igne pariter, & ferro perdit. Qua populandi methodo adeo commota fuit Soltana, ut easdem faces, ni grassandi finem facerent, Corcyrensibus, aliisque Reipublicæ subditis comminata fuerit.

Veneti æstimato Corcyræ periculo, insulam novo præsidio muniunt, utque a longinqua expeditione avocarent hostem, bellum in Byzantinum agrum transferre meditabantur. Erat hæc quorundam in Senatu senten-

A) Nanus L. V. Ricautius paulo diversus est.

ſententia, & Jacobus Badoarus, vir eloquens, multis argumentis contendit, ut expugnatis ad Helleſpontum caſtellis, unde navigantes infeſtabantur, tota belli moles ad Byzantii mœnia convertatur: *ita*, inquiebat, *inimicam urbem, nec propugnaculis probe munitam, nec præſidio validam expugnatum iri, aut certe Cuſſainem ad patriam defendendam Candia exceſſurum. Sic olim Africanum Scipionem, ardente bello Italia, invaſiſſe Carthaginem, & Hannibalem detraxiſſe Romanis provinciis.* A) *Multum præterea ad famam, dignitatemque Veneti nominis facere, non ad defendendam modo Candiam, & reliquas ditiones, ſed ad inferenda etiam Byzantio arma, nobis animum eſſe.* Id conſilium jam olim ab Hiſpanis adumbratum, dum pro Africa dimicaretur, nunc poſt exactos toto mari Turcas, ac aliquot præliis navalibus debilitatos, maturuiſſe viſum eſt, etſi Riva maritimæ rei peritiſſimus multum abhorreret ab eo conſilio. Re maturius penſata, Badoari ſententia rejecta fuit, quod temerarium cenſerent, in eas anguſtias Helleſponti, univerſas vires Reipublicæ conjicere, in quibus, ſi tempeſtas cooriretur, decumana clades accipi poſſet, Turcis e litoribus, e caſtellis tela vibrantibus. Et alioquin ſatis negotii faceſſiverunt Rivæ bini Præfecti claſſis Turcicæ, qui aſſiduo armatis navigiis ſtationem Venetam carpebant, nunc in Aſiam curſum molientes, nunc omnibus viribus navali prælio decertantes.

A. C. 1650.

Interim Mocenico in Candiam reduci, ſpes potiundæ Caneæ proditione civium eſt facta. Multi Chriſtianorum in ea urbe domicilium habuere, uti nuper ſub Veneto; cum ſuperbiſſimæ gentis jugum ferre diutius nollent, Mocenicum clam edocent de urbe tradenda. Ille ne deeſſet fortunæ, ſtrenue ſe ad intercipiendum præſidium comparat. Turcæ odorati inſidias, continuo aliquot cohortes peditum in urbem accipiunt, civesque proditionis manifeſtos arctiori cuſtodiæ mandant. Dux proditionem evulgatam ſentiens, omiſſa Canea duo præſidia Caneæ finitima capit, quæ ob rerum penuriam, & hoſtium propinquitatem demolitus eſt. Per eosdem dies Cuſſaines nullo pariter ſucceſſu, inſidias tetendit munitioni Sudæ, quibusdam e præſidiariis corruptis. Res detecta paucis iis exitio fuit. Ad Cythæum B) non multo poſt cladis aliquid Venetis illatum. Nihil præter oppidum ſua ſub poteſtate habuerunt Veneti, late dominantibus in ea regione Turcis; & jam de præſidio actum putabatur, ni ſuppetias quamprimum venirent. Mocenicus oppidanorum ſorte commotus, Jacobum Barbarum, & Marinum Badoarum cum aliquot ſignis equitum, peditumque ſubſidio mittit.

Horum adventu cognito Ottomani, Girapetram feſtinantibus operis demoliti, liberam profectionem Cythæum Venetis concedunt. Firmato oppido milite, & annona dum ad evaſtandum hoſtium agrum contendunt, in inſidias præcipitant copiarum Duces. Regio illa perpetuis montium jugis ſepta, vel viatoribus, nedum militi armato difficillimi eſt itineris. Nihilominus, quod certum, exploratumque haberent, in ea loca ingentem vim frumenti comportatam, ſylveſtrem, ac confragoſam viam ingreſſi, eo proficiſcuntur. Ut perventum eſt in patentem campum, ſed undique clauſum montibus, Turcarum præſidium in ſummo ſaltu conſpiciunt. Tum vero, quo ſigna verterent, alii ab aliis ſciſcitantur. Querentes magis, quam conſultantes nox oppreſſit. Poſtero die in majus augebatur pavor, quando inſeſſis montium jugis omnes exitus præcluſos vident. Equites non expectato Ducum imperio, Cythæum verſus fugam ineunt; pedites equitum præſidio nudati, dum in orbem pugnant ultimis viribus, cum Badoaro, & Barbaro trucidantur. c)

1651.

Auxit hanc cladem quorundam perfidia, quos cæca auri cupiditas in patriam armavit. Jacobus Riva, ut diximus, ad Helleſponti fauces claſſem ſuam in anchoris tenuit. Sed partim tempeſtate, partim tormentorum ictibus mutilatam, ne in ſupremum objiceret periculum, deſerta vete-

A) T. Livius Patav. Dec. III. L. IX. B) Cythæum, Italis Sittia, Setia, urbs cum præſidio, & portu in Candia. c) Nanus L. V.

A. C. 1651.

ri statione, in commodiorem portum a jactatione subduxit, ac majorem navium partem, ad reparanda scilicet damna, Venetias misit. Byzantini non ultra expectandum rati, classem diu alioquin luctantem ad Hellespontum, in Candiam festinare jubent, quæ ad Mytilenen A) Africanæ conjuncta, cum sexaginta navigiis feliciter eo navigavit. Quantum animorum Turcis isthoc subsidium attulit, tantum Venetis decerpsit, præcipue in urbe Candiæ, quæ extructo a Cussaine novo præsidio, lenta obsidione perire sibi videbatur. Inde præsidiarii animis dejecti, multum a pristina alacritate remisere. At in Spinalonga B) aliud malum inter milites gliscebat. Conspiratione clam adornata consilium capessunt, trucidato Gubernatore præsidii, locum Cussaini divendere. Intra paucos agitata machinatio, dum plures in scelus pertrahere nituntur, tandem ad Gubernatorem emanavit. In tempore occupati patriæ proditores, gravissimo supplicio pœnas dedere. Candiæ urbem non minori macula aspersit Florentinus, munere militari clarus. Hic nescio, quorum criminum convictus, ut impendenti supplicio semet eriperet, ad Turcas defecit. Ulturus suos dolores, consilium init Candiam proditione capiendi, Cussainemque hujus furti spe certissima complet. Homo audacissimus ad omne flagitium, Candiæ mœnibus cum peditum globo affunditur; militibus, quorum cupiditatem noverat, aureos montes ostentat, si urbem alioquin casuram dediderint. Turpem proditionem aversati, solutis fistulis insanum nundinatorem rejiciunt. Florentinus spe sua frustratus, cum apud barbaros deflorescente gratia in dies vilesceret, facile concedente Cussaine, ad suos rediit; DOCUMENTO futurus posteris, tamdiu proditorem in pretio esse, quamdiu spe alit partes, grande aliquid perpetrandi.

Turpius cœpit, & finiit suum transfugium Nicolaus Natalinus, humili loco Venetiis natus, sed militaribus factis Reipublicæ notus. Vexerat ille in Candiam prægrande navigium, commeatu instructum jussu Reipublicæ, portumque Caneæ sponte invectus, se cum omni supellectili Ottomanis tradiderat. Multis nominibus, viri hujus transfugium iis pergratum accidit. Præterquam enim quod exuta religione, Mahometem professus fuerit, multum operæ contulit, ad navigia firmissimi operis construenda; quæ usitatum apud Turcas ad eum diem modum longe excessere. Archithalassus machinatoris ingenio delectatus, socium expeditionis jussit, quam anno præsenti operosius, quam antea unquam, instituit. c)

Hellesponto a Venetis jam libero, classis Byzantina velis non minus Turcacum spe, quam vento tumidis, primo, & vicesimo Junii in Candiam solvit. Mocenicus, qui ad insulam Cytheræ D) in anchoris stabat, ac naves ex Italia venientes colligebat, adventanti classi obviam procedit. Hieronymus Battagius speculatoriis navigiis præmissus, ausus est impressionem tentare in hostes, ac supervenientibus Christianorum navigiis, certamen veluti statarium contrahere, quo superior, cæso Mahomete Asiæ minoris Præfecto, hostes in insulam Chium redire adegit. Triduo post, videlicet decima Julii, ut primum Turcæ e portu prodiverunt, divisam tripartito classem, in aciem disponit Mocenicus, obversisque illico in hostem proris, ingenti alacritate, classica canere jubet. Prætoria navis Ottomanici Archithalassi, quem Veneti Annales Mazzamammam appellant, ut magnitudine cæteras anteibat, ita firmitate, delectoque virorum robore præstabat, primam fulminantium machinarum excepit tempestatem. Lacera, ac pene dehiscens animos pugnantium adeo infregit, ut plerique de fuga potius, quam victoria cogitarent. Persistebant tamen in certamine quoad Ducem viderunt dimicantem. Ubi vero animadversum, prætoriam multis acceptis, illatisque vulne-

A) Mytilene, vulgo Metino, insula maris Ægæi. B) Spinalonga præsidium Candiæ cum portu, in agro Candiensi. C) Fidem superat, quod hoc loco Ricautius scribit, classem Turcarum constitisse mille, & centum navigiis bellicis. Nempe iis temporibus, quibus Byzantium domesticis turbis concussum fuit, ut commodiori loco dicturus sum. Nanus decem millia armatorum navibus imposita ait, qui numerus longe inferior tam valida classe. D) Insula Cythera e regione Candiæ.

vulneribus pugna excedere, una omnes proras fugæ aptarunt. Veneti a tergo, a latere insecuti fugientes, inter frequentes tormentorum ictus, avulsas ab agmine cæterarum, tres, & triginta varii generis naves circumsistunt, ac sui juris faciunt. Eandem fortunam habuit Nicolai Florentini navigium cum Hero suo, qui inter captivos Venetias missus, transfugium capitis sententia inter muliebres gemitus, (quemadmodum PRODITOR raro fortiter finit) spectante populo luit. Sed ferociores barbarorum instantibus Venetis, maxima agilitate navium, cum nusquam effugere possent, in desperationem acti, sparsis per navigia flammis semet ipsos fatali incendio involverunt.

A. C. 1651.

Maritimam hanc victoriam terrestri absolvit Josephus Morosinus. Terna Ottomanorum millia Naxum A) insulam vitandæ cladis causa petierant, seque intra montium juga castris munitis ad defensionem paraverant. Morosinus copiis eo adductis, armis, non item commeatu instructos, citra certamen, atque nemine suorum amisso, deditione accepit. Navigia, captivos, prædam omnis generis, Venetias deprotatam, tanto effusiore lætitia aspexerunt Veneti, quanto Candiam periculo propiorem senserunt. Ut vero perculsis novi terrores adderentur, Leonardus Foscolus, sive Fosculus, multarum palmarum Dux, e Dalmatia, ubi hoc anno emorientis belli species, in Asiam ire jussus est, Venetæ classis supremam præfecturam gesturus. Adfuit ille appetente jam hyeme atque Samum, Lerum, maris Ægei insulas, vectigales Reipublicæ, & stipendiarias fecit.

Dum hæc vario belli successu aguntur, Soltanæ avia, & mater Imperatoris, jurgiis incalescentes turbas male sopitas iterum suscitarunt Constantinopoli. Utraque dominandi avida, facile discordiarum materiam, in urbe litibus obnoxia reperere, eo maxime tempore, quo pedites, equitesque atrocissimo odio inter se diffidebant. Angebat juniorem Soltanam, se in administrationem Imperii minime admissam; ab alterius arbitrio aulicas, & militares dignitates, præfecturas provinciarum pendere, ac fluere. Metu præterea perculsa, ne Mahometes Imperator, ut Ibrahimus, factione senioris in præceps daretur, eo curas omnes, & largitiones convertit, ut dominatricem aulæ, loco, graduque moveret. His cogitationibus defixa, quo securius destinata exequeretur, Spahiorum ordini adolescentem Imperatorem, seque impense commendat. Nebis Spahiorum Ductor, tanto promptius ad opem ferendam se itineri accinxit cum suis, quanto æquiorem causam sibi oblatam existimavit, Janicsarorum insolentiæ obsistendi, si quid moverent. Ad Scutarim urbem tendenti, Mahometes Vezirius peditatum objicit. Gemina acie in suos ordines distributa, innumeri extemplo fulsere gladii; cum juris periti, quorum authoritas ingens apud Turcas, in medium prosiliunt, ac gravibus argumentis, ne vires monarchiæ, Veneto bello crescente, mutuis cladibus perditum irent, furentium impetum continent. Spahii, quos alioquin torva Janicsarorum acies exterruit, solutis sine mora ordinibus, in castra redeunt, haud dubie sub specie boni publici tenuitatem suarum virium confessi, & non multo post in Asiaticas provincias abeunt, amisso in itinere Nebi, quem ictu minoris sclopi Præfectus minoris Asiæ confecit. Sed non propterea machinationis suæ telam, lentius junior Soltana pertexuit. Secundum Vezirium maxima authoritate versabatur Byzantii Bectes Purpuratus, aulicarum technarum haud imperitus. Hunc perdendæ æmulæ præcipuum instrumentum deligit, ac partim nocturnis congressibus, partim literis, senioris Soltanæ consilia aperit, addito terrore; nisi festinato turbatricem Imperii opprimat, fore ut Ibrahimus, frater Mahometis, thronum occupet, & quod fieri amat in ejusmodi conversione, cum Mahomete exauthorando, prima aulæ capita, aulicis muniis, & militaribus nuntium mittere cogantur. NON posse solem dejici sine strage vicinorum syderum.

A) Naxus, sive Naxia, Naesia, insula maris Ægæi, una e Cycladibus.

A. C. 1652. Ingens ſolicitudo cum Bećten, tum Vezirium invaſit, certum ſibi infortunium metuentes, ſi Ibrahimus rerum potiretur. Itaque re cum Janicsaris communicata conjurant, in ſeque ſuſcipiunt, ſeniorem Soltanam e medio tollere, a cujus incolumitate novam Imperii faciem reddendam omnes metuebant. Promptiſſimus eorum Bećtes, Janicsarorum globo ſtipatus, noćtis ſilentio clauſum aditum Seraglii molitur. Soltana, fati ſui conſcia, dum fugam circumſpicit, a furioſo agmine deprehenſa, e veſtigio ſtrangulatur. Paucis a perpetrata cæde diebus Bećtes, novarum molitionum manifeſtus, inter ludibria, ſannasque popelli, eodem mortis genere ſublatus fuit. A) Urbe inteſtinis motibus concuſſa, multis partibus bellum languebat in Candia. Nec mari quidpiam memorabile geſtum, Venetis ad Helleſpontum excubantibus. Foſculus tamen pertæſus morarum, Scyrum B) inſulam depopulatus eſt, præſidio S. Georgii deditione accepto, & mox funditus everſo. Cum inde ſolveret, horrenda tempeſtate conflićtatus fuit. Navigium unum ſolutis compagibus in conſpećtu omnium periit; alterum ſcopulis illiſum, Ottomanis poſtea in prædam ceſſit. Reparatis in portu Cytheræ navibus, cum Melitenſibus Helleſpontum reviſit. Vix eo appulit, ſenſit hoſtium claſſem, ſumma velocitate anguſtias ſuperaſſe. Relićto igitur Franciſco Barbaro cum valido præſidio navium, inſequi abeuntes ſtatuit. Sed illi non auſi fortunam experiri, pars in Cyprum, pars in Rhodum vela vertit. In ea fuga interceptus fuit Epidauri c) Præfećtus, cum centum quinquaginta Turcis.

1653. Hoc anno pariter, & ſequenti concurſatio potius, quam bellum fuit, fortaſſis quod utramque partem ſpes pacis pacatiorem fecerit. Galliæ Orator apud Mahometem crebris nunciis Rempublicam admonuit, ſibi certis indiciis exploratum eſſe, Vezirium proniſſimum eſſe ad fœdus iciendum, modo hominem legarent publica authoritate inſtrućtum, qui Byzantii rem cum Soltana, Purpuratisque tranſigat. Miſſus eſt Joannes Capellus, vir literis, ingenii facilitate, quæque prima Legati laus, prudentia, & rerum uſu; nam hoc munere jam, funćtus erat, præſtantiſſimus. Sed perpetua illa Veziriorum aut cædes, aut mutatio, legationi plurimum obfuit. Achmetes recenti dignitate Vezirii decoratus, elatioribus animis Capellum accepit, quam Reſpublica putarit, ſtatimque a primo congreſſu patuit, negotium pacis ut cœptum, ita pariter abruptum eſſe: adeo diſſidentes inter ſe conditiones pars utraque in medium attulit. Venetus poſtremis his annis plerumque vićtor, ſine ambagibus Candiæ inſulam cum omni præſidio reddi poſtulavit. Eam niſi reſtituerent, pacem confieri non poſſe. Si vel bellum infeliciſſimum fuerit, haud plus amittendum, ac Ottomani pene devićti ſibi vendicare volunt. Libera dićtione præter modum irritatus Vezirius, Capellum Conſtantinopoli exeſſe jubet. Galliæ Orator, quo placaret hominem arrogantem, multa humanitate pro Veneto interceſſit, literasque Mahometis nomine ſignatas exhibuit, quibus Capello facultas fačta, Byzantium & veniendi, & morandi. Nihil inde pacatior, faſtum luculentius patefecit. Legatum Adrianopolim abripi jubet, ac in cuſtodiam detrudi, quod auſus fuerit potentiſſimo terra, marique Monarchæ pacis conditiones præſcribere, qua confidentia abominandum dedecus toti ubique Imperio inuſſit. Nihil deinceps de pace aćtum; pro Capello tamen cum Rex Galliæ, tum Reſpublica per ſuos Oratores egerunt; ægre anno inſequenti libertatem conſecuto.

Verum improſpere obita legatione, rerum pertæſus in morbum incidit, turbidusque veluti mente mota in ſemet ipſum ferrum diſtrinxit. Coalito ſubinde vulnere, poſt aliquot annos inter multiplicia faſtidia ſuperbiſſimæ aulæ fato conceſſit. D) At Vezirium mors celerior abripuit. Ut a Venetis alieniſſimo fuit animo, Legato in carcerem conjećto, ad expeditionem in eos ſuſcipiendam ſemet accinxit, qua & privatum ſuum odium, & publi-

A) Ex Nano, & Ricautio. B) Scyrus inſula maris Ægæi. c) Epidaurus, ſive Malveſia, urbs Peloponneſi. D) Anno 1663. Res deinde Venetas Conſtantinopoli curabat Ballarinus.

publicas Turciæ injurias ultum iret. Addiditque post jactatas minas, se universi certaminis aleam tentaturum, & bellum diuturnum unius prælii fortuna absoluturum, modo Veneti certamen ineant. Posteaquam classis instructa stabat, difficili provincia deterritus, vario curarum æstu fluctuare visus est. Modo stimulatus ira, & gloria, compellere militem in navigia, modo se Ducem expeditionis venditare; modo reputare secum, famæ, gloriæque periculo proximum fore, si maritima pugna, QUAM tempestates sæpius infelicem reddunt, quam hostium vires, decernendum fuerit. Itaque tutiora præ incertis amplexus, alterum expeditionis Ducem instituit. Mutatum consilium, Purpuratis materiam criminandi dedit, quasi ignavus, bellique imperitus, de industria se præfecturæ subducere vellet. Nec pluribus opus erat, quo hominem affligerent. Vezirii munus Mahometi, cognomento Dervis, cedere jussus, paucis post diebus strangulatur.

A. C. 1653.

Interea Franciscum Barbarum, quem ad Hellespontum frænandum Fosculus reliquerat, cibariorum penuria, & dulcioris aquæ, stationem suam deserere adegit. Classis Turcica in altum provecta, cum solicita vitaret pugnam, mutato subito cursu Rhodum intravit. Fosculus cum Melitensibus insecutus fugientem, diu obsessam tenuit in portu Rhodio, firmo, ac omni machinarum genere munito. Istud obsidium nemini magis, ac Cussaini nocuit; nam erecto munimento ad Candiam edomandam, rursum suas copias urbi admovit, certa spe obsessorum pertinaciam infringendi, si suppetiæ missæ advolassent in tempore. Frustra iis expectatis, militem suum in spem meliorem servaturus, castra deseruit. Hæc Cussainis cessatio minime propitiis auris Byzantium delata fuit. Purpurati perinde, ac maledicum vulgus, classis in portu Rhodiorum hærentis desidiam, amaris salibus traducebant; missique celeres nuncii ad Præfectum, ut tandem incœptum cursum prosequatur in Candiam, & post tot elapsos, nullo operæ pretio, menses Venetis occurrat; secus susceptos pro Candia belli labores, una hac inutili mora eversum iri. Eo convicio everberatus Præfectus, intendentibus se primis tenebris e portu erumpit, ac rectè oram Caneæ accessit. Facta excensione tribus millibus armatorum, Selinum A) præsidium aggreditur. Cives populationem veriti, si resisterent, salvis fortunis libertatem pacti, locum barbaris dedunt.

Sed mox cum Gubernatore suo, Zacharia Calvo, Constantinopolim deportati, fidem Turcicam suo malo experiri debebant. Fosculus sive tempestate, sive rerum penuria prohibitus, non nisi duodecimo die post, quam Selinum cecidit, in Candiam appulit. Hic intellecto, Ottomanorum classem Byzantium abiisse, Malvasiam, sive Epidaurum obsedit. Cum Venetus intrepide vim pararet, Turcæ rebus suis, quo loco essent, æstimatis, urbe excedunt non sine clade victorum. Nam igniarium fomitem, cuniculis multo pulvere fartis, admotum, ita temperarunt, ut non ante pestem illam incenderet, quam Veneti fraudis securi, urbem intrarent. Cognita barbarorum fuga, læti pedem inferunt in urbem; sed repente soluti cuniculi horrifico fragore, inter stragem hominum, tectorumque concrepuerunt. Centum quinquaginta militum, lapidum strue obruti, longe plures mutilati (magna utique clades in ea paucitate copiarum) omne consilium Fosculo excussere. Infortunium istud virum cæteroquin militarem adeo prostravit, ut deserta Epidauro, nec expectato Ludovico Leonardo Mocenico B) successore suo, semet abdicarit præfectura classis, minime invita Republica.

1654.

Habuit Ludovicus æmulum Amurathem indole præfervida, ac martiali, e Budensi præfectura evocatum. Uterque quantum ingenio, viribusque valerent, expeditionibus variis, iisque perarduis jam antea exprompsere. Præsenti anno MDCLIV. Amurathes ad Hellesponti angustias cum Josepho Delphino, qui vicaria potestate classi præerat, concurrit, & quid in hoste animi, ac virtutis esset, acerrimo prælio periclitatus est. Venetus contra-

A) Chronicon Saracen. Selanum vocat. B) Nanus L. VI.

A. C. contractis undique navigiis prior eas insedit, arctisque custodiis omnem 1654. exitum præclusit. Puduit Amurathem, in conspectu Byzantinorum se veluti captum teneri, & nondum tentata belli fortuna, in triumphum duci cavillationibus populi, qui ab acervis cæsorum hostium, excidioque urbium Ducum magnitudinem æstimare solet. Interim a congressione solicite abstinuit, incertum prælii exitum, comparationemque fugiens, NE SEMEL victus, perpetuo deinceps inferior haberetur a suis. At Mahometes non tam ætate, aut Purpuratorum voluntate, sed una regnandi dulcedine, res Imperii gubernare aggressus, A) ubi Venetos mari Ægæo dominari, Hellesponto fræna injecisse audivit, increpita Amurathis mora, festinare illum, solvendæque faucium obsidioni adhibere vim omnem, ac celeritatem jussit, addito terrore; ni manus conferat, & vincat; pœna capitis dedecus luiturum. Ut securitati suæ consuleret Amurathes, præsenti animo se ad pugnam comparat. Navigia majoris, minorisque formæ numeravit tria, & septuaginta, omni instrumento bellico apprime armata. Præter nautarum agmina, milites, Præfectos maritimis præliis exercitatos, classi imposuit tanto delectu, ut nemo ambigeret de victoria.

Inter Præfectos eminuit Africæ Begus, qui anno superiori classe sua in portus Byzantinos subducta, maritimo hoc bello ingentem nominis famam apud Turcas collegit. Huic post Amurathem summum imperium, potestasque utriusque classis commissa fuit. Supra validissimam classem, & numerum pugnatorum, erat alacritas omnium, & cupido cum hoste confligendi, maxime ob transfugium Georgii Bianchi Veneti, unius navigii Gubernatoris. Hic liberioris vitæ cupiditate ad hostem deficiens, quid in Venetorum statione firmum esset, ac debile, quantum copiarum censerent, aut expectarent, quæ navigia incendium veherent, qua parte maxime cavendum, multa accuratione Amurathi prodit, ut adeo Venetorum vires, designationesque veluti suas in numerato haberet. Hæc res acri incitamento fuit, ut abruptis morandi causis, ad Hellespontum classem appelleret. Illucescente sexta decima Julii anchoras attolli jubet, incitante vento navigia. Veneti visa alacritate Turcarum, ac robore classis, satius existimarunt, in maris aperta recedere, & bipartita classe libere cum hoste decernere, quam inter faucium angustias, ubi e litoribus infestari potuissent, manifesto discrimini semet objicere. In eo recessu Antonii Capodilistæ navigium, primam pilarum tempestatem fortiter excipiens, dum a classe avulsum pugnam conserit, multitudine hostilium navium circumventum cum classiariis capitur. Ante fauces multo ardentius Daniel Morosinus prælium ciebat. In istius navim aggressionem parabant Africani; sed quod ex ea veluti e præalto castello in subeuntes Africanos, sine intermissione fulminaretur, minas, atque terrorem in aggressores spargebat.

His repulsis, angustias invecta, Turcicam momento expugnat. Cum Africani in eripienda illa, omnes vires perderent, ira accensi, in captivam navim ignem conjiciunt. Ea quasi sensu ultionis ageretur in victores, incendio corripit Morosini navigium, ac pulveraria peste succensa, stragem undique edit. Daniel Morosinus in mare ejectus, fumo prospectum intercipiente, ad inimicas naves ignarus enatavit. Cæteri aut mersi, aut combusti, aut eandem cum Gubernatore fortunam habuere. Eodem tempore Francisci Morosini maximæ molis navigium, quatuor Turcicæ circumstitere. Quoad Morosinus munere suo fungi potuit, eminus solum impetebatur. Eo, ictu minoris pilæ cadente, nautæ, militesque consternati, jussu Delphini in aliud navigium transcendunt. In prætoriam deinde vastam, atque ictuum capacem, globo non aberrante, rabies Ottomanorum detonuit. Jam malo diffracto, antennisque discerptis, procelloso mari regi non potuit. Ad litus delata, & operarum festinatione reparata, rursum in prælium redit. Non alias pertinacioribus animis certatum a Venetis. Mutuo data,

A) Philippus Brietius e S. J. in Annalibus Mundi, anno uno serius Mahometem IV. moderari cœpisse Imperium, adnotavit. Plerique Historicorum mecum faciunt.

data, acceptaque fide singuli semet obstrinxere, prætoriam extremis viribus defensuros, ac ante flammis daturos, quam ut hosti dederent. Magnanima dicta fortibus factis comprobarunt. Hostilem navim, quæ prima occurrere ausa est, non sine cæde Janicsarorum occupant. Admotæ continuo quatuordecim Turcicæ, pro laceris exuviis strenue dimicant. Delphinus a fronte, a lateribus claussus, majorum, minorumque machinarum copia aggressores repellit, & nunquam intermissa jaculatione, prope fatiscentem prætoriam in Ægæum mare altius propelli jubet, quo se reliqua classis initio statim certaminis receperat. Tale fuit Hellespontiacum prælium, æquo fere Marte pugnatum, utrinque multis laudibus Ductorum celebratum, & si pluribus locis cœptum fuisset a Venetis, illustri victoria omnium æstimatione terminandum.

A. C. 1654.

Amurathes, ut erat ambitiosissimus, magnifice victoriam sibi attribuit, quod Christianos ab Hellesponto depulerit, contempta jactura militum, nautarum, & navium. Constat Janicsarorum, desideratos mille quingentos, totidemque fere nautarum; tria navigia incensa, quinque tormentorum globis lacerata cum prætoria. Ipse brachium leviter trajectus, non audebat Delphinum persequi, cujus prætoriam si expugnasset, rectius victoriam cecinisset. Et parum aberat, quin ei in prædam cesserit. Nam & multitudine, & agilitate navium vincebatur, inque medio hostium deserta, sola omnem procellam diu sustinuit, non sine suorum jactura. Universo certamine periverunt e Venetis centum sexaginta partim milites, partim nautæ, præter eos, quos incendium, aut mare hausisse diximus. Patefacto Hellesponto, circa solis occasum in Trojanum portum agmina suarum navium subduxit Amurathes, inde Mitylenen, Chium insulas petiit, acceptisque novis legionibus Byzantio, Ægæum mare percursavit. Posteaquam Candiæ loca sufficienti præsidio, & commeatu instruxit, vario cursu Venetorum classem fatigavit, evitato omni congressu. Equidem Mocenicus, maris Imperator, fugientem perpetuo insecutus, immenso sane aquarum tractu, Cretam, Rhodum, marisque Ægæi insulas circumvectus, maritimo prælio decernere ardebat. Verum ille contentus fama Hellespontiaci certaminis, & Candia recreata, Constantinopolim rediit. Mocenicus non multo post bellicis laboribus fractus in urbe Candiæ, quam aliquot annis defenderat adversus Cussainem, ingenti omnium mœrore diem supremum clausit. A)

Per eosdem fere dies repentina morte obiit Mahometes Vezirius. Cui demandaretur provincia, multum deliberavit Mahometes cum Soltana, eaque procrastinatione auxit in dies, & numerum ambientium, & aliorum sermonem. Duo toto Imperio clarissimi habebantur, Ipsir, & Amurathes; hic classis Ottomanicæ, ille Hierapoleos Præfectus. Versabatur in oculis, votisque militum Amurathes, gubernatione Budæ, & nunc universæ classis conspicuus. Accedebat recens ad Hellespontum dimicatio, qua & Venetos superatos, & Candiam insulam fame, hoc est acriore intus hoste laborantem, inducto commeatu, ab intestina illa obsidione liberatam fuisse, unius Amurathis fortitudini tribuebatur. Sed altius invectus, popularibus auris sua vela permisit Ipsir. Spahiorum partes, jam inde a morte Ibrahimi, clam sustentare, ac perniciosis consiliis alere videbatur; unde ad eum maximi concursus equitum fiebant, quos partim in Janicsaros, partim in aulam Byzantinam armabat. Conciliarunt viro authoritatem ingentes divitiæ, innata comitas, qua totius Syriæ populum sibi mire devinxit. Has gubernandi artes formidavit magis, quam amavit Mahometes; ne videlicet ultra privatæ fortunæ modum elatus, Syriæ dominationem invaderet. Injecit acriorem suspicionem, solicitudinemque Soltana e veteri odio, quo in equitum ordinem flagravit: *Ipsiris*, ajebat, *authoritatem excessisse ministri modestiam; illius potentiam prope parem esse Imperatoriæ; in Syria novum Imperium sibi, familiæque suæ fundare: cinctum perpetuo equitum turmis,* *nobi-*

1655.

A) Ludovicus Leonardus is erat. Complures hujus nominis, summas in Repub. Veneta dignitates gessere.

A. C. 1655. *nobilitate Syriæ: adesse illi artes non vulgares, quibus seditionem conflet: populum juxta, ac militem attrahat.*

His, atque aliis permotus Imperator, ut ne hominis potentia dissimulando firmaretur, rebus adhucdum integris, decrevit, mature illum Syriæ subtrahere, specieque amplioris dignitatis in aulam revocare. Ipsir, ut erat aulicarum artium non incallidus, propinquum sibi fatum præsagiit. Sed ALIORUM scelere perire maluit, quam sua conscientia reus videri. Itaque abdicata præfectura Syriæ, cum formidando comitatu Byzantium A) accedit; plerisque non satis expedientibus, quo nomine haberent Ipsiris adventum. Nam nec obsequium detrectare videbatur, qui tam festinato provincia decessit, nec obsequii speciem præferebat tanto armatorum numero cinctus. Mahometes Imperator, ut suspiciosum a turbidis consiliis averteret, propius jam factum urbi, post officia, venerationesque, quas veluti hamum, quo caperetur, large per suos præstitit, adeo illum pacatum reddidit, ut dimisso exercitu cum pauca manu suorum Byzantium intrarit. Post paucorum dierum regimen in ipsa aula, dum de Veneto bello consultat, subito strangulatus interiit. Imperii sigillum accepit Amurathes; præfecturam classis, Mustapha; uterque bellicosi, & nativo Venetorum odio innutriti.

Interea Franciscus Morosinus a morte Mocenici classis Venetæ Gubernator, duobus præsidiis B) expugnatis, ad custodiendas Hellesponti fauces festinat, atque in utroque litore capta statione, prægrandibus navigiis omnem exitum præstruit. Mustapha comparatus ad prælium, posteaquam triduo ante castella in anchoris stetisset, vigesimo primo Junii, tempestate navigationi percommoda, omnibus viribus in apertum pelagus erumpere contendit. Veneti ut bipartito classem habuere, explicatis velis venientes, tanto animorum ardore excipiunt, ut post sex horarum certamen; undecim navigia flammis corruperint, novem merserint, tria cum grege vectorum ceperint, quæ in monumentum victoriæ Venetias sunt missa. Ægre elapsus in Phocæam Mustapha, ibidem male affectam classem reparavit, nihilque in Venetos tentare ausus, opinione celerius in hyberna Constantinopolim discessit. Hostium discessu alacriores Veneti, Epidaurum nobilem urbem Moreæ obsedere, ubi Fosculum ante biennium cladem accepisse meminimus. Spes ingens Morosinum incessit urbis capiendæ. Nam & Pontificiæ naves, & Melitenses operam certatim contulere. Falsus præterea rumor vulgavit, præsidiariis neque animos, neque diuturnæ defensioni suffecturum frumentum adesse, brevique deditionem sponte oblaturos. Sed omnia meliori loco erant, atque nuper. Melitenses tædio longioris obsidii fatigati, primi in patriam solverunt, dein Pontificii; denique appetente Octobri ipsi Veneti Candiam suam læti victoria revisunt.

Constantinopolis ut aliis annis, ita & præsenti, seditiones, & turbas vidit. Ipsiris filius audita parentis cæde, aucto immensum odio in Byzantinam aulam, turbidus, atque in ultionem intentus, veteres patris sui clientes ad arma excivit; hoc uno lætus, quia cogi videbatur injuria tam palmari. Hassanes quispiam, oborto recens incendio oleum affudit, datis ad Mufftium literis, quibus iniquissimam cædem Ipsiris, Mahometi, Soltanæque inprimis oggessit, perstricto etiam Amurathe Vezirio, cujus invidia patratum scelus multis contendit. Ad hæc, quo Manes innocentis placarentur, Amurathem ad supplicium rapi postulavit; secus multorum funeribus, unius morti litaturum se, minaciter perscripsit. Jamque in Natoliæ provinciis omnia civili bello ardebant, Ipsiris filio, ac Hassane authoribus, quodve solicitudinem auxit Mahometi, ipsam Constantinopolim, volitantantes scintillæ corripuere.

Supe-

A) Ricautius scripsit quadraginta armatorum millibus cinctum fuisse. B) Nanus Egenam, & Volonem ea appellat. Verus L. VI. Æginam in sinu Saronico, & Vollum, urbem Thessaliæ, in litore positam ait. Addit Franciscum Maurocenum classis curatorem dicta præsidia cepisse; & Lazarum Mocenicum ad fauces Hellesponti, adversus Mustapham victorem fuisse.

Superioris anni clades ad Hellespontum accepta, plebem perinde ac milites, diuturni belli incommodis fessos, pacis desiderio accendit. Bellarinus, Capello a secretis, eam occasionem minime prætermittendam ratus, author fit pactiones resumendi, sperans in ea rerum conversione, quod semel, iterumque frustra tentatum, exitum habiturum meliorem. Candia vix cœptum negotium, momento abrupit. Ea re vehementius exacerbati milites, urbem seditiosis vocibus complent, factioneque firmata, ærarium Imperatorium effringunt, ac veluti laborum suorum præmia, illud diripiunt. Amurathes Vezirius utriusque tumultus origo habebatur, quo sublato, nemini dubium erat, seditiosos ad obsequium traductum iri. Loco motus, dum proficiscitur Damascum, in itinere extinguitur non sine suspicione veneni. Sed non propterea quies est urbi reddita. In alterum annum tenuit seditio, tanto pertinacior propositi, quanto justiores causas tumultuandi aula dedit. Soltana arreptum semel dominium ægre dimissura, muliebri ambitione negotiis Imperii se ultro immiscuit, Mahomete connivente, in eoque desudavit plurimum, ut exauthoratis potentioribus Purpuratorum, novos ministros sibi per omnia obsequentes, aulæ daret. Inde nihil omisit, quo invidia crearetur iis, quos suis machinationibus obstituros existimavit. Et promptum erat, invisos præfecturis deturbare, & vita, eo temporis, quo summa miscebantur imis Byzantii. In Cussainem Candiæ Præfectum novas calumnias, nova ex sua officina tela detorsit, quorum crebritate nonnihil de fama viri apud Mahometem detersit, non item apud militare vulgus. Mens erat Mahometi, hominem Byzantium evocare, ubi inter honorum, voluptatumque illecebras celeriori fato periret. Istud seditionem longe atrociorem suscitavit. Rursum in interiora aulæ a Janicsaris irruptum, cædes patratæ Purpuratorum. Soltana vitam debuit Imperatori. Ut tandem a rerum novarum studiis abstractos, ad tranquillitatem turbida capita traducerentur, Cussaini prorogatum est Candiæ imperium, Vezirio proclamato Mehemete Kiuperle, viro annis, gestisque muneribus gravi. Hujus moderatione brevi urbs Byzantina respiravit. A)

A. C. 1655.

Hoc eodem anno MDCLV. insigni animorum conjunctione fœdus coaluit inter Christianos, quos olim Turcarum potentia armis oppressit. Juvat rem altius repetere, & plurium annorum molitiones unum in conspectum dare, ne illustrium virorum generosi conatus intercidant; & bellum deinceps Venetum continenti narratione decurrat. Imperatore adolescente rerum potiente, Turcicus miles in omnem licentiam effusus, in Bulgaria, Servia, Albania Christianorum fortunas invadit, rapinis, cædibus oppida miscet, omni hostilitatis genere amicas regiones divexat. Nemo unus Præfectorum erat, qui protervitatem imperio, ac pœna frænaret, seu ipsi prædis immisti, seu ex veteri odio in nomen Christianum, furenti ultro indulserint. Injuriæ quotidie augebantur, ut fieri amat in provinciis bello captis, ac religione diversis; neque spes affulsit miseris benignioris fortunæ. Igitur nobilissimi civium publica, privataque calamitate permoti, consilium habent inter se, B) statque communis omnibus, eaque generosa sententia: extrema omnia tentare, aut perpeti potius, quam dirissimam Ottomanorum servitutem servire. Animosi adeo decreti præcipui authores fuere Petrus Parchevicius Archi-Præsul Martianopolitanus, C) sinceræ Religionis studiosissimus, ex illustri Knesevicorum D) Bulgariæ gente prognatus. Cyrillus Metropolita Ternovæ, E) atque Constantinopoleos Ex-Patriarcha, e vetusto Spanorum sanguine originem trahens. Parthenius Constantinopolitanus Patriarcha cum Gabriele itidem Serviorum Patriar-

A) Nanus L. VIII. & Ricautius. B) Anno 1655. C) Martianopolis a Trajani Imperatoris Sorore sic dicta, urbs inferioris Moesiæ, quæ hodie Bulgaria est. D) Pervetusta stirps Knesesviorum in plures ramos diffusa est, Parchevicios, Pejachevicios, Tomagiunos, Zerkitzios; muneribus gestis clarissimos. E) Ternova, seu Ternovum civitas olim Archi-Episcopalis, & Regia Bulgar. Inspice Illyricum P. Jacobi Pejachevicii, e S. J. nunc recusum in Tomo III. Scriptorum rerum Hungaricarum.

A. C. 1655. riarcha. Accesserunt huic fœderi Principes utriusque Valachiæ, quos veteres injuriæ in Turcas stimularunt. Circummissis subinde literis, atque nunciis, primores Bulgaros, Servios, Albanos, Græcos, quorum auribus res tuto committi potuit, urbiumque aliquot magistratus, Vaivodatum Chiprovazensem A) cum ternis, ut vocant, Capitaneatibus suis Copilovazensi, Selesno, seu Ferrara, ac Clissura, in societatem armorum traxere.

Ut cœptæ molitioni pondus adderent, ad arma Principum exterorum respexerunt. Omnium suffragio, qui legatione fungeretur apud Ferdinandum III. Cæsarem, delectus est Parchevicius. Et par erat tanto muneri. Quippe varia, intimaque doctrina, sed solerti inprimis facundia, exquisita comitate, sagacitate, & quadam oris majestate conspicuus; variarum linguarum B) notitia nobilis, magnorumque negotiorum vetus. Perarduum iter ingressus, post longa viarum tædia Viennam tenuit. Acceptus perbenigne a Ferdinando, calamitates Bulgarorum, & gentis Christianæ Turcarum potentia attritæ enarrat, atque studium suorum popularium avitæ libertatis recuperandæ patefacit. *Posse*, ajebat, *e cervicibus Bulgariæ Ottomanorum jugum dejici, modo majoribus copiis in Hungaria, Croatia, præsidia Turcica impetantur; arma arrepturos fœderatos Christianos in avaros Dominos, si Cæsar fœdus amplectatur, & stato tempore hostium vires a fronte distineat. Ardente alioqui bello Veneto in Asia, Ottomanos haud dubie impares fore Confœderatorum viribus.* Cæsar collaudata Oratoris industria, operam suam Bulgarorum votis addicit, simulque pollicetur, adnisurum se, ut pacato septentrione Principes Christiani socialia arma conjungant. Eo temporis C) Gravissimo bello involuta fuit Polonia, Carolo Gustavo Sveciæ Rege, & Rakoczio Transylvaniæ Principe omnem regionem vastantibus. Uterque interpellatus est a Ferdinando, dein a Leopoldo per Legatos, quo pax confieret. Ipse Parchevicius D) (tanta fides Præsuli in aula habebatur) ad Joannem Casimirum Poloniæ Regem, & Boguslaum Chmelnizkium E) Cosaccorum Zaporaviensium militiæ Ducem ablegatur, istudque potissimum in mandatis accipit, ut Regem cum Senatoribus, & Chmelnizkium cum Repub. in amicitiam pristinam reducere adlaboret, fœderique Christianorum innectat. Horum accessione Bulgariam respiraturam existimatum est. Imperatoriis literis instructus, dum Poloniam petit, ab aula certior redditur; Ferdinandum extinctum; F) simulque a Leopoldo telam cœpti fœderis pertexere jubetur Legatus. Interim Gustavum septentrionis turbinem mors oppressit, & non post multo ad Gedanum in cænobio Olivensi pax confecta est Svecos inter, & Polonos. Parchevicius apud Casimirum Leopoldi, atque orientalium Christianorum desideria explicuit, facilemque reperit Regem. Præterea Chmelnizkio, qui ad Svecum suis cum copiis transierat, ut dignitas, & antiqua jura Cosaccis in integrum restituerentur, feliciter evicit. Post perbrevem moram, Cosaccorum Ducem adit, utque in Ottomanos junctis viribus cum Polonis inposterum agat, persuasit. Sed homo inquies, non post multo fidem exuit. His ex animi sententia peractis, ad Leopoldum redux, egit ut deinceps majoribus animis in Turcas bellum susciperetur.

Desudante hunc in modum pro re Christiana Parchevicio, Bulgarorum molitio pene detecta est Byzantii, & velut in cunis præfocata. Parthenius Costantinopolitanus Patriarcha, seu dederit ad Christianos Principes, seu ab iis acceperit literas, Ottomanis mire oculatis, ac in omnia intentis, suspicionem movit, quidpiam agitari in perniciem Imperii. Accitus in judicium ab urbis Præfecto, etsi minime convinci posset, tristi supplicio affectus est. Emanavit tandem, nescio quibus indiciis, ad Turcam

Bulga-

A) Hæc provincia ad latus septentrionale montis Hæmi protensa est. B) Græci, Latini, Itali, Bulgarici, Valachici, Armenici sermonis peritissimus fuit. C) Anno nempe 1656. & 1657. D) In Diplomate a Ferdinando III. accepto die 10. Januarii anno 1657. ob sua, suorumque Majorum merita, Consiliarii dignitate donatur. Andreas Patchevicius jam olim Legati munere semel, atque iterum functus est apud Reges Hungariæ. E) De hoc Duce, ejusque filio plura dabimus secuturis annis. F) Anno 1657. die secunda Aprilis.

Bulgarorum conſpiratio. In eos ſævitum eſt barbare. a) Multi e veſtigio obtruncati, multi carceribus concluſi. Alii patriis ſedibus relictis in Hungariam, vicinasque provincias fugam maturarunt. Vaivodatus Chiprovazenſis populationem, & ſtragem grandi pecunia, & muneribus reſtinxit. Acceſſit Soltanæ favor, cujus tutelæ, ſive dominationi e veteribus pactis ſubjectus erat Vaivodatus, ne avitis privilegiis exueretur, aut ſub idem cum cæteris Chriſtianis jugum adigeretur. Ne quid deinceps molirentur Bulgari, firmo peditum præſidio, regio inſeſſa eſt. Arripuere tamen arma, ubi Leopoldus Serviam victoriis perterruit. Qua fortuna, ac exitu? ad annum fere milleſimum ſexcentiſſimum octogeſimum octavum ſermo recurret.

A. C. 1655.

Cum ab Aſiæ turbis, Helleſpontoque procella tranquillitati Byzantinorum impenderet, exercitus novos conſcripſit Kiuperlis Vezirius. In Aſia duorum menſium ſpatio, Haſſane cæſo debellatum fuit. Ad Helleſpontum longe alia rerum facies. Laurentius Marcellus Archithalaſſi honore, Reipublicæque de ſe judicio lætus, per hyemem in Candia exciendis copiis, paratibus faciendis, circumſpiciendis hoſtium conſiliis dimoratus, appetente vere Helleſpontum, veterem illam, & multo cruore aſperſam arenam, repetit, firmataque more ſuperiorum annorum utraque maritima ora, ſtrenuus evigilavit, ut ne inimica claſſis elaberetur. Sinan Turcicarum navium Præfectus, jactis aggeribus ad Dardanellas, tormentaria quadam velitatione ſtationes Venetorum triduo infeſtat: tum vigeſima ſexta Junii ſole oriente ad manus ventum. Extracto in meridiem certamine, ventus, qui hoſtium claſſi favere videbatur, repente mutatus, in eorum perniciem cum Venetis conſpiravit. Non alias nobilior victoria eo in loco de Turcis reportata. E ſeptem, & nonaginta navigiis, non niſi octodecim cum Sinane Conſtantinopolim evaſere, reliqua aut igne cremata, aut merſa fuerunt. Cum ſtrage navium decem millia interiiſſe Scriptores meminere, non adnumeratis quinque millibus Chriſtianorum, quos priſtinæ libertati reſtituerunt victores. Veneti præter navim Lazari Mocenici, oculum trajecti, & ter centum cæſos, totidemque vulneratos, Marcellum claſſis Gubernatorem, maximo omnium luctu inter mortuos numerarunt. Is dum ante alios Dux idem, & miles, capto jam uno navigio, alterum impugnat, tormenti globo percuſſus cadit, ſubitoque a Joanne Marcello Legato ſuo, tectus pallio, ne jactura Ducis militem conſternaret, calente adhucdum pugna animam egit. Reſpublica cum victori non poſſet, fratribus, nepotibusque illius ampliſſimos honores decrevit. Mocenicus, ut erat nobili plaga cruentatus, cum captis ſpoliis, victoriæ nuncius Venetias advolavit, præmiis pariter excultus pro merito virtutis ſuæ. Fama proſperi certaminis per aulas Principum propagata, ut fieri amat, modo hoſtium jacturam auxit, modo minuit, & Scriptores in diverſas opiniones diſtraxit. Sed quidquid famæ ſerpenti detulerint iſti, Ottomani cladem certe magnam pronunciarunt, dum claſſis interitu perculſi, in unius Byzantii defenſione, ſpem omnem poſuerunt. Auxit terrorem incertus rumor, Venetos propediem obſeſſuros urbem ab annona, ac milite male inſtructam.

1656.

Tum vero deliberatio extitit momenti maximi, Byzantio excedendum Mahometi, an cum obſidendis civibus ultima perpetienda? verum diſſenſiones inter Venetos enatæ, brevi omni metu, atque periculo urbem liberarunt. In conſilio duas in ſententias abiere præcipui Gubernatores navium. Plerique *victoriæ inſiſtendum*, ajebant, *quidquid obſtet difficultatum, caſtella, Helleſponti fræna, expugnanda, fugientium tergo protinus, & e veſtigio inhærendum. Viam jam eſſe ſtratam ad exſcindendum Imperium; in una urbe omne robur formidandæ monarchiæ everti poſſe.* Alii *validis ſtationibus firmanda Helleſponti clauſtra; occluſa hac Ottomanicorum auxiliorum janua fore, ut tota Candia in victoriam aperta ad veteres ſuos Dominos redeat. Vela dein flectenda in Ægæi maris inſulas, poſſe non longo temporis* ſpatio

a) Anno 1668.

A. C. *spatio multas earum impetu expugnari.* Atque hæc ſententia vicit. Meli-
1656. tenſes, ſive quod inter eas ſimultates improſperos exitus reformidarent, ſive quod renuerent privatis navium Præfectis ſubeſſe, ſeceſſionem fecere a Venetis. At Alexander Borrius, relictis ad Helleſpontum aliquot navigiis, ad Tenedum inſulam oppugnandam, reliquam claſſem convertit. E vicenis tormentis, ſex mortariis arx vehementiſſime verberata, arduam non minus, quam diuturnam oppugnationem feciſſet, ni candefacta pila in pulverariam turrim delapſa, ingenti præſidiariorum ſtrage edita, deditionem maturaſſet. Octingenti pedites arce egreſſi, inſulam Venetis tradidere. In Lemnum deinde victores transmiſère, qua capta Samothracen, Ægæi maris inſulam, tantus terror, falſusque de hoſtium potentia rumor occupavit, ut certatim incolæ cum obſidibus, atque tributo, quod forte per feſtinationem corradi potuit, ſpoliandos ultro ſe offerrent, nedum ut ad inſulæ defenſionem quisquam arma capere auderet. Subacto eo tractu inſularum, Byzantium maris dominium amiſiſſe videbatur, id quod populum in novas turbas conjecit. Mahometi fratrem Solymanum ſurrogare clandeſtinis conſiliis machinabatur; verum re mature detecta præcipui authores, Janicsarorum Aga, Mufftius, aliique non pauci, conſpirationem male cohærentem capite luerunt. Sinanem infauſtæ expeditionis Ducem benignior ſors reſpexit. Maris præfectura exutus, Eubœam adminiſtrandam accepit. A)

1657. Mahometes compoſito Byzantinorum tumultu, creatisque novis Præfectis militum, & claſſis; adornandis navigiis animum intendit eo ſtudioſius, quo nuper luculentiori clade affectus ad Helleſpontum, majoribus ſubſidiis, viribusque opus erat, ne victores vel faucibus ſuperatis, urbem Imperii circumvallent, aut tota Candia Cuſſainem, paucis militibus accinctum, proturbent. Venetis in longe diverſas opiniones abeuntibus, neutrum poſtremo tentare placuit; ſive quod vaſtæ, disjectæque urbi obſidendæ apparatus impares haberent, & bina caſtella utrumque litus munientia aditum negarent; ſive quod Turcas Cretenſi inſula alioquin depulſum iri putarent, ſi occupatis vicinioribus inſulis, quas ſubinde diviſa claſſe infeſtarunt, auxiliares perpetuo arcerent. Hæc Venetorum inutilis, ut eventus docuit, navigatio, moram conceſſit Mahometi & urbem muniendi, & claſſem extruendi, qua viſa non jam propulſandum, ſed inferendum bellum exiſtimarunt Byzantini. Acceſſit, quod Helleſponti cuſtodes morarum pertæſi, in amæniores Aſiæ inſulas abierint, contra ac Borrius, aliique Veneti Duces ſtatuerant; quo hiatu animadverſo, Ottomanica claſſis anno MDCLVII. menſe Martio, Topale Archithalaſſo, Tenedum verſus vela dedit, eam inſulam invaſura, niſi adverſa tempeſtate in Rhodum compulſa fuiſſet. Interim Lazarus Mocenicus Venetorum Imperator, vir ſummi conſilii, fortitudinisque, poſtquam Topalem Helleſponto exiviſſe intellexit, præſidium immiſit Tenedo, ipſe vero in Chium inſulam propere navigavit. Eo in portu præter opinionem, hoſtium claſſiculam offendit, Rhodiorum tributo, mercibus, annona onuſtam. Ignaram adeo vicini periculi aggreſſus, momento vincit. Decem navigia concremat cum mille Turcarum; aliquot capit cum quadringentis Turcis, & divite non minus, quam numeroſa ſupellectili. Quæſtuoſa victoria, mirum! quantum ardorem auxerit in milite. Et Mocenicus ardore hoc, dum ſpe calerent, uſurus, toto impetu in claſſem inimicam ferebatur. In Rhodum iturus, Algerienſes naves repentino certamine adortus, fœdiſſima clade disjicit. B) Topal non explorato, quanta eſſet hoſtium claſſis, ſatis validam ratus, qualemcunque gubernaret Mocenicus, a congreſſione abſtinuit, ac fugiens fortunam Veneti, nocturnis navigationibus Helleſpontum intravit.

Reperit ibi in anchoris ſtantem Vezirium Kiuperlem cum octo, & quinquaginta navium claſſe. Quippe populus acceptis detrimentis perquam offenſus, vim minabatur Vezirio, ni ipſe belli aleam ſubiret. Expoſito

A) Hoc anno primum factum eſſe Vezirium Kiuperlem ſcribit Nanus. De hoc, & filio ejusdem nominis multa dabit Hiſtoria. B) Nanus L. VII.

A. C. 1657.

ſito Conſtantinopoli Mahometis grandiori vexillo, certatim militiæ nomen dedere tyrones, ac veteranis permiſti, magno uſui fuere. Fabricandis præterea navibus, Imperatore operas urgente, diu, noctuque multorum induſtria impenſa eſt, tanta feſtinatione machinatorum, ut intra perbreve tempus, claſſis rebus omnibus inſtructa, in Byzantino portu conſpiceretur. Decimo ſeptimo Julii, poſtquam Vezirio fauſtis precationibus pugnanti victorias, redeunti plauſum, & triumphum augurabantur cives, armata navigia in Helleſpontum appulſa fuere. Mocenicus illuſtriori victoriæ intentus, univerſam claſſem ad Helleſpontum pariter agi juſſit, certus occurrere utrique Duci, aut in anchoris hærentes invadere. Et jam Angelus Bembus, a Mocenico præmiſſus, acerrimum certamen contraxerat cum Vezirio, qui tenuitate navium contempta, claſſem ſuam in pugnam eduxit. Tribus navigiis merſis, uno capto, Veneti victoriam retulere. Feſtinabat in auxilium Mocenicus, auditis tormentorum tonitruis, ſed colluctatus cum ventis, dirempto jam certamine in conſpectum hoſtilis claſſis, haud procul Tenedo ante Helleſpontum quieſcentis, pervenit. Et quamvis obverſis illico in hoſtem proris, præſenti animo militem ad pugnam inſtrueret, tamen agilitate Turcicarum navium, Helleſpontum ingenti trepidatione repetentium, præventus, eo die prælio abſtinere debuit; contentus fama, exiſtimationeque ſui, qua hoſti viribus longe ſuperiori fugam imperavit.

Altero die animadvertit quinque navigia curſum tendere in Helleſpontum; eaque continuo inſecutus pugnam capeſſit. Tormentorum ictibus mutuo certatum fuit, multis cadentibus ex utraque parte. Dum commonſtrat propius accedendi locum, militemque, qua ſolebat alacritate, in hoſtes animat, repentina clade involutus, ingentes ſpes de ſe conceptas momento abrupit. Pila A) ingenti pondere ejecta in prætoriam, denſiſſimisque tabulatis perruptis, in pulverariam cellam incidit, qua incenſa, cum maxima pernicie mortalium navis diſcerpta eſt, atque Mocenicum una in ſublime raptum, inter horrendos fragores in mediis deinde fluctibus ſepelivit. Nec ideo ferali incendio ob oculos verſante, quidquam remiſit pugna. Quin imo Barbarus Badoarus, poſt æquatum aliquamdiu prælium, dolore, iraque vires acuente, uſque adeo in vindictam exarſit, ut ſpreta, quæ ingruebat e navibus glandium tempeſtate, ſolicitatis remis in navigia Turcarum, partem eorum aut depreſſerit, aut exuſſerit. Ita Imperatoris necem ultus, nobilem victoriam retulit, quam tamen Mocenici infortunium admodum triſtem fecit.

Milites, ac Præfecti, ut in acie adverſus hoſtem mire concordes, ita a victoria diverſi, incertique, cujus interea ductum, imperiumque ſequerentur, in Tenedum navigarunt. Ibi Pontificii, & Meliteſes, veluti omni imperio ſoluti, nulla Chriſtianæ rei habita ratione, poſt bidui quietem præcipiti navigatione in Italiam redeunt. Badoarus, acri morbo repente oppreſſus, naturæ ceſſit, claſſisque præfecturam Laurentio Renierio reliquit, impari tanto muneri. Vezirius, & Topal fidiſſimis nunciis minutim edocti, nihil eorum ignorabant, quæ in confuſis Venetorum caſtris agerentur; quæ diſſenſiones, qui motus, quid uſpiam validum, aut infirmum; communi conſilio ad Tenedum recuperandam animum appellunt. Abeunte claſſe Veneta, Joannes Contarinus, & Hieronymus Loredanus, ſive Lauretanus, Gubernatores Tenedi, hoſtium adventu perculſi, conclamatis vaſis, præſidium, ne uſui foret hoſti, vi pulverum funditus evertendum ſtatuunt. Sed RARO id quod ſtatuis, recte, atque ordine feceris dominante metu. Vix vulgatum eſt inſulam deſerendam, tanta celeritate navigia petierunt milites, ut contempto Præfectorum Imperio, nemo excavandis cuniculis manum admoverit, anchorariisque aliquarum navium rudentibus præ feſtinatione præciſis, non expectatis commilitonibus, e portu ſolverint. Gubernatorum nomina e Nobilium albo eraſa; ipſi perpetua ignominia notati,

F 3 capitis

A) Nanus meminit eadem pila & malum, & antennas prætoriæ valido impetu dejectas, atque in caput Mocenici impactas, eoque pondere oppreſſum.

A. C. capitis ſententiam, a ſenatu Veneto latam, voluntario exilio vitarunt.
1657. Lemnos inſula, quam occupata Tenedo obſidione cinxit Vezirius, conſtantius vim hoſtilem ſuſtinuit, fortiterque exceptis aliquot impreſſionibus, tandem die duodecimo menſis Novembris, præſidiariis cum libertate, & ſupellectili in Candiam deportatis, in Turcarum poteſtatem redacta fuit.

1658. De Helleſponto aperto, recuperatis duabus inſulis, fugata Venetorum claſſe magnificum triumphum egit Adrianopoli Mahometes anno MDCLVIII. evocatis de induſtria ad pompam hanc inſpiciendam Capello Reipublicæ Oratore, ac Bellarino ei a ſecretis. Impoſitum deinde Bellarino, ad Rempublicam perſcriberet: *Mahometem in ipſo victoriarum curſu haud alienum a pacis conſilio eſſe; ſatis, ſuperque Venetos jam ſentire, de Candia actum eſſe. Matura deditione Candiæ, Cliſſæque impendentem cladem evitarent, & numerata in impenſas belli pecunia, pacem utiliſſimam redimerent.* Venetos multiplex cura, & ſolicitudo jactavit; ſeu pacem reſpuerent, ſeu eam amplecterentur, pericula decumana, mercaturæ infinita detrimenta proſpectarunt. Pacem, tranquillitatem, evehendis mercibus opportuniſſimam; omnes cupiebant, ſed conditiones a barbaro poſitæ tantam animorum commutationem exciverunt, ut arma retinenda cenſuerint, dum victi nobiliſſima portione, Aſiaticæque navigationis præſidio, decedere cogerentur. Erat tamen Primorum quiſpiam, qui longo ſermone Candiam cedendam perſuadere nitebatur, modo pax firma coaleſcat. At Joannes Peſarus, nobilitate generis, muneribusque geſtis clariſſimus, in cœpto bello perſtandum contendit, in cujus ſententiam omnes abiere. A) Ita pro Candia non minus in curia pugnatum eſt ſententiis, quam terra, marique armis. Poſteaquam monſtroſæ pacis turpitudine rejecta, bellum ſenatus conſulto decretum fuit, ſummi, infimique Venetorum æs in commune conferunt ad militem legendum, claſſemque ædificandam, & veluti ab omnibus deſerti, ad univerſi belli molem ſuſtentandam majoribus animis, ac unquam alias, ſe comparant. Animoſum decretum, dici non poteſt, quanta approbatione Chriſtianorum Principum acceptum fuerit. Verum quod & aliis occaſionibus fieri aſſuevit, luctantes in mediis fluctibus, otioſa fronte e portu ſpectarunt. Alexander tamen VII. B) ſummus Pontifex Purpurati Patres, Melitenſes amicam Rempublicam pecunia, milite juverunt. Non ſecus Conſtantinopoli, ubi a Bellarino Venetorum conſtantia patefacta fuit, ad Candiam perdomandam arma expedita erant, & ipſe Kiuperlis Vezirius in inſulam transmiſiſſet, niſi in Tranſylvaniæ Principem, Franciſcum Rakoczium ducere maluiſſet.

Subacta Jenæa, Lugoſia, Karanſebeſia amæniſſimæ ditionis arcibus, pulſoque Georgio Rakoczio, Ordinibus provinciæ Acatium Barcsajum Principem imponit, fœdusque tanto promptius admittit, c) quanto validior ſeditio Hierapolitani Præfecti Aſiam pervaſit. Is nimia ſeveritate Vezirii, quod primi nominis Aſiaticæ militiæ Ductorem interfici juſſerit, offenſus, in apertum bellum prorupit, atque ut ſeditioni ſpeciem honeſti indueret, callide fingit; eſſe apud ſe Amurathis Imperatoris filium, cujus natalibus monarchia Ottomanica debetur. Sparſo, creditoque rumore, ingens armatorum numerus ad perſonatum Principem confluxit. Ut ſopiret hos motus Mahometes, omnes induſtriæ nervos eo contulit. Sed jam eas vires ſumpſerat rebellionis malum, ut non niſi inciſione, ferroque curari poſſe deſperaretur. Miſſus cum exercitu Vezirius, Scutarim, ubi caſtra ſeditioſi fixerant, ingenti prælio ſuperatur. Ea clade vulgata, non puduit Imperatorem in rebelles proficiſci, ſuoque ductu bellum conficere. Hierapoleos Præfectus, ſive Soltani præſentia exterritus, ſive ut illius gratiam exuta pervicacia aucuparetur, arma poſiturum ſe pollicetur, modo honeſtis conditio-

A) Utriuſque orationem lege ſis apud Nanum toties laudatum. B) Anton. Sandinus J. U. D. in Vitis Pontif. Seculo XVII. ita ſcribit: Alexander VII. Venetam Rempub. laborantem bello Cretico adjuvit pecunia, & milite. Præſto fuit Leopoldo Cæſari in Hungaria & Tranſylvania eorundem Turcarum impetum ægre ſuſtinenti &c. c) De his agemus, dum res Hungaricas enarrabimus.

A. C. 1658.

ditionibus pax transigatur. Mahometi in occasiones intendenti visum est, Ducem bellicosum sine clade suorum opprimere potius, quam incerto prælii eventu de civibus suis victoriam reportare. Mortezæ, homini audaci, promptoque negotium dat, rebellium caput interficiendi, dum de pace acturus in colloquium veniret. Id cum in præsentia numerosi exercitus plenum periculi animadverteret, pacis avidissimum in locum a conspectu castrorum remotum sevocat, atque ibi inermem cum suis familiaribus per satellites suos, qui signo dato undique simul ex insidiis advolarunt, strangulari jubet. Amisso Ductore seditiosi nihil ausi movere, armis exuti concessere omnes in patrias domos. A)

Mahometes interim lætus, quod ne stricto quidem ferro, grandem illam procellam dissiparit, quo venerat itinere, Byzantium reversus est, ubi Vezirium inter, & Cussainem Candiæ Præfectum exortas simultates reperit. Hunc non ita pridem Kiuperlis loco movit, classique præfecit. Inopinata mutatio commovit imperare assuetum adeo, ut abdicatis bellicis, aulicisque muneribus, privatos inter parietes vivere pararet. Institere amici, ne doloris vehementia abreptus, ipsimet funestum consilium caperet. Provinciam potius acciperet, & cœptos terrestri expeditione triumphos, maritima absolveret. Ita æmuli machinationes insigni nominis existimatione superatum iri. Cessit amicorum precibus Cussaines, atque cum classe, machinis, milite sat tenuiter instructa in Candiam movit. Juvit hominis confidentiam classis Venetæ infortunium, quæ ut primum solvit e portu Carpathi, B) coorta horribili, fœdaque tempestate, ita distracta, conflictataque sunt navigia, ut aliis alio ventorum vi abreptis, quatuor submersis, non nisi duo in portum Carpathi redierint. Ea maris inconstantia Franciscum Morosinum C) classis Præfectum, cæterosque Duces vehementer absterruit a navigandi consilio Hellespontum versus; unde Cussaini data opportunitas eundi, redeundique. At ubi Veneti reparatis navigiis, nunc Hellespontum, nunc insulas Turcicæ ditionis infestarunt, intra munimenta castellorum reducta classe, omni pugna abstinuit. Inde insimulatus desidiæ, primum in Bosniam relegatur, dein mutata sententia jugulatur.

1659.

Novum ingredienti annum, nempe MDCLIX. Morosino, multa feliciter evenere. Siquidem in Peloponneso inque minori Asia provinciam unam, aliquot præsidia in potestatem redegit. Et in Peloponnesum quidem a Mainottis D) incolis, Græci ritus hominibus, odio incitatis adversus Præfectum Moreæ, a quo cum fortunis hauriebantur, admissus fuit. Spes ingens affulsit, non Mainottarum modo agrum in libertatem asserendi, sed & Coronen, Methonen, cæteraque Peloponnesi propugnacula vindicandi. Verum levitate illius gentis, an Turcarum metu? paulo conspiratio evanuit. Postquam Morosini classis eo appulsa est, Mainottæ primum dissuadere aggressionem, mox tergiversari, operamque suam negare, postremo aperte deficere a Venetis. Rei indignitate commotus Archithalassus, munimentum, regionis caput, invadit, cæsoque præsidiario milite capit. In Mainottarum deinde regionem populabundum militem immittit, quem ad ultionem impulit repentina defectio. Cædes inter, & incendia, maritima ora evastata, in Natoliam vela dedit. Ut securius hic grassaretur, Præfectis Ottomanis parum inter se conveniebat. Topal, cui Tenedi, Lemnique expugnatio jure debebatur, per invidiam Vezirii inter victorias trucidatus fuit. Cussainis filius, paterni odii in Vezirium hæres, nescio quid novarum, rerum moliebatur, multosque Purpuratos, ac militum Præfectos; quibus Kiuperlis potentia gravis fuit, in simultates una trahebat. Accessit, quod Vezirius bello Hungarico E) intentus, parum de adornanda classe cogitarit, arbitratus Hassanis Candiæ Præfecti fortitudine, Venetos terra, &

aquis

A) Nanus de morte Præfecti Hierapoleos, quem Assanem nominat, diversam narrationem instituit, atque in annum sequentem rejicit. B) Carpathus insula Ægæi maris, Geographis Scarpanto. C) Hic Mocenico successor datus: apud Joan. Bapt. Verum, Maurocenicum lego, apud alios Maurocenum. D) Mainottæ, populus Græci ritus, a castello Mainæ, dicti, eam partem Moreæ incolunt, ubi olim Laconia, & Arcadia. E) Anno insequenti exercitum movit in Hungariam,

A. C. aquis distractum iri. Sed ille in Rhodio portu, nullo operæ pretio quietus
1659. hæsit. Morosinus demolitus castella, quæ in Asia minore ceperat, hyeme præcipitante Gallicis auxiliis viam præmuniturus, in Candiam classem direxit.

1660. Antequam ea pervenissent in Asiam, ad Euboeam insulam animum adjecit; & nisi in ipsa rei molitione sæva tempestas, qua classis jactata in conspectu insulanorum, consilium prodidisset, uno impetu subigi potuisset. Turcæ impendentis periculi admoniti, tota insula ad arma conclamant, portus muniunt, oppida occludunt. Pacato nihilominus mari, Morosinus insulam accedit, displosisque tormentis in litoris custodes, castra figit ad castellum præaltæ rupi impositum. Ignibus diu, noctuque vexatum, Venetis tandem cessit, atque insula tributaria facta. Interea crebrescente fama Gallicarum copiarum, Morosinus in Cytheræ insulam transmisit, ubi eas operiretur. Advenerunt octava Augusti quatuor, & amplius armatorum millia suis sub Ducibus, e Regiis exercitibus severo suffragio ad id muneris delectis. Visum est Morosino, Gallisque Ductoribus, fortissimas has legiones in Candiam trajicere, ubi Venetus miles morbo, atque vigiliis vehementer diminutus, ægre stationes tuebatur. Ad Sudam excensione facta, minoribus præliis lacessiti sunt hostes. Sed cum Galli, gloriæ, virtutique suæ parem arenam quærerent, audito urbem Candiæ lenta obsidione premi, conscensis propere navigiis, eo vires convertere statuunt. Lustratis copiis apud novam Candiam, censa sunt peditum quinque millia, quingenti; equitum ter centum, quinquaginta. Turcæ numero inferiores (tria millia fuisse dicuntur) at variis munitionibus, regionis peritia, Ducum providentia, ut exitus pugnæ ostendit, multo superiores erant. Christiani spe victoriæ in prælium æstuantes, cursim instructas copias in hostem ducunt, effusaque pilarum tempestate, pugnandi initium faciunt. Post acrem dubii eventus dimicationem, consilium fuit Ducibus, ut aliquot centuriæ eniterentur in vicinos colles, indeque in latus hostilis peditatus decurrerent. Non sine perturbatione aciei, id præstitum fuit ob palustria loca. Decursum est tamen ea fortitudine, ut hostis loco moveretur, amissis octo machinis. Miles veluti victoriæ securus, in spolia effusus, perturbatis tempus concessit ordinem restituendi. Equidem Præfecti minis, ac precibus institerunt, ne cœptam victoriam immatura prædandi cupiditate perditum irent; sed nullo disciplinæ respectu, nulla Ducum reverentia cohiberi poterant. Ottomanorum Ductor præda graves, & victoriæ fiducia incautos animadvertens, perpulit suos ad signa confluentes, ne dubitarent prælium instaurare, & res amissas ferro repetere. Facta impressione, tanta trepidatio exorta est inter victores, ut projectis spoliis, atque armis, fugam omnes arripuerint in urbem Candiæ. Ea in fuga cæsi sunt Venetorum facile septingenti, paulo pauciores Galli. Hoc modo spoliorum cupido victoriam e manibus Christianorum eripuit. Quod si obtemperatum fuisset Præfectis, nova Candia milite destituta, capi potuisset. Post hanc infelicem pugnam, Galli animis fracti, in patriam solverunt.

1661. Cladem veteranæ militiæ secuta est anno MDCLXI. discordia inter militum Ductores, & Rempublicam, dum quisque improsperi certaminis eventum in alterius culpam referendo (MORTUI enim fœtus nulla se matrem libenter agnoscit) acrius se tuebatur, quam hostem nuper impetierat. Franciscus Morosinus, Antonius Barbarus primarii Ductores quæstionibus subjecti, Judicum calculis absoluti, pristinam dignitatem obtinuerunt. Verum Morosinus, sive Maurocenus, obtenta a Senatu facultate redeundi in patriam, successorem accepit Georgium Morosinum e familia eadem Maurocenorum, virum militiæ veterem, & administrata Dalmatiæ, & Cretæ præfectura, Reipublicæ notum, qui deinceps eas res hoc Cretensi bello perfecit, quas a fortissimo classis Imperatore Respubl. expectare potuit. B) Hoc quidem anno paucis peracta est maritima expeditio. Alexandrinorum viginti

A) Inspice L. VI. Joannis Bapt. Veri,

ginti navigia, in cursu ad Caneam deprehensa, beneficio densioris nebulæ cladem effugerunt, uno duntaxat amisso. Alys Mazzamamma a Mahomete cum classe expeditus, a consilio pugnandi alienissimus, cum Morosinum jam a fronte, jam a lateribus imminere perpetuo conspiceret, in portus munitiores semet recepit, ubi majorem aliquanto cladem passus est grassante peste, quam si justo prælio concurrisset. Nam nautæ perinde, ac milites, ut erant obsessi inter angustias locorum, erumpentibus morbis in dies, conficiebantur, ipsaque ministeria invicem a contagio vulgabant malum, tanta strage pecorum, hominumque, ut ignotis capitibus sublatis, Præfecti ordinum, & Mazzamamma tot funera cumularent. Filius superstes, patris infortunium correcturus, cum paucis, qui supererant, Byzantium evasit, non obsistentibus Venetis, ne cum manubiis morbos una castris suis inferrent. Instauratis copiis redux, haud felicior suo parente fuit. A Georgio Morosino in fugam actus, inter sævissimam maris tempestatem aliquot navigiis spoliatur; nongenti evitato naufragio in insulam dilapsi, a Morosino, aut potius fame circumventi, miserrimam servitutem subire debuerunt. Africanorum piraticæ, una Venetorum navi intercepta, lætitiam haud multo post interturbarunt, captis Comitibus Sforzia, Bissario, & Leonardo Verlato.

A. C. 1661.

Miscente suos ludos fortuna in mari Ægæo, vix Byzantinorum funeribus libitina sufficiebat, adeo insanabile malum in omnem ætatem mortalium desæviit. A) Dubium non erat pestilentiam e minori Asia classe Ottomanica in urbem advectam, ac caloribus æstivis in frequentissimum populum continuo vulgatam. Vicina pariter oppida, portus, Euxini maris accolæ funeribus hausti, curas auxerunt Vezirio, ne Mahometes Imperator tantam hominum stragem, eodem malo correptus, insigni totius Imperii jactura cumularet. Idcirco Adrianopolitanum iter, quod negotiorum causa B) suspenderat Imperator, nunc demum ingrediendi author fuit. Profectionem ita moderari placuit, ut Adrianopolitanis spatium daretur triumphalem pompam adornandi. Itaque ordinatis rebus Byzantii, denominatoque Achmete Vezirii filio, qui vicario munere urbem administret, ad Hellespontum repetitis cladibus infamem, excurrit Imperator, moratusque octo, & amplius dies ad oram maritimam, Adrianopolim cum insigni Purpuratorum comitatu ingressus est, refertis infinita hominum multitudine viis, tectisque.

Communem illius diei lætitiam provocavit multorum certa persuasio, Mahometem in Regiam suam delegisse Adrianopolim ob cœli, & aquæ salubritatem; reditura cum eo prisca illa tempora, c) quibus Amurathes I. aliique Principes Ottomanici, Adrianopolim sua præsentia, diuturnoque domicilii usu nobilitarunt, & præ cæteris urbium in deliciis habuerunt. Et reapse posteaquam Imperatores Turcæ, stabilem sedem Byzantii fixerant, Adrianopolim (sive animi causa ob venationes ferarum, quas sylvæ frequentes illius regionis alunt, sive ob grassantes morbos, seditionesque, quibus Constantinopolis creberrime vexatur) multum incoluere, ut adeo ædificiorum magnificentia, populi multitudine, mercatorum frequentia, agri bonitate, altera æmula Imperatoriæ urbis & diceretur, & haberetur. Unum deerat civium securitati, nempe munimentorum robora, quæ hostium conatus, si qui ingruerent, pro amplitudine tantæ urbis, non morari modo, sed & infringere possent. Atque hæc suscitatum iri existimarunt, si Imperator cum flore nobilitatis Turcicæ, domicilium in ea urbe collocaret. Verum post unius anni commorationem, Constantinopolim præter civium expectationem rediit, id quemadmodum acciderit, paucis expediam.

Mehemetes Kiuperlis Vezirius exactæ jam ætatis vir, cum vigorem animi obtusum, corporisque vires effœtas sentiret, non minus de Imperii

 feli-

A) Ricautius. B) Anno superiori eo proficisci voluit, verum ut præsentia sua animaret pedites in bellum Cretense, distulit profectionem. c) Vide Tom. I. Epitomen Turcarum Principum.

A. C. 1661. felicitate solicitus, quam suæ domus stabiliendæ anxius, desperato longioris vitæ curriculo, postremum appellavit Imperatorem, insolitaque vi dicendi, normam Ottomanicum populum regendi ob oculos repræsentavit. Sed principem curam in illo alloquio potissimum eo convertit, filium suum Achmetem, juvenem duos, & triginta annos numerantem, ut successorem haberet. Quo impetrato sermonem flexit ad ea, quæ monarchiæ Turcicæ maxima emolumenta allatura, diuturno aulæ ministerio doctus erat. Primum fuit: *Mulierum consilia nullo numero haberet: bella, pacem conficeret e sensibus Purpuratorum, quos sibi, Imperioque fidos reperit. Ita nunquam futurum, ut unus odiis omnium, quæ plebs in consultores & lubentius, & justius vertet, laboraturus sit. Plerasque seditionum in Imperatores obortas, a fœminarum consiliis, nimia res Imperii gubernandi cupiditate originem traxisse.* A) *Hoc fonte obturato, res domi pacatas fore.* Alterum subnexuit: *ærarium Imperii perpetuo augere niteretur. Esse vastissimas monarchiæ provincias, ex iis tantum æris corradi posse, quantum maximis exercitibus alendis sufficit. Nihil industriæ prætermittendum, quo ingeniosis etiam artibus, a privatis civibus aurum, argentumque proliciatur. Pecuniam nervum omnino belli esse. Hoc subsidio everso, omnia languide domi, forisque processura.* Tertium & postremum addidit: *copias pro amplitudine Imperii assiduo sub signis haberet; confecto bello, exercitus instauraret, ut veterano milite, idoneis Ducibus prævalidus, terrorem sui longe diffundat. Ita finitimos Principes fœdera petituros, aut si bellum præoptent, facile florentissimi Imperii viribus succubituros.* Hæc postquam Mahometi majorem in modum commendavit, lætus de filii dignitate, undevigesimo Octobris Adrianopoli finem vivendi fecit.

Achmetes Kiuperlis Byzantio accitus, tanti oneris, momentique provinciam, sive in speciem, sive serio deprecatus, hac ipsa modestia in Imperatoris gratia, amoribusque esse cœpit adeo, ut parentis sui locum non adæquaret modo, sed decursu temporis, ob præliare ingenium, aliasque animi dotes, quibus primi aularum ministri, negotiorum animæ, instructi esse debent, postremo superaret. Et hujusmodi favores perquam necessarii erant. Namque in ipso aditu dignitatis facile prævidebat, ad se parentis iras, quas cum nonnullis Primoribus Imperii exercuit, cum hæreditate transiisse, dimicationesque longe acerrimas sibi imminere. Etenim pater ipsius, etsi senio confectus, dum Vezirius renunciaretur, tamen vegetum ingenium in vivido corpore præferebat, vivebatque in tegris sensibus, & fere unus Imperii molem eo præsertim temporum articulo B) sustinebat, quo bello in Cretam, Syriam, Transylvaniam, Hungariamque diffuso, tot in partes divisis curis, tot simul exercitibus prospiciendum erat. Inde ut domesticos tumultus, paucorum flagitio excitatos, extingueret, Imperiumque suis malis eriperet, severissimis pœnis Principes turbarum, cum asseclis suis affici jussit, raptis etiam ad supplicia iis, quos suæ dignitatis corrivales existimavit. Hoc sanguinario regimine sex, & triginta mortalium millia vario mortis genere sublata ferunt Scriptores. c) Imperatori tamen mire charus, & prope pro parente habitus, duravitque, quod rarum, etiam in filium gratia, non equidem immeritum, quippe raris naturæ dotibus instructum, totoque Imperio Ottomanico sagacissimum. Achmetes paternis vestigiis insistens, connivente Mahomete, primis diebus ab inita præfectura, in non paucos exilii, aut mortis sententiam tulit. Mortezza Babilonis Gubernator, locorum longinquitati, ac civium favori suam incolumitatem debuit. D) Solymanus Janicsarorum Ductor, & Mufftius solum vertere coacti sunt; ille quod militum animos devinctos teneret, iste quod recusaret in Solymani necem conspirare. Hac tali sæviendi in Primorum capita, & fortunas tyrannide brevi patefecit, mutato solum nomine, ejusdem

A) Ita profecto judicabit, quisquis Ottomanorum Historiam evolvet. Raro res pacatæ fluxerunt Byzantii, dum Soltanæ Imperii negotiis se implicuere. B) Anno 1655. Vezirius renunciatur. c) Inter hos Ricautius. D) Anno tamen insequenti strangulatus est.

dem severitatis ingenium occupasse Vezirii munus, quodque ingenti formidine omnes perculit, non vulgaris gratia Mahometis Imperatoris erat, qua ille suffultus, intrepide clarissimos patriæ cives ab aulæ muniis amovit. A. C. 1661.

Post tot edita supremæ authoritatis exempla, publico argumento prodidit anno MDCLXII. se Principis animum penitus occupasse, dum deliciis Adrianopolitanis captum, suo hortatu Constantinopolim retraxit, demirantibus Purpuratis, unius ministri opera tot obstacula perrumpi potuisse. Nam etsi circumacta hyeme urbs defuncta pestifera lue, respirare cœperit, tamen multa erant, quæ Mahometem ab aditu Byzantii deterrebant. Patrata Ibrahimi cædes præ oculis erat, recurrebant identidem tragœdiæ, neque numero paucæ, neque luctu leves, quas Byzantini pro more suo in Imperatores excitarunt. Meminerat majora pericula dignitatis, & vitæ suis Majoribus impendisse ab una hac urbe, ad contumaciam, & seditionem prona, quam ab omni extero hoste. Demum ne Soltana mater occasionem nancisceretur semet negotiis Imperii miscendi, longe a Byzantio abesse voluit. Hæc nihilominus adeo facunde, nervoseque diluit Achmetes, ut exeunte Majo rursum Constantinopolis suum Principem acceperit, tanto ampliori lætitiæ argumento, quanto minor spes affulsit reditus Imperatorii. Inter hæc Morosinus percursatis Ægæi maris insulis, ad opprimendam Eubœam animum applicuit. Melitenses in diversam sententiam abeuntes, cum vires suas renuerent consociare, & post brevem commorationem in Italiam renavigarent, Morosini designationem interturbarunt. Statione tamen sua minime cessit, atque vigesimo nono Septembris, classem inimicam Alexandriam euntem aggressus, nocturno certamine devicit. Cæterum curis in Dacicum bellum conversis, Venetis otium concessum erat, ad Candiam novo subsidio firmandum. 1662.

Antequam Vezirius copias in Hungariam eduxit, Bellarinum Reipublicæ Legatum de pace appellavit, proniorque conditionum capita agitare cœpit, quam superiorum temporum Vezirii. Persuaserat enim sibi, Venetos non minus diuturno, quam ancipiti bello fessos, ab armis discessuros, si Cretæ insulæ pars una Ottomanis, altera Venetis perpetuo jure attribueretur. Eo modo utriusque populi navigationi Asiaticæ satis consultum iri. Rejecta est incredibili constantia Reipublicæ, pacis nundinatio, quod jam certis nunciis allatum esset Venetis, Christianos Principes in communem hostem arma moturos, quorum potentiæ ut pro viribus obsistat, profecto coactum iri, ut maritimo bello abstineat, Candiamque ultro veteribus Dominis relinquat. Ea spe ducti Veneti, firmato in bellum animo, Morosinum admonent, ut Dalmatiæ præsidiis quam primum consulat; facile e vicina Hungaria in eam provinciam belli incendium erumpere posse. Post Fosculi discessum, armorum præfecturam in illa regione obtinuerunt Hieronymus Foscarinus, A) & Laurentius Delphinus, B) raroque milite instructi hostium conatus ingenio potius, quam aperto Marte eluserunt. Ad Clissam Delphinus cladem accepit, Morlachis, qui viarum capita insederant, clam fugam arripientibus. Languebat deinceps bellum in Dalmatia, nec quidpiam memorabile gestum; armis nempe in Candiam, aut Hungariam conversis, quo tantisper Lectorem revoco ad evolvendas res in Hungaria, adsitisque provinciis, annis superioribus gestas. 1663.

Anno altero ab Imperio occupato, Mahometes IV. Cretensi bello jam implicitus, ad Ferdinandum III. Cæsarem legationem destinavit, additis muneribus, quæ ad inducias firmandas valitura putavit. c) Præter sonipedes miræ velocitatis, Asiaticos tapetes, Solymani tentorium, quo is usus erat ad Viennæ mænia, miserat. Ferdinando multis nominibus accepta fuit Ottomani legatio, tum ut filius Ferdinandus IV. nuper in comitiis Posonii, una omnium voce, Hungarorum Rex proclamatus, D) pacatæ provinciæ regimen auspicaretur, tum ut liber hac cura, Imperio Germaniæ 1664.

A) Anno 1652. B) Anno 1654. c) Chronicon Turc. dona ingentis pretii enumerat ad annum 1650. D) Anno 1647.

A. C. 1664. niæ, ob Suecici belli calamitates, vastis ruinis dehiscenti, consiliis, authoritateque sua adesset. Verum optimam mentem Cæsaris, & spem Procerum lætissimam, Turca inquies in cunis quodammodo præfocavit. A) Hassanis Kanisæ Præfecti ardor pugnandi, classicum belli edidit, atque Hungariam in atrociora armorum incendia revolvit. Kis-Comaromio tumultuariam oppugnationem intulit, Ladislao Petheo locum propugnante. Ictu majoris pilæ brachio mulctatus, soluta obsidione Canisam celeriter abiit, ne a Joanne Christoph. Puchamio, Adamo Batthyanio, Nicolao Zrinyio, qui ad munimentum Croatiæ servandum festinarunt, ad pugnam cogeretur. Instauratis ruinis, Canisiensi agro militem immittunt, abactisque pecoribus, tristibus ubique vestigiis itinera signant. Hic armorum strepitus paulo latius propagatus, utramque nationem ad injuriam vindicandam stimulavit. Postero anno B) Agriæ, & Strigonii præsidiarii, perinde ac si bellum indictum foret, torrentis instar regionem pulcherrimam invadunt, omniaque ferro, & flamma vastant. Strigonienses prædatoriis agminibus collectis, superato Danubio in agrum Ujvariensem effusi, exeunte Augusto, oppida, vicos terrore, cædibus permiscent.

Cum in stationariis ad famam Turcarum depulsis, nulla spes esset sedandæ tempestatis, patriæ cives arma corripiunt, atque apud Vezekenium, ignobile ad eum diem oppidum, vires consociant. Insinuaverant se in eam militiam more gentis, honorarii complures, quos miserorum lachrymæ ab otio in campum avocarunt. Prædatores Turcæ, ut has copiolas, mille equites, & ter centum pedites erant, certius funderent, vix cœpto certamine, fugam ineunt, ac avide insequentes in insidias pertrahunt. Redintegrata ibidem pugna, quanquam Christiani numero pauciores, tamen plus discriminis ad extremum sensere, quam cladis; & nisi nonnullorum Nobilium mors jacturam auxisset, nimis quam avide memorabili alioquo facinore cupientium inclarescere, clades nullo loco habita fuisset. Sed pro numero conditio amissorum fuit. Quaterni Eszterhazianæ gentis Heroes, Ladislaus, Franciscus, Thomas, & Casparus pulchris vulneribus saucii, in arena vitam posuerunt. Eo prælio, quasi universi regni vires obtritæ fuissent, nemo erat, qui successu ferocienti hosti frontem obvertere auderet. Inde omni metu jam liber, provincias vicinas præsidio destitutas pervagatus, spolia impune legebat. Stationarii populantium eluvionem refringere impotentes, satius duxerunt, semet in munita loca recipere, ne præter cladem, apertum bellum Hungariæ concirent. Itaque popularium fuga, funestis clamoribus opem implorantium, quotidiani, nec injusti terrores circumferebantur, tanto quidem acerbiori malo, quanto durius incolis accidit, induciarum tempore belli incommoda pati. c) Gravior aliquanto calamitas Daciæ incubuit.

Georgius Rakoczius Transylvaniæ Princeps, ambitionis æstu accensus, in Moldaviam, fœderatam, ac belli securam provinciam militem infundit, & citra certamen Basilium Lupulum regionis Vaivodam in fugam abigit, atque in locum exauthorati Lupuli, Stephanum quempiam Cancellarium pro sua potestate substituit. Hanc expeditionem authoritate Mahometis suscepisse Rakoczium Chronicon sæpe laudatum commemorat; D) & ipse datis ad Paulum Palffium Pro-Regem Hungariæ literis, causas illati belli perscripsit. Hoc rerum successu tumidus, ad transalpinam regionem, seu Valachiam cœpit aspirare, qua subjecta, speravit se ad Regium munus, Imperiumque transiturum, & genti Rakoczianæ nova dignitatis accessione præiturum. Quo acrius, incitatiusque Mahometes non destitit homini ambitioso faces subdere; missis internunciis, qui copias Ottomanicas in eam expeditionem offerrent. E) Junio mense per alpes in Valachiam turbidus irrumpit, ac in aciem prodire ausum Vaivodam, cæsis magnam partem Valachis, in fuga capit, captumque, ut erat saucius, Claudiopolim in triumphum

A) Anno 1651. B) Anno 1652. C) Vide Chronicon Turc. ubi crebræ excursiones Ottomanorum recensentur. D) Pag. 316. C. XI. E) Chronicon laudatum ad annum 1655.

phum abducit. Uno hoc prælio debellatæ regioni Constantinum Principem veterem suum clientem, sed nuper dominatu exutum, præficere placuit. Tanta jam erat Rakoczii late dominantis fortuna, ut nisi in solium Regium eveheretur, nusquam quietura videretur. Neque diu occasio defuit hoc fastigium aucupandi, Carolo Sveco septentrionem turbante, & Poloniæ regno in partes scisso. Palatinus Vilnensis, præcipuum instrumentum, & fax turbarum, ab Rege Casimiro odio dissidens, cupiditatem exacuit Rakoczii, Polonici regni obtinendi, modo armatus in provinciam advolet. Regiæ dignitatis fulgore jam dudum captus, ne opportunam occasionem sua desidia elabi pateretur, præcipiti consilio robur militiæ in Poloniam rapit. A) AVIDA spes regni præcipites multorum animos ad ultimum nefas, & exitium impellit.

A. C. 1664.

Mahometes sive male metueret Rakoczio ab ea expeditione, seu nollet, ut amicum Turciæ regnum, a fœderato Principe hostili more invaderetur, seu denique clientis potentiam, duabus nuper provinciis auctam, formidarit, festinatis in Daciam nunciis severe interdixit, ne cum Sveco fœdus iceret, neve armatus in amicam regionem pedem inferret; nisi morem gesserit Patrono, principatu Transylvaniæ exutum iri. Forti stomacho minas Soltani concoxit Rakoczius, nihilque potius agit, quam ut Sveco, Vilnensi, & fortunæ suæ velificaret. Cracoviam appulsus, Regem Casimirum in fugam agit, Svecorum animos valido exercitu confirmat. Actum erat de Polonia, nisi Fridericus Daniæ Rex, transportato in Sveciam bello, Svecorum vires domum festinare coegisset. Rakoczius sociorum armis subito destitutus, reditum in patriam solicite circumspexit. Diffluentibus pedetentim Cosaccis, quos armorum, viarumque socios habuit, per vastos, sterilesque campos Poloniæ, in insidias præcipitat. Circumventus ab hostili exercitu, dum frustra stationes perrumpere attentat, non jam ferro, sed precibus libertatem sui, suorumque est pactus. Joanni Keményio tradito exercitu, ipse cum paucis familiarium in Transylvaniam maturato itinere evasit. At Keményium reliquias exercitus pugnis, atque inedia confecti trahentem, longe infelicior calamitas excepit.

Locatis castris in veteri quopiam vallo, a Tartarorum globo obsessus, cum annonæ, nitrati pulveris inopia laboraret, ære præsenti in singula militum capita statuto, abitum mercari voluit. Numerata pecunia, ubi animadvertunt Tartari paucitatem Transylvanorum, retento contra fidem datam Keményio, in castra metu, fameque capta impetum faciunt. Ne inulti caderent, Francisco Kornisio hortante, ultimas vires colligunt, ac cruento certamine barbarorum ferociæ repugnant. Hic rursum novum infortunium obortum. Valachi pedites Tartarorum partes amplexi, in suos commilitones arma stringunt. In orbem pugnantes vindictæ potius, quam spe victoriæ, pars e vestigio cæsi, pars in servitutem abacti. In Moldavia nihilo feliciores erant Rakocziani, quos indecora fuga, dum Poloni adventarunt, illuc abstulit. Sex, & amplius millia ab agrestibus, suarum incendia, direptionesque villarum ulciscentibus, interempta sunt. Hic exitus fuit luctuosæ expeditionis in Poloniam, qua cæsis veteranis cohortibus, capta pleraque provinciæ Nobilitate, hoc est Dacicæ militiæ flore, infelicissimus Princeps ambitioni suæ pœnas dependit. Transylvani publico luctu involuti, acerbitatem cladis diu prodiderunt, utque olim Romæ, post Cannense prælium senatus decreto comploratio contracta fuit, B) ita Ordinum edicto lugentium familiis modus justitii imponi debuit. Sed recruduit dolor, cum immensa insuper vis argenti, pro redimendis captivis exigeretur.

Nondum hic malorum finis. Mahometes spreti imperii memor, contumacem Principem a fortuna desertum, civibus gravem, funditus evertere statuit. Ad Transylvanos mandata dedit: ut Rakoczio in ordinem

 redacto,

A) Anno 1657. L. VII. Histor. Regni Hung. B) Senatus consulto diebus XXX. luctus est finitus T. Livius Patav. Dec. III. L. II.

A. C. 1664. redacto, suffragiis suis alterum Principem legerent. Cessit tempestati Rakoczius, ac Francisco Redejo principatus insignia, Procerum voluntate tradidit. Sed enim ANIMUS dominandi dulcedine subactus, privatam fortunam ferre non potest. Extortis iterum Dacorum suffragiis, principatum occupat, a) Redejo æmuli potentiam verente. Ea levitas hominis, tantam iram concivit Mahometi, ut sævissimam populationem minaretur regioni, ni illico Rakoczium loco, dignitateque moverent. Seu charitate in patriam, seu terrore barbari adactus, in Hungariam se recipit, provincia Ordinibus relicta, instauraturus fortunam veterem opportuniori loco. Discessu Principis liberiores Tartari, ingenti celeritate regionem incursant, metu torpentem diripiunt, Cibinium, Claudiopolim, caput provinciæ, grandi pecunia mulctant, oppida, urbes tristibus flammis involvunt. Rakoczius belli jam certus, qua valebat industria, contractis copiis in hosticum irrumpit, & cladem pari furore Ottomanis reddit. Budensis Purpuratus, vastitati ut modum imponeret, quindecim millia pugnatorum ad Lippam adducit. Strigoniensis Begus, acer præ cæteris populator, valida cum manu agmina prægressus, a Rakoczianis in castra rejectus, spem majoris victoriæ Principi fecit. Redintegrata ad castroruu munitiones pugna, tantus ardor Transylvani fuit, ut disjectis carrorum impedimentis, tria millia hostium eo die trucidata fuerint, Christianorum non nisi triginta desideratis. Budensis præcipue inter suorum cædem trepidus, ne in potestatem victoris veniret, cum quo privatas inimicitias gessit, fugam arripuit, Marusium amnem pernici equo transvectus.

Hujus victoriæ lætitiam, tristes de Turcico quadraginta quinque millium exercitu nuncii, velut frigida affusa, temperarunt. Vezirius enim Kiuperlis ad Rakoczii spiritus infringendos a Mahomete stimulatus, Veneto bello tantisper remisso, quidquid virium ad Constantinopolim erat, suis auspiciis Daciam versus promovit. Jenæa arce simulata tridui oppugnatione sive Præfecti, sive Barcsaji perfidia, qui propera deditione Vezirii gratiam promereri voluit, capta, adeo Transylvani animis conciderunt, ut Barcsajo Oratore, afflictim pacem a Tyranno postularent. Tanto promptius pacem indulsit, quanto frequentioribus nunciis pulsabatur de Asiatica seditione. Conditiones, quales nempe victores insolentes ferre solent, non minus indecoræ erant, quam graves provinciæ; sed ne provincia penitus opprimeretur, accipiendas putarunt. Præcipua earum capita hæc: *Achatius Barcsajus principatum obtineret, idque in publicis comitiis firmarent. Karansebesiam, Lugosiam Turcico præsidio committerent. Rakoczium, uti & Valachiæ, & Moldaviæ Principes, Turcarum hostes persequerentur; annuum tributum non augerent modo, sed & sumptus in hanc expeditionem factos refunderent Soltano.* Addixit liberaliter omnia Barcsajus, quo principatum malis artibus quæsitum, firmius sibi assereret. Rakoczius dignitate, nondum spe, aut animis dejectus, Transylvaniæ dominatum rursus armata manu recuperare studuit. Barcsajus vecordis animi Princeps, inopinata adventantis Rakoczii fama consternatus, amissa decernendi occasione, Temesvarinum semet recipit, atque rivali suo viam aperit ad principatum. Princeps a Transylvaniæ Ordinibus salutatus, ut elapsam toties, & fugitivam dignitatem constabiliret, cum restituto in Moldaviam Constantino, & Michaele Valachiæ Vaivodis, arctissimo fœdere percusso, Leopoldi I. Hungariæ Regis auxilia exposcit. Verum unius hominis causa non irritandam duxit Imperii Ottomanici potentiam; & Mahometes, qui jacentem penitus proterere dejeravit, Leopoldo perscripsit: *pro belli denunciatione accepturum se, si ære, milite, rebellis conatus adjutum iret.*

Igitur Rakoczius sibi relictus, suo sibi Marte consulendum statuit. Ad fauces Transylvaniæ cum septemdecim peditum, totidem fere equitum signis progressus, cum Budensi Præfecto, qui Barcsajum in provinciam reducere jubebatur, acri certamine confligit. Nobilem victoriam eo die de barba-

a) Anno 1658.

barbaris referre potuisset, si universas vires in eum locum adduxisset. Sed enim fœderatis Principibus, ne a Tartaro, provinciis suis ejicerentur, suppetiæ mittendæ erant. A) Accessit Nicolai Zolyomii, fervente jam undique pugna ad hostem defectio, qua ille patri suo illatam injuriam, privatum nempe dolorem, perfide ultus, cladem in Rakoczianos subito convertit. Princeps in medios hostium provectus, dum strenue magis, quam feliciter, Ducis, militisque partes agit, amissis octo circiter suorum millibus, mœrore, vulnereque æger Claudiopolim evasit. B) Auctis per hyemem viribus, Barcsajum cum præsidio Turcico Cibinii commorantem, obsidendum duxit, quo semel in potestatem redacto, tranquillitatem patriæ redituram speravit. C) Subodoratus Rakoczii mentem Gubernator Budensis, appetente vere ex hybernis movet, junctisque copiis cum Barcsajo, Principem in campos Fenessienses, Claudiopolitano agro finitimos propellit.

A. C. 1664.

Hic destinata pugna, vincere aut mori certus; ne dimicandi ardor longiori mora corrumperetur, quos paucos sub signis habuit pedites, equitesque, in aciem componit, ac pro re præsenti breviter cohortatus, in refertos ordines Turcarum procurrere jubet. Pro veteri nationum æmulatione, legionum Duces in oculis sui Principis memorabile facinus edere cupiebant. Valachi, & Moldavi pedites, incendia suarum villarum restincturi, primi equitatum hostilem loco movent, editaque strage ferociores, ad victoriam magnis passibus contendunt. Rakoczius cum delectis Hungarorum turmis, perturbatos amplius urget, & quo se cum prætorianis verterat, cædem, fugamque hostibus infert; vel ipsius ferro septemdecim trucidatis. At gliscente hostium numero, dum suorum manipulum circumveniri conspicit, eo celeriter provectus, multorum telis unus petitur, & quatuor vulneribus confossus, e medio certamine a suis amovetur, paucisque post diebus Varadini periit. Vulgato Principis infortunio, Hungari perinde, ac Valachi, quasi in uno omnes victi fuissent, amisso certamine in montes, saltusque vicinos fugam arripiunt. Direptis castrorum impedimentis, victor exercitus Varadinum evocatur, quo Vezirius cum novis copiis advenit.

Ea urbs Rakoczianis partibus addicta, oppugnationem ferre decrevit. Octingenti quinquaginta præsidiarii, universam Orientis vim spatio septem, & quadraginta dierum mira alacritate sustinuerunt; at ubi perennes aquæ, quibus urbs potissimum munitur, e fossis derivatæ, liberum aditum in muros, & propugnacula dedere hosti, neque spes auxiliorum a Cæsareo Duce affulgeret, oppidum tradiderunt. D) VII. Calendas Septembris ingressus urbem Kiuperlis, amplissima spolia in militem sparsit, quæ e civium domibus, cryptisque Basilicæ, non minus avare quam diligenter eruit. Subacto Varadino, Barcsajus ad gubernandam provinciam mittitur, dura admodum conditione adjecta, ut Turcis cederet Claudiopolim, & quingenta æris millia quam primum numeraret. Exhaustam alioquin provinciam, æris magnitudo, ac Varadini jactura adeo a Barcsajo, Turcicæ societatis manifesto, avertit, ut Joanni Keményio, veterano Duci, principatum detulerit, ac in ultionem intenta, bellum festinanter in Barcsajum decreverit. E) Keményius popularium voluntati obsequens, conscripto quinque millium exercitu, Andream Barcsajum, fratrem Achatii fundit, captumque paulo post jussu Ordinum suspendio necari jubet. Achatius, dum in venatione curas dissipare cupit (alii in pago Repasio interceptum prodiderunt) repente oppressus a Keményii satellitibus, multis vulneribus interficitur. Sed non propterea quies Transylvaniæ reddita.

Ke-

A) Tum Valachiam, tum Moldaviam Tartari eodem tempore incursarunt. B) Chronicon Turc. C) Anno 1660. D) Daniel Hartnaccus in suo Conspectu Bellor. ait: „ Anno MDCLX. aucta est potentia Turcica Varadino illo fortissimo Transylvaniæ propugnaculo, quod XXVI. Augusti per Budensem Purpuratum expugnatum est. Factum istud, quod postquam Rakoczius ex lethali vulnere diem obiisset, nulli fere resistebant, imo præsidiariorum numerus a 2000, vel 1500. ad 200. imminutus erat, ut impares omnino milites fuerint ad resistendum. „ E) Anno 1661. calendis Januarii Joannes Keményius eligitur in Principem Daciæ.

A. C. 1664. Keményius aulæ Turcicæ invisus, novæ tempestatis causa fuit. Vezirius quinquaginta quinque armatorum millibus succinctus, non tam Keményii, quam Transylvaniæ libertati imminebat. Nondum firmato Principi, nec vires, nec animus erat, Turcis, Tartarisque (nam & isti magno numero advolarunt) obsistendi. Quapropter in Hungariam profectus, ad Leopoldi Cæsaris opem confugit. Sero consociatus Raymundo Montecuculo, Cæsarearum copiarum Ductori, Vezirio spatium concessit attritam provinciam rursum evastandi, ac Michaelem Apaffium Principem instituendi. Redux Claudiopolim cum Cæsareo exercitu, Turcas quidem provincia exegit, non tamen principatum obtinuit, Dacia multum reformidante, ne compedes, servitusque exterorum injiceretur. Montecuculus firmata præsidio Claudiopoli, nulla re memorabili gesta in Hungariam redit, Keményio suæ fortunæ relicto. Is privatam vitam omni morte duriorem sibi fore palam professus, sæviente hyeme, Turcis longe per hyberna sparsis, frigorumque impatientibus, Apaffium inermem opprimere statuit. A) Medgyesini, aperto oppido, ille agebat sui securus, & intercipi poterat citra armorum strepitum, si fortuna sua uti novisset. Dum moras nectit, dum jussa jussis contrariis abrumpit, emanavit rumor ad Apaffium, & Segesvarinum evadendi otium opportune dedit. Extra ictum jam positus, Turcarum, Valachorumque opem per celeres nuncios imploravit. Festinarunt illi in auxilium Principis, impari successu. Nam Valachi a Joanne Szent-Palio Keményii Ductore profligati, trans alpes semet receperunt; at Turcarum bis mille difficillimo itinere eluctati, Segesvarinum emerserunt, sociatisque cum Apaffianis viribus, in Keményium duxerunt. Repentinus hostium adventus, & imminutus militum numerus, pars quippe equitum pabulatum exierat, absente alioquin Szent-Palio, mentem homini eripuisse videtur, adeo omnia perturbate egit. Duo millia Germanorum, quos Montecuculus præsidii causa dederat, facile Præfectorum ductu in aciem locata, fortitudinis suæ exempla dein edidere; at Transylvani suorum Ducum contagione afflati, ut ægre in campum prodierunt, ita vix classico audito, sylvarum abdita petierunt. Keményius equo transfosso in terram provolutus, sive fugientium, sive terga prementium equis obtritus, brevem, turbidumque dominatum perdidit.

Post extinctos continenti serie duos Principes Transylvaniæ, Apaffius inter cædes, exilia, direptionesque fortunarum, regimen auspicatus fuit. Juvit hominis crudum, severumque ingenium Turcarum exercitus, quem Mahometes Kiuperle Ductore in Hungariam mittere statuit. Equidem Leopoldus per suum Oratorem Perisium, B) induciæ ut prorogarentur, bellique semina per Transylvaniæ turbas jacta suffocarentur, Constantinopoli egit. Quo suspicionem armorum tollerent Purpurati, callide negotium pacis, ad Alym Temessiensem Præfectum rejiciunt. Institit Perisius, ut Byzantii potius de rebus controversis disceptaretur, HAUD NESCIUS, magnum temporis, reique fieri compendium, si cum ipso Principe transigant Oratores. Turcis id negantibus cedendum fuit. Subinde Goesius Baro ampliori potestate instructus, Vienna advolans, Perisiana acta iterum recoquit, Temessiensi scenam de industria protrahente. Tandem signata pacificationis capita, dum per celeres nuncios Viennam, Byzantiumque feruntur, quanto majori lætitia Viennæ rata habentur, tanto callidiori perfidia respuuntur Byzantii.

Ut honesti speciem tantæ perfidiæ inderent, argumenta fere e Dacia attulerunt: nempe *exterum militem jussu Leopoldi eam provinciam insidere: in Apaffium bellum parari a Cæsareis Ducibus, quem Ottomanus Principem Transylvaniæ imposuit. Comitem Nicolaum Zrinyium Illyrici Pro-Regem præter jus, fasque arcem ad amnem Muram excitasse,* C) *haud dubie in perniciem Canisiensis præsidii.* Accessit Ismaelis Budæ Gubernatoris, excidium Christianæ Reipublicæ spirantis cavillatio. Vetus huic erat in Alym Temes-

siensem

A) Anno 1662. B) Anno 1663. C) Neo-Zrinia excitata Anno 1661.

siensem aemulatio, quem in Varadinensi expeditione, ac praesenti pacis negotio praelatum aegerrime tulit. Ut authoritatem hominis infringeret, & pacificationem, de qua serio agi existimavit, moraretur, Vezirium commonefacit: *Caesarem multo alienum esse ab armorum cessatione; delectus fieri quam maximos militum; annonam in publica horrea celeriter convehi; munimenta in limitibus excitari; oratores non alium in finem Temesiam venisse, ac tempus colloquii protraxisse, quam ut spe pacis torporem injiciant Ottomanis, & maturo bello, & subeunte vere, exercitus in ditiones Mahometanas immittant. Haec omnia sibi patefacta a Christianae fidei desertore, rerum, quae clam, palamque Viennae aguntur, perito.* Holzelius is erat, veredarii munere in legatione Renningeri functus, sed nuper in castra Mahometis transfuga, multis fabellis Caesaris fidem elevavit. Huic mendacissimo mortalium, uti & Budensis Praefecti literis continuo fides est habita.

A. C. 1664.

Tum Vezirius personam, quam eatenus simulate sustinebat, non invitus posuit; laetus terrestrem expeditionem sibi offerri, qua gratiam Soltani, paternis meritis adeptam, altius proveheret. Goesio edici jubet: ut ne mentionem pacis inposterum faceret; constare sibi omnem aulae Viennensis fraudem; bellum, non inducias domum referret. Ad tristes belli nuncios tandem & Vienna armorum apparatus circumspexit. Ratisbonae in Comitiis Thanius Archi-Episcopus Salisburgensis, multis hortabatur Principum Legatos, ut praesidia in tempore comparent, Mahometis vim a provinciis Christianae Reipublicae avertant. Post longas disceptationes, & taedia sex millia armatorum decreta. Sed Wolffgangus Hohenlojus duobus millibus pauciora, serum auxilium, secunda, & vicesima Novembris in hyberna adduxit. Hungari more veteri ad signa evocati, equites octies mille trecenti quinquaginta, pedites undecies mille nongenti quinquaginta, speciem justi exercitus fecerunt, quibus regendis Comes Nicolaus Zrinyius expertae virtutis Ductor praefectus, perutilem operam expeditioni navavit. Montecuculus Caesarei exercitus Dux, postquam Comaromio, Jaurino, Ujvarino praesidium injecit, ad sex millia armatorum redactus, ne imbecillitatem virium hosti proderet, intra Ovarinum, & Jaurinum castra posuit.

At Vezirius, Asiatico milite in castra recepto, centum quadraginta millium exercitum omni apparatu castrensi instructum, in Hungariam adduxit anno MDCLXIII. nondum certus quodnam praesidium invasurus. Erat ea aestas frequentioribus pluviis admodum foeda, fluviique limites suos egressi, arduum, difficileque iter militi, armis alioquin gravi, faciebant. Unde opinione tardius Eszekinum tenuit. Hic alias ex aliis moras nectens, fucum fecit Christianis Principibus, ut plerique crederent, Asiaticam illam tempestatem in Dalmatiam effusum iri. Et prope erat, ut eo signa converteret. Nam Nicolaus & Petrus Zrinyii, bellica virtute non minus, quam sanguine fratres, iis diebus haud levia detrimenta hosti intulerunt. Neo-Zrinyiam, quoad viverent, defensuros se sacramento firmarunt, ea quidem lege, ut dum alter munimentum intra muros tueretur, alter in campo assiduo hostes lacesseret. Miles quasi animos Ducum induisset, in perniciem Turcarum juratus incubuit, assiduisque excursionibus, pagi circa omnes, oppidaque; inprimis Kanisiensis ager, usque adeo infestus habebatur, ut jam dominantibus per eam regionem Zrinyianis, vix tuto efferre praesidio pedem auderent Kanisienses. Irritavit praeterea Vezirium clades aliquot turmarum, quae per sylvas Kanisienses iter insistentes, a Zrinyianis caesae sunt. Haec talia cum nunciarentur Vezirio, dubius aliquantum haesit Dalmatiamne, an Hungariam peteret? Alys Temessiensis, quem aliena gloria perpetuo urebat, in Dalmatiam ut duceret, contendit dictitans, haud tam promptis animis advolaturos Principes Christianos, quam si Hungariae bellum fecerit. Sed Vezirius Principum lentitudinem perspectam habuit, animosque sumpsit, Goesii sedulitatem concordiam exposcentis, virium imbecillitatem interpretatus. Is iterum, iterumque Leopoldi amicitiam ingerens, responsum tulit: *pacem confici posse, si Neo-Zrinyia, Székelhida solo*

A. C. 1664. *æquatis, Apaffio Dacia cederetur; annuum tributum triginta aureorum millium Mahometi penderetur. Nicolai Zrinyii caput Byzantium* (ut vel inde arguas quanto terrori hic heros Ottomanis fuerit) *mitteretur.* Hæc adeo iniqua videbantur Goesio, ut bellum potius, quam fœdiſſimam pacem acceptaret.

Inter has diſceptationes Budam cum perventum fuiſſet, Goeſio in humile diverſorium retruſo, expendit Vezirius, cuinam præſidio adeo florentes copias admoveret. Viennam ut peteret, cum vires, tum incredibilis gloria homini ſuadebant; at veſtigia priorum Ducum, cladesque acceptæ formidini erant. Poſt Viennam Jaurini invadendi conſilium cepit, quo ſemel expugnato, facilius ad Viennam ſubigendam viam aperiri confidit. Qui conſultationi aderant, propoſitæ rei magnitudine ſuſpenſi, audacius aliquanto conſilium, quam ut exitum proſpere ſortiretur, exiſtimarunt. Nam & exercitum Cæſareum, cujus vires ignorarunt, prope excubare didicerant, & aquarum vim præter ſolitum majorem extimuerant. Ab his conſiliis veteranorum authoritate facile traductus, ad Uivarinum expugnatu facilius, & gloriæ, quam unice ambiebat, haud impar, ſemet accinxit. Igitur profectione militi indicta calendis Auguſti Strigonium profectus, tria Janicsarorum millia Parkanum oppidum, Strigonio objacens, petere jubet, ut tuto Danubius ponte committi poſſet. Re intellecta Adamus Forgacſius, Uivarini Gubernator, in occaſionem hoſtem invadendi intentus, opprimendos ante, quam ſociorum acceſſione firmarentur, putavit, unoque victoriæ æſtu Parkanum occupandum.

Sexta Auguſti intendentibus ſe primis tenebris, inauſpicatum iter ingreſſus ſine tubarum, tympanorumque ſtrepitu, partim Hungari, partim Germani milites, ſex millia Parkanum verſus movit. Jam medio itinere confecto, ſecunda caſtrenſi vigilia A) trepidus nuncius accurrit: pontis fabricam prope abſolutam, copiasque ad transmittendum flumen accinctas ſtare. Id ipſum alter nuncius anhelus attulit. Forgacſius de receptu magis, quam prælio ſolicitus Uivarinum cogitabat. At Marchio Pio ardori ſuo nimium indulgens, hæſitantem tantiſper Ducem, in aciem pertraxit. Aperiente ſe die explicatis ordinibus ad hoſtem viginti, & amplius millium in acie operientem Chriſtianos, perventum fuit. Res inopinata omnium animos non mediocriter confudit, dum eam hoſtium multitudinem conſpexere. Nihilominus intra teli jactum conſiſtentibus pugnandum fuit. Dextrum cornu moderabatur Forgacsius, ſiniſtrum Illesházius, & Palffius. Canentibus ſignis primus pugnam inivit Neogradius, probatæ virtutis Centurio, ſed ab octo, & decem cohortibus peditum rejectus, ope Forgacsii in pugnam, & periculum ſuccedentis reſpiravit, impreſſioneque inſtaurata, adeo fortiter victores impulit, ut loco moti, fugam anxie circumſpexerint.

Sed integris in prælium ruentibus, cum Forgacsiani vim perferre non poſſent, Valteriani equites ſuppetias venere. Siniſtrum cornu non minori ardore prælium capeſſivit, & ſi equites peditem æquaſſent, ingens ille hoſtium numerus a paucis victus fuiſſet. Verum equite fuga abrepto, cum nullus virtuti locus ſupereſſet, ipſi Duces neceſſitati ceſſerunt, relictis peditibus victorum iræ. Tria millia infelix illud prælium abſumpſit. Capti vario ſuppliciorum genere interempti fuerunt. Vicem non multo poſt reddidit Zrinyius. In inſulam leporum Budenſes tranſmiſerant ante, quam Aſiaticæ copiæ Budam intrarent. Hos ille ex inſidiis aggreſſus, partim cecidit, partim captivos abripuit.

Octava die ab infelici prælio, Ottomanorum exercitus ad Uivarinum conſedit, munitisque adverſus eruptiones militari opere caſtris, ſpes injecta eſt Vezirio, Montecuculum cum tenuibus copiis, quod ex captivis cognoverat, latitantem opprimendi. Hunc in finem, ut ne Spahii, Tartarique otio torpeſcerent, duo, & viginti millia equitum dimiſit Ductore Iſmaele Damaſci Præfecto, ad perfringenda Vagi clauſtra, raris militibus custo-

A) Paulo ante medium noctis. Conſule Juſti Lipſii Militiam Romanam Lib. V. de Vigiliis.

custodita. Duobus, & viginti diebus a paucis stationariis suo conatu dejecti Turcæ, tandem tertia Septembris Valachi, Spahii pluribus locis vadum explorare jussi, in alteram ripam eluctantur, stationariis Cseklesium, duabus duntaxat leucis Posonio dissitum, quo Montecuculus castra transtulerat, diffugientibus. Bipartito divisis agminibus populationem longe, lateque inferre placuit. Pars una in Posoniensem agrum effusa, regionem oppidis frequentem, inter cædes fugientium incolarum, flammis cremarunt; unde Montecuculus vicini periculi admonitus, iter suis eadem adhuc nocte Posonium edixit. Altera pars superatis albis montibus, in Moraviam invecta, tanto crudelius in omnem ætatem mortalium sæviit, quanto liberiorem grassandi campum, per immunitos vicos est nacta. Facile quadraginta hominum millia ex utraque provincia in servitutem abducta. Spargente incendia Ismaele, placuit Vezirio, antequam oppugnationem aggrederetur, explorare animos obsessorum, vellentne præsidium Mahometi dedere, an belli eventum experiri, data epistola A) ad Forgacsium Gubernatorem. Cum is neque metu, neque blandimentis moveretur, nihil cunctatus Vezirius, circumlustratis, æstimatisque jam antea præsidii mænibus, quæ situ, & opere firma, quæ vetustate fluxa, tripartito oppugnationem distribuit. Erat Uivarinum a Rudolpho II. post captum a Turcis Strigonium, sex grandibus propugnaculis munitum, adversus populationes Austriæ, Moraviæ imminentes firmissimum frænum; subinde Lippaii Archi-Præsulis Strigoniensis non levibus impensis, muro circumdatum, & a ruinis utcunque reparatum. Tria tamen propugnacula adhucdum hiabant, & a vetustate male habita.

A. C. 1664.

In hæc vim omnem exprompturus, oppugnationem cum Budensi, & Bosnensi Præfectis partitus est. Eductis sex grandibus, solidissimisque suggestibus, muralibus tormentis omnino octoginta, vi tanta everberari propugnacula cœperunt, ut duo de viginti globorum millia emissa, non mænia modo ingenti hiatu dejecerint, sed & tectis, & turribus inter frequentia vulnera, necesque militum stragem intulerint. Forgacsius frustra imploratis a Montecuculo, & Zrinyio suppetiis, Uivarini fortunam suæ unius virtuti relictam videns, ut erat in subeundis periculis semper intrepidus, erecto animo procumbentia mænia cum præsidiario defendit. Decima septima Septembris comperto ex iis, qui spectatum missi, facilem per ruinas jam editas ascensum fore, jussu Vezirii in Fridericium, ac Forgacsianum propugnaculum impressio est facta, tanta celeritate, ardoreque Janicsarorum, ut septemdecim vexilla defigerent, victoriamque conclamarent. Præsidiarii raptis ferociter armis ductu Præfectorum Pio, & Grana eo accurrentes, aggressores nondum satis munitos, multo labore, sanguineque captis stationibus deturbant. Redintegratus triduo post in eadem propugnacula insultus, nihilo feliciorem successum habuit. Discrimen tamen non mediocre adiit Uivarinum, & nondum captum pene periit. Vis nitrati pulveris incuria cujusdam gregarii momento incensa, Pro-Tribunum Sporkium cum quadraginta militibus, uno impetu in sublime rapuit, molemque vicini propugnaculi fragore tam horribili concussit, ut plerique defensorum, ne eadem peste evibrarentur, in cæcam fugam abrepti, stationes suas deseruerint. Turcæ a metu non minus, quam periculo vacui, inter tumultum in ruinas eluctati, quatuor vexillis mænibus infixis, semet obmunire occipiunt. Supervenientibus Grana, & Pio tum quoque e capto propugnaculo ejecti sunt.

Sed inopinatus casus, eatenus victorem militem, & Uivarinum perdidit. Inter spolia, quæ præsidiarii in propugnaculis legerant, reperta est epistola Francisci Vesselenii Pro-Regis ad Forgacsium conscripta: in ea cum nihil meminisset suppetiarum, quas propediem ad solvendam obsidionem venturas sperabant; enimvero in desperationem acti, consilium capiunt locum dedendi ante, quam ultimam vim, aggressionemque expectarent, qua non dubiam sibi, præsidioque perniciem crearent. Hæc primum inter mili-

A) Extat hæc epistola Tom I. Portæ Ottomanicæ, sive Historiæ Turc. editæ Augustæ 1694.

A. C. 1664. milites agitata, mox cives, fæminas præcipue, in apertum tumultum, seditionemque traxerunt. Forgacsius frustra terrore, ac blandimentis admotis, re ad consilium delata, omnium sententia candidum vexillum, deditionis insigne, sustulit. Septima, & vigesima Septembris amplissimis conditionibus impetratis, excesserunt præsidiarii, integra fide, & quam mireris in barbara gente, in saucios, ægros, teneramque ætatem insigni charitate Comaromium deducti. Vezirius gratulatus victoriam Mahometi Imperatori, quo ea acceptior Byzantinis, atque sibi ampliori gloriæ cederet, parce calculum cæsorum posuit, A) cum alii Scriptores prodiderint, duodecim millia cecidisse in oppugnatione cum Natoliæ, Sophiæque Gubernatoribus, Aga majore, equitum Præfecto, aliisque clari nominis militibus; nisi fortassis aucto nimium cæsorum numero, jacturam Uivarini, & detrimenta, quæ regio illa perferre debuit, minuere voluerint. Fieri enim amat apud victos, ut exuti arcibus, aut prælio superati, imaginaria cæsorum hostium multitudine, quod unum superest, semet solentur, & victoriam fictis rumoribus elevent. Sed auxerint, ut libet, minuerintve Scriptores cladem Turcarum; Vezirius eo minoris eam fecit, quo opportuniorem campum est nactus prædabundis agminibus, Nitriensem, Posoniensem provinciam, Moraviamque infestandi, atque numerosum exercitum in hostico alendi. Instauratis Uivarini ruinis, ad minoris nominis oppida animum appulit. Leva, Nitria, Galgoczium prona, facilique deditione in hostium manus devenere. Unam Semphtaviam virtus Nicolæ Bavaricæ legionis Pro-Tribuni, Leopoldo servavit cum tenui præsidio, circumfusosque arci diuturna defensione fregit.

Inter has oppidorum strages jam Octobri præcipitante, acrior hyems in hyberna compulit Vezirium. Tendebat Strigonium versus, omni spoliorum genere, ac inprimis turba captivorum gravis. Movit Nicolaum Zrinyium tum cupiditas gloriæ, tum miserabile agmen, tot pereuntium Christianorum, ad opem ferendam. Cum promptissimis suorum ultimum agmen assecutus, memorabili pugna victor evasit. Janicsari vicinitate Vezirii confidentiores, objectis in fronte plaustris, carrisque communiti, dispositis ad pugnam ordinibus, Zrinyium excipiunt, victoriamque morantur. Cum celeritate opus esset, Dux, militesque equis desiliunt, tantoque contemptu periculorum manus conserunt, ut eodem tempore & plaustris defensos urgerent, & plaustra obnitente nequidquam hoste diriperent. Deletis hostium cohortibus, omni præda potiuntur, quodve magnitudinem prædæ superavit, multorum jucundissima libertas fuit. At in Illyrico eodem adhuc anno, B) tanto illustriori nominis fama arma circumtulit, quanto graviorem procellam Croatiæ, Styriæque provinciis impendentem parva manu feliciter avertit. Turcarum, Tartarorumque triginta millia ad pervastandam Styriam missa, multo apparatu bellico ad Muram fluvium pervenere. Tartari non expectata pontis fabrica, in alteram partem nullo obsistente enatant. Zrinyius fessos, madidosque cum ter centum equitibus invadens, post emissam sagittarum nubem, in Muram præter solitum auctiorem propellit. Socii fugientium multitudini auxilium laturi, cæco impetu in amnem provecti, supervenientibus a tergo aliis, aliisque, mutuo equorum, hominumque occursu, impulsi, implicitique, c) facile mille vorticibus sunt hausti, captis a Zrinyiano milite non paucioribus equis, qui excussis sessoribus in eo tumultu, in castra Christianorum venere. Eo successu frustrati hostes, cum alioquin Zrinyium reformidarent, & super hæc novis in dies copiis, ac tormentis validiorem viderent, Kanisam miro utriusque provinciæ gaudio redierunt.

Zrinyius ut erat animi ardens, omnisque otii acerrimus osor, rigida anni tempestate Januario mense, anno MDCLXIV. Sclavonicæ expeditioni initium dedit, eo promptius Hungaris, Germanisque ad signa confluentibus, quo frequentius viri fortitudinem, & perpetuam belli fortunam sub illius

A) Tria millia Turcarum periisse scripsit Vezirius. B) Videlicet 1663. Hostis fusus, & fugatus est a Nicolao Zrinyio, V. calend. Decemb. C) Chronicon Hung-Turc.

illius auſpiciis, ductuque habuere. Quanquam multi, qui dignitati illius, atque militaribus actis invidebant, eam expeditionem funeſtam Reipublicæ Chriſtianæ fore prædicerent, multisque rationibus perſuadere niterentur Leopoldo, ut ne Ducem temere præfidentem, & in exitium ruentem, novis viribus armaret. Sed virtutis tot victoriis, quot præliis per Europam notæ exiſtimatio, facile apud ſapientem Imperatorem, nimium anxio aliorum conſilio prævaluit. Præter decem Hungarorum, & Croatarum millia, ſena circiter Germanorum millia, Hohenloio Ductore, Neo Zrinyiam convenerunt, viceſimoque die Januarii in hoſticum ducta, Breſeniczam, haud immunitum caſtellum, ſed glacie iter aperiente ad muros, oſtenſo ſolum terrore, deditione acceperunt. Baboſcam, aliaque oppida eadem facilitate occupant, & poſt direptas incolarum fortunas incendio delent. Ad Quinque-Eccleſias non nihil fortuna adhæſit. Urbis mænia ſuo jam vitio, & vetuſtate invalida, ad primos tormentorum ictus procumbentia, facilem viam irrupturis dederunt. Oppugnatio arcis operibus ſaxeis, præſidioque munitæ cum lentius procederet, quam Zrinyii ardor perferre poſſet, relicto Hohenlojo ad obſidionem cum peditatu, equitatum Eſzekinum abducit, ad celebrem illum pontem exurendum, A) quo incendia populationes in Croatiam, Styriamque jam inde a temporibus Solymani I. perferebantur. Octava, & viceſima Januarii cum C. Paulo Eszterházio illuc delatus, caſtello pontis occupato, immenſæ illius fabricæ cuſtodes ſuo adventu in fugam conjecit. Ingens copia lignorum ad utramque Dravi ripam aderat, in eam uti & caſtella, turresque, quæ in defenſionem vaſti operis excitatæ erant, feſtinatis operis ignem conjicit, paucasque intra horas omnia concremat, dubio apud poſteros relicto, majorne operis everſor, an author? Nobili hoc incendio clarior, quingentos vicos, oppida cum frumentariis molis eadem celeritate flammis conſumit. Redux Quinque-Eccleſias, omnium animos partim hyemis rigore, partim oppugnationis difficultate torpere animadvertit. Hohenloio denique hortante, conclamatis vaſis Neo-Zrinyiam reditum eſt.

A. C. 1664.

Decima octava Aprilis rurſum in campum prodiit Zrinyius Kaniſam, Illyrici, Styriæque terrorem, oppugnaturus. Multa erant, quæ virum militarem ad illud latronum receptaculum evertendum moverunt. Pontis Eſzekinenſis excidium, unde ſuppetias ſperare potuiſſent Kaniſienſes. Ipſe locus ad ferendam oppugnationem male inſtructus; Præfectus Chriſtianis addictus, auroque emptus in proditionem, & ſuper hæc omnia Waſſenhoffius machinator bellicus, cujus peritiæ, aut potius ſplendidis promiſſis non Zrinyius modo, ſed & Styriæ Primores plurimum tribuebant, ſpe certa implevit obſidentes, paucarum impendio hebdomadum præſidii capiendi. Cœpta oppugnatio hominis vanitatem prodidit, & ſpem omnium evertit. Nam ob paluſtres campos, quibus Kaniſa circumdatur, nec caſtra firmis operibus muniri, neque ſuggeſtus tormentorum erigi poterant, ſæpeque ſubſidente uligine homines perinde, ac machinæ hauriebantur. Inde ingenti, quam prævia fama movit, expectationi minime reſpondit Waſenhoffius. Præterea detecta Gubernatoris colluſione, eoque trucidato, præfecturam accepit alter pervigil ubique, irrequietus, laborumque pertinax. Hujus imperio oppidum exuſtum, mænia propugnaculis, turribusque reparata. Nec minus arci firmamentum aderat a præſidiariis mille circiter, atque quingentis, veteranis plerisque, & ad omnem patientiam longo armorum uſu ſubactis. Telorum vero tanta copia, ut profecto Kaniſa a quantacunque hoſtium vi ſecura videretur. Denique Vezirius ex hybernis movens, acceleratis profectionibus ſuperato jam Dravo ad liberandum præſidium accurrit. His difficultatibus circumventi Duces ſoluta obſidione Neo-Zrinyiam abeunt.

Etenim Mahometes B) perceptis Zrinyii facinoribus, quæ in Hungaria, Illyricoque patravit, juſſit Vezirium belli molem in Illyricum transferre, eo potiſſimum conſilio, ut Neo-Zrinyia everſa, propter quam bel-

 lum

A) Pons iſte celebris in longum excurrit paſſus 8565. in latum 17. vel ut aliis placet, 24. Conſule Chronicon ſæpius memoratum. B) Porta Ottomanica.

A. C. 1664. lum exarsit, una & conditorem illius ruina opprimeret. Et Vezirius ob victoriam superioris anni, majora jam complexus animo, commisso ponte Dravo, exercitum tanta festinatione in Illyricum movit, ut Zrinyiani exercitus vestigia, præcursores Tartari assiduo premerent, ultimumque agmen Imperialium lacesserent. Positis trans Muram castris, Strozzius militum Præfectus, aggeribus jactis, militumque stationibus, transitu fluminis hostem prohibet. At intempesta nocte pluribus locis superato amne, industriam, curamque Strozzii exacuerunt Janicsari. Hos prima luce aggressus, non modo munimentis exigit, verum maxima trepidatione trans flumen repellit, cæsis tribus millibus fugientium. Lætitiam hujus victoriæ plane extinxit victoris inopinata cædes, e superiori loco plumbea glande caput trajecti.

Interim Montecuculo in castra venienti cum veteranis legionibus, Zrinyius persuadere nitebatur, ut in aciem eductis universis copiis, Vezirium ad certamen eliceret, aut intra valla aggrederetur. Habebat sub signis non nisi triginta armatorum millia, A) quorum pars magna Neo-Zrinyiæ munimentis affusa vigiliis, & laboribus exhausta erat. Verum gliscente æmulatione inter Duces, consilium nullo loco est habitum, sive censeret copias Gallorum expectandas, sive nihil pensi haberet Neo-Zrinyiam inspectante Christiano exercitu, & alienæ victoriæ teste expugnari. Et reapse post viginti dierum acerrimam oppugnationem; Vangurio Barone Gallo, operum bellicorum peritissimo, gravi vulnere sauciato, castellum Turcis relictum fuit, multum indignante Zrinyio, ac Montecuculi cunctationem amaris salibus traducente. Denique nimio dolore abreptus, vir cæteroquin inter mille vitæ discrimina constantissimus, desertis Regiis castris, se domum recipit, triumphantibus æmulis, inimicisque, citra invidiam, aut armorum felicitatem consecutis, quod machinis omnibus agebant. Nec multo post in ipso ætatis, famæ, virtutis flore inter venandum a furenti apro misere confectus periit. B)

Munimento, in cujus excidium Orientis vires conspirarunt, everso a victore Vezirio, veluti confecta expeditione, castra Turcica Kanisam versus sunt mota. Sed hominem victoria praeferocem, novo æstu in pugnam impulit clades, iisdem diebus ad Levam accepta. Susa sive Souchesius cum octo millium exercitu capta Nitria, ad subigendam Levam, satis munitum eo temporis oppidum, oculos adjecit. Ducis consilia ut interturbaret Hassanes Budæ Præfectus, quas a Vezirio moderandas obtinuit, Cæsareis objicit copias. Intra binos montes opportunum castris locum delegit Susa, ne hostium multitudini (quinque, & viginti millia fuerunt) latera castrorum invadendi facultas esset. Triduo mutuo in conspectu hæserunt. Sed fame magis, quam truci barbarorum fremitu angebantur Christiani. Itaque in lætiorem agrum educturus suos, profectionem indicit Susa trans amnem Granum, binis pontibus stratum. Collem in utrumque pontem assurgentem, insedit Kellerus Brandeburgus Pro-Tribunus cum peditum, & desultoriorum cohorte. Hassanes ubi traduci copias ante oculos quasi per contemptum videt, immissis repente Janicsaris in Kelleri cohortem, terga simul abeuntium invadit. Incalescente pugna maxime in colle, Susa cum equitatu auxilium attulit, cæsisque mille Turcis, reliquos in castra rejecit. Hac procella discussa, ad oppidum S. Crucis perventum est, Hassane Strigonium avolante. Recreato per quietem milite, cum nemo hostium pro Leva excubaret, admota celeriter vi, septima Junii arx ipsa deditionem fecit. Hujus jactura rursus in campum provocatus Hassanes, fixis ad Levam castris arcem frustra assiliit, strenuitate Præfecti potius, quam robore munimenti repulsus. Duodevigesima Julii, Susa adfuit cum exercitu adeo vicinus excubiis Turcarum, ut non nisi interfluente Grano amne divideretur. Ut dimicandi copiam faceret hosti, cum nupernum prælium, quo superior erat, tum veteranæ aliquot legiones in castra appulsæ, virum militiæ veterem moverunt.

A) Eadem. B) Anno 1665.

verunt. Altero die A) una ante auroram hora, felici errore primus Susa, militem arma capere jubet. Regio, ubi castra Christianorum erant, arboribus consita, frequentes excubias ad detegendas hostium insidias postulavit. Perflante, ac impellente leniori vento arborum frondes, vigiliis suspicionem incussit hostium adventus.

A. C. 1664.

Dato illico signo, milites perinde, atque Praefecti, in castris arma induunt, Ducisque mandata operiuntur. Ille ne transitu Grani prohiberetur, tribus locis amnem superat tanta festinatione, ut duarum horarum spatio, universus exercitus suos in ordines distributus, alteram ripam teneret. Budensis pugnandi alioquin avidissimus, paucitatem Christianorum contemptim intuitus, sine mora in certamen prodit. Media acies Janicsarorum diu victoriam morabatur; ea loco mota a Susa, gliscente latius pavore, utrumque cornu in fugam traxit. Octo millia promiscuae multitudinis partim in arena, partim in fuga trucidata, sauciato Budensi. Opulenta praeterea castra victor diripuit. Tanta victoria tum Germanorum, tum Hungarorum quingentorum sanguine est confecta, caeso etiam C. Stephano Kohario sub primum aestum certaminis. Hanc cladem per celeres nuncios edoctus Vezirius, decrevit quamprimum suos ulcisci. Nec diu moratus cum flore equitatus, cursu celerrimo ad Arrabonem fluvium provolat, in Austriam, Styriam caedem, incendia, populationem illaturus. Montecuculus, explorato hostium consilio, ponte celeriter extructo ad S. Gotthardum, Arrabonem transit, jussisque Hungarorum, & Croatarum equitibus, ingenti strepitu ripam fluminis percursare, aliquot munimenta tentaturis vadum, opponit. Nona, & vicesima Julii Vezirius, collectis omnibus copiis rursus fluvium accedere, pluribus locis transitum minari, Montecuculo se strenue objiciente, ac majoribus machinis hostem arcente in alterum diem. Ante calendas Augusti, dimidia supra S. Gotthardum leuca, silentio noctis in adversam ripam transgressi barbari, Centurionem cum stationariis centum interficiunt.

Valdeckius, Marchionis Badensis Imperialium copiarum Ductoris Legatus, animadverso periculo, Fuggerum cum Svevicis cohortibus, ac Bavaris hosti occurrere, Saxonicam legionem, & Franconicam una movere, mediam vero aciem, quam Imperiales faciebant, in armis esse jubet. Cedentibus sponte Turcis dum animosius, quam prudentius instat Fuggerus, repente a redeuntibus in praelium, in fugam conjectus, multos suorum amittit. Tres legiones auxilio missae, pari ardore concisae, tumultum, periculumque auxerunt per castra. Janicsari strage Imperialium edita, dici non potest, quam horribili clamore victoriam conclamarint. Sed inter tyrones, hesternosque milites eatenus pugnatum fuit. Montecuculus raptis veteranis legionibus, insolentiam Janicsarorum non repressit modo, sed & Imperialibus, qui abjectis armis aut fugam arripiebant, aut in genua provoluti necem operiebantur, semet colligendi spatium dedit. Nihilominus media acies restitui non potuit. Ut Collignius cum suis Gallis (erant quatuor millia peditum, duo equitum) hiatum expleret, permoveri non potuit. Post multas preces, mille pedites, sexcenti equites in pugnam missi, cum ferociam Turcarum perferre non possent, in receptu cladem accepere.

Interim Vezirio integros submittente, gliscebat hostium numerus, praeliumque multis locis accendebatur. Montecuculus, ni universa acie decerneretur, actum existimarat de Christianorum exercitu. Variantes Ducum animos authoritate magis, quam ratione, aut spe victoriae, in suam perpulit sententiam. B) Quarta post meridiem hora elatis signis, per fatalem copiis Imperialibus arenam perventum est ad Turcas vallum molientes. Prima impressione cedere coacti Janicsari, cum conferti ob angustias loci, se ictibus tormentorum subducere non valerent, certatim postremi, in quos deinceps tempestas glandium effusa, in amnem desilientes, viam fugere volenti-

A) Videlicet 19. Julii. B) Ricautius omnia tribuit Hohenloio, secutus Scriptorem Theatri Europaei.

A. C. 1664. lentibus dedere. Octo millia partim aquis, partim ferro perierunt. Alii multo majorem numerum ponunt; & ipſe Montecuculus ſedecim millia occubuiſſe notavit, iis forte accenſitis, quos dimicationes variæ abſumpſerunt, dum amnem ſuperare niterentur, aut quos Sporkius trans Arrabonem illuceſcente die interfecit. A) Fœdam ſuorum fugam, clademque e loco altiori intuens Vezirius, framea ferociter elata in obvium quemque defertur; ſimul prætorianis mandat: fugientes hoſtium loco habeant. Sed tanta jam erat trepidatio, ut a ſuis potius, quam a Chriſtianis turcidari maluerint. Qui cladem evaſerant, quique vacui, integrique pugnam aſpexerant, commilitonum infortunio perculſi, caſtra triſti murmure compleverunt. Arguebant imperitiæ Vezirium, quod non omnibus copiis, viſo proſpero prælii exordio, tranſitum tentarit; potuiſſe, media acie protrita, utrumque latus facile profligari, ſi triginta Spahiorum millia ſe e caſtris moviſſent. Rumor ſubinde inter Janicsaros, qui primi fugæ initium fecere, eſt obortus: juſſu Vezirii ſignum receptui datum, ubi Chriſtianos inſtauratis ordinibus vidit procedere; nec pontem, nec rates adfuiſſe, ut feſſi, armisque graves, tuto in amicam ripam evadere potuerint.

His, aliisque ſermonibus omnem invidiam in unum Vezirium derivare nitebantur. Et parum aberat, quin in apertam ſeditionem, ad tegendum ſcilicet dedecus, opportunum medium, erumperent, Veziriique ſanguine contractam ignaviæ maculam eluerent. Ne otium ejusmodi rumoribus natum aleret (nam Montecuculus per annonæ, & nitrati pulveris defectum, imbreſque frequentiores victoriam continuare non potuit) Albam Regalem verſus caſtra movet. Acceptis in itinere quindecim millium ſupplementis, in Strigonienſi agro metatus, e conſilio Haſſanis Uivarinum cum omnibus copiis petit: nempe metuens, ne Soucheſius eum locum invaderet. Montecuculus refecto exercitu, comportataque in plures dies annona, ad Semphtaviam conſedit, quid conſilii hoſtis capturus, ſuſpenſus. Non multo poſt patuit militem juxta, ac Vezirium pacem præ bello optare. Et reipſa tanta modeſtia intra valla caſtrorum conſtiterunt, ut nemo Chriſtianos laceſſeret, nemo vim, injuriamque vicinis oppidis inferret, mirante Montecuculo, inopinatam mutationem. Sed jam Renningerus, Cæſaris Legatus, inducias cum Vezirio eſt pactus, quas Vienna deinde ratas habuit. Summa earum erat. *In viginti annos pax eſto; cum Cæſareus, tum Turcicus miles Tranſylvania decedat; Ordines in eligendo Principe jus ſuum perpetuo habeant. Rákóczii, Keménii hæredes, omni bello adverſus Tranſylvanos abſtineant, neque iſti Cæſaris provincias incurſent. Ad Vagi cuſtodiam fas ſit Cæſari munimentum excitare; at Neo-Zrinyia ſuis ruderibus ſepulta maneat. Mutuæ populationes a præſidiariis ne fiant. Intra quatuor menſes publica legatione, his pactis robur addatur.* B)

Ut pax iſthæc coaleſceret, multum contulit Vezirii ſolicitudo. Etenim fractis ad Arrabonem Janicsarorum animis, ſeditione gliſcente, de meliori ſucceſſu prorſus deſperans, merito timuit, ne tentata iterum prælii fortuna, clades cumularetur, & ſuo tandem capite aliorum ignavia expianda foret; veteri more apud Turcas: ut SI RES feliciter eveniat, multi authores conſilii venditentur; ſi ſecus; ſupremo Duci omnis invidia incumbat. Quanquam æſtimata expugnatione Uivarini, Neo-Zrinyiæ excidio, ſat magna egiſſe in Hungaria ſibi videbatur, ut non ingratam Byzantinis Cretenſi bello implicitis, pacem fore cenſuerit. Mahometes Neo-Zrinyia everſa, etſi feliciorem belli exitum ſperarit, & Adrianopolim, ubi tum temporis agebat, feſtivis ignibus recrearit, tamen certior redditus cladis ad Arrabonem acceptæ, collaudato Vezirii conſilio, pactis conventis ſubſcripſit, ut primum Cæſareus Legatus Adranopolim advenit.

1665. Ad id muneris delectus erat Gualterus Comes Leslæus ſexageſimum annum prætergreſſus. Legationi ingens pondus addidit viri majeſtas, bar-

ba

A) Millia quinque a Sporkio cæſa vult Chronicon. B) Vide Chronicon laudatum.

ba in pectus propensa conspicui, præter amplissima dona, A) quibus Mahometem, matremque ejus Validen, & Vezirium Imperatoria prorsus magnificentia excoluit. Belgradi jussus resistere a Vezirio, dum ipse festinato itinere Adrianopolim Principem occuparet, doceretque de Legati adventu. Intellecto, cordi esse Imperatori legationem, ingressus urbem Leslæus, multiplici pompa infinitam mortalium multitudinem, ipsumque Soltanum cum aula ad spectandum excivit. In alloquio sua comitate, prudentia, adeo Imperatorem sibi devinxit, ut summis deinceps honoribus cultus, conviviis, ludis adhibitus, facilem in omnibus eum habuerit. Haud perinde acceptus erat Mehemetes, qui legationem Viennæ obivit, homo extreme stolidus, & avarus, quique suæ gentis mores plane exprimeret. Sed privata hæc vitia, nihil obfuerunt voto utriusque Imperatoris, quo minus pax in campo confecta, in aula firmaretur. Vezirius, qui ad eum diem militem ad Budam, & Strigonium in armis esse jusserat, roboratis induciis, exercitus Constantinopolim revocat, Cretensi bello finem impositurus.

A. C. 1665.

Fluctuabant Veneti MDCLXV anno, si unquam alias, in Senatu; bellumne cum potentissimo Imperatore cœptum continuarent, an vero cessione Dalmatiæ, aut Cretensis insulæ pacem redimerent? enumerarunt longa serie, *quæ ad tempus isthoc tolerassent, quæve toleranda forent bellorum adversa; a quibus parum differrent ipsæ victoriæ, quas interdum ex Ottomanis retulerunt. Nam deleta ad Hellespontum semel, atque iterum classe hostili, cæsis legionibus, captis insulis, quid emolumenti Respublica cepit? quid aliud actum est iis victoriis? nisi ut plures, & validiores exercitus scriberentur, classibus mare sterneretur, vires amplissimi Imperii ad hauriendum Venetum sanguinem irritarentur. Bellum non integrum modo videbatur, sed longe gravius, quam eo die, quo fatales inimicitiæ inchoatæ.* At nihil magis perturbatos reddidit, atque pax cum Leopoldo inita. Præviderunt enim copias omnes in Asiam advolaturas, & maculam ad Arrabonem contractam, militaribus factis conaturas eluere. Et de Vezirio exploratum habuerunt: non ante positurum arma, quam Venetos insulæ possessione dejiciat.

Alii contra disserebant: *bellum non minoribus animis persequendum, quam cœptum. In Hungarica expeditione florem Janicsarorum, partim in oppugnatione Uivarini, partim in prælio ad S. Gotthardum occubuisse; paucos superesse e veteranis, qui, quod sæpius jam victi, facile vincentur.* Placuit nonnullis e Senatoribus, ingenti tumultu arma parare, & pacem, si æquis conditionibus iniri posset, haud respuere. Hæc sententia cum tutissima Reipublicæ videretur, Dalmatiæ præsidiis, quo bellum ex Hungaria transferendum falso putarunt, inprimis consuluerunt. Franciscus Marchio de Villa, apud Sardos artium militarium peritus, invitatu Reipublicæ præter modum incensus, Veneti peditatus præfectura accepta, in Dalmatiam primo quoque tempore abit, tractis secum in eam expeditionem e Nobilitate Sardica multis, militiæ claris, qui deinceps perutilem operam (quippe Centuriones, aut Subcenturiones plerique erant) Venetis præstiterunt. Inspectis, atque refectis mira accuratione arcibus, castellis, maritimaque ora stationibus firmata, adeo militum animis omnis pavor decessit, ut non ad munimenta modo defendenda satis animorum esset, sed etiam ad lacessendum hostem prælio, si quis ingrueret.

Eas res cum maxime ageret in Dalmatia Marchio, tristibus nunciis in Candiam evocatur. Nam Leslæus Cæsaris Orator, ut erat acerrimi ingenii, vivacissimique, e Vezirii, Purpuratorumque sermone facile collegit, non in Dalmatiam, verum in Cretam belli molem conversum iri; idque clam literis Reipublicæ significavit; addito: ipsum Vezirium eo deportaturum exercitus, & urbem tot jam annis ex æquo decertantem omni vi impugnaturum. Haud ex vano nunciasse visus est hæc talia Leslæus, posteaquam Ballarino Oratori Veneto bellum indictum, nisi omnis Creta Turcico præsi-

A) Quæ Adrianopolim attulerit munera, leges in laudato Chronico, & apud Ricautium in Porta Ottomanica.

A. C. 1665. praesidio permittatur. Istud cum negaret suae potestatis esse, neque Rempublicam consensuram, ut nobilissima provincia, navigationeque Asiatica intervertatur; comitate, ingenuo candore, eloquentia, qua plurimum praestabat, Turcici sermonis non rudis, ad conditiones aequiores Vezirium emollire studuit. Is sive spe pacis delusurus Ballarinum, quo industriam Venetorum in bello adornando moraretur, sive alioquin praevideret, nunquam coalituram pacem iis conditionibus, quas jam apud animum statuit ponere Reipublicae, accitis in consilium praecipuis Purpuratorum Adrianopolim, ubi Mahometes venandi gratia morabatur, de bello Cretensi deliberavit. Exploratis singulorum sententiis Ballarino significat: Mahometem, & se non alienum esse ab amicitia Venetae gentis, eam firmam, stabilemque fore, modo eversis omnibus praesidiis, quibus Creta terra, marique cingitur, unam Candiam suis munimentis adhucdum integram Veneti possideant. Ut primum manum admoverint demolitioni, Turcicum militem deductum iri, & pacem, frustra tot exercituum, classiumque strage quaesitam, conclusum iri.

Res sane ridicula visa Oratori, ut insula omnibus munimentis spolietur, & hosti, Reipublicae fatigiis, atque impensis via aperiatur, quo Candiam celerius sui juris faciat. Haec, atque alia cum nunciarentur Venetias; certi Cretam prae Dalmatia ad ictum destinari, Marchionem admonuerunt, ut omni mora interrupta, navigaret in Candiam, ubi belli sedem fore non vanis indiciis haberent. Ille, ne quid detrimenti per suam tarditatem Respublica acciperet, conscenso propere navigio, praetervectus Corcyram, Cephaleniam, Zacynthum, Cytheram, sexta Decembris in Parum insulam appulit. Reperit hic classem Venetam, atque Aegeas insulas more superiorum annorum aut infestantem, aut adversus vim hostilem tuentem. Lustratis copiis decem pugnatorum millia censuit, sed ab annona, nitrato pulvere, re tormentaria male instructa. Tantula manu totius Cretae salus continebatur, & Ottomanici Imperii potentia sustinenda erat. Haesit aliquantisper attonitus Marchio ad diminutas adeo copias, apparatuumque bellicorum defectus, ferturque dubitasse: susciperetne munus a Venetis delatum, & partam armis gloriam discrimini exponeret? postea vero quam omnia large addixerunt Veneti, & datis literis Marchionem hortati sunt, ut in illo belli theatro, quo jam dudum totius orbis oculi conversi sunt, rem Christianam fortiter juxta, ac sapienter propugnet, nihil ultra cunctatus, tanto animosius imperium suscepit, quanto Venetorum spem in se uno locatam luculentioribus argumentis persensit. a)

1666. Duodecima Januarii cum sex, & quinquaginta navibus iter instituit in Cretam. Praeter alia maris incommoda, saevissimo frigore afflicti, ac multis diebus foedis turbinibus jactati; incerta vitae, & perveniendi, quo intenderant, spe; plerique navigationem damnare, quidam etiam reversionem efflagitare coeperunt. Hos Marchio obfirmato ad omnem patientiam, periculumque animo, partim promissis, partim adhortationibus sustentavit, quoad tandem vicesimo sexto Januarii collucentibus flammis, quas Sudenses excitarunt ad detegenda navigantibus saxa, & scopulos, feliciter Sudae portum tenuissent. Hic aliquot mensium stipendia militibus numerata, mirum quantopere eorum animos periculosa navigatione aegros recrearint, & ad sufferendos castrorum labores accenderint. Calore isthoc utendum ratus Marchio, Caneam occupandi consilium init. Itaque Joannem Vertmüllerum, rei tormentariae Praefectum, cum aliquot equitum, peditumque signis, sine strepitu illuc properare, atque insesso itinere, accessum ad urbem hosti claudere jubet; ipse sub haec mandata cum reliquo exercitu Sudam movit. Sed praesidiarii clam admoniti, divisis agminibus adventare Venetos, urbe egressi, Vertmüllerum sine ordinibus incedentem, repente adoriuntur, commissoque praelio ante fundunt, fugantque, quam Dux auxilio suis adesse posset. Improsperum initium expeditionem corrupit. Nam etsi

a) Bapt. Nanus L. X.

etsi mœnia circumvallarent Veneti, unoque mense oppugnationem urgerent, tamen ad extremum visa pertinacia Janicsarorum, qui crebris eruptionibus opera interturbarunt, retractis machinis, atque navibus impositis Candiam abierunt.

A. C. 1666.

Mitescente hyemis tempore in urbis conspectu universas copias in armis tenuit Marchio, moreque militari legiones lustravit. Turcarum promptissimi ex insidiis emergentes, sua audacia tantam formidinem intulerunt primis, quos invaserant; ut hi non attenta paucitate hostium, cum tumultu fugam capessiverint, exercitumque suis ordinibus explicatum in maximam perturbationem traxerint. Tandem Marchionis præsentia, atque monitis firmati, obversis subito armis, plerosque plumbeis glandibus confecerunt. Adversus subitarias ejusmodi incursiones, promota ab urbe longius castra, omni telorum genere, excitatis munimentis, ac turribus defendenda duxit Marchio. Neque tamen propterea hostem, qui haud procul a Venetorum castris metatus est, deterruit, quo minus opera oppugnaret, atque in castra aditum moliretur. Ex quo crebrius fiebant minuta prælia, multique in patentem campum, inter utraque castra porrectum, animose excurrentes, mutuis vulneribus cadebant.

Post levia hæc certamina, fere universa acie dimicatum fuit. Rejecti aliquoties cum jactura militum Turcæ, una impressione cædem commilitonum vindicare ardebant. In hunc finem circuitu viarum facto per colles, repente latera castrorum invadunt. Veneti ut destinatis ictibus confertos figerent, non ante tela emiserant, quam tormentis obnoxios habuere. Tum displosis omnibus machinis, non constiterunt animis Turcæ, itinere fessi, atque improvisa glandium tempestate excepti. Ergo immemores prælii, nullo pudore, non Ductorum præsentia, solvere ordines, fugam moliri lassis corporibus. Visa hac trepidatione, primum peditatus, tum Sfortia, Bissarus cum equitatu erumpunt, ac cursu fatigatos ad munitiones inter stragem repellunt. In hac victoria peccatum est a Venetis. Nam vincendi aviditate abripi se longius passi, ordinibus haud servatis, occasionem dederunt hosti pugnam redintegrandi. E castris prorumpentia agmina repente in victores movent, coguntque inopinato turbatos occursu, totum illud camporum spatium, quod modo mensi erant hostem fugando, idem fugiendo remetiri. Interim Marchio eductis extra castrorum munitiones copiis, suorum illico fugam sistit, atque in hostes convertit. Erat adeo permixta acies utraque, ut nullus tormentorum usus fuerit. Post acrem plurium horarum pugnam, arena excessere Turcæ, amissis circiter mille viris. Apud Venetos minor strages, sed plerique Præfectorum honestis vulneribus notati. A)

Hæc dum aguntur, ad urbem Candiam, Vezirii jussu, Constantinopoli construendæ classi insudatum fuit, ingenti operarum industria. Instructa aliquot navigia, curæ commisit Capsanis Præfecti, navigaturi in Cretam; ipse eo secuturus, ut primum classis, legionarii, machinæ, aliaque, quibus urbs Candia, caput insulæ, subigi posset, comparata fuerint. Ad eum rumorem Hieronymus Grimanus in Zacynthum insulam propere transmisit, quod Capsanem illuc facturum vela, ad annonam, apparatusque bellicos Candiæ destinatos, perdendos trepide nunciaretur. Sed Capsan recto cursu Cretam invectus, & Grimani industriam lusit, & castra Turcica non mediocriter militum supplementis auxit. Ea res permovit Venetorum Ducem, ut solutis castris exercitum Candiæ imponeret, objectisque mænibus militem juxta, & urbem tueretur. Ut vero auxiliaribus copiis, quæ Byzantio non parce mittebantur, percurrendi Ægeum mare facultatem adimeret, armatam classem per nobiliores portus sedulo excubare jussit. At neque istud consilium e sententia cessit, Turcis plerumque nocturnis horis navigantibus, delusisque custodiis, plenis velis in insulam, armorum sedem, festinantibus. Propterea visum est Marchioni (nam & ille partem classis mo-

A) Nanus, & Porta Ottom.

A. C. moderabatur) omnes vires in unum contrahere, & universi certaminis aleam
1666. tentare, si Vezirius congredi auderet.

Ineunte mense Augusto convenire jussi navium Præfecti, coorta horribili tempestate adeo toto mari jactati sunt, ut aliis alio sævitie ventorum abreptis, pauci admodum Andrum insulam tenuerint. Deleri potuisset classis, eo infortunio vehementer consternata, si Vezirius armatis navigiis in tempore adfuisset. Reddita tranquillitate maris, Andrum, stationis locum, omnes intrarunt. Ne porro æstatis reliquum absque operæ pretio efflueret, Chium impugnandam decrevere Veneti, Marchione rem plenam periculi improbante, quod in eam insulam terra, & aquis aditus pateret Turcis, qui profecto non segnes in mittendis suppetiis futuri essent. Authoritate magis, quam ratione persuasit (nempe deflorescente in dies hominis bellica virtute, quam Taurino attulit) ut vires ad impedienda potius auxilia, vel Candiam, totius expeditionis scopum, defendendam converterent. Inter hæc Grimanus, quem Zacynthi periculum nuper avocavit, dum oram maritimam Dalmatiæ legit, duodecim naves re cibaria onustas occupat, ac in Andrum, ubi classis substitit, abducit. Respublica hac Marchionis cessatione minime contenta, Franciscum Morosinum maris, armorumque Præfectum renunciatum, sine mora in Cretam navigare jussit, qui editis in defensionem Candiæ illustribus factis, nomen suum posteritati transcripsit.

Mensis September labebatur, cum repente rumor Andrum pervasit, Achmetem Vezirium, cognomento Kiuperlem, classem validissimam acturum in Cretæ insulam. Quam Veneti famam adeo non negligendam putarunt, ut levatis illico anchoris, reditum diu, noctuque maturarint. Etenim Vezirius, morarum impatiens, posteaquam non expectato classis apparatu, Thebas, Bœotiæ urbem, abiisset, eoque in loco contractum sub signa exercitum, in stativis tenuisset, tandem ineunte Octobri classem, rebus omnibus abunde instructam, ad Eubœam conscendit, atque in Candiam navigavit. Substiterat Thebis longiori tempore, tum quod equitatui alendo, & convehendæ annonæ opportuna regio esset, tum quod terrore adventus sui, Venetos ad iniquissimas conditiones pacis pertrahendos putaret. Ubi animadvertit propositi tenaces, neque literis agere, neque Oratores mittere de fœdere iciendo; Ballarinum Constantinopoli accersiri jubet, spe concordiæ injecta. Haud cunctanter ob Reipublicæ commodum, itineri semet committens, dum Thessalonicam pervenit, febribus corripitur. Patavinus ei ab epistolis, ut paucis diebus profectionem suspenderet reparandæ veletudinis causa, incassum oravit. Nec multo post festinatione viarum, exasperata vi morbi, apud ignobile oppidum Isdin vivere desiit, ingenti Venetorum dolore. Sumptibus Reipublicæ funere elatus, successorem habuit Hieronymum Giavarinam. At Vezirius Caneæ in portum delatus, descensione facta, cum Janicsarorum legionibus Candiam accessit, æstimatisque munimentis, propugnaculis celeberrimæ urbis, arduam oppugnationem, & perdifficilem fore conjecit. Nec abs re. Quippe locum a natura munitum, industria humana ab exordio belli Cretensis, militaribus machinis, terreis, saxeisque operibus mirum quantum auxit. Huc exciti stipendiis Venetorum, peritissimi machinatores, quorum æmulatione, ut fit inter varias nationes, munimentum insulæ fortissimum evasit. Septem propugnaculis, ad omnem artis regulam eductis, atque a tutelaribus loci partim, partim ab authoribus suis appellatis, A) urbs firmabatur.

Postremis hisce annis Marchio de Villa, excitandis, atque tuendis munimentis perinde promptus, nova opera adjecit, veteraque restauravit, tanta firmitate operum, ut urbem invictam reddidisse, hostique animum oppugnandi ademisse diceretur. Sed nihil magis confirmavit Rempublicam, atque veterani milites, Turcicis expeditionibus sub clarissimis Ducibus diu, multumque exerciti, virtute quorum urbem potius, quam suscitatis ingeniose

A) Propugnaculis diversa indita nomina, ut S. Andreæ, Martinengi &c.

niose munitionibus propugnandam speravit. Fuerunt præter Venetos permulti (Volones) qui deliciis domesticis, laboriosissima terra, marique discrimina præhabuere, atque e variis regnis, didita oppugnationis fama, seu gloriæ, seu Religionis ardore succensi in Cretam, belli theatrum, strenui advolarunt; vestigia Majorum suorum prementes, quos non sine admiratione legimus, in ultimas Asiæ terras contendisse, quo in Religionis hostem dimicarent, fusoque sanguine, suum in rem Christianam studium testarentur. Hæc simul omnia complexus animo Vezirius, statuit exercitum per hyemem in æstivis Caneæ reficere, & objectis procul castellis, sine obsidionali strepitu, inferre paulatim obsidionis damna, mitigatis frigoribus vim propius admoturus.

A. C. 1666.

Septima, & vigesima Aprilis anni MDCLXVII. agmina Turcarum, positis castris ad Candiam, oppugnationi longe omnium memorabili, quæ ulli aliquando urbium illatæ sunt, initium fecerunt, ductisque obsidionalibus fossis, erectis per intervalla munitionibus, adeo omnem aditum ademere suppetiis, ut nonnisi maritima ora in potestate Candiensium relicta, quidpiam subsidii sperare potuerint obsessi. Vezirius etsi intelligeret, oppugnationem multo difficiliorem fore, si dominarentur mari, per quod alimenta, cæteraque subsidia urbium obsessarum navigant, tamen ne vires exercitus (septuaginta millia armatorum erant) plures in partes divideret, & robur suum partitione tali enervaret, terrestrem solum oppugnationem instituit. Atque ut militibus, ni caperetur hæc Troja, spem quietis, aut hybernorum aufferret, novam Candiam, a Cussaine olim exædificatam, & alia circum castella, quo se in stativa recipere solebant exacta æstate, funditus everti jussit. Hoc apparatu viso, & pertinacia Vezirii, Veneti fortunam suam veriti, defensionem magnis animis adornavere. Moderabantur præsidio suprema potestate Antonius Barbarus A) vetus miles, & multarum palmarum Imperator, atque Marchio de Villa, fama, quam rebus gestis in Asia clarior. Uterque primam propugnaculis defendendis, muniendis, si quid tormentorum ictus diruerant, curam impendit, maximeque desudavit, ne alter ab altero in prævidendis, aut subeundis periculis industria, magnanimitate superaretur.

1667.

Ea æmulatio paulo in discordias intestinas exarsit, ut jam Barbarus parem perferre nollet, B) Marchio superiorem non posset. Divisis inter se studiis, animisque, ne privata hæc odia processu temporis, in Candiæ perniciem erumperent, Marchio cedendum ratus imperioso homini, urbe excessit, atque Zacynthum enavigavit, obtenta in speciem causa, se ad defendendam patriam, Genuensi bello implicitam, festinatis literis revocari. Sed Morosinus, qui Zacynthum jam applicuit, properi discessus causam facile assecutus, dignitatis suæ tenacissimum placavit, persuasitque non levibus argumentis, ut in Cretam (unde veluti fuga arrepta semet subduxit) rediret, ac intestina æmulatione in hostem melius versa, sua præsentia, sua virtute rem prope conclamatam erigeret. Candiam redux, positis studiis ita cum Barbaro labores partitur, ut hostis in dies senserit, DUCUM concordia geminatos esse militum animos. Et profecto opus erat hac Ducum concordia, ne præsidiarii, diversæ nationis, æmulatione Præfectorum abrepti, non jam in hostes, sed in suos iram, & arma verterent. Censebantur in urbe e variis legionibus delecta sex millia præter urbanos armorum capaces. Delectus præterea fiebant per Italiam; Pontificii, Melitenses propediem adventuri nunciabantur, Rex Galliæ piis Volonibus potestatem fecit in Candia militandi, æreque inopiam Reipublicæ sublevavit. Fabricatæ in usum belli ad Venetias, ad Zacynthum naves; pulvis nitratus, annona plures in annos sussectura Candiam convecta. Denique classicum ubique pro Candia sonuit, majori utique strepitu, quam pro numero auxiliorum.

Tanta concursatio, defensorumque alacritas maturavit oppugnationem, quam Vezirius, inspectis ante operibus suorum, jam fossæ urbis undique

A) Alii Cornarum Catharinum supremum urbis Gubernatorem fuisse scribunt. B) Ita Valier belli Cretensis Scriptor.

A. C. 1667. dique accedentium, propugnaculo, vulgo Panigra appellato, admovit. Antonius Barbarus, ut erat laborum avidus, continuo eam ſtationem ſuis cum militibus occupat, obverſisque in aggeres Turcarum grandioribus machinis, locum tueri cœpit. Operoſum foret ſigillatim referre, quoties cuniculi hoſtium detecti, quoties contrariis ſuffoſſionibus eluſi, aut pulveris vi cum operis in ſublime evibrati; neque illud dictu eſt promptum, quanto ſucceſſu eruptiones tentatæ, ut jam in ruinis mænium, jam in aggeribus, jam in mediis caſtris cruenta certamina contracta; quam operoſæ moles, dirutis mænibus, aggreſſoribus objectæ, quanta peritia, odioque triennium non cum hoſtibus modo, ſed pene cum omnibus elementis, hoſtium animos indutis, dimicatum fuerit? profecto, ſi quis hæc omnia continenti ſerie literis conſignare vellet, tantundem temporis ſcribendæ hiſtoriæ impendat oportet, quantum toto orbe decantata oppugnatio, pro rerum geſtarum magnitudine non immerito habere debuit. Quapropter miſſa in compendium narratione, ea duntaxat in præſentia dicam, quæ potiſſimum ſpem, metumve utriuſque partis augere poterant, quæque peculiarem apud poſteros memoriam merentur; illius etiam dicti Famiani Stradæ, memor: FORTIUM nomina a fortibus factis non eſſe ſejungenda. Hæc interſerere juvit, ne dum Lector juſtæ molis libros evolverit expugnatæ Candiæ, me vel negligentia, vel ſtudio partium, multa ſilentio transmiſiſſe exiſtimet.

Ab urbe obſeſſa ut Turcæ averterentur, Franciſcus Moroſinus, & Alexander Molinus diviſa bipartito claſſe mare infeſtum tenuere, ſparſoque ſui terrore per Ægeas inſulas, & Peloponneſum, intercluſo omni commeatu, Cretam veluti obſidentes, æſtivis menſibus divexarunt. Et Molinus quidem juvenili feſtinatione præfervidus, dum dies, noctesque maria percurrit, crebrius hoſti, pari induſtria aditum molienti in inſulam, conſilium, defenſionemque præripuit. Undeviginti naves inimicas adortus cum decem navigiis, tormentis, & veterano milite armatis, partim fugavit, partim cepit. Inter cæteras unam occupaverat, quæ recens e Syriæ portubus ſolvens prodidit, Ramadanem Begum, tres, & viginti naves propediem adducturum, cum duobus millibus armatorum. Hoc nuncio lætus, illico venientibus occurrit, & quinque præcurſorias ſuo adventu perterritas, in fugam agit. Mox in medium navigiorum agmen invectus ſub primis tenebris, nocte dimicando extracta, aliquot demerſit. Nec feliciorem ſucceſſum habuerunt, quos Vezirius e portu Caneæ in victorem immiſit.

Vix inchoato certamine, veluti teſtes fortitudinis Molinææ, vela verterunt, atque propterea ab irato Vezirio capite truncati. At Tunetana triremis, pertinaci ſpe receſſum diſtulit. Vehebat illa Ramadanem cum ærario, eoque prætorianis militibus ſupra trecentos, plerisque veteranis, ac audaciſſimis firmata erat. Quumque diutius repetitis pilarum emiſſionibus laceraretur, magna utique claſſiariorum ſtrage; repente prora ſuccenſa, fluctibus eſt hauſta. Ramadanes cum filio ſuo, nunc primum ſub auſpiciis parentis militiam ingreſſo, arrepta, quam ſors obtulerat, trabe, mortem evaſit, ſed harpagonibus attractus a victoribus, vincula diu geſtavit Venetiis cum filio, paterni infortunii hærede. A)

Moroſini expeditio haud perinde terminata fuit, etſi initia proſpera. Quamdiu claſſem collectam ducebat, nemo hoſtium in Cretam navigare eſt auſus. Ut primum maritimas illas vires pluribus Præfectis commiſti, numero, roboreque navium diviſo, Capſani, claſſis Byzantinæ Præfecto, occaſionem dedit militem, arma, commeatus in Cretam deportandi. Hoc ſucceſſu elatior Archithalaſſus, Parum inſulam, Reipublicæ tributariam, abductis incolis, & pecore evaſtavit. Moroſinus deſperato maris dominio, in Candiæ urbem curam deinceps omnem ſedulo intendit; illuc profectus e portu Sudenſi, convocato Senatu bellico, in deliberationem ſumpſit: num ipſe urbem defendendam ſuſciperet? an vero ad intervertendas hoſtium ſuppetias operam continuaret? Barbarus, qui decus tuendæ urbis ſibi proprium aſſe-

A) Molinum iſthæc egiſſe author eſt Nanus, Vezirio nondum Canea diſcedente.

A. C. 1667.

asserere cupiebat, prompte negavit e dignitate fore, ut summum armorum Ducem intra mænia urbis occlusum hostis teneat. Non adeo angusto loco res urbanas esse, ut primis obsidii mensibus, vis ultima urbe eatenus invictæ impendatur. Contra: Marchio ruinas Panigræ propugnaculi, cædes pugnacissimorum militum, invadentium pertinaces conatus obtendit, conclusitque Candiam perditum iri, nisi Ducis præsentia, fortuna belli mutetur. Nempe retinere ardebat Morosinum, cujus imperium potius, quam Barbari elatos spiritus ferre maluit.

Fervente adhuc deliberatione; Pontificis Clementis IX. A) Melitensium, & Siciliæ subsidia applicuerunt. Sed viso Turcarum apparatu Candiæ incumbentium, præter omnium opinionem Sudam discessere, indeque in Italiam. Aliquot tamen Volones Harcourtio Ductore præsidiarios auxere. Morosinus, cum classem suam multo inferiorem censeret Ottomanica, & periculum urbis in dies cresceret, nihil ultro tentandum ratus mari, defensionem non invitus suscepit, sive æmulationum faces, quæ adhucdum gliscebant inter Marchionem, & Barbarum, extingui posse sua præsentia putaret, sive asservata urbe maximam gloriam sibi obventuram speraret. Barbarus Morosini proposito perculsus, cum nondum uno rivali superior, alterum multo fortiorem in communionem gloriæ venire videret, adeo affectui suo indulsit, ut palam a Morosino dissidere nihil pensi haberet. Eo intellecto, placuit Reipublicæ, hominem elatæ mentis ex Asia revocare, ne variantibus Præfectorum sententiis, animisque, inevitabilis pernicies urbi crearetur. Non longo temporis intervallo hujus vestigia pressit Marchio de Villa, Taurinum accitus a Principe suo. Utriusque locum expleverunt B) viri, belli artibus clarissimi, Barbari quidem Bernardus Nanus, Marchionis de Villa, Alexander Marchio S. Andreæ, Gallus.

Interea etsi numerum copiarum augeret Capsan advecta quatuor, & viginti navium classe, & Panigræ propugnaculum, furnulis prospere solutis, eversum foret, tamen tantus ardor ruinas defendentium erat, ut pactis potius conventis, quam armorum potentia, præsidium primi nominis, subjugandum putaret Vezirius. Cum præterea hyems appeteret, & obsessi erumpentes quotidie funera cumularent, metuere non abs re cœpit, ne miles tædio laborum fractus, Byzantium cogitet, & sævities frigoris victoriam in manibus infringat. Ea propter Giavarinam Oratorem Venetum, quem Zacynthum appulisse fama percepit, fide data in castra venire jubet; comiterque acceptum promissis ducit, muneribus donat, quo hominem ad dedendam urbem emolliat. *Negavit abrupte ille ea de re verbum sibi facere licere. Venetos communi consilio sanxisse, ut ne pax fieret, nisi salva Candia. Nec a fortuna adeo desertos Candienses, nec debere Vezirium nimia fiducia inflari, quasi urbem leviter verberatam, propediem esset capturus. Uno propugnaculo decusso, maximam partem Candiæ stare; superesse præsidiarios, qui objectu corporum suorum, dum sanguis in venis fuerit, ruinas tueantur; iis captis advolaturos alios post alios e provinciis Europæ, & promptis animis cum Candia occasuros.* C) Vezirius generosos hos spiritus temperatum iri existimans pertinacia obsidentium, nihil remisso oppugnandi ardore, Giavarinam apud se detinuit. Quin extincto eo, atque Patavino, qui Caneæ res Venetas curabat, petiit a Republica viros, quibuscum pacis negotium inter armorum strepitum tractare posset. Anceps hæsit Respublica, quem tædioso muneri admoveret; facile enim prævidit, multa ludibria exhaurienda Legato in castris, neque tamen pacem coalituram. Tandem Ludovicus Molinus sequenti anno est missus Larissam ad Mahometem Imp. cujus acta infra paucis perstringam.

Jam

A) Ant. Sandinus in Vitis Pontif. Secul. XVII. hunc in modum scribit: „ Clemens IX. periclitanti Candiæ ut subsidia mitteret, nihil intentatum reliquit, operamque diligentem impendit, ut Christianos Reges redigeret in concordiam. „ Idem adfert Brietius ad annum præsentem; qui tamen negat Melitenses Equites hoc anno opem tulisse Venetis, propterea quod isti eorum triremibus non eundem, quem Pontificiis, locum concedere voluerunt. B) Initio nempe anni 1668. Varii varias causas reditus prodidere. C) Joannes Bapt. Nanus Lib. X.

A. C. 1667. Jam extremum autumni erat, Vezirius tamen in obſidione perſeverare decrevit, ne videlicet perculſis ad ſarciendas mænium ruinas, quas perpetuis ictibus machinarum, & cuniculis fecerat, otium concederet. Eo rumore per caſtra ſparſo, variis affectionibus animi laborabant milites, alii miſſionem poſtulare cœperunt, maxime Aſiatici, quos jam tum imminentis hyemis incommoda urebant; alii morbos, famem, ſi in Creta hyems tranſigenda foret, metuebant; auctisque in majus periculis, quæ obſidentibus accidere poſſent, ſeditioſis vocibus caſtra complent. Sed pertinacior ſententiæ erat Vezirius, quam ut ejusmodi argumentis a propoſito dimoveretur. Communitis, quantum fieri potuit, adverſus hyberna frigora caſtris, Capſanem cum quatuor millibus partim læſorum, partim variis morbis laborantium Conſtantinopolim reducere claſſem juſſit, datis ad Mahometem literis, quibus res geſtas ea æſtate ad Candiam perſcripſit, nempe: *exercitus Venetorum terra, marique pulſos, intra mœnia obſeſſos teneri; bina propugnacula militum fortitudine jam obtenta eſſe: ſpem certiſſimam affulgere urbis capiendæ. Venetos de pace appellatos ſuperba, indignaque repoſuiſſe, haud dubie Chriſtianorum Principum auxiliis, quæ adfutura primo vere minati ſunt, confiſos.* Addidit deinde: *quo propior ſpes belli Cretenſis perficiendi, eo magis omni ope ſe adjuvandum. Procul Byzantio militem agere; affluere ex Europa novas identidem copias. Mare apertum eſſe Candienſibus; magnam vim frumenti, & pecuniæ abſumi; militem etſi eatenus victorem, multis præliis, inſultibus, morbis minutum. Mittendum igitur ſupplementum, mittendam in ſtipendium pecuniam, frumentumque tam bene meritis de Turcico nomine. Statuiſſe ſe apud animum, non ante e Creta ſoluturum, quam armis ſubjugatam in triumphum rapiat.* Soltanus collaudato Vezirii conſilio; quo homini ſtimulos adderet, muneribus decoratum, gratiæ Imperatoriæ ſecurum eſſe jubet, belloque proſequendo ſe non minus rem frumentariam, quam ſupplementa militum curaturum pollicetur.

1668. Et vero cum nullam e fatali bello ſe explicandi rationem ſupereſſe conſpicaretur ſtante Candia, & Romanum Pontificem grandi fœdere conciliandis Principibus allaborare audiret Imperator, ſepoſito tantiſper venandi ſtudio, maximos toto late Imperio paratus fecit, accitis in negotiorum molem Purpuratorum plerisque. In Albania, Epiro, Macedonia, Dalmatia delectus fiebant; annona ex Ægypto vehebatur tanta copia, ut nuſquam minoris eſſet frumentum eo temporis, quam in caſtris Ottomanicis. Porro ut maturius ad ſigna conflueret miles, de induſtria rumorem Byzantii ſparſit, ſe oppugnationi adfuturum, & bellum ſuo ductu abſoluturum. Ea fama provincias Imperii pervagata, ingentem armatorum numerum in caſtra coegit. Profectione indicta, ad Peloponneſum claſſem dirigi, qua in Cretam transmitteret, familiamque deſcribi mandat. Mufftius, aliique familiares iter magnopere diſſuaſerunt, ne ſcilicet armorum ſtrepitu captus, in caſtris deinceps verſaretur frequentior, quam in aula, paulatimque eorum imperio ſemet ſubduceret. Vezirium adventus Imperatoris longe vehementius perculit, nempe prævidentem, ſibi belli gloriam ereptum iri, ac in Mahometem transferendam; ITA PLERUMQUE fieri, ut a Præfectis, a militibus pugnetur, a præſenti Imperatore vincatur, triumpheturque. Itaque ut averteret honoris jacturam, properatis nunciis eum admonuit, ne in Cretam trajiceret, ſed Adrianopoli, aut alibi locorum ſubſiſteret, ſibi nec conſilium, nec fortunam defore in Candia domanda. Nec pluribus opus erat hominem arduis expeditionibus inaſſuetum, a maritima jactatione, aliisque belli diſcriminibus avocare; Lariſſam tamen animi potius cauſa, quam belli, contendit.

Nihilo remiſſiores ad defenſandam Candiæ urbem, cui uni belli pondus incubuit, Principes Europæi extiterunt. Clemens IX. ſummus ſacrorum Antiſtes pro ea, qua ferebatur in Religionem Chriſtianam cura, per ſuos Oratores in diverſis aulis egerat, ut priſcam Majorum ſuorum pietatem

etatem revocarent, in excidium nobilissimæ urbis ruentem Ottomanum arma verterent, Religionis Asianæ reliquias milite, ære tuerentur. Ipse suo exemplo tracturus, quos internunciis moverat, milites Mutio Mathæo Ductore, præter maximam vim pecuniæ, A) Reipublicæ dedit, qui permolesta navigatione maria emensi, Candiæ portum initio anni MDCLXVIII. maxima obsessorum gratulatione attigerunt cum Bernardo Nano, aliisque clari nominis Italis. Melitenses uti superioribus annis, ita in præsenti agmen suarum navium adduxerunt. E Galliis etiam aliquot centuriæ non tam numero, quam virtute armatæ, Ludovici XIV. Regis venia, Cretam petierunt. His se flos ipse Nobilitatis Gallicæ adjunxit, suisque stipendiis militem aluit, Fevillada nobilissimos adolescentes in societatem sacri belli trahente. Hic est ille Fevillada, qui in Pannonia ad S. Gotthardum Gallici peditatus Magister, insignem operam contulit ad victoriam, Ducis, & militis munere functus; quippe unius manu viginti Turcarum interfectos Historici memorant. B) Serius advenere tres Legiones Luneburgicæ, & Brunsuicenses; Catharinus Cornarus stipendiis Reipublicæ delecta tria millia media æstate Candiæ injecit; exeunte vero hyeme præsidiariorum octo millia sunt censa. Hisce copiis adversus validissimum exercitum Ottomanorum, Candiam defendi posse nemo ambigebat, & nisi transfugæ indicio vires suas maritimis munitionibus admovisset Vezirius, invicta stetisset.

A. C. 1668.

Erat is Andreas Barozius c) Candiæ civis, atque a defensione patriæ suæ immortalem memoriam apud posteros meritus, si præclara facta turpissima proditione non corrupisset. Cum homo militaris multa perpetraret in cives, licentiusque versaretur inter arma, ac Centurionem in iis angustiis deceret, a Senatu bellico dignitate exuitur. Pupugit virum, divini, humanique juris pridem oblitum, adeo vehementer irrogata hæc pœna, ut deserta conjuge, desertis pignoribus se ad hostem conferret, consiliumque, & manum oppugnandæ patriæ impius transfuga accommodaret. Nihil gratius accidere potuit Vezirio hujus defectione, speravitque a læso, ac vindictam ferociter spirante quid firmi, quid fluxi foret in præsidio, facile extundi posse. Non opus erat proditorem ducere promissis, aut terrore admoto urgere, ut ea panderet. Ultra & numerum militiæ, & propugnaculorum firmitatem, & classiariorum robur; quo item loco res Candiæ foret, quæ consilia oppidanorum, enucleate, ac vere patefacit in corona Præfectorum, hortaturque ut terrestrem oppugnationem in maritimam commutent. Hoc genere oppugnationis res duas obtenturum Vezirium, videlicet munitiones vetustate nimium attritas facile dejecturum, & clauso mari obsessis spem nullam relicturum exteræ opis.

Hæc talia edoctus Vezirius, non dubitavit deductis a propugnaculo Panigræ, aggeribus usque ad mare, perpetua sæpe committere castrensia opera. Porro apud oram maritimam, ubi Veneta classis portum intrare, aut copias litori exponere solebat, duo castella terrea ad caput portus excitare statuit, quo suppetiis omnem aditum in urbem præciperet. Id vero cum arduum, tardumque plerisque videretur (nam in oculis Candiensium assidue jaculantium opus perficiendum fuit) ipse Vezirius ligonem tractare minime erubuit, ratus EXEMPLO Ducis promptiores advolaturos gregarios. Nec spei falsus fuit. Nam summa festinatione, insudantibus die, noctuque multis fossorum millibus, utraque munitio e castrensi disciplina absoluta stetit, illatisque grandioris molis tormentis, propugnaculum D. Andreæ ad mare protensum illico infestavit.

Equidem defensores, animadverso Vezirii consilio, maxima vi nitebantur cæptum opus interturbare, eruptione valida tentata, ne commeatu, & auxiliaribus copiis, quæ in dies expectabantur, excluderentur. Sed

A) Vide Brietium, quid meminerit de summa pecuniaria. B) Porta Ottomanica, seu Histor. Turc. T. II. e sinceris Scriptoribus Ricautio, Donato, Foscarino &c. collecta, ac Augustæ edita 1701. Colignio hanc laudem tribuit copiarum Gallicarum Præfecto. c) Nanus L. XII.

A. C. 1668. vel iste nimius repugnandi ardor, hostes accendit ad maturandum opus, quo semel absoluto, sperabant diuturna obsidione urbem præ inopia ciborum, aut militum tenuitate languescentem, sine sanguine, sine armorum usu captum iri. Et reipsa fame edomari potuisset Candia, si portui classem admovissent, vel sinu profundi maris saxis, arboribus impleto, utramque ripam portus commisissent. Hoc neglecto, etsi e duobus castellis in navigia fulminarent, tamen ob maris latitudinem, & nautarum peritiam, inter noctis tenebras, utriusque castelli conatus elusi sunt, crebroque obsessi suppetias in urbem acceperunt. In hunc modum instituta oppugnatione, a prima minime destitit Vezirius, quod & famæ interesset, & multum in ea processum foret, existimareturque longe utilius obsidentibus, si pluribus simul in locis fatigaretur, distrahereturque urbis præsidiarius.

Arctius jam clausi Candienses, firmata invicem fide conveniunt, urbem se ad extremum usque spiritum defensuros. Inde reficiendis mænium ruinis, parandisque novis intra mænia receptibus, certatim operam adjiciunt, barbaros omni telorum genere feriunt. Marchio S. Andreæ maritima munimenta, quibus hostilis vis eo temporis maxime incubuit, cum Bernardo Nano propugnanda suscepit, militibusque immistus, incredibili fiducia assilientes Turcas non semel repulit. Nanum cautius suo munere fungentem fortuna destituit. Ictu glandis frontem lethaliter percussus, animam efflavit. Evulgata morte, raro milites effusiore virtutum commemoratione luxere Ducem. Quippe a teneris annis militiam secutus, in flore ætatis terrestres, maritimasque expeditiones auspicato absolvit, spemque ingentem suo adventu præsidiariis fecit, supremam armorum præfecturam non minori felicitate terminaturum.. Sed repentinum incendium ad privata quemque pericula a luctu revocavit. Præter tormenta impetendis mænibus opportuna, machinas, vulgo mortaria (in quorum invento humanum ingenium multum efferavimus) adhibuerunt Ottomani, e quibus globi ingentis ponderis in altum expulsi mox minaciter recidentes stragem tectis, hominibusque, quam inopinatam, tam inevitabilem intulerunt. Unus ex his in sublime ejectus, fortene, an machinatoris opera? incertum, tanta vehementia armamentarium urbis concussit, ut perterebratis, excussisque prægrandibus saxis, triginta confecti pulveris doliola comprehenderit, hominesque juxta, & ædificia miserabili strage sepeliverit. Marchio S. Andreæ, Hieronymus Battaglia, qui Nano nuper extincto successit, Catharinus Cornarus, veriti ne quid per eum tumultum tentarent hostes, milites arma capere jubent, acceleratoque ad mænia gradu, stationes geminato præsidio firmarunt. Opportunam occasionem in ea perturbatione urbis procurrendi Turcæ habuerunt. Verum quatefactæ motu terræ, atque fragore perterriti, non nisi sopito jam incendio, propugnaculum Sabionaræ A) invaserunt, visoque defensorum numero post levem velitationem redierunt in castra.

Hæc inter abeuntibus Pontificiis, & Melitensibus in Italiam, Fevillada Gallorum Dux Candiam ingressus est. Post modicam requietem, arduam S. Andreæ stationem sibi deposcit. Sed cum eam veterani præsidiarii nollent cedere, Gallis vicina munitio defendenda attributa fuit, non imparis periculi. Ut in illa gentium æmulatione dignum sua natione, sua virtute facinus ederent, impetrata erumpendi facultate, paucis ad stationem relictis, Ductore Fevillada, præeuntibusque fortissimis Centurionibus sexcenti improviso erumpunt. Cæsis excubiis, dum alii valla proruunt, alii tormenta corrumpunt, alii hostem persequuntur, totis castris ad arma conclamatur. Accurrentibus Turcis, Galli conjunctis viribus acriter obsistunt, & Fevillada pugnam ciente, aperta, quocunque arma verterent in primo calore, via, magnam trepidationem, cædemque inferunt. Ardentius, inconsultiusque provecti, quam pro numero militum, post consumptas vires reditum anxie circumspiciunt, referentesque gradum veluti jussi nondum certa-

A) Hoc propugnaculum ad mare protensum fuit, uti & S. Andreæ.

certamen omiserunt. Ea res animum reddidit Turcis, auxitque, dum nonnulli celerius, ac par erat, ad mænia contenderent, Marchione Radaurio inter primos interempto, Juvene præfervido; cujus necem deflevisse ipsi hostes feruntur. In eo recessu sane perturbato, hostium telis ceciderunt e Nobilibus centum viginti, quorum capita contis præfixa, triste spectaculum diu fuerunt obsessis. Galli subinde ad centum triginta redacti, temperato multum ardore in patriam migrarunt. Hiatum satis, superque expleverunt Brunsvicenses, & Luneburgicæ ternæ legiones, sub totidem Præfectis C. Valdeckio, Mollesonio, & Radsfeldio, severiore suffragio ad id muneris delectis. At Valdeckius vulneribus confectus paucis post diebus occubuit. A. C. 1668.

Transacta inter mutuas cædes æstate, & autumno, adfuit mense Novembri Larissæ Orator Venetus Ludovicus Molinus de fœdere collaturus consilia. Vix ulla legatio gratior visa est Purpuratis, quod plerique existimarent, deditum venisse Candiam, quæ exteris munimentis spoliata arctiori in dies obsidione premebatur. In concilium admissus, posteaquam brevi sermone initium Cretensis belli, progressum, strages deinde hominum, oppidorum, classium perstrinxisset, eo subinde dilapsus est, ut admoneret Purpuratos pacis ineundæ, alte dissimulans deditionem Candiæ. Nemo erat ex illis, qui bellum præ pace mallet. Sed ubi Soltanus intellexit, Venetos Candiam minime cessuros, spem pacis non abrupit modo, sed etiam in Dalmatiam, ubi bellum elanguit, copias traducere ardebat, Cattarumque impugnare. Ad hæc quo accelerarет excidium Candiæ, ipse in insulam trajicere avebat; nam quæ per Vezirium, aut minores Præfectos sunt acta in ea obsidione, cuncta damnare cœpit, ratus PLURIBUS curam, omnibus abesse fortunam. Vezirius, ne Dalmatia impeteretur, intercessit, haud ignarus quantum copiarum requireretur in eam expeditionem, sibique detrahendum, quidquid virium in Dalmatiam mitteretur. Neque Purpuratis placuit, ut Mahometes Candiam peteret.

Missus est tamen ad Vezirium Calabis, qui de Molini legatione, deque desiderio pacis eum edoceret. Severe vetuit mentionem pacis fieri in castris Vezirius, quod militum animos hujusmodi spebus ad quietis, ad otii cupiditatem traductum iri formidarit. Ut vero Mahometem ad prosequendum Cretense bellum confirmaret, convulsa urbis propugnacula, obsessorum angustias Calabi sigillatim exhibuit, addiditque: non modo Candiam, sed omnem insulam in potestatem Imperatoris venturam, si Majorum gloriæ memor, quo animo arripuit arma, eodem tractarit. Porro ut ne occasio daretur Molino cum Mahomete agendi Larissæ, clam institit apud Purpuratos; Molinum inopinantem obruerent, adhibitaque vi in Cretam mitterent. Caimacan (hoc nomine appellantur, qui absentis Imperatoris, aut Vezirii vices obeunt) tanto promptior operam suam accommodat, quanto sanguinis nexu Vezirio propior. Itaque primo, & vigesimo Decembris ante tertiam vigiliam, somno oppressum quindecim satellites occupant, raptumque cum domesticis suis, primum in Euboeam, dein Cretam deportant; Caneæ honestiori loco custodiendum. a)

Respublica Veneta, quando tot legationes suas in irritum cecidisse videt, & concordiam inire, nisi Candia avellatur, desperat, ad bellum sustinendum, quod reliquum erat, animum retulit; spe subnixa, constantia sua, & vi expressuram se a Mahomete, quod amicis conditionibus conficere non potuit. Accendit fiduciam Clemens IX. cujus princeps cura, cogitatioque fuit, de conciliandis Reipublicæ Christianis Principibus, atque ad opem excitandis. Nec frustra opera communis Patris desudavit. Nam Principes Italiæ, Germaniæ, Brunsvicensium, Luneburgicorum exemplo moti, nunc a Pontificis Oratoribus inflammati, superiorum annorum languorem correxere, eoque ferventius ad Candiam liberandam conspirarunt, quo luculentiora, præteriti temporis damna, sub oculis erant. Etenim non abs re metuebant, ne invalescens e ruinis Reipublicæ Venetæ Ottomanus in Italiam 1669.

a) Hæc ex Joannis Bapt. Nani partim, partim e Turc. Historia.

A. C. 1669. liam arma vertat, eaque evaſtata trans alpes potentiam porrigat, & Germaniæ non jam ex Hungariæ provinciis, ſed ex Italia infeſtus incumbat. Ludovicus XIV. Galliarum Rex, ut regni amplitudine omnes facile ſuperavit, ita celeritate auxiliorum omnes antevertit, fuitque ea magnanima pietate, ut ſeptem millia armatorum, Franciſco Vandomo Beaufortii Duce Architalaſſo Galliæ, pro Candiæ ſalute militatura anno MDCLXIX. in Cretam tranſtulerit.

Non latuit Vezirium tot Principum conſpiratio. Idcirco, ut grandia hæc fœdera everteret, Candiæ urbem omnibus viribus infeſtat, qua capta non ambigebat Principes in diverſas opiniones diſceſſuros, ſicque armorum ſocietatem diſſolutum iri. Propugnaculum S. Andreæ, quod anno ſuperiori proditoris indicio quatere cœpit, per hyemem utcunque inſtauratum e ruinis, omnem tempeſtatem pilarum, & cuniculorum perferre debuit. Marchio S. Andreæ, aliique primarii militum Ductores, quanto ferocius ei loco inſtiterunt, tanto pertinacius contempto mortis periculo repugnarunt. Ex quo paſſim funera cumulabantur intra urbis ruinas clariſſimorum virorum. Franciſcus de Villa Marchio, tunc Pontificis copiarum Præfectus, grandiori pila ictus momento obiit. Eodem mortis genere occubuit Catharinus Cornarus, dum ſtationes militi deſignat, pila e mortario evibrata miſere diſcerptus. Non aliam jacturam ægrius tulit Senatus Venetus, cujus decreto oratione publica laudatus Venetiis, tanto verior de illius militari laude ſermo fuit, quanto ille a rubore remotior, & Orator ab adulationis ſuſpicione.

Vezirius intra ſpem, & metum hærens, de concordia Molinum interpellandum duxit. Evocato in caſtra pacem toties petitam, toties rejectam offert; exiſtimans Venetos a bello feſſos, & prope Candia exutos quibuscunque conditionibus arma poſituros. Adhæſit illico negotium, negante Molino, ſibi quidpiam juris eſſe Candiam tradendi. Remiſſus Caneam, Vezirium curis non ſane levibus conflictantem, in caſtris reliquit. Nam & obſeſſi per eos dies audacius eruperunt in caſtrorum ſtationes, & Mahometes ad unius urbis mænia tres annos hærentium ignaviam increpuit. Hoc convicio homo tenaciſſimus honoris, & gloriæ adeo everberatus fuit, ut morbo proſtratus, imparque caſtrenſibus tædiis, multum ab oppugnationis ardore remiſerit. Imperator quoque per intactos Lariſſæ ſaltus, dum more ſuo feras agitat, ſive nimio labore fractus, ſive cœli peſtilentia correptus, gravem in morbum incidit; vulgataque falſo rumore illius morte, Lariſſæ, Conſtantinopoli tumultus oritur. Pars militum in filium Mahometis Imperii dignitatem transferre meditabantur; pars Solymano (frater is erat Imperatoris) æquior, præterita ſtirpe Mahometis, hunc ad thronum poſcebant. Præfecti militum, quibus conſtabat Mahometem vivere, ne caſtra pervaderet atrox, incertusque rumor, præcipuos e Janicsaris in palatium, ubi æger decubuit, adducunt, oſtenſoque Imperatore, iis mox & aliis certatim accurrentibus, opinionem eximunt. Perculit Imperatorem immatura militum voluntas erga Solymanum, veritusque, ne iſtud aliquando vi perficerent, quod in præſenti ceu neceſſitate adacti attentare ſunt auſi, excogitavit rationem, qua ita regimen conſtabiliret ſibi, filioque ſuo, ut inpoſterum nullam occaſionem haberent Solymanum Imperatorem proclamandi.

Conſtantinopolim ablegat ſibi fidos ſatellites cum mandato: Solymanum cum fratre ſuo interficerent, datis ad urbis Præfectum hac ſuper re literis; Soltana Principes adoleſcentes, concitato inter militem, & civem tumultu, ſævo imperio ſubtraxit. A) Salvis Principibus nondum conquievit civitas, detecta ſcilicet iisdem diebus quorundam Præfectorum in corrumpenda moneta inſigni licentia. Quibus intellectis, cum per valetudinem ipſe

A) Perperam igitur T. II. Portæ Ottomanicæ leges Solymanum III. Mahometis IV. fratrem eſſe veneno ſublatum hoc anno. Nam hic Solymanus anno 1687. imperare cœpit Byzantii, Mahomete IV. exauthorato, atque in carcerem conjecto.

ipse proficisci non posset Constantinopolim, Vezirium authoritate metuendum eo contendere jussit. Verum Candiæ obsidio eo maxime temporis, quo Galli adventare ferebantur, eum abesse non sivit. Misso igitur Janicsarorum Aga, primariis authoribus turbarum, aliis procul a populo obstricto collo, aliis palam suspendio necatis, tumultus compositus fuit, nullo inter hæc populi motu ceu majora pertimescentis. A. C. 1669.

Appropinguantibus Gallorum copiis, negotium pacis iterum incaluit. Candiæ loco offerebantur Venetis aliquot præsidia in Dalmatia, quæ Vezirius deducto milite Ottomanico, se permissurum Venetis pollicebatur, ut primum deditione occuparit urbem. In eandem sententiam Mahometes scripsit per Capsanem, consilii causa Larissam expeditum, monuitque Vezirium, ut quam mollissimas conditiones Molino proponeret, quo citius tabulæ pacis conficerentur. Nempe solicitus de domesticis turbis, quas Matrem alere non falso existimavit, minus prosequendi belli studiosus fuit. Verum Molinus ut alias, ita in præsentia a sua Candia constanter stetit, adjecitque haud integrum jam esse Reipublicæ pacem accipere, nisi prius explorato Regis Galliarum animo, cujus copiæ jam in propinguo adessent. Et reipsa nona, & decima Junii classis, ardentissimis votis expetita, in conspectum obsessorum venit. Eodem adhuc die admoniti Duces Gallorum de tenuitate præsidii, & periculo Candiæ, si insultum tentarent Turcæ; militem sub primas noctis tenebras urbi injiciunt, stationem in propugnaculo S. Andreæ adductis aliquot manipulis alacres firmant. Vigesima tertia Junii Gallorum supremi Præfecti, viso urbis discrimine, consultare cœperunt cum Morosino Venetorum præcipuo, qua ratione mænia eversa, urbem propugnaculis spoliatam, ac suis ruinis prope consepultam tueri possent? post longam consultationem summa vi in castra erumpendum esse, quotquot in eo concilio sane bellicoso aderant, majori utique animo, quam successu statuerunt. Vix triduo exacto Galli, in quatuor agmina divisi, signum ad invadenda hostium opera postularunt. Beaufortius Dux, præliaris ingenii homo, cum quatuor centuriis desultoriorum primum locum inter erumpentes sponte occupavit, etsi illum permulti e Nobilitate Gallica ab ea mente dimovere cuperent, testati facere eum contra Regis causam, cujus copias in iis angustiis deberet consilio sustentare, non vero superaddito periculo perditum ire. EXERCITUM tamdiu salvum esse, quamdiu Imperatorem consilio promptum incolumem habet. Surdo canebantur hæc talia.

Igitur septimo, & vicesimo A) die Junii, ad primam auroram sex peditum millia, equitum sexcenti sine pulsu tympanorum per ruinas propugnaculorum S. Andreæ, Sabionaræ egressi, præeunte cum suis Beaufortio, Turcarum excubias somno solutas momento opprimunt, aggeres, tormenta, cæsis custodibus occupant. Vezirius e ruderibus novæ Candiæ, agmina erumpentium prospectans, extemplo suos in aciem rapit, atque ad aggeres recuperandos celeriter accurrit. Sed jam Navailles, alter Gallorum Dux, duabus legionibus secum adductis, ita fossæ marginem muniverat, ut etsi maximo numero convolaret hostis, perrumpere tamen non potuerit Gallorum ordines. Fervente ad aggeres pugna, classiarii Galli, Venetique jussu Beaufortii ingentem vim pilarum effundunt in castra, promiscuaque cæde perturbatos undique urgent. Ancipiti malo circumventi barbari, instantibus acriter Gallis, aggeres cedunt, peneque victoriam; nisi repentinus casus prosperos successus funestissimo exitu involvisset. Centum triginta quatuor doliola pulveris pyrii fugatis Turcis occupaverant Christiani; hæc fortuito incendio correpta & Turcis animum fugiendi, & Gallis plenam victoriam reportandi consilium ademit.

Nam veluti subterraneo inclusi aeris impulsu commota tellus, utramque pugnantium partem adeo confudit, ut tonitru procul exaudito, vacillantibus corporibus, & quasi inter medios fluctus navigantibus, victor perinde, ac victus, mentem amisisse videretur. Major tamen cura Gallos habuit,

A) Alii vicesimum quintum, alii quartum diem adnotarunt.

A. C. 1669. buit, quod putarent alii, princeps armamentarium urbis in auras ejectum, alii furnulos a Turcis solutos, & complures solvendos, seque inevitabili strage non dubie hauriendos. Ea cogitatio plerosque in maximam perturbationem, & fugam conjecit. Quod conspicati Janicsari, collectis animis, viribusque, in omnem partem fugientes celeriter consequuntur, atque numero aucti, inter cædes multorum ad mænia usque propellunt. Equidem Marchio S. Andreæ, viso Gallorum panico terrore, extemplo lectissimam manum armatorum eduxit, sed adeo fugam sistere non potuit, ut & ipse fugientium torrente intra urbis mænia abriperetur. Beaufortius in extrema illa rerum perturbatione, sua virtute indignum ne quid admitteret, ratus præterea exemplo suo, & sanguine retentum iri militem in campo, prærapidus in confertos hostium cuneos irruit, ac fortiter pugnans cecidit magno exercitus luctu, ac dolore non modico Galliæ. Haud feliciores erant classiarii, quos unius navigii incendium pariter a pugna abstraxit.

Atque hic exitus eruptionis fuit, ut magno tumultu peractæ, ita non sine Gallorum culpa institutæ. Etenim Marchionem S. Andreæ, cujus virtute ad eum diem Candia defensa fuit, neque in consilium, neque in societatem armorum admiserant Beaufortius, & Navailles; ne videlicet socium victoriæ haberent; præterea Venetos rerum Ottomanicarum magis gnaros, spectatores potius, quam actores in illo Martis theatro adesse maluerunt. Inde factum, ut oborto fragore pulverariæ pestis, quam manibus tenuerant victoriam, amitterent. Nempe ANIMORUM, consiliorumque, ut fere in commixtione diversarum gentium usuvenit, disjunctio, plus sæpe nocet, quam hostis. Hæc porro clades tanto celerius Candiam ad deditionem adegit, quanto Navaillem, cæterosque Gallos in patriam redire vehementius incitavit. Nam distracta urbis præfectura in plures, cum raro in eandem sententiam irent Primores, segniter omnia administrata fuerunt. Maxime vero infausta eruptio, ut omnium animos depressit, ita uberrimam segetem discordiarum Præfectis dedit. Accessit morborum contagium, quo veterani correpti, præsidiariorum numerum in dies minuerunt. Certe e sex millibus Germanorum, A) quæ urbem intrarunt, duo non nisi millia supererant, pallore, macie confecta, & vix armis ferendis. Itaque Navailles consumptis frustra consiliis, & viribus, post multas deliberationes Morosino mentem suam aperit: *jam elapsum esse tempus, quod per facultatem Regis Ludovici copiis Gallorum impendere licuit Candiæ, rebusque Venetis; se alioquin prospicere, locum undique apertum adversus ingentes exercitus defendi non posse: e Republica facturos Venetos, si propera deditione victoris iram leniant, & salvis corporibus, facultatibus, insula demigrent. Quod si amici consilium respuant, viderent, ne ruinis Candiæ sepulti, sero nimium pertinaciam suam damnent; se in posterum unice adlaboraturum, ut reliquias Gallici exercitus in patriam deportet.*

Enim vero ceu fulmine icti stupere, qui præsentes aderant e Venetorum Nobilitate, animis, oculisque dejecti, silentio quid inde futurum sit, æstimare apud se. Morosinus, quem Candiæ calamitas præcipue sollicitum habuit, nulli operæ pepercit, quo Gallos retineret; ajebat: *eorum virtuti tribuendum, quod nondum urbi dominetur Turca; eruptionem nuper inauspicato tentatam, qua tamen plus terroris, quam cædis illatum, posse mutato erumpendi ordine corrigi. Superesse Gallicam Nobilitatem, cujus dexteris, quoad Principum Christianorum suppetiæ adventent, facile urbs defendi queat. Nec recte fieri, nec decere, ut socios fæderis extremo in discrimine deserant, manum quodamodo hostibus porrigant, qua in urbem trahantur, secessione turpissima fiduciam illorum, & spiritus erigant. Subsisterent paulisper in urbe, & cæpto calore Cretense bellum absolvant. Redituros in Galliam tanto gloriosiores, quanto a Candiæ salute ampliorem nominis famam laturi.* His cum minime dimovere possent a proposito hominem, dicitur Jacobus Contarinus tota urbe in unum collegisse civium, Religioso-

A) Erant Luneburgici, Brunsuicenses.

ligiosorum, ætatisque puerilis turbam, atque eam supplicantium ritu, Navailli inter lachrymas, ac tristes ejulatus adduxisse. At nautarum, remigumque clamor anchoras levantium, miserabilis turbæ voces oppressit. Primo, & vigesimo die Augusti, navigiis suis impositus miles, insultantibus Turcis, vela in Italiam fecit. Ea occasione non pauci e Germanis, aliisque nationibus, quos belli tædium cœperat, clam se, velut ex acie subtraxere, conscensisque navibus, Gallorum vestigia institere, etsi Morosinus, cæterique Præfecti, severissimo edicto caverent, præter Gallos ne quis portum peteret.

A. C. 1669.

Ut primum Galli discesserunt, Ducis Mirandolæ A) miles, morbis, jactatione maris multum imminutus urbem accessit. Opportunum profecto subsidium. Nam præsidiarii ad quatuor millia redacti, ægre stationes obire poterant. Hæc cum omnia Vezirio perspecta forent, supremam impressionem suis edixit. Duodena millia e Janicsarorum legionibus delecta, maritimam urbis partem invadere jussa, obsessorum cicatrices novis vulneribus ruperunt. Stataria pugna congressos diceres, adeo omnia munimenta æquata, campum dimicandi fecerunt. Ad extremum præsidiariorum inexpectata virtute perculsus Vezirius, post cruentum certamen receptui signum dedit. Quod si pugna extracta fuisset, nemini dubium erat, quin eo die in manus Turcarum devenisset Candia, plerisque militum partim cæsis, partim vulneratis. Præsenti periculo defunctus Morosinus, ubi promptissimos quosque militum occubuisse, aut certe ex vulneribus pugnæ invalidos videt, sat prudens paucitatem suorum facile absumendam quotidianis præliis, nec in tempore adfutura Christianorum auxilia; desperata omni exterorum ope, quid porro in his angustiis sibi faciendum foret, cum Primoribus deliberationem instituit. Frequentes aderant in Senatu cum e militari, tum civili ordine, quod scirent de summa rerum consultationem fore. Multorum sententia in eo bellicosorum cætu fuit; *urbem munimentis exutam, diutius humanis viribus defendi non posse. Satis, superque fortunæ suæ admonitos, & quandoquidem pugnacis animi documenta pluribus annis, quibus obsessi, aut impugnati erant, edidissent, postremum necessitati cederent; neque contumaciæ insisterent, quam frangere in manu victoris esset. Mittendum in castra Caduceatorem, qui Vezirii alloquium petat, animumque illius exploret.* Intercessit Marchio S. Andreæ cum Battaglia, Grimaldo, Contarino, Minio, aliisque fortissimis viris, & ut fortiter Candiam urbem defendit ferro, ita in illo conventu, generosis dictis tuendam suscepit. Verum ut MORIENTIUM vires supremo in actu intenduntur, mox concidunt; sic ardor istorum incitatius quidem efferbuit, brevi tamen resedit, posteaquam plurium sententia inferiores, multitudini cedere debuerunt.

Qui Vezirium adirent, delecti sunt Thomas Alandus Anglus, & Stephanus Cordilius B) Morosino a secretis. Ne tumultus oriretur inter plebem, aut miles remissior fieret, si res emanaret; jussi sunt primum proficisci in portum, ubi Pontificia classis substitit, petitum auxilia; quibus denegatis a Vincentio Rospiglioso, recta in castra Turcarum, ut instructi erant, contendunt. Dici non potest, quam ferociter excepti, ut primum pacis causa se venisse, quanquam ambiguis verbis prodiderunt. Omnium responsa erant; *nisi Candiam cum omni insula dediderint, pacem aut nullam, aut dubiam perpetuo fore.* Contra Legati reposuerunt: *Molinum Oratorem Venetum eo deduxisse fœderis negotium, ut Vezirius Candiæ loco non minoris nominis præsidia Reipublicæ pollicitus fuerit. Hanc iniri posse rationem, ut pax quantocius post internecinas clades coalescat; secus defensores laceræ urbis, ultimas vires exprompturos, & tamdiu pro aris, & focis dimicaturos, dum reliquum vitæ profundant.*

Vezirius seu quia literis non nihil emollitus, seu diuturnæ oppugnationis tædio fractus, aliis multo mansuetior, molliora verba dedit, benigneque

A) Joannes Bapt. Nanus Lib. XI. meminit mille advenisse. Porta Ottom. sexcentos. B) Joanni Bapt. Vero Anandus, & Scordilius.

A. C. que habitos Legatos cum conditionibus redire jussit. Adfuerunt illi non post
1669. multo, atque in præsentia Ibrahimi Hierapoleos Præfecti, Achmetis Agæ, aliorumque, Interprete Panagiotto, pax his capitibus confecta fuit. A) Suda, Carabusa, Spinalonga, Cretæ præsidia, Venetis pareant, uti Clissa in Dalmatia. Bellicum apparatum fervente obsidione Candiæ importatum, fas esto Venetis aliorsum devehere. Spatium duodecim dierum detur, civibus, ac militibus, quoad res suas navigiis imponant. Captivi omnes hoc bello capti libertati restituantur, quam primum Orator Venetus Constantinopolim perveniret. Hisce pactis authoritate Vezirii firmatis, urbs tradita est vigesimo septimo Septembris, posteaquam cives cum domestica familia, ac supellectili inter ruinas cadentis patriæ excesserunt. Hos sequebantur duo millia quingenti præsidiariorum, vulneribus, vigiliis, omnique miseriarum genere confecti. Ingredienti urbem Vezirio per eversum propugnaculum S. Andreæ, unus e præcipuis civium, vultu hilaritatem mentiente, claves tradidit, quibus acceptis, verbis exequi non est, quantis lætitiæ signis victor exercitus incesserit. At provecti in interiora urbis nulla publicæ gratulationis argumenta repererunt. Solitudo ingens urbem omnem occupavit; nemo in vicis, nemo in foro victores excepit. Pauci e Græca natione, quos provectior ætas Candia abire non sivit, domibus conclusi, mæsti, occultique, pompæ illius spectatores fuere. Et movit Vezirium tristissima urbis facies, ubi turres, templa, palatia cum promiscuis civium domibus incredibili strage decussa conspexit. Ipsi incolæ quidquid integrum, intactumque erat, ne usui foret Turcis, certatim diruerunt, tanto ardore sævientes in patriam, post tot infinitos tormentorum globos, ut merito Candiam in ipsa Candia requirerent. Sed tanti non erat excidium nobilissimæ urbis, ut gregariorum lætitia interturbaretur, difficillimo, quod unquam gesserunt, bello absoluto.

Victoriæ nuncii Larissam, & Byzantium festinantes, maxima urbium gratulatione sunt excepti. Mahometes Imperator tantam voluptatem cepisse est visus, ut veteres aulæ Ministri, quique lateri ejus a principio regiminis aderant, affirmarint, nunquam eum æque gaudio perfusum, ut in præsentia ad captæ Candiæ literas gestientem conspexere. Et vero multiplex argumentum lætitiarum fuit. Nam opinio apud Turcas invaluit, fatum Candiæ secuturas aliquando cæteras urbes Cretensis insulæ, ostensoque belli terrore, omnia præsidia, quæ Venetis, aliisque Christianis Principibus in Asia parebant, Ottomanorum obsequium processu temporis acceptura; atque eo modo, redacto in potestatem mari, pro libidine in Africam, Meliten insulam, Italiam, arma transferri posse. Ingentem præterea æstimationem Turcico nomini ab armorum peritia accessisse haud immerito arguebat Mahometes, quod spatio viginti quinque annorum, pro Candia terra, marique certatum fuerit summis utriusque nationis viribus, suspenso terrarum orbe, quis exitus tantorum conatuum futurus? denique in una Candia omnes Christianos Principes victos, & in triumphum Byzantium raptos, ambitiose gloriabatur; cum palam constaret Romanos Pontifices B) fœdera

A) Carabusa, seu Garabusa, Suda, sunt præsidia in agro Caneæ: Spinalonga in agro Candiensi. Prostremo loco nominata bina præsidia cessere Turcis 1715. Carabusa 1691. Hartnaccus ad annum MDCLXIX. hæc habet: „Aucta est potentia Turcica Candia, fortalitio munitissimo, quod triennio fere vehementissimæ oppugnationi fortissime restiterat; relictis tamen adhuc pacis lege Venetis tribus portubus Suda, Spinalonga, & Carabusa, addito singulis territorio XXX. milliarium; prætercea insulis Cerigo & Tinoa a regno Candiæ dependentibus.„ B) Alexander VII. & Clemens IX. qui postremus jactura Candiæ perculsus; eodem anno nona Decembr. obiit. Unde Poeta cecinit:

Ut moriens modulatur olor, sic Candia eidem
Non moduli; at gemitus, causaque mortis erat.
Sic Hierosolymam lugens Urbanus A) obivit,
Constantinopolim sic Nicolae B) gemis.
Lucius C) Edessam sic luxerat ante secundus;
Planxisti amissam sic Adriane D) Rhodum.

A) Anno 1187. Saladinus Babyloniæ Rex Hierosolymam cepit, quo nuncio afflictus Urbanus III. concidit. B) Constantinopolis amissa est sub Nicolao V. anno 1453. C) Edessa sub Lucio II. anno 1144. D) Et Rhodus sub Adriano VI. anno 1522. De Constantinopoli, & Rhodo expugnatis consule Tomum I. Imp. Ottom. pag. 15. & 116.

fœdera nexuisse inter Principes Europæos, hos in libertatem Candiæ conspiravisse, classibus maria stravisse, exercitus validissimos in Cretam expedivisse, postremis annis robur Gallicæ militiæ advolasse; nihilominus tanto studio terra, & aquis solicitata auxilia, in irritum cecidisse; inter hyemis, armorumque tempestates, atque procellas Turcarum fortitudinem invictam perdurasse, & post hominum memoriam nobilissimum triumphum reportasse. Hæ cogitationes Mahometem, Purpuratosque eo securius in omnem hilaritatem solverunt, quo certius intellectum, venturum propediem Oratorem Venetum Ludovicum Molinum, qui pacta nuper inita confirmet, limitesque Dalmatiæ diu controversos definiat. A. C. 1669.

Ne splendor legationi deesset, quo Turcæ mirum capiuntur, navigia aliquot ad omnem pompam, anno MDCLXX. elegantiamque in Italia instruebantur. Ex prima nobilitate Veneta permulti, seu peregrina visendi, seu honestandæ legationis studio, seu munimenta castrorum, Candiæque ruinam inspecturi (nam Vezirium, negotiorum animam, præprimis conveniendum duxerunt) in Asiam cogitarunt, comparato sumptuosissimo cultu. Vix e portu solverant, cum sæva maris tempestate diu jactati, triste naufragium in conspectu patriæ fecerunt. A) Laurentius Molinus, Oratoris filius, cum muneribus magni pretii, quæ Mahometi, Soltanæ, Vezirio offerenda erant, fluctibus sepultus jacturam auxit. Non tamen propterea pater a pristino ardore, quo in Rempublicam perpetuo ferebatur, quidpiam remisit. Privatas calamitates, discrimine sui capitis dudum contemnere didicit. Is Candiam profectus, reperit Vezirium firmandis mœnibus, componendæ urbi intentum; a quo benigne acceptus; mense Majo Constantinopolim, inde Adrianopolim, ubi Imperator venationis causa morabatur, inter multiplicia honorum genera deducitur. Soltanus, etsi nullis muneribus cultus, tamen ob veterem Legati consuetudinem, ac insignem prudentiam, perbenignum se exhibuit, signatisque fœderum tabulis monuit; in Europa perinde, atque Asia omni injuria adversus Turcas abstineant, adnisurum se, ut quamprimum redintegrata amicitia, mutui commercii ratio habeatur. 1670.

Jam in portu videbatur esse Molinus; adeo ad votum omnia fluxerunt in aula, moderante consilia Vezirio, qui non minus pacis, quam belli artibus inclarescere avebat, cum in Dalmatia oborta tempestate repente in altum rejicitur. Morlachi, B) quos ad Venetos defecisse oborto bello Cretensi nuper meminimus, intellecto pacem propediem confectum iri inter Venetos, & Turcas, ut eidem fœderi innexi, æquiores conditiones obtinerent, veluti inscii quid Candiæ? quid Adrianopoli a Venetis actum? sumptis propere armis ad pristinas sedes recuperandas, quas metu hostili deseruerant, vires, animosque conjungunt. Turcæ haud segniores ad defendenda montium juga, Morlachorum agmina excipiunt, consertisque sæpius manibus, bellum prope extinctum suscitant. Ut ne porro luculentius exardesceret, missi sunt multa authoritate instructi, Antonius Barbarus Dalmatiæ Curator, atque Mahometes Bosniæ Præfectus, uterque veterum limitum peritus. Ad Clissam dum controversiæ dirimendæ causa complures dies extrahunt, paci, quam bello propinquiora fiebant omnia, Morlachis, minacibus mandatis Barbari, domum abire jussis. Id conspicati Turcæ, qui nondum a signis discesserant, impetu facto in inermem regionem, præsidia aliquot ante expugnarunt, quam Morlachi, aut Veneti in subsidium venire possent. Scardona tamen urbs, paratu defensionis necessario provisa, prædonum conatus cum clade multorum fregit. 1671.

Ad Rizanum multo majori strepitu procella detonuit. Josuffes Aga oppidum illud oppugnatum venerat cum ternis millibus armatorum; præsidiarii postquam varia fortitudinis suæ experimenta edidissent, clam desertis stationibus, fugam arripiunt. Re intellecta Josuffes, cum omnibus copiis fugitivos premit, non dubiam victoriam suis ostendens, quod nulla navigia in

A). Nanus L. XII. & Michael Foscarinus Patricius Venetus, continuator rerum Venetarum. B) Joannes Bapt. Nanus hunc tumultum refert an annum priorem, alii ad præsentem.

A. C. 1671. in portu, quo effuſo curſu ferebantur fugitivi, adeſſent, quibus in tutum evadere poſſent. Et profecto ſi Dux ferociæ ſuæ temperaſſet, concluſi a fronte aquis, paucos intra dies conſumptis alimentis, in manus quieſcentium ſponte veniſſent. Sed ille morarum pertæſus, dimicationis, & honeſtæ mortis copiam fecit, fortiumque virorum ardorem accendit. Commiſſo prælio, Joſuffes veluti victoriæ ſecurus intrepide ordines obequitans, Morlachorum A) telis proſternitur. Quo viſo, turbata continuo Turcarum acies, Rizanum verſus ſolutis ordinibus contendit. Morlachi in perculſos invecti, cæſis duobus millibus, e prope victis victores evaſerunt, ſuoque Marte docuerunt: DESPERATIONEM non nunquam cauſam ſpei, & victoriæ eſſe. Hæc Morlachorum victoria non minus Venetias, quam Adrianopolim angebat, ne novo bello, priore vixdum ſopito, utraque gens committatur, & vulnera in cicatrices abeuntia, novis ictibus rumpantur. Mahometes ira præcipiti abreptus, concordiam a Venetis ruptam (horum enim conſiliis Dalmatiam turbari vulgo exiſtimatum fuit) palam in Senatu edixit, eodemque impetu militem ad Morlachos, Venetis ſtipendiarios, domandos in Dalmatiam ire juſſit; incitantibus Purpuratorum nonnullis, qui decus affectæ jam pacis per invidentiam Vezirio ereptum voluerunt. Pupugit iſtud quam vehementiſſime virum pacis hujus percupidum, perſuaſitque ſibi, Venetos non eodem candore erga ſe uti in Dalmatia, quem corporibus, animisque victi in Creta nuper prætulerunt; maxime ubi unus e domeſticis Imperatoris Adrianopolim redux, cladem Turcarum, Morlachorum confidentiam fallacibus verbis expinxit.

Molinus, qui ſolerti ingenio, multisque artibus, intimam familiaritatem Vezirii, Mahometisque occupaverat, ne quid temere ſtatueretur adverſus Venetos, utrumque Reipublicæ gravibus rationum momentis placavit, exhibuitque Senatus literas, quibus ampliſſima poteſtas Deputatis conceſſa erat, non modo ab armis revocandi Morlachos, ſed etiam præſidia reſtituendi Turcis, quorum cauſa in novas turbas Dalmatia exæſtuavit. Hæc Molini induſtria, ac prompta in conditiones quaſvis Venetorum voluntas, Imperatorem a vi armorum abſtraxit; reputantem ſerio apud ſe, quantum æris, ſanguinisque profundendum foret, quoad Morlachi cum frequentibus præſidiis ſubigerentur. Ex altera parte Veneti cernentes ſe a Chriſtianis Principibus deſertos, exercitus, quos tot annis aluerant, imminutos, Cretam, præter tria munimenta, a Turcis occupatam; non abs re verebantur, ne hoſtili exercitu, numero, & fama quotidie auctiore, in Dalmatiam trajecto, omnibus fundis ſpoliarentur; ut mirum non fuerit, ſi ad conditiones fœderis minus utiles Reipublicæ perquam ſolicite addixerint animum. Itaque ad pacatiorem, ſed non acrem minus, pugnacemque Senatorio in campo congreſſum, conflictumque ſententiarum, deducta limitum controverſia, arbitros habuit Joannem Baptiſtam Nanum, B) & Mamuthem Budæ Gubernatorem, viros inter ſuos primi nominis. Sub tentoriis, in campo Sebenicum inter, & Jaderam procurrente, erectis, litem aggredi placuit. E finitimis oppidis ingens multitudo cum Chriſtianorum, tum Turcarum convenerat, avida noſcendi ſuarum ſedium fortunam. Primi congreſſus Deputatorum, ſpeciem minime lætam dederunt felicis eventus. Mamuthes enim veteres limites, quos Ferhates cum Loranzo C) ſtatuit, nunc iterum ſtatuendos poſtulavit, adeo pervicaciter huic ſuæ ſententiæ innitens, ut prope re infecta diſcederetur. Exhibuit, neſcio quam ſincere e tabulariis literas, Loranzi manu ſignatas, quarum characteres ob vetuſtatem attriti, materiam litium multo ampliorem fecerunt, Turcis omnes apices in Heri ſui commodum interpretantibus.

Inter

A) Foſcarinus, & Nanus veteri vocabulo Haidones nominant. B) Cujus nimirum Hiſtoria, Italo ſermone edita, uſus ſum. Brietius ad calcem anni 1678. hoc elogio Authorem Patritium, ejusque Hiſtoriam celebrat: „ Decedit Venetiis Baptiſta Nanus D. M. Procurator, Vir ingenii per multas rerum ſummi momenti tractationes exerciti, quas domi, forisque ad varios Principes Legatus obivit. Inſignes edidit Commentarios, in quibus ævi ſui Hiſtoriam complexus eſt, ob quos nulli melioris notæ Scriptorum ſecundus audivit. „ C) Anno 1573. Inſpice, ſi lubet, Portam Ottom. T. II.

Inter hæc tædia nova controversia enata est ob munitionem Ver- pogli dictam, quam & Veneti, & Turcæ variante belli fortuna deseruere. Eam nunc repetebant Turcæ cum adjacente agro, ostenso Mahometis mandato, quo jubebatur Mamuthes militari opere munimentum instruere. Lapsis diebus compluribus, cum non hac, non illac concordiæ negotium promoveretur, pertæsus tricarum Venetus, abitum conscenso navigio simulavit. Retentus a Mamuthis internuncio, suam sententiam postremo dixit: cum neutri ipsorum fas esset cedere munitionem, ad Imperatorem, & Rempublicam videri referendum. Sed ante extinctus est Mamuthes, quam cursores Byzantio redirent. A) Subinde Cussaines, vir ut in campo militariter horrida, ita in aula placida indole, jussus controversiæ finem imponere, quinta decima Octobris in colloquium venit cum Nano, missaque Ferhatis designatione limitum, munitionem, totius concordiæ scopulum, Venetis cessit; Clissam præterea, Spalatium, veterem Salonam perpetuo jure iisdem attribuit.

A. C. 1671.

In hunc modum post multas ambages, disceptationesque pax tandem stabilita est, cujus nuncium lætissimum ipsi Pacificatores ad suos pertulerunt. B) Unis Morlachis angustos intra limites conclusis, nec jam in hosticum more suo procurrere ausis, pax gravissima accidit; concoquendum tamen erat, quidquid incommodi incisis nervis ea concordia frequenti, bellicosæque nationi attulit, donec cæso ad Viennæ mænia Ottomano, C) iterum bello ardere cœpit Dalmatia, Morlachis avide aggerentibus flammas, atque Rempublicam successu armorum in societatem trahentibus. Et erat spes ingens Venetis Peloponnesum, aut Candiam recuperandi ea tempestate, qua Magnus Leopoldus icto fœdere cum Polonis, omnibus viribus in Turcarum excidium conspiravit; quod fœdus & Veneti amplexi, arma per Dalmatiam, Peloponnesum, Cretam in sextum decimum annum gloriose circumtulerunt. Tandem post alternas belli vices, Mustapha II. rerum potiente, communi fœderatorum consilio Carlovitii D) pacem inire placuit; tanta Christiani orbis lætitia, raro ut majora memorentur gestientis populi argumenta. Sed hæc multo post evenere. Nunc e maritimis provinciis, veluti longiore jactatione fessus, in vastos Poloniæ, atque Moschoviæ campos mihi seducendus Lector; ubi Mars Ottomanicus veteres suos ludos instruxit. Utriusque belli origo, & causæ, quoniam magnam rebus Europæis mutationem attulit, & Venetos rursum cum Hungaria involvit, paulo curatius exponendæ sunt.

Quam turbulente jactata sit Polonia Joanne Casimiro imperitante, quas clades internecinas acceperit, ad annum quinquagesimum quintum supra millesimum sexcentesimum cursim exposui. E) Malorum origo a Boguslao F) Chmelnizkio supremo Zaporaviensium Cossaccorum Præfecto cœpit. Hic dominandi avidus, extremo Uladislai VI. tempore, cum nonnullis Procerum Poloniæ inimicitias aluit; cumque infra dignitatem, ut putabat, haberetur, turbidus, atque honoris tenacissimus, gentem sibi subditam ad arma excivit. Et promptam habuit suorum voluntatem propterea quod Poloni e lege fœderis Turcici omne genus navigiorum ad pontum Euxinum incendio deleverint, ne more suo maritimas Turcicæ ditionis urbes divexare possent. Justis aliquot præliis superior, per Russiam grassabatur. Variante fortuna belli, a Regiis cæsus, ferocior evasit. Reparatis namque viribus, ac Tartarorum agminibus in auxilium vocatis, vastam Podoliæ partem, & urbem Kioviam, ad fluvium Borysthenem sitam, occupat. Regem Casimirum cum valido exercitu accurrentem, in extremas angustias conjicit. Chamus Tartarorum, sive memor veteris cum Uladislao facti fœderis, sive Chmelnizkii potentiam suspectam haberet, sive denique auro

A) Eodem fere tempore mortem obiit Constantinopoli Ludovicus, sive Aloysius Molinus peritissimus rerum Turcicarum. B) Foscarinus Lib. 1. C) Anno 1683. D) Anno 1699. E) Videlicet hoc Tomo pag. 42. F) Apud Gotfridum Lengnichium, Historiæ Polonæ a Lecho ad Augusti III. mortem, Scriptorem, lego Theodorum, sive Bogdanum Chmielnicium.

A. C. 1671. auro emptus a Polonis, Coſaccorum partes repente deſtituit, ſuaque diſceſſione effecit, ut ad Caſimiri obſequium redirent.

Haud diu in fide perſtitit inquies Chmelnizkius. Bellum molientem aggreſſus Caſimirus prælio vincit, exutumque omnibus caſtris, atque Kiovia, cum gente Coſaccorum ſub jugum mittit. Sed MISERA eſt victoria, quæ de civibus, aut armorum ſociis refertur. Has turbas gravior procella excepit. Moſchi ingenti exercitu in Lithuaniam effuſi, Coſaccos ſpe vindictæ, ac ſpoliorum, in campum protraxere. Joannes Radzivilius A) Poloni militis Ductor, etſi acerrime obſiſteret hoſti, ad extremum impari numero congreſſus, adeo cæſus eſt cum ſuis legionibus, ut ægre vitam ex infelici arena extulerit. Attritam Poloniam non multo poſt torrentis inſtar invaſit Carolus Guſtavus Sueciæ Rex B) cum Brandeburgo; Subinde Rakoczius Tranſylvaniæ Princeps. Chmelnizkius genio ſuo indulgens, ad hoſtes Poloniæ continuo deficit. Proceres dudum averſi a Caſimiro, velut ſacramento ſoluti, cum ipſo robore Polonicæ militiæ Guſtavo accedunt, & ad evertendam patriam ſtrenui manus accommodant. Ad Zarnovam fuſus, fugatusque Rex, Cracoviam, & pleroſque minoris Poloniæ, Lithuaniæ, Ruſſiæ Palatinatus victori Sueco cedere coactus eſt. Tanta Guſtavi fortuna anno altero C) detumuit. Proceres Regis ſui exilio, regnique calamitatibus permoti, cum inſuper minori loco apud Suecum haberentur, ac ſperaverant, plerique ad officium redierunt. Mox conclamatis armis ad Varſaviam, acerrimam pugnam committunt. Triduo integro certatum eſt. Poloni rurſum victi; reſpirarunt, ubi Brandeburgus ſuum militem e Polonia abduxit. Sueci partim præliis, partim frigoris acerbitate, & commeatus inopia imminuti, ſpem unam in Rakoczio habebant. Is a Cæſareis, ac Polonis in fugam actus, amiſſis copiis, in Daciam ægerrime pervenit. D) Chmelnizkius, turbarum fax, ſibi, ſuæque fortunæ relictus, dum Moſchorum copias in Polonos ſolicitat, morbo correptus extinguitur.

Inopinata morte ſui Ducis perturbati Coſacci, pars Joannem Vyhovium, pars Georgium Chmelnizkium, Boguslai filium, in armorum Præfectum legit. Vyhovius poſita pervicacia, cum ſua Coſaccorum manu Polonis ſe junxit, dignitate Palatinatus Kiovienſis ornatus. Verum poſt annos octo conſpirationis reus, judicum ſententia, fortunis, & vita privatur. Georgius haud perinde armis deditus, ac pater, Coſaccos trans Boryſthenem perinvitus moderari cœpit. Pace cum Suecis E) compoſita, poſteaquam bellum Moſchoviticum longe atrocius exarſit, quadraginta armatorum millia in Polonos duxit. F) A Lubomirſzkio in caſtris oppreſſus deditionem facit. Siniſtram fortunam veritus, relicta clam dignitate, Monaſticen G) amplectitur; inſtabilis fortunæ, ſummaque, & ima miſcentis exemplum futurus, ut ad annum milleſimum ſexcenteſimum ſeptimum non indiligenter evolvam.

Ardente Moſchovitico bello, ſimultates Regem inter, & cives, domeſticum malum apud Polonos, iterum obortæ ſunt, milite ſtipendia plurium annorum ferociter poſtulante, ac obſequium ex condicto detrectante. Subinde Lubomirſzkio, confœderatorum Duce, Poloni ſuas vires attrivere. H) Tot malis ægram Poloniam, Tartarorum irruptio penitus afflixit. Petrus Doroſenskius Coſaccorum Ductor, Turcarum fide implorata, in Polonos arma convertit. J) Mahometes IV. bello Cretenſi implicitus, quo hominem ſibi arctius ſociaret, Tartarorum turmas in Poloniam immiſit. Hi nihil abſterriti frigoribus hyemis, cum Coſaccis magnam regionis partem percurſant, cædibus, incendiis, omnia permiſcent. Sebaſtianum Machovium, exercitus Polonici Legatum, in Ukrania profligant; abductis centum millibus mortalium, in ſua mapalia onuſti ſpoliis abſcedunt. Injurias haud placuit armis K) perſequi Polonis; ſive quod domeſticis turbis regnum eo

A) Anno 1653. B) Anno 1655. C) Anno 1656. D) Anno 1657. E) Anno 1660. F) Eodem anno. G) Anno 1663. H) Anno 1665. J) Anno 1666. K) Lengnichius memorat, a Joanne Sobieskio Tartaros, & Coſaccos armis adactos ad pacem faciendam.

A. C. 1671.

eo temporis A) agitaretur quam vehementissime, sive quod sibi male metuerent ab Ottomanis, si in eorum fœderatos, aut subjectos hostilitatem exercerent. Igitur cum nec satis præsidii haberetur domi, nec Chamus Tartariæ, suos a populatione cohiberet, optimum factu existimatum est, si icto prius fœdere cum Moschis, legatione Turcarum Imperatorem convenirent, qui pro potestate sua Tartarorum irruptiones castigaret; aut si ipsi injurias ultum irent, ut ne milite, aut ære pacis ruptoribus auxilio adesset. Sed ea legatione utriusque partis animi irritabantur, nihilque propius erat, quam ut arma illico utrinque expedirentur. Nam postquam Hieronymus Radzieviskius B) ad Adrianopolim Imperatorem in campo, ubi curas Cretici belli more suo venando abstersit, convenisset, & fastuosa oratione sui Regis postulata exposuisset, offenso acriter Mahomete sine responso, e Senatu dimissus est. Civilius subinde cum eo actum, ut scilicet cum Kara-Mustapha Caimacane, sive urbis Præfecto, legationis capita conferret. At cum nihil a sua ferocia remitteret, & arma inconsulto minitaretur, ni Tartari omnem prædam, atque captivos remitterent; amaris salibus perfrictus, domi suæ arctissima custodia, jussu Caimacanis detentus fuit; ubi febrili æstu, ac mœrore animi contabuit.

Nihilo mitior morte Legati Kara-Mustapha, c) durissimas conditiones tulit Polonis. Nempe: *omni hostilitate abstineant, neve a Tartaris prædam repetant. Cosaccos, qui jugo excusso se in libertatem asseruerunt, atque Ottomanorum societatem amplexi sunt, ut amicos colant. Moschis Turcarum hostibus bellum indicant. Mercatoribus Ottomanis damnum omne reparent, quæve ablata ad unguem restituant.* Hæc, & alia imperia potius, quam conditiones, dictatorius, quo ferebantur, modus, acerbiora longe reddidit. Quippe adjecerat Caimacanes: nisi omnia expleverint, bellum, bellique mala habituros. Hos ei spiritus intendebant & bellum in Candia prope confectum, & renascentes identidem in Polonia turbæ, quas Regina partibus Galliæ addicta, & a fatis Reginæ, primi Procerum non segniter aluerunt. D) Hac fere denunciatione belli nihil commoti Poloni, vetera dissidia, irasque in novum Regem Michaelem Coributum transferunt. E) Ferventibus hunc in modum turbis, cum Procerum factio in dies ampliores vires sumeret, & Tartari, Cosaccique Turcarum societate erecti, Reipublicæ imminerent, Coributus Franciscum Casimirum Wisovskium Oratorem ablegat Byzantium, qui Mahometem admoneret fœderis Cocinensis cum Osmanne anno millesimo sexcentesimo vicesimo primo percussi, quo disertis verbis cautum erat, ne potestas fieret Tartaris in Poloniam grassandi; aut si sponte fœderatam regionem urerent, ut annis proxime superioribus, vi coercerentur. Invito Mercurio suscepit legationem F) Wisovskius, homo verborum immodicus, & supra præsentem fortunam Polonici regni ferocior. Certe moribus suis ad aulicam urbanitatem minime temperatis, Purpuratos, ipsumque Imperatorem Candia capta prætumidum exacerbavit, & bellum in patriam retulit. Prope Larissam reperto Imperatore, ægre admittitur ad salutandum Kara-Mustapham negotia totius Imperii tractantem. Infra dignitatem acceptus Adrianopolim referre se jussus est, summam legationis commodiori & loco, & tempore expositurus. Moræ omnis impatiens, Imperatorem in Larissæis campis venationi vacantem, post multa tædia adiit, a quo perinde, ac a ministris aulæ contemptim habebatur.

Nondum aderat Kiuperlis Vezirius reparationi Candiæ urbis, aliorumque præsidiorum intentus. Hunc rebus suis æquiorem speravit Wisovskius. Sed spe sua excidit. Namque victoria in insula Cretensi recens obtenta clarissimus, eo liberiori fastu Legatum accepit, quo bellicis laudi-

 bus

A) Nempe anno 1668., quo Joannes Casimirus Regiam Purpuram in Comitiis posuit. B) Gotfridus Lengnichius compendio narrat hujus legationis exitum: Ricautius, sive Porta Ottomanica T. II. fusius. C) Sæpe apud Historicos legitur Kara-Mustaphas; uti etiam Caimacan, & Caimacanes. D) porta Ottom. loco laudato. E) Anno 1669. F) Anno 1670.

A. C. 1671. bus inter omnes Purpuratorum illuſtrior. Alloquium ſæpius petenti repoſuit Vezirius: *legationis ſummam cum Panagiotto Europæarum linguarum perito conferret, atque ex hujus præſcripto negotia ſua inpoſterum curaret.* Erat Panagiottus gente, & religione Græcus, Vezirio ubique addictus, ejusque fortunæ innexus, apud quem poſtremis vitæ ſuæ annis Interpretem egit. Wiſovskius Legati dignitatis memor, *negavit ſe miſſum ad Panagiottum vile mancipium; cum Imperatore, Vezirio, primisque Purpuratorum ſibi rem eſſe: expoſiturum ſe poſtulata ſui Regis Primoribus, ſi poteſtas detur. A Panagiotto nulla authoritate inſtructo præter verba nihil poſſe expectari.* Adjecit inſuper: *ſe potius jugulum præbiturum acinaci, quam ut de Principis ſui majeſtate decerpi quidpiam patiatur, aut Legatus aliquo dedecore Poloniam afficiat.*

Diebus pluribus inter tædia aulæ transmiſſis, tandem ad Vezirium aditu impetrato ea lege, ut de more veteri ſella conſideret (hunc honorem in primo congreſſu Caimacanis faſtus negaverat) poſt mutua officia, venerationesque in hunc modum elocutus eſt: *ſe miſſum ad Imperatorem, ut Michaelem Coributum e Jagellonia ſtirpe, Regem Poloniæ in campis Varſavienſibus communi civium ſuffragio; lectum nunciaret, ſimulque amicitiam, & pacem, cujus deſiderio Rex, & omnis Polonia flagrat, cum gente Turcarum firmaret. Cocinenſe fœdus a Regibus Poloniæ religioſe catenus ſervatum. Daturum operam Michaelem, ut ne a ſuis illud violetur.* Digreſſus ſubinde ad irruptiones Tartarorum addidit: *Cocinenſi fœderi immania vulnera eſſe inflicta his annis per Tartaros; eos prædabundis agminibus præter jus, fasque in Polonicum ſolum irrupiſſe, nec provocatos, nec læſos provincias evaſtaſſe; multa mortalium millia in ſervitutem rapuiſſe, ac ſub corona venundediſſe; innumeris incendiis omnem late Poloniam deformaſſe; irreparabilia denique damna Regno intuliſſe. Polonos omni bello abſtinuiſſe fœderis Concinenſis religione. Decere Imperatoriam majeſtatem, ut pari candore cum Polonis agat, & e pactis conventis Oſmannis, prædonum latrociniis modum ſtatuat.* Poſtremo Coſaccorum contumaciam vehementi oratione perſtrinxit. Ajebat: *hanc gentem juribus Poloniæ obnoxiam cum hoſtibus conſilia, & arma miſcuiſſe; jam ad Succos, jam Tartaros, & Moſchos in perniciem Poloniæ non ſemel deſciviſſe. Recentibus his annis ſpreta religione ſacramenti, quo ſe obſtrinxerant Regibus Poloniæ, ſe penitus a Republ. avulſiſſe; ferrum, & ignem veteribus Dominis minitari. Videret Imperator, ne rebellium conatus ſua authoritate, milite, ac ære foveat. Adeſſe Doroſenskii Coſaccorum Ducis homines in Turcia; percurſare Purpuratorum domos: virulentis ſermonibus Polonorum fidem elevare; opem, auxilium ad libertatem firmandam poſcere; illud potiſſimum agere, ut Turciam cum Polonia committant. Jam rumore percrebuiſſe, minus fidei Imperatorem, Purpuratos habere Regibus, quam ſeditioſorum fictis querimoniis. Admoneret Imperatorem, ne per patrocinia bellorum ſemina jaciat, neve turbas in alienis provinciis alat.*

Ad hæc Vezirius paucis. *Amicitiam Polonorum cordi eſſe Imperatori. Irruptiones Tartarorum Byzantinæ aulæ vehementer diſplicuiſſe, & ex formula Cocinenſis pacis pœnam depenſurum Chamum. Coſaccos multis injuriis agitatos, acerbiſſimo jugo oppreſſos, jure gentium arma corripuiſſe. Eos nuper opem popoſciſſe ab Ottomanis, & ſine injuria Polonorum impetraſſe. Doroſenskio juſſu Imperatoris traditum eſſe diploma, & vexillum in amicitiæ theſſeram. Alioquin veterem controverſiam eſſe, Turcicone nomini, an Polono, Coſacci ſubjecti? in Cocinenſi fœdere multa verbis incertis, dubiis expreſſa, neque Coſaccorum limites recte definitos. Nunciaret Regi, ut lites de Coſaccis, eorumque limitibus, & libertate obortæ per fidos homines quamprimum componantur.*

Conjecit illico Wiſovskius, controverſiarum materiam quæri a Turcis, quo minori invidia, ſi Poloni jure ſuo non cederent, Coſaccorum factionem inpoſterum ſuſtentarent, & ſpecie patrocinii occaſionem nanciſcerentur

rentur

rentur prioris belli turpitudinem eluendi, simulque Cocinensia pacta rescindendi. Propterea non dubitavit Vezirio oggerere: *frustra disceptari de vetustissimis Polonorum possessionibus. E tabulis Cocinensium pactorum liquido constare, gentem Cosaccorum Regibus Poloniæ esse obnoxiam, idque agnovisse Osmannem hac formula: Rex, atque Respubl. Cosaccorum latrocinia pro suo imperio cohibeat: ne mari Euxino piraticam faciant, maritima Turcarum oppida incursent, prædas abigant, intentiori cura advigilet. Si quid maleficii illatum fœderatis Turcarum provinciis, Poloni damna ad assem resarcient.* E quibus confecit Wisovskius: *authores pacificationis luculentum præbuisse argumentum, Cosaccos ab imperio Polonorum pendere. Ingens dispendium temporis fieri, si ultro, citroque commearent nuncii. Se alioquin prævidere non cessurum Regem vetere adeo possessione.* Sed in hac defensione nihil præsidii erat, Vezirio arma, & ultionem contendente, nisi Cosaccis omnia jura, libertasque agendi in suis ditionibus reddantur.

Nihil deterritus his minis Legatus, ratione, importunitate pugnare, nullum libellorum finem facere, quo Ottomanos a Cosaccorum turbulentis factionibus abstraheret. Cum nihil extunderet, in terrorem jam unice intentus, animi sui sensa, scripto patefacit Vezirio: *Regem suum gloria majorum, ac imaginibus clarum, minime admissurum, ut olim in Annalibus legatur, auctam a suis Polonorum Rempublicam, se imperitante unius provinciæ, & bellicosi populi jactura imminutam. Viribus totius regni obstiturum, ne tantum dedecus otiosa fronte sibi ultro accersat. Arma armis strenue oppositurum, ubi vetera jura proculcantur.* Risit hominis ferociam Vezirius, Polonicarum turbarum sat gnarus, acriterque increpitum, contumacem, omnisque humanitatis expertem compellavit, quod potius belli causas importune quæreret, pacis componendæ oblitus; & potentissimo Imperio lacinias discissi regni imprudenter præferret. Hoc convicio irritatus, ab aula discessum parabat, urgebatque Vezirium, ut se molestissimo negotio quamprimum expediat. Vezirius omnia pollicitus, hominem Constantinopoli, vana spe, & superba Ottomanicæ aulæ cunctatione ludificatum, multis mensibus detinuit: addito terrore nisi modestius egerit, nisi illico nova mandata super Cosaccorum lite a Republ. postularit, effecturum se, ut veluti rerum tractandarum imperitus, domum revocetur, aliusque, Legati dotibus instructus in locum succedat. Rerum pertæsus, ac novissimis Vezirii minis perculsus, victas tandem manus dedit, misso in Poloniam uno e suis familiaribus, qui integram de Cosaccorum juribus controversiam ad Regem deferret. Adjunctus est huic Aga, quo major fides haberetur.

Interea Dorosenskius qua literis, qua legationibus commonefecit Vezirium; in Moschovia ingentem armorum apparatum fieri; e stativis, præsidiis educi militem; annonam, machinas undique convehi. Idoneis authoribus se accepisse, eam tempestatem in Ottomanos conflari. Haud dubie confœderatam Poloniam Moschis accessuram, & privatas iras in externum hostem effusuram. Opprimendos ante hostes, quam vires consocient. Wisovskius, qui vanissimos rumores sopire debuisset, latius evulgavit. Frequens illi sermo in circulis, in conviviis de numero, deque robore militis Poloni. Turcas turbam inconditam, disciplinæ militaris & rudem, & impatientem appellitans. Hæc aliaque apud Oratorem Galliæ Peræ, quo se salubrioris cœli causa contulerat, apud Purpuratos per imprudentiam jactabat. Imo Vezirio ira, gloriaque incalescens palam edixit; se suis impensis centum millia armatorum facile adducturum Adrianopolim, neque annonam, cæterosque apparatus castrenses tantis copiis defuturos. Caimacan, sive Caimacanes peroffensus alioquin Legato, egit apud Vezirium, ut hominis loquacitatem castiget, arctioresque agendi limites ponat. Revocatus Pera Constantinopolim, specie alloquii apud Vezirium obtenti, ad vetus hospitium, in interiorem ædium partem ab armatis Janicsaris seducitur. In hac custodia multa indigna perpessus est; redeuntibus e Polonia nunciis

cum

A. C. 1671. cum literis ad Vezirium, & Effendium datis a magno Cancellario regni, quibus perpaucis significatum, alium Legatum mitti non posse Constantinopolim, ni Wisovskius in patriam rediret. Cosaccorum lites silentio transmissae.

Cum percrebuit Constantinopoli apud Purpuratos, ut efferant se Poloni, ac Legatum repetant, ut inhaereant pactis Cocinensibus, quibus intercedere, aut quidpiam lenitatis aspergere non Imperatori, non Vezirio liceat; ut Cosaccorum libertas, fortunae prope deploratae sint; fit nova omnium indignatio. Pupugit in primis Vezirium, Cretensi triumpho inflatum, suam authoritatem nullo loco apud Polonos fuisse; Imperatoriae majestati nihil delatum; neque Legatum, neque regnum a primo postulatorum rigore quidpiam remittere, & veluti bellum Ottomanico Imperio indicere. Nec dissimulavit dolorem apud Imperatorem, quem suis consiliis in bellum Polonicum, quod diu coquebat animo, perpulit. Decretum in Poloniam bellum, qui denunciaret Regi, delectus est Aga. Additae Mahometis literae minarum plenae in hanc sententiam: *subacta Cretae insula se victrices copias ineunte vere in Poloniam infusurum: a contumacibus poenas repetiturum, nisi laesis Cosaccis, postulatis maximi in orbe terrarum Imperatoris ad unguem satisfiat. Armorum vi Cosaccorum jura, Imperii sui majestatem vindicaturum.* Aga convento Rege Varsaviae, illico custodiae traditur, festinatisque Adrianopolim nunciis, a Rege & Proceribus foederis Imperator admonetur, neve iniquissimo bello rebellium Cossaccorum factionem propugnet, fere rogatur. *Quod si tamen arma intulerit, occursuros in limitibus Polonos, & uti causam ita & meliores successus se habituros sperare.* Agam Varsaviae detentum, rediturum incolumem, si Wisovskius liber dimittatur. Belli jam certus Imperator, Wisovskium Constantinopoli abire sinit mense Februario. Deductus a Chausio ad ripam Danubii funestissimum bellum in patriam reportavit.

Rumor belli Polonici dici non potest, quanto omnium ordinum applausu Byzantii, inque provinciis Asiaticis sit exceptus. Vezirius veluti victoriam manibus teneret, militem ad nova spolia, novam gloriae messem extimulavit. Et reapse Ottomanos superiores fore nemini dubium esse poterat, conferenti utriusque partis & vires, & fortunam. Veteranus Turcis miles, & victoriis ferox; Duces bello, & consilio; terrestribus, maritimisque triumphis illustres. Opes e Candiae spoliis, & Asiaticis ditionibus in aerarium congestae. Pax cum Caesare, & Venetis firma, neque a Persia metus. Provinciae, si unquam alias, omnino hoc temporis pacatae. Castrensis omnis generis apparatus maximis expeditionibus par. Ex adverso Polonia domesticis, externisque bellis, annis aliquot vehementer afflicta, robur militiae imminutum. Proceres pertinacibus ab Rege, ac mutuis inter se odiis implacabiliter scissi; Cosaccorum populus, olim egregium scutum adversus Tartaros, nunc belli fomes, & ruina Poloniae. Torpor praeterea omnium animos occupaverat, ut neque militem legerent, neque Principum Christianorum implorarent foedera; omnes bellum ore uno conclamarent; singuli belli apparatum negligerent. Tot calamitatibus pressam, propriisque jam malis imparem Poloniam ad ictum destinavit Imperator. a)

Fatali equi cauda Byzantii ad fores majoris palatii depacta (quod certum indicium, & belli denunciatio apud Ottomanos) exeunte Aprili castra fiunt in campo Byzantino. Huc ex Asia, & Europa commigrare jussae legiones, sub tentoriis quietae egerunt, dum castrenses machinae veherentur. Quinto, & vicesimo Maji, suo ductu bellum gesturus Imperator, insigni pompa castra ingressus, lustratas copias ad Istrum movit. Pons navalis Danubio injectus iter tantisper morabatur. Quippe flumen vernis pluviis praeter morem auctum, majori vi, ac mole undas egit, impulitque naves, quam ut sine discrimine universae copiae, & praegrandia tormenta, in alteram

a) Haec pleraque etiam Brietius, vel potius ejusdem Continuator, compendio recitat ad annum 1670; at Porta Ottomanica diffuse.

alteram ripam transvehi posse viderentur. Jamque anchoris aliquot aquarum rapacitate evulsis, rudentibus diffractis prope erat, ut opus solveretur; nec machinatores Turcæ, etsi omnem artem expromerent, aquam frænare, aut navigia firmare poterant. In ea perturbatione rerum, perutilem operam præstitit quispiam a Christianorum religione ad Mahometem transfuga. Hic nova arte anchorarum loco e solidissimis trabibus elaboratas cistas, saxisque immanibus fartas in fundum Danubii præcipitat, atque alligatis validissimis binis funibus singulis cistarum, & navium, adeo firmo nexu molem pontis junxerat, ut nec vehementior ventus, nec intumescentes undæ quidquam vitii compagi intulerint. A)

A. C. 1671.

Traducto exercitu stationem figit in castris Osmanneis B) duabus leucis Danubio dissitis. Istud Purpuratis haud probatum, c) eo quod miles, cladis a Polonis acceptæ memor, tristi imagine locorum facile animis casurus, & parem exitum hujus expeditionis auguraturus existimaretur. Certe commilitonum infortunio perculsus segnior futurus. At Mahometes spreta Purpuratorum cavillatione, iter tristibus vestigiis signatum ingressus, militis sui iram (ut prudens conjecit) in hostem auxit, omnibusque copiis ad pugnam instructis, ne quid subita incursione turbarent hostes, processit. Ad Tyram D) fluvium castris locatis, Asiæ equitatum, & graviorem supellectilem rei bellicæ accipit. Superato fluvio, tendenti in adversa ripa occurrit Chamus Tartariæ, & Dorosenskius Cosaccorum Ductor cum suorum turmis. Uterque amicitiæ, & honoris causa, ab Imperatore ponticorum murium pretiosis pellibus, armis diversi generis, equis donatur. Dorosenkius subinde obligata fide, se, suamque gentem Ottomanorum Imperio tradit.

Aucto in hunc modum exercitu, resumpta est lustratio. Censebantur armatorum centum quinquaginta millia. Exiguus numerus, si conferas Præfectos copiarum. Nam præter Imperatorem, supremum Vezirium aderant decem minores, E) & triginta Bassæ, Principes Valachiæ, & Moldaviæ, Chamus Tartarorum, & Dorosenskius. Sed quantuscunque fuerit hostilis exercitus, Poloniæ, ut tum res domi, forisque angustæ erant, proterendæ par. Mirabantur Turcæ neminem Polonorum armatum conspici; neglectam fuisse custodiam Tyræ fluminis; omnia alto silentio torpere; veritique, ne hac fatali Polonorum quiete decepti, subita clade involverentur, insidiarum metu sæpe substiterant. Ut vero speculatores tuta omnia nuntiaverunt, & Polonus, qui Turcarum agmina, & consilia exploraturus venerat, in castris interceptus, suorum popularium jurgia cum Rege, regni morbos minutim descripsisset, metu soluti Camenecum F) versus alacres moverunt. Explorator jussu Imperatoris per media castrorum circumductus, ut machinas, Janicsarorum cohortes sigillatim per otium inspiceret, auro donatus liber ad suos dimissus est. Septimo Augusti explicatis late tentoriis, Camenecum undique se cinctum vidit. Antequam præsidium machinis quateretur, visum est Vezirio Gubernatorem loci ad deditionem invitare scriptis literis: *adesse imperatorem cum ingentibus copiis, Polonorum contumaciam fracturum. Camenecum circumvallasse, nec discessurum, nisi eo subjugato. Occuparet propera deditione Imperatoris gratiam, & tradito præsidio vitam, fortunas pro lucro haberet. Si vim expectarit, capite luiturum pervicaciam.* Agæ, qui has detulit, in mandatis dedit: Gubernatorem secreto conveniat, & aurea messe in deditionem alliciat. Loco

A) Porta Ottom. Tom. II. B) Castra Osmannea dicta, quod anno 1621. Imperator Osmannes eodem in loco stationem cœperit, dum in Polonos infeliciter duxit. Vide Tom. I. Imp. Ottoman. pag. 299. c) Simile quid legere licet apud C. Corn. Tac Annalium Lib. I. dum Germanicus castra Quintilii Vari ab Arminio cum exercitu cæsi adiit. D) Tyras, olim Turia, vulgo Niester, sive Dnister, fluvius. Diversus utique a Borysthene fluvio, vulgo Nieper, seu Dniper, quarum vocum similitudine celebris ævi nostri Historicus lapsus est. E) Plures appellantur apud Turcas Vezirii. Supremus Vezir Azem appellatur. F) Camenecum, aliis Camenecium, Camenecia, Podoliæ præsidium, colli impositum natura, & arte permunitum.

A. C. fretus Gubernator nihil pacati admisit, NEQUE solo terrore verborum fortem virum, vel præsidium expugnari respondit.
1671.

Igitur ad oppugnationem versi Ottomani, admirabili celeritate ad mænia producunt aggeres, minimaque jactura fossorum, ante præsidiariorum oculos stationes obsidentium ex castrorum disciplina muniunt. E quatuor suggestibus dum mænia verberantur, inexpectata impressione princeps munimentum occupatum est a Janicsarorum Aga. Ex eo loco diu, noctuque fulminatur in ædificia. Cives exterriti tam prospero principio, veluti omnem munitionem amisissent, clam militibus, sublatis e turri candidis vexillis deditionem offerunt. Iis conspectis dum Janicsari turmatim accurrunt, displosis machinis, ac ferreis fistulis a præsidiario A) ingenti strage cæduntur. Discordibus jam animis nihil prospere actum. Cives suarum fortunarum populationem non ex vano veriti, si assultu caperetur Camenecum, deditionem urgebant; miles gloriæ avidus locum tueri contendit, quamvis Gubernator auro B) fortassis expugnatus, civium petitionem ratam haberet. Eo jam creverat seu metus, seu perfidia oppidanorum, ut præsidiarii non minus adversus istos, quam hostem muros subeuntem semet tueri debuerint. Infelix casus jurgia extinxit, & deditionem maturavit.

In armamentarium audaciores militum se contulerant, arma, pulveres egesturi. Inter concursationem, dolone, an forte? oborto incendio aliquot doliola confecti pulveris comprehenduntur, ac concusso immani fragore ædificio, inevitabili strage pars militiæ, id est anima præsidii hauritur, & ruina consepelitur. Pronis in deditionem Gubernatore, & civibus, Camenecum traditur. Milites, cives, qui sponte solum verterunt, cum omni supellectili emigrare permissi, Leopolim ducentis curribus deportantur inter cohortes Janicsarorum. Ingressus urbem Mahometes cum manu militum, continuo templa adiit supremo Domino victoriarum grates persoluturus, eorumque pleraque in Moscheas mutavit. Repurgatis compitis, inter applausus triumphum egit, tanta modestia militum, ut nulli civium illata vis, aut injuria memoretur. Rarum Ottomanorum continentiæ exemplum in Annalibus legas. Sed istud rigidæ disciplinæ, & charitati Mahometis, quo milites in hac expeditione complexus est, debebatur. Nam ægros, saucios mira comitate, solabatur; facta singulorum immodicis laudibus extollebat; alium spe, alium gloria; cunctos alloquio, & cura, sibique, & prælio firmabat.

Cameneco subacto, Kaplanes Bassa cum delectis quinquaginta millibus armatorum ad Leopolim C) castra metatus est. Oppidani a milite, armis male instructi, viso victore exercitu ad portas, non ausi vim experiri, ad Imperatorem, Kaplanis venia, Legatos mittunt, qui se, & urbem fidei, clementiæque Imperatoriæ dedant. Accepti perbenigne a Mahomete, grandi ære suarum opum depopulationem redemerunt. His prospere actis, cum frigidior autumnus militi Asiatico gravis foret, commissis Dorosenskii curæ Podolia, & Ukraina amplissimis provinciis; Cameneco Hassane imposito, Adrianopolim victricibus copiis iter edixit. Vitio datum Mahometi, quod miles fœdissimo itinere, sæviente frigore, Adrianopolim sit actus; captæ provinciæ tenui præsidio firmatæ. Etenim quiescentibus Polonis, omnis regio patebat hybernaturis, facilis præterea annonæ subvectio in Podoliam, Ukrainam e vicino agro (cum hoc bello non sit sævitum, ut alias, in oppida incendiis) ut adeo mirarentur Purpurati, cur hybernorum causa,

A) E Germanis præsidium fuisse conflatum scribunt Authores Portæ Ottom. B) Nempe ut Græcus ille ait:

> Auro loquente, ratio quævis irrita est,
> Suadere quoniam novit, & ratio nihil.

C) Leopolis Russiæ rubræ, seu Russiæ minoris metropolis, gemino castello firma, ac mercatorum frequentia celebris.

causa, in ultimam Asiam proficiscendum fuerit? Et profecto maximæ instar cladis erat, autumno præcipitante in longinquas, ac perdifficiles vias raptare legiones. A. C. 1671.

Nondum perventum fuit ad Istrum, jam procella nivium, & omni hoste nocentius gelu a prosequendo itinere obstitit. Magna pars jumentorum, hominumque sopitis frigorum vi sensibus obriguerunt. Multi pedibus & manibus ambustis, bello deinceps inutiles dimidiam vitam ægre retulere. Solutis repente nivibus calidioribus ventis, nova calamitas emersit. Omnia obtinentibus aquis, cum nihil, ubi in sicco fessa sternerent corpora, inveniri posset, cumulatis in aquas sarcinis insuper incumbebant. Frumentariæ etiam, & cibariæ rei difficultates in dies crescebant. Ita exercitus frigore, fame vexatus mense Decembri Adrianopolim accessit. Quodsi Polonorum aliquot signa advolassent, tot incommodis circumventos ad internecionem cædere potuissent. Verum illi animis, & voluntate inter se dissidentes hosti pontem quodammodo stravere, quo tutius Poloniæ provinciis demigraret. Pax insuper probrosa a Mahomete dictata sat luculente ostendit, omnium animos incredibili torpore fuisse constrictos, etsi Rex cum regni militia ad Lublinum castra posuisset. Nec facile legas gentem bellica laude florentissimam, tanto desiderio pacis flagrasse. Summa illius erat: Rex Poloniæ omni jure, quod in Podoliam, Ukrainam, Russiam habuit, in perpetuum se abdicet. Leopolis, & vicina oppida singulis annis septuaginta millia imperialium, Respublica Polona duo aureorum millia tributi nomine Turcis dependant. Aliorum tractatuum capitibus sua vis, & integritas permaneat. Has conditiones, qui firmarent, in dies expectabantur Polonorum Legati.

Non minus utilis, ac gloriosa Ottomanis pax prope A) confecta, insolitam Adrianopoli & Byzantio lætitiam attulit. Mahometes, quo pacis, victoriæque suæ famam celebriorem redderet, severum imperium ad omnes provinciarum Præfectos dedit, ut triduo festos ignes instruant. Urbs Byzantina sive Adrianopolitanorum æmulatione incitata, apud quos Imperator agebat, sive locorum opportunitate impulsa, pompa, & apparatu nobilissimum toto Imperio exhibuit spectaculum. Juverit rem pluribus avido talium Lectori dare. Ingruentibus primis tenebris in aula Imperatoria e majoribus, minoribusque machinis signum est editum nocturnæ celebritatis. E castellis Euxino mari adsitis, urbe Scutari, e bellicis navibus, pari celeritate, majori fragore tormenta insonuerunt, alternisque mugitibus populo undique accurrenti animos addiderunt ad continuanda hilaria. Compita urbis, palatium Imperatoris, Moscheæ, mercatorum officinæ innumeris collucebant facibus. Cuncta festis militum, civium personabant vocibus, Mahometi Imperatori vitam, & victorias acclamantium. Accessit epularum frequentia, quas opulentiores suis familiaribus palam apposuerunt. At ora Hellesponti infinitam prope hominum multitudinem excivit. Stabat placidum mare, nulla ventorum vi agitatum. Navigia numerosa miræ altitudinis columnis, exquisitis pegmatum, arcuum molibus, armorum, triumphatarum gentium signis superbe ornata (perenni igne oculos avide inspicientium pascente) composito remigum pulsu jam in altum, jam ad litora leniter agebantur, inter dissonos instrumentorum campestrium strepitus, quibus nempe barbarorum ingenia mire capiuntur. Machinatores toties noxii inimicis urbibus, operam suam, & artem in varios ignium ludos, pompasque animo mutato verterunt. Mare perinde, ac aer, incendia mediis in undis aluit. Jurasses Romana theatra ad omnem elegantiam expicta per altum ferri, mox scena versa Trojam flammis deleri. Adeo igneæ per Hellespontum, canalemque naves larga incendia impune comitabantur. 1673.

A) Chronologorum aliqui adnotarunt, pacem fuisse omnino confectam, id quod alii negant. Porta Ottom. ait conditiones pacis factas inter Legatos, a Rege, & Repub. minime acceptas. Brietius ad hunc annum memorat: pacem genti Polonæ probrosam confectam fuisse. Hartnaceus hæc habet: „ Aucta est potentia Turcica Ukraina, & munitissimo totius Podoliæ propugnaculo Caminicia. Factum id infidelitate dedentium. „

A. C. Hoc ſpectaculorum apparatu, Byzantini a metu, & cura bellorum vacui 1673. triduum exegere, tanta animorum conjunctione, ut urbs vaſta, & disjecta tumultu miſceretur nullo, nullis jurgiis hilaria turbarentur. Cæteræ urbes, oppida pares ſuis facultatibus ludos inſtruxere.

In Polonia longe alia rerum facies. In Comitiis Varſavienſibus ut publicata eſt pacis formula, omnium animos pudor, mœrorque ſubivit. Puduit nobiliſſimam gentem Ottomanico jugo colla ſubdere, & tributum ad aſſem ſuperbis Dominis quot annis numerare. Calamitatum præcipuum fontem diſſidia fuiſſe, nemo ignoravit. Hoc obturato redituram Poloniæ avitam felicitatem omnes cenſuere. Igitur poſitis ſimultatibus animos, viresque conſociant; longa odia in Regem nutrita, momento in hoſtes vertunt; arma, copias toto regno maturant. In Joannem Sobieskium Imperatoriis virtutibus clariſſimum, qui Regio exercitui priſca authoritate præeſſet, ſuffragia conferunt. Annonarias domos maxima celeritate in Ruſſia, quo miles convenire juſſus, omni genere frumentorum replent. Doroſenskius apparatu Polonorum non mediocriter perterritus, ab Ottomanis auxilia petiit, nunciavitque Imperatori, gentem ſuam res novas moliri, & brevi ad Polonos, aut Moſchos tranſituram, niſi vi armata in obſequio detineatur. Nempe jam tum homo leviſſimus ſuum conſilium ſpecie alienæ molitionis detexiſſe videtur, quod poſt annos quatuor deſertis Turcarum partibus palam arripuit. Eodem tempore rumor emanavit Adrianopolim: Turcis bellum conciri in Moſchovia; ingentem armatorum numerum ſub ſignis eſſe; in omnibus provinciis apparatus fieri. Res, credita eo facilius, quo certius conſtabat, Moſchorum Principem anno proxime ſuperiore vehementer irritatum, quod Legatus, quem Polonorum cauſa Adrianopolim miſit, infra dignitatem habitus, ſuperbo cum reſponſo rejectus ſit, & nunc demum eam injuriam ultum iret.

Vulgatus rumor tantum terroris incuſſit, ut verſis illico in bellum Moſchoviticum curis, Tartariæ Regem cum copiis excubare juſſerit, ne quid terra impune moliatur hoſtis; claſſis præterea quadraginta navium in Pontum Euxinum expedita eſt, ad firmanda maritima oppida. Aſſoviæ præprimis timebatur. Hæc ad tolerandam obſidionem rebus omnibus inſtruebatur. Dum hæc maxima trepidatione aguntur, in Aſia haud leve damnum Ottomanis illatum. Alexandrina claſſis ad Rhodum a Melitenſibus, & Corſicanis circumventa, biduo extracto certamine, in poteſtatem Chriſtianorum venit. Ingentia ſpolia cum bellicis inſtrumentis ut mirum recrearunt victores, ita Turcas impoviſa clades maxumopere conturbavit. Concoxit Melitenſium facinus Mahometes, in Polonos, & Moſchos intentus. Camenecum tria millia Janicsarorum acceleratis itineribus feſtinare jubet. Sex millia ex eodem ordine in auxilium mittit Doroſenskio. Cuſſaini, A) pacis non minus, ac belli artibus conſpicuo demandat, ut e Bosnia, Macedonia, Thracia militem venientem trans Iſtrum collocet, caſtrisque munitis prope ripam conſideant. Quippe bellum trahere potius, quam gerere hoc anno cupiebat Imperator. Nam præter morem pauci armatorum confluxere ad ſigna, non tam metu Polonorum, quam calamitatum, quas victor exercitus in reditu perpeſſus eſt. Præterea mutata ſubito mente, ſepoſitis belli curis, partem æſtatis venatione exigere decrevit in nemore, ſex dierum itinere Adrianopoli diſſito. Et dignus fuerat locus tanto hoſpite, & venatore, adeo abundabat irriguis fontibus, omni genere ferarum, quas inſectari ad inſaniam prope adamaverat.

Vezirius, & Primores Purpuratorum, huic inconſultæ cupiditati fortiter reſtiterunt; ajebant: *ſolemne quibusdam Principibus Ottomanici ſanguinis fuiſſe, ut, ſi bello vacarent, belli tamen incitamento, curas temperarent venando. At ubi hoſtis imminebat Imperio, neglexiſſe ejusmodi delicias, convolaſſe in caſtra, aut ſenatum, quo ſaluti civium proſpicerent, Imperatoriæ majeſtati pares victorias conficerent. Præ foribus nunc eſſe geminos hoſtes;*

A) Hic Cuſſaines ultimam manum paci Venetæ impoſuit ad annum 1671.

hostes; alterum victum, sed integris viribus inferentem bellum; alterum injuria exulceratum, recentibus copiis dedecus ulciscentem. Haud decere praeliaris ingenii Imperatorem semet in montium latebras abdere, & hostibus veluti ingloria fuga terga ostendere. Famam Principis atrociter vapulaturam apud omnes, si abjecta exercitus cura, cum ingenti aerarii imminutione numerosam familiam per saltus circumducat. Obsecutus Purpuratorum monitis, exercitum quindecim millium pugnatorum, exeunte Julio trans Istrum abducit, ratus sui fama Polonos ab armis discessuros, & pacis conditiones nuper dictatas, ultro rogaturos. Dedit subinde ad Regem, ad Rempub. literas minarum plenas: *quod superiori bello devicti pacem ardentissime flagitarint a victore; obtentam iniquissime abruperint quorundam civium inquietis consiliis.* Clementiam suam, qua usus in victoria, non parce commendavit: *se uno cursu potuisse proterere omnem Poloniam: cohibuisse tamen victorem exercitum incendiis, rapinis, urbium excidiis, id est gloriae avidissimum suum animum ea victoriae modestia postremum superasse; quaestuosam expeditionem in tenues admodum victoriae fructus, quo amicitia firmior inter utramque gentem coalesceret, non sine cavillatione Turcici populi mutasse, sed jam omnem clementiam erga foederum violatores deposuisse: ferrum, ignem, omniaque belli adversa expectarent, ni festinato obsequio arma ponant.* Nihil deinceps contulit ad expeditionem Imperator. Traditis enim copiis Ductorum praecipuis, in montibus Moldaviae haesit, e longinquo suorum cladem accepturus.

A. C. 1673.

Joannes Sobieskius multis delectibus aucto exercitu, rebus commodissime dispositis, itinere, quam fieri potuit, citatissimo Camenecum profectus est. Rex Michael sinistra valetudine per id tempus afflictus, suis ut animos adderet, Leopolim praeter Medicorum, Procerumque mentem se contulit, ubi recrudescente aegritudine, non multo post vivendi finem fecit. A) Cussaines relicto Istro exercitum Turcarum, Podoliae infudit, castrisque opere firmissimo extructis, hostium praeliarem aestum non dimicando frangere intendit. Non evitavit, sed distulit cladem inutili mora. Res ita habet. Principes Valachiae, & Moldaviae evocati in bellum, suas copias Turcis conjunxerant, & iisdem castris consederant. Ut omnia fierent e disciplina militari, in tanta vicinia Polonorum, impiger Cussaines diebus, noctibusque curavit. Rogat Moldavum, num miles ad pugnam expeditus? alacrine animo in aciem prodituros? cum minus grata reposuisset, ferox ingenio adeo exarsit Cussaines, ut inspectante exercitu Moldavum velut vilissimum mancipium ferrea clava pulsarit. Simulata mente iram tenuit, quo certius illatum sibi dedecus ulcisceretur. At Valachi B) injuria foederati Principis exasperati, secessione facta a Turcis, ad Polonos transierunt, suumque Principem reluctantem, vi intentata abripuerunt; qui tamen postea fugiendi occasione reperta ad Cussainem festinavit cum quadraginta comitibus. In ea fuga a Polono equite plerisque caesis, ipse Princeps acinace grave vulnus accepit in dextra. Hac plaga decorus, apud Soltanum gratiam non vulgarem iniit, atque eam, quoad vixit, perpetuo possedit. Et patuit illico, quanti fecerit fidem, constantiamque, qua Turcarum partes aperto vitae discrimine propugnavit. Nam aucto in singulos dies Principis stipendio asprorum (minuti, sed probi argenti moneta est) ter centum; Consors, & Liberi, qui obsides erant Constantinopoli, e septem turribus, quo rapiebantur post fugam Valachorum, honorifice reducti, pristinam & libertatem, & dignitatem obtinuere.

Sed Moldavus nullis beneficiis placari potuit; adeo laesus honor in vindictam hominem extimulavit. Agebat tamen cum Cussaine, ut alias, familiariter: frequens in consilio, pervigil ad Polonorum motus, plane ut omnem suspicionem mutati animi exemerit Turcis. Interim cum Sobieskio clan-

M 3

A) Michael Coributus Rex Polon. mortem obiit die X. Novemb. Postero die Joannes Sobieskius nobilem victoriam reportavit. Gotfridus Lengnichius pag. 241. B) Tria millia dicuntur fuisse in Porta Ottom.

A. C. 1673. clanculum colludit; quid firmum, quid debile in castris Cussainis, per fidos sibi homines edocet. Hortatur: opera castrorum invadat; pollicetur se omnibus viam daturum in castra, & cum suis in Ottomanos arma versurum. Æstuans alioquin in pugnam Sobieskius, maxima celeritate munimentis castrorum militem admovet. Cruentum certamen multis locis oboritur. Moldavus vindictæ cupidus sub primum certaminis æstum in Turcas irruit; Cussainis stationem incursat, eumque non levi vulnere perstringit. Dissipatis propugnatoribus, in mediis castris justo prælio concurritur, Solymano Bassa Turcarum aciem sustentante. Horis quatuordecim ancipiti victoria pugnatum fuit. Tandem animis, viribusque fracti Ottomani fugam capessunt. Solymanus sex equis amissis, ægre in septimum eluctatus, in fuga glande plumbea trajicitur; mox a superveniente Polono hasta dejectus, a victoribus frustatim conciditur. Cussainem cum duobus Bassis benignior fortuna cædi eripuit. Magnitudo victoriæ e castris opulentis, & cæso ad internecionem exercitu patuit. Reperta in iis quinque, & viginti millia plaustrorum partim frumento, oriza, partim nitrato pulvere, variaque supellectile onustorum; Facti æris Ducenti sacci, quorum singuli pro quingentis imperialibus valent. Tormenta diversæ formæ complura; papilionum aliquot millia. Vexillum grande Janicsarorum cum aliis signis. Sed immanis hostium cædes præ spoliis erat. Viginti quinque armatorum millia in castris, & fuga interempta esse Historici perhibent, A) accensis fortasse iis, qui a Polonis ad Tyram fluvium iterum profligati, ferro, & aquis perierunt. Iisdem diebus Moschi cum fidis aliquot Cosaccorum turmis Dorosenskium, & Tartaros infestarunt obsessisque montium angustiis iter ad castra Turcarum interceperunt.

Sobieskius ut vincere, ita victoria uti noverat. Cocinum, nobile præsidium ad Poloniæ limites, aliaque munimenta Turcarum, ad Tyram extructa partim vi, partim deditione accepta. Moldavia iniquis possessoribus depulsis, suo Principi restituta, gravissimo tributi onere liberata est. Jassium, B) Vaivodarum sedes, exturbatis Ottomanis lætiorem faciem induit. Huc Kaplanes quatuor peditum millia, serum auxilium, promovit. Intellecta suorum clade, fuga celerrima ad castra Vezirii, reliquias fusi exercitus prope ripam Danubii colligentis, semet trepidus recepit. Multorum saluti ea castra erant. Nam fugitivorum plerique ad Danubium nocturno itinere tendebant, ne ab insequentibus Moldavis, & Polonis suas injurias ulciscentibus trucidarentur. Quod si pons Danubio injectus concremari potuisset, nemo iram victorum evasisset. Sed objiciente exercitum suum Vezirio pons integer stetit. Cussaines vulnere, & multo viarum errore lassatus, in eadem castra pervenit. Ab irato Imperatore munere suo privatus in vincula conjicitur, atque ad septem turres deportatur. Nequaquam, ut fortem virum decebat, adversam fortunam excepit, tulitque. Aulæ favoribus a pueritia innutrito gravissimum erat, Imperatoris gratia, unius prælii sinistro exitu, perpetuo excidisse. Solitudo præterea hominem, qui se paulo ante numerosa militum manu, Ducumque corona mandata operientium cinctum viderat, penitus afflixit. Et jam in itinere ex animi mœrore morbum adeo gravem contraxerat, ut navigans per Bosphorum Thraciæ, ab Anglicano Legato, qui eodem tempore Byzantium trajecit, Medicum sibi mitti rogarit. Carceri inclusus, infelix prælium multis omnino annis luit.

1674. Michaelis Regis fata, Poloniam in solitos fluctus conjecerunt. Indictis comitiis anno MDCLXXIV. spes obtinendi regni Polonici Principum Europæorum incaluit. Candidati ferebantur: Æmilius Brandeburgici Electoris filius, Basilides Moschoviæ Princeps, Joannes Wilhelmus Baruthanus, Geor-

A) Aliqui tamen non nisi XIV. millia cæsa tradiderunt; Lengnichius liberali calculo triginta millia periisse scribit. Continuator Brietii hæc commemorat: „ Joannes Sobieski summus regni Mareschallus, tractis in societatem Polonorum Valachiæ & Moldaviæ Principibus clade ingenti & quatuordecim millium strage Turcæ prope Cocinum attriti sunt. „ B) Jassium, Jassia urbs Moldaviæ non immunita.

Georgius Daniæ Regis frater, Carolus Lotharingus, Maximilianus Bavarus, Arauſienſis, Eboracenſis, Mutinenſis, Apaffius, Condæus Principes. Proceres diu diſtracti emunctis grandi ære petitoribus, in Joannem Sobieskium Reipub. oneri parem, menſe Majo ſua vota contulerunt. Dilata ſolenni inauguratione, in Podoliam magnis itineribus contendit adverſus Turcam, cædes, & incendia late circumferentem. Jam enim Imperator cum Vezirio, Aſiaticis copiis firmato exercitu, in Polonorum ditiones irruperat. Celeritate opus erat ad Camenecum aſſerendum. Ea urbs peracri obſidione a Polonis premebatur hyeme quantumvis ſæviente. Clauſis undique viarum aditibus ciborum penuria in urbe, frequenti populo referta, oborta eſt. Prope erat, ut hoc domeſtico hoſte graſſante præſidiarii ſe dederent. Advolavit in tempore Vezirius, & Polonos numero longe inferiores obſidione depulit. Cameneco rebus omnibus inſtructo, florentem, numeroſumque exercitum Cocino affudit. Poſt dierum aliquot oppugnationem, ſpe ſuppetiarum ſucciſa, pactis opimis conditionibus urbs traditur. Sic pari facilitate, ac anno ſuperiori Polonis, Ottomanis ceſſit, non tamen eadem præſidiariorum fortuna. Nam omnes contra datam fidem a ſuperbo, & inſolenti victore trucidati ſunt. A) Moſchis in campum progreſſis hoſtem aggredi ſine Polonis res plena diſcriminis videbatur. Aſſoviam captam dum adverſus hoſtem tueri formidant, cum ſtrage circumfuſæ regionis in buſtum vertunt, retractoque milite campo excedunt. Moſchorum diſceſſu cognito, claſſis Ottomanicæ Præfectus Aſſoviam, mercaturæ peropportunum locum, haud negligendam ratus, paucorum dierum lapſu e ruinis evexit, compulſiſque magno numero agreſtibus ad opus faciendum, mira operarum feſtinatione profundis foſſis, ſolidiſſimis palis terreæ moli infixis adeo munivit, ut ſecuturis annis multo ſanguine Moſchorum fuerit expugnanda.

Interea Sobieskius Podoliam, & Ukrainam ingreſſus, incolas ejus provinciæ metu oppreſſos mirifice recreat. Recedentibus Turcis, præter Camenecum, omnia præſidia ſui juris facit. Moldavum ſibi confœderatum ejecto novo Principe, quem Mahometes media hyeme cum aliquot turmis ſpahiorum immiſerat, in principatu ſtabilit; provinciam contra ſubitas irruptiones Tartarorum opportunis præſidiis obmunit. His non minus celeriter, ac fortunate actis, victor Cracoviam redit. In hanc expeditionem more veteri evocatus erat Precopienſium Tartarorum Chamus. Is excuſata apud Vezirium valetudine, equeſtres copias ſuis ſub Ducibus in caſtra Turcarum proficiſci jubet, ipſe domi valetudinem curaturus. Vezirius ſeu fidem non habuerit morbum obtendenti, ſeu revera morbum agnoverit, citatis equis Meſſalinum B) artis medicæ peritiſſimum, gente Italum, ad Chamum dimittit. Spatio dierum ſeptem, & decem Crimæam, ſubinde Bacaſaram, C) caput Precopiæ, & princeps domicilium Chami tenuit. Officioſe exceptus, Vezirii ſolicitudinem curſim expoſuit, ſtatimque indicia morbi e vultu horrido, nimiumque mœſto collegit, animum nempe, non corpus male habere. Erat Chamus a prima pueritia ingenio triſti, vitabundo, futurorum anxio; auxitque illud procedentibus annis, mutata negotiorum materia. In præſentia ſolito majori occupatus mœrore adeo concidit, ut neque bellica laude, neque ſpe prædarum caperetur. Pronum creditu eſt; his duobus poſtremis annis in Polonos ſuſceptæ expeditiones hominem infregerint, penituſque a caſtris abſterruerint.

Meſſalinus, cui ob veterem neceſſitudinem, & artis peritiam multum tribuebat Chamus, rediturum animi vigorem, ac qualemcunque mentis ſerenitatem pollicitus eſt, modo ſolitudine evitata, inter caſtrenſes ſtrepitus verſaretur. Obſecutus monenti, paucis poſt diebus itineri ſe dedit, trajectoque Boryſthene, Benderam, ad ripam Tyræ munimentum, pervenit; indeque in Moldaviam digreſſus, ubi Vezirius caſtra metatus eſt, ſuas copias

A) Lenguichius trucidatos fuiſſe non meminit. B) Meſſalinus medicus Vezirii cujus epiſtolam refert Ricautius in Porta Ottom. Tom. II. ad quem data eſt. C) Bacaſara, Bacaſarium urbs primaria Precopiæ, & ſedes Regis minoris Tartariæ ad mare Euxinum.

A. C. 1674. copias regendas suscepit. Hæc e Crimæa Messalinus perscripsit ad Ricautium Legati Anglici a secretis. Postremo addit: *Polonos pacem quæsivisse apud Mahometem, & facile obtenturos fuisse, nisi Camenecum sibi reddi postulassent. Turcas perinde, ac Tartaros incredibili pacis desiderio ardere. Polonicum bellum admodum sterile, inprimis Tartaro his annis accidisse, omnibus denique invisum esse. Spem succrevisse Ottomanis, Sobieskium Principem summæ moderationis, belli calamitatibus finem impositurum, ipso Mahomete quietem magis optante, quam palam poscente. Vertenda deinceps arma in Moschos, qui non lacessiti, non bello provocati, terra, & aquis Ottomanos impetunt, Cosaccorum fidem ingentibus promissis solicitant.* Hæc Messalinus. Et reipsa non pauci Cossaccorum exuta fide adversus Turcas, demigrarunt in provincias Moschorum, atque in dies fuga numero gliscebat, ut merito timuerit Imperator, ne ipse Dorosenskius suorum popularium vestigia aliquando premat. Hoc se metu liberare quam primum statuit.

Antequam Adrianopolim abiret, accitis Vezirio, ac Purpuratis in consilium; Cosaccorum quorundam ad Moschos secessionem, Dorosenskii suspectam fidem, difficultatem continendi cæteros in obsequio, clandestinas Moschorum solicitationes in medium profert, rogatisque singulorum sententiis, postremum conficit: *Cosaccorum gentem cum Dorosenskio e natali solo deportandam in agrum Euxino mari adsitum; in eorum sedes colonos e Turcicis provinciis accersendos. Hac ratione Cameneco novum veluti munimentum additum iri; Cosaccos haud facile fugam arrepturos, aut certe e fuga retrahendos.* Prolato Imperatorio edicto, tristi primum silentio populus hærere, mox Turcarum artes agnoscere, nimiæque Dorosenskii fiduciæ subirasci. Dorosenskius sua levitate damnata alte dolorem pressit, vultuque ad hilaritatem composito crudum imperium exhausit. Sine mora, quæ ad proficiscendum pertinebant, comparatis, cum liberis, jumentis, omnique domestica supellectili itineri semet committunt. Eodem tempore non modica pars civium urbis Camenecensis distracta fuit. Armeni, & Hebræi mercaturæ dediti partim Philippopolim, & Adrianopolim; partim Byzantium suas fortunas, atque adeo lucra transferre adacti sunt. Juvenes in Podolia intercepti, ac ingens multitudo utriusque sexus, in ultimas Asiæ provincias abrepta a militibus, potissimum Asiaticis; quibus Imperator hæc spolia ultro cessit, solaturus illorum, ut opinor, longinquas, ac crudæ hyemis incommodis corruptas vias. Potestatem præterea Asiaticis fecit, ut anno insequenti domi remaneant, resque suas privatas curent; sive hac indulgentia multorum iram lenire voluerit, sive non magnopere formidarit Polonos, quorum concordiæ, si parum temporis intercedat, haud duraturam constantiam rebatur. Hyemante jam anno castris solutis ad Istri ripam, Adrianopolim concessit.

1675. Imperator, veluti debellatum foret, raro admodum milite, Poloniæ limites munivit. Ibrahimo excubare jusso ad Istrum bina peditum millia missa. Usuffes cum aliquot Tartarorum signis, Dorosenskio in auxilium datus ad Ukraniam infestandam. Classis Præfecto mandatum, ut annonam Euxino mari subvehat. His perfunctorie imperatis, seposita dein armorum cura, præsentem annum quietus egit. Neque Vezirius, & Purpurati futurorum anxii, in pompas spectaculorum, quæ Adrianopoli jussu Imperatorio non levi pecuniarum impendio adornabantur, defixi ignobili otio inter hilaria marcescebant. Eorum initium mensis Majus dederat, dum more Turcarum Mahometis filius circumcideretur. Stabant in campis Adrianopolitanis pulcherrimo ordine papiliones acu phrygia expicti. Horum in medio conspectum erat perelegans pegma, cui insistebat thronus, Imperatoriæ majestati par; adeo gemmis, auro, & si quid his avara mortalium cupiditas pretiosius numerat, fulgebat. Ad latus utrumque pegmatis, miræ altitudinis arbores, lampadibus instructæ non tam ad noctis tenebras arcendas, quam ad spectantium oblectamentum visebantur.

Rebus

Rebus ex ordine curatis, Mahometes Imperatorio cultu ornatus, ex urbe Adrianopolitana profectus est, infinita hominum multitudine vias, & tecta obsidente, Janicsaris militari ferocia horridis, latera stipantibus. Circa ipsum vehebantur Primores quique, Vezirius, Mufftius, Purpurati, bini Principes filii. Sed visum ad se trahebat omnium Princeps in flore ætatis, fortunæque, cui omnis hæc pompa serviebat, generoso sonipedi insidens, & vestium fulgore conspicuus. A) Ut perventum in castra ludicra, Imperator conscenso pegmate, ab universis persalutatus est. Purpurati, Præfecti provinciarum, ac urbium, præter verborum officia, ingentis pretii munera scripto obtulere. Compertum est postea ab ærarii Præfecto, tantam summam pecuniæ fuisse collectam, ut ea longe excesserit omnem impensam, illa æstate liberali utique manu, in tot spectacula insumptam. Et suapte Mahometes eo temporis ad liberalitatem, dignamque suo fastigio magnificentiam pronus, hujusmodi spectaculorum celebritate multum delectabatur. Hac cura defuncti Primores Turcæ, in omnem hilaritatem soluti, pluribus diebus iisdem in campis morati sunt. Dies partim conviviis, partim ludis theatralibus extracti. Subinde campo hastatis equitibus referto, decursio equestris peracta est. Pedites pariter inter se congressi, suarum virium periculum præsente Imperatore, ac Purpuratis fecerunt. Horæ nocturnæ festis ignibus inspiciendis transmissæ. Fama est ducentos quadraginta machinatores, mensibus quatuor sedulam operam hisce igneis apparatibus impendisse, ut vel inde conjicias, Ottomanos haud perinde agrestes, rudesque, & citra delicias horridos, ac ab exteris rerum Turcicarum minus peritis pinguntur. Visebantur præterea octoginta triumphales columnæ, aureis tapetibus, variis emblematibus ornatæ. Hæc hilaria exceperunt nuptiæ Mahometis filiæ. Gubernatori urbis Magnesiæ in consortem data, quantum gratiæ, favorisque Imperatorii attulit homini, tantum eidem auri, & argenti ademit. B) Nam infiniti sumptus iis faciendi, qui e domo regnantis aulæ, uxores accipiunt. Neque tamen suæ fortunæ securi. Imo eo propiores ruinæ, quo liberalius in conscientiam aulicarum rerum admoti; atque ut unius Imperatoris gratia florent, ita omnium invidia flagrant, imparesque tot æmulorum machinationibus præcipites aguntur. ETIAM firmissimi tandem cadunt, quos plures impellunt.

A. C. 1675.

Dum hæc ad Adrianopolim summa omnium voluptate aguntur, in Valachia interim medio jam hyemis infestis signis concursum fuit. C) Eam provinciam Tartarorum agmina inundaverant, ut primum Poloni in hyberna abierunt, stationariis in vicina præsidia se recipientibus. Accurrit magnis profectionibus Rex ipse cum expedita suorum manu, equestremque illam procellam momento disjecit, cæsis quam plurimis, & spoliis, ac captivis interceptis. Altera ex parte Radzivilio Lithuani exercitus Duce, Cosaccorum præsidio Povolocia D) expugnato, octingenti præsidiarii Regias partes amplexi sunt. His, quive horum exemplo invitati Dorosenskium ejurarunt, e Reipubl. ærario stipendia numerata, ac vestes, & arma attributa. Dorosenskius suorum transfugiis conterritus, quam in partem se vertat, animi incertus hærebat. Postremum pollicetur se renunciaturum fœderi Turcarum, modo citra dignitatis imminutionem amicus habeatur. Cum de industria pacis negotium traheret, & apparatus armorum solicitus undique corraderet, detecta fraude in eum feruntur Regii, cæsisque tribus rebellium millibus in sua mapalia retruditur. E)

Rex in Russiam rubram exercitu reducto, ad Leopolim mense Aprili castra posuit. Huic regioni imminebat Ibrahimus, præter Turcicum militem Tartarorum aliquot millia trahens. In Ukraina, atque Podolia, captis quasi per otium minoris momenti præsidiis, dum Tartari antecursores, Rus-

A) Hac pompa iterum processum est die XXV. Maji, ut refert Porta Ottom., cum Princeps more Ottomanorum circumcisus est. Hanc celebritatem nominant Zunettum, ut testatur Joannes Leunclavius in sua Historia Musulmana, & alii Scriptores. B) Mussaippes, & Kul-Ogli appellatus. C) Lenguichius pag. 249. D) Povolocia, Polonis Powlocz, Brietio Paulocia, munimentum Podoliæ. E) Continuator Brietii ad præsentem annum.

A. C. 1675. siæ oppidis insultant, & incendia incredibili velocitate, qua plurimum valent, spargunt, a Palatino Russiæ immani clade funduntur. Exeunte mense Augusto cum rursum ad spolia redirent, haud meliori fortuna usi, a Regio milite cæduntur. Ibrahimus nihil deterritus sociorum strage, Podhaicios oppidum obsidione cingit, deditumque funditus evertit. Arx Trubovla acerrima oppugnatione tolerata, ad extremum hostem rejecit; nisi forte Ibrahimus Regis fortunam veritus, iter festinarit in Valachiam, qui motis Leopoli castris perquam cupidus erat universa acie decernere. Sed jam Ottomanus extra ictum positus, dimissis in stativa militibus, Regiorum conatus elusit. Neque isti longis profectionibus acerba inter frigora exhausti, diu in castris perstiterunt, postquam Soczavam, Moldaviæ Principis sedem, direptam excusserunt.

Expeditione maritima vix ullum operæ pretium hac æstate factum, clades insuper accepta est aliquot navium. Archithalassus classis Ottomanicæ, cum triginta navigiis partim bellicis, partim onerariis in mare Euxinum excurrit, conquisitaque Byzantino in agro curatorum opera cibaria, & pabula Oczakoviam feliciter advexit; indeque terrestri itinere in Kioviam, aliasque provincias, in quibus Turcicus miles, & Cosacci stationes habebant, deportata. Vela facturus Constantinopolim sævissima tempestate multum jactatus, quinque naves cum classiariis amisit, ægreque portum Byzantinum vicesimo sexto Octobris, Divo Demetrio apud Græcam nationem sacro, tenuit. Ricautium authorem habeo Turcas juxta, atque Græcos nunquam hoc die e portu solvere propterea, quod frequentibus naufragiis sero didicerint, improspera navigatione usos fuisse plerosque, qui festa hac luce seu mercaturæ, seu armorum causa se mari commisere. USQUE adeo aliorum infortunia mortalium animos persæpe exterrent, ut sibi religiose persuadeant, superum ira accidisse, quidquid frequentius infeliciter actum, captumque hominum excedit.

Anno MDCLXXVI. Januario mense incredibili civium gratulatione Constantinopoli acceptus est Imperator. Sedecim prope annis hac urbe aberat, Adrianopoli partim, partim aliis oppidis in domicilium delectis. Etenim Byzantinis mænibus semet concredere intutum rebatur. Majorum suorum discrimina, quibus non raro in ea urbe implicabantur, præ oculis erant, metuque exterritum, ne iisdem involveretur, procul avocabant. Ipse semel, atque iterum a concitata multitudine obsessus, ægre furentium manus evasit. Si minus prospere dimicatum, multa convitia in seditione exæstuantis populi haurienda fuere; unius Imperatoris desidiæ, imprudentiæ, provinciarum detrimenta tributa; atque UT IGNAVISSIMO cuique dominantium majestas, nisi armis firmetur, ludibrio est, ita militibus in seditionem versis, ab infimæ sortis hominibus maledictis, opprobriis in libera urbe vapulavit aula. His de causis non ultra moraturus Byzantii, locum circumspectare cœpit aliquem, in quo authoritate integra Imperium moderaretur, placuitque inprimis Adrianopolis, non tam situ, ac munitione valida, quam modestia civium, priscorum Principum habitatione, ac venationis opportunitate nobilis.

1676. Igitur alio translato Imperatorio domicilio, Byzantinæ urbi multum pristini splendoris, & lucri decessit. Ædificia Purpuratorum squallore obsita, aulæ palatia sine incolis civibus quotidie mœrorem augebant. Sed potissimum commercia, unicum fere, & certum Byzantinorum alimentum, longior Imperatoris Adrianopoli commoratio afflixit. Mercatores agentibus alibi aulicis, & prætoriano milite, non perinde suarum mercium emptores habuere, ut multi interverso lucro, necessitate adacti, cum artificibus alias in urbes recesserint. Adrianopolis contra tanto altius caput extulit, quanto magis Byzantium in dies deflorere cœpit, ut non falso judicatum fuerit, cum Imperatore omnem felicitatem eam in urbem immigrasse. Hoc

de-

demum anno, ut dicere institui, benignior fortuna Byzantinos, sui Principis adventu recreavit. A) A. C. 1676.

Vario hominum sermone praeproperus Adrianopoli Imperatoris abitus disceptatus fuit. Permulti causam in promptu habebant: Mahometem inconstantis alioquin animi, satietate Adrianopoleos captum, veterem sedem repetiisse. Nec facile mutaturum consilium, quod multam materiam ad palatium extruendum comparatam Adrianopoli, avehi jusserit, conjecere. Callidiores, quibus abdita rimari mos est, suspicabantur, Gubernatorem Mechae, provinciaeque ad mare Erythraeum protensae, aut potius supremum sacrorum ministrum minacibus verbis admonuisse Imperatorem, ut Constantinopoli more veterum Principum resideat, secus neque a se, neque a populo pro Imperatore habitum iri. Alii sentiebant Janicsarorum querelis, quas publicis in circulis liberrimo ore diuturnam commorationem extra Byzantium damnabant, commotum, ut Constantinopolim se retulerit, rigida illa tempestate, ac nemine tum temporis abitum urgente, ne aliquando invitus facere cogeretur, quod sponte sua egisse est visus.

Ut urbi appropinquavit, maxima civium multitudo obviam processit visura sui Principis pompam. Sed ea raris admodum comitibus definita fuit; veluti hoc festinato, vilique ingressu turbam spectaculorum avidam, & contumacem erga suos Principes castigare vellet; patuitque illico nondum suspicionem posuisse Imperatorem, atque de populi fide multum addubitasse, cum eadem adhuc die Scutarim abierit, neque insequentibus diebus nocturnam quietem Byzantii ceperit. Adeo metus a seditiosis incussus altas radices egit, ut compluribus annis evelli haud potuerit. Nempe EA PLERUMQUE magis anxii timemus, quae primum timorem incussere. Illud tamen Byzantinis pergratum erat, quod haud procul ab urbe ageret, saepeque sua palatia, & hortos ineunte vere adiret, & in Bosphoro navigatione semet oblectaret. Quae spem faciebant, Imperatorem loci amaenitate capiendum, & quas alebat suspiciones, penitus suffocandas. Spem civium auxit per eos dies, quod aestivam domum ad Bosphori ripam ab Anglico Oratore ad omnem elegantiam exaedificatam occuparit, quasi oblectamentis Imperatoriis servituram. Sed brevi patuit se falsos fuisse. Nam nondum circumacto anno cum omni aula Adrianopolim discessit, non sine moerore Byzantinae urbis.

Interim classis Praefectus, & Ibrahimus copiarum terrestrium Dux, dum hybernis diebus in novam expeditionem curas partiuntur, uterque morbo oppressus, extinguitur. Classem moderandam accepit Zaid Achmetes, cujus pater eandem praefecturam in Cretico bello administravit, clarusque victoriis de Venetis relatis, tandem odio impotentis Vezirii, junioris Kiuperlis, victima cecidit. Ibrahimo successit alter Ibrahimus Candiae Gubernator cognomento Chaetan, vetus copiarum Ductor, fama potius, quam rebus gestis, inclytus. Hic intentiore animo resumptis Polonici belli curis, unus omnia agebat in vasto Imperio. Nam Mahometes superioris anni spectaculis, conviviis nimium emollitus, hoc quoque anno voluptatum dulcia effusius consectabatur, ac Dominum tantae monarchiae condecebat, praecipue expeditione Polonica Imperatoris praesentiam deposcente. Inde vitare sedulo, quibus blanda, & suavia otia interpellari possent, molem Imperii, & belli fastidia in ministros rejicere. Vezirius valetudine per intempe-

A) Sic olim Roma Augustum, ut in urbem rediret, optavit:

Divis orte bonis, optime Romulae
custos gentis, abes jam nimium diu:
maturum reditum pollicitus Patrum
Sancto concilio redi.

Lucem redde tuae Dux bone patriae.
Instar veris enim vultus ubi tuus
affulsit; populo gratior it dies,
& soles melius nitent.

Q. Horat. L. IV. Carm. Ode V.

A. C. temperantiam vini, & voluptatum fracta, neque consilio, neque manu adesse poterat. Purpurati eadem oblectamentorum peste correpti, domi desides, nihil curarum admisere. At Ibrahimus validus juventa, integer animi, experrectique vigoris, ut primum adversus Polonos se Ducem datum intellexit, e Creta insula Byzantinum navigans, nihil sibi in apparando bello ad summam industriam reliqui fecit, ratus in ea suprema ministrorum desidia, sibi uni & salutem Imperii, & decus tuendum. Evocatis e stativis militibus, ac convenire jussis trans Istrum, cum florentissimis copiis per Moldaviam progressus, in Pocutiam, Russiæ rubræ fertilissimum agrum improvisus irrupit, plurimisque oppidis partim vi, partim deditione captis, Haliciam, urbem incolis frequentem, occupavit Joannes Sobieskius hoc anno Regiis insignibus ornatus Cracoviæ, A) etsi in publicis comitiis militem, æs ab Ordinibus in communem Christiani nominis hostem, primo quoque tempore sibi mitti postulasset, atque ii omnia large addixissent; tamen sparso deinde per provincias rumore, occultis nunciis pacem esse Byzantii confectam, & arma ad speciem parari in Turcas, reipsa Brandeburgo inferenda, longe serius, ac inferiori numero in castra confluxere, quam in comitiis spoponderant.

1676.

Rex morarum pertæsus, non expectatis legionibus, quæ lento itinere e stativis moverunt, Septembri mense cum decem armatorum millibus superatis Tyra, & Strio fluminibus, in hostem viribus multo superiorem processit. Ad oppidum Zuravno locum castris delegit, eaque militari undique sepe, & excitatis per intervalla castellis, valide communivit, ut a paucioribus stationariis adversus ingentes barbarorum copias defendi possent. Et profecto hæc castrorum munitio cum Regi, tum militi saluti fuit. Ibrahimus contempta hostium paucitate, partem Janicsarorum, & equitum ad intercipiendam Vayniloviam immisit. Oppidum illico captum, ac direptum est; arx defendentium alacritate magis, quam munimentis valida, fortiter restitit. Ne ea in conspectu Regii exercitus expugnaretur, Hieronymus Lubomirius cum signis duodeviginti jussu Regis eo properavit, factaque impressione in obsidentes, non sine cæde in fugam conjecit. Dum acrius, quam pro numero militum palantes persequitur, ad castra Tartarorum delatus, prope erat, ut ab erumpentibus undique opprimeretur. Turmæ aliquot equitum in auxilium a Rege in tempore missæ, hostium impetu animose excepto, Lubomirianos cursu, pugnaque exhaustos præsenti exitio eripuerunt. Hoc prælio Tartari, quia victi non erant, elati, non dubitarunt vicina castris oppida, ipsasque munitiones castrorum impetere. Rex haud ferens tantam confidentiam incompositæ turbæ, quarta, & vicesima Septembris cum expeditis equitibus erumpit, atque ad vicum Dolhe prædabundos assecutus, ut erant spoliis magis, quam pugnæ intentos, uno impetu profligat. Redux in castra tria millia Polonorum, opportunum sane auxilium in iis rerum angustiis lætus accepit. Namque Ibrahimus perspecta paucitate Regiorum, memorabili facto bellum absolvere ardebat, inito consilio castra Regis obsidendi. Res e sententia cessit. Nocte intempesta silentibus signis, quanta maxima potest celeritate, Zuravno versus, suas copias promovet, occupatisque capitibus viarum, castra omni ex parte firmissime claudit. Radzivilius minor Lituani exercitus Ductor, & alii, recentes copias conjuncturi Regiis, pavidis nunciis admonentur, itinera omnia a Turcico insessa milite obtineri, neque aditum patere in castra. Mirati tanta celeritate, silentioque tam multas illuc copias in Regis præsentia traduci potuisse, ac castra obsideri, mutato consilio subeundam sibi aleam minime duxerunt. Itaque Leopoli subsistere coacti, Regis, legionumque periculum Primati per celeres nuncios significarunt.

Ad famam circumventi Regis trepidatum est, si unquam alias, omni Polonia. Horrore perfundebantur Senatores existimantes apud se, quam duras, quam iniquas conditiones ferret hostis, si Regem cum fortissimis legio-

A) Secunda Febr. anno 1676.

legionibus fame, aut armis in suam potestatem redigeret? quam misere publica, privataque res haberet? quae turbae iterum jactarent Poloniam, si pugnacissimum Regem amitterent? proinde authores sunt Primati, ut nobiles ad arma capienda festinato evocet, provincias de milite praestando admoneat. Hoc qualecumque auxilium, serum admodum fuisset, nisi Rex sua virtute sibi viam reperisset. Etenim Ibrahimus, ubi Regios intra castrorum munimenta conclusos habuit, admotis grandioris formae tormentis, ollisque igniariis, diu, noctuque castra infestavit, sperans continenti illa ignium tempestate extorturum se deditionem ante, quam suppetiae advenirent. Rex sui, suorumque discrimine animo magis, quam fronte commotus, quasi sponte in eas angustias se dedisset, crebris eruptionibus obsidentes perterruit, contractoque saepius certamine ante castrorum valla, hostium animos, & vires periclitatus est. Pluribus diebus obsessus cum animadverteret stationes Turcarum firmiores, quam ut perrumpi sine immani clade Polonorum possent, ea maxime solicitudine angebatur, quod videret intercluso commeatu, haud dubie aut suos intra munimenta fame perituros; aut in decretoriam dimicationem potius indecorae mortis fuga, quam spe victoriae pertrahendos. Intendenti in omnem occasionem cladis vitandae, visum est, Ibrahimum clam pertentare, an pacis consilia admissurus esset? res, ut optaverat, cessit. Nam Tartarorum Regulus minus quaestuosam expeditionem dudum aversatus, pacem potius, quam bellum Polonicum malebat, Ibrahimumque gravibus rationum momentis eo flexit, ut absque cruenta pugna salvo, integroque exercitu bellum pace componat.

A. C. 1676.

Datis, aceptisque obsidibus, sex delecti sunt a Rege, quorum sapientiae, arbitrioque omnia tradiderat. Honorifice excepti per duodecim Chausios, & quinquaginta Praefectos militum succedentibus duodecim signis partim Moldavorum, partim Valachorum, & ducentis Janicsaris per media castra ad Ussainis Bassae tentorium deducuntur, ubi rursum a quatuor praecipui nominis Bassis in atrio tentorii more gentis persalutati sunt. Post lautum convivium dum de conditionibus agitari est coeptum, citato cursu nuncius advolat, Regem cum equitatu in Tartaros praedatores impetum fecisse, atque magnam partem trucidasse. Mirari primum Ibrahimus, inter inducias haec fieri a Polonis: tum iratus totis castris ad arma conclamari jubet. Ad Zuravno die Divo Michaeli sacro acerrime pugnatur. A) Pars utraque praelio fessa, quasi mutuo convenissent, in suas stationes recessit. Secundum hanc pugnam quotidianae fiebant dimicationes, gliscebatque utrinque pilarum certamen adeo atrociter, ut ipsius Ibrahimi tentorium ab una earum dilaceratum fuerit. Nec ideo ultro, citroque de pacis negotio agi desitum est, Ibrahimo formidante Regis ardorem, atque fortunam, si ultimis viribus, quas desperatio acueret, eruptionem tentaret. Tandem decima septima Octobris, in castris Turcarum pax certis capitibus conclusa, ac promulgata, Poloniae regno Regem, tranquillitatemque armis nequidquam quaesitam restituit. Sed cum multa controversa essent de limitibus provinciarum, neque Ibrahimo facultas esset ea de re quidpiam decernendi, communi consensu lex sancita est, ut aliquis e prima nobilitate Polonica Constantinopolim mittatur, qui ultimam manum rebus controversis imponat. Legati ab Ibrahimo, & Chamo large donati Haliciam abierunt, qua in urbe obsides Turcae, Tartarique detinebantur. Iis redditis in hyberna discessum fuit.

Anno insequenti ingens aemulatio Varsaviae in Comitiis exarsit, quisnam legatione Constantinopolitana functurus esset? multis eam ambientibus, quod sperarent occasione publicae legationis, privatis simul commodis se consulturos. Nam alii in Podolia, alii in Ukraina peramplas possessiones habebant, quas utique sibi non paterentur eripi, si cum Imperatore, aut Vezirio transigerent. Ea aemulatio cum suspecta foret callidioribus, omnes

 sua

A) E Porta Ottom. didici cruentum certamen fuisse commissum. Longnichius 600. ex hostibus caesos adnotavit.

A. C. 1676. sua spe evertit, designato Constantinopolim Joanne Gninscio, Palatino Culmensi, viro spectatæ nobilitatis, raræque prudentiæ. a) Quinquaginta florenorum millia partim ex ærario annumerata, partim mutuo accepta, ne superbissimæ genti contemptui esset apparatus modestia. Comparatus ad rite obeundam legationem; instructusque magnis mandatis, quæ Imperatori exponeret, summo ordinum consensu, & spe, decima tertia Maji iter ingressus est. Complures e nobilitate seu peregrina visendi, seu honestandæ legationis studio, se comites adjunxere. Præter currus octo, & triginta castrenses, Legatique quatuor exquisiti operis, splendorem auxerant duæ centuriæ equitum, altera levioris armaturæ, altera dimacharum. Cum hoc comitatu biduum moratus in campo Constantinopolitano, urbem exquisitissima pompa intravit, medius inter duos primi nominis Præfectos, ad latera incedentibus duodecim peditibus vestium, & armorum cultu splendidis, dextra clavas auro illusas præferentibus. Accessere cum Janicsari, tum Spahii suis cum Præfectis. Imperator alioquin avidus spectandi hujusmodi apparatus, ex horti orchestra prætereuntium pompam miratus est; atque ut perventum ad locum, ubi Imperatorem adesse constabat, complicatis vexillis, ac silentibus tubis, tympanisque in ipsam urbem processum est. Deducto Legato ad palatium Panagiotti quondam Portæ Ottomanicæ Interpretis, consequentibus diebus prima officia hilari fronte transacta sunt. Non post multo magna equitum, famulorumque caterva ad Imperatorem invisendum splendide processit, quem in hunc modum allocutus fertur. *Serenissimus Rex Poloniæ, & Respublica me delegere, ut pacem, quam Majores nostri tercentum annis cum potentissimo Imperio sancte coluerunt, constabiliam. Dolet omnibus ea interrupta, bellum atrocissimum obortum, quo immania detrimenta utrique genti illata. Sperant haud dubie excussis jam armis, ut utriusque gentis provinciis serenior lux affulgeat, & miseris colonis tot belli damnis attritis, ab æquissimo Imperatore dulcissimæ pacis fructus concedantur. Ita enim usu plerumque venit: ex collisis, fractisque nubibus serenitas prodit. Certe pronius in gratiam redeunt perpessi armorum damna: & amicitiam constantius fovent, quos inimicitiæ in decumanas calamitates præcipitarunt. Eam pollicentur Poloni, si nihil de Religione Christiana Galatæ, Hierosolymis; nihil de eorum possessionibus, & censu in Podolia, Ukraina imminutum velis. Nobiles cumprimis Podoliæ tuam majestatem orant, ne eos amplissimis fundis everti patiaris. Universa Respublica majorem in modum commendat, ut populationes Tartarorum severo edicto, & pœnis cohibeas, bello capti sine lytro reddantur. Hæc si clementer indulseris Imperator, laus conciliatæ pacis, & duraturæ seros in annos apud te erit. Cave credas, diu mansuros in amicitia, quos benevolentia non viceris.* Postremum petiit, ut Vezirio de pace tractandi authoritatem conferret.

Dimissus ab Imperatore, Vezirio b) pari authoritate instructo, summis lineis ad Zuravno informatæ pacis imaginem exhibuit. Hic non ea modo in controversiam vocavit, in quæ Ibrahimus consenserat, verum etiam Cocinensis fœderis articulos enervare adlaboravit, ut adeo in aditu operis Palatinus de prospero exitu desperaret. Extracto uno, alterove mense inter plurimas altercationes, difficultatesque, quæ in dies enascebantur, Moschovitico bello exorto, Vezirius molliorem pacis formulam Legato prælegit, firmaturus eam ut primum e tribus c) Podoliæ oppidis miles Polonicus emigraverit. Isthoc postulatum ingentem mœrorem attulit eorum locorum possessoribus juxta, ac cæteris, quod sentirent hac tali cessione multum detrahendum amplitudini Regiæ possessionis. Sed cedendum erat, nisi bellum mallent. Hoc obice amoto, nondum pacis tabulæ suum robur habebant, insita aulæ cunctatione, & superbia. Palatinus comitari jussus Imperatorem, & Vezirium trans Istrum, & in Ukrainam, quo adversus Moschum exercitum

a) Laudatus Lengnichius p. 252. ad annum 1677. b) Fuit is Kara-Mustaphas: nam Kiuperlis anno proxime superiore vita functus est. c) Nempe Bara, Miedzibosa, Niemirova.

tum moverunt, excuſata ſenio, & morbis confecta ætate ægre obtinuit, ut A. C. ſui loco Samuelem Praskium, Juvenem quidem, ſed oneri tanto haud im- 1676. maturum, eo dimitteret, qui poſt infinita tædia tandem pactis conventis nomine Reipubl. ſubſcripſit, & decus conciliatæ pacis retulit. Præcipua capita hæc fere erant. *Tartaris Lithuanis, vulgo Lipci appellati, fas eſto intra ſpatium unius anni cum omni ſupellectili, conjugibus, liberis in ditiones Ottomanicas migrare. E præſidiis Podoliæ Bara, & Miedziboſa Poloni milites deducantur, re tormentaria fide integra Præfecto Turcico tradita. Civibus libertas ſit manendi, aut abeundi, ut libuerit. Ukrainam demptis aliquot præſidiis Coſacci Turcarum clientes poſſideant.* A) *Tartari, Coſacci, Tranſylvani omni hoſtilitate abſtineant. Poloni Chamo Tartarorum more veteri tributum pendant, quo firmior pax inter utramque nationem perſtet. Chriſtiana ſacra tum Hieroſolymis, tum in oppidis hoc bello a Mahomete captis ſalva, integraque permaneant; templa, aras, ſi ubi vitium fecere, poteſtas ſit inſtaurandi. Capti ſive a Tartaris, Coſaccis, ſive Turcis libertati quamprimum reddantur.* B) *Principes Tranſylvaniæ* (quos Mahometes Hungariæ ſimul Reges, atque ad ſe jure hæreditario Tranſylvaniam pertinere articulo viceſimo octavo contendit) *Poloni ut amicos habeant. Quod ſi exuerent fidem erga Ottomanos, nulla copiarum, bellicæ penus, argenti auxilia quaqua via mittant contumacibus; in Poloniam profugos Turcis tradant.*

His conditionibus Ottomanis admodum utilis, Poloniæ non perinde glorioſa pax ſancita eſt. Equidem Leopoldus Cæſar per ſuum Legatum Comitem Schafgotſchium Poloniæ Regem hortatus erat, ut bellum continuet, adniſurum ſe ut Imperio reddita tranquillitate Chriſtiani Principes in communem hoſtem arma arripiant. Poſſe tum a ſuperbo æquas & Chriſtianæ Reipubl. ſalubres conditiones obtineri. Et revera Moſchis in campum prodeuntibus, Doroſenskio apertam defectionem moliente, non leviter exacuiſſent curas Byzantinæ aulæ Poloni, ſi diſſimulata pacis cupidine, in armis tenuiſſent militem. Sed Rex alternas belli vices expertus, exhauſto ærario, minime ſimulate pacem quæſivit; ita Superis Regiam mentem moderantibus, ut rebus domi, forisque pacatis, ad eam amplitudinem nobiliſſimum regnum evexerit, qua paucis poſt annis ad Viennæ mænia ſtrenue, feliciterque fregit Ottomanos. Quod ego tanto promptius hic dico, dicamque ſuo loco, quanto glorioſius erat, rem Chriſtianam exitio proximam ab interitu vindicaſſe.

Hoc anno, ut pauca ſuperaddam Hiſtoriæ, illuſtria aliquot capita fatis ceſſere, Architalaſſus, Ibrahimus, de quibus nuper memini, & Achmetes Kiuperlis ſummus Vezirius, ſua, quod rarum, morte defunctus in itinere Adrianopolitano. Illuc proficiſcentem Imperatorem Septembri menſe comitatus, cum neque curru, neque equis vehi poſſet, ſellæ impoſitus, ac famulorum humeris ſublatus, in oppidum Churlu ægre pervenit, ubi intendente ſe in horas morbo, aqua intercute periit. Tum patuit quis militum in eum amor, quive ſenſus. Nam raro alias uberioribus lachrymis ſuum dolorem teſtati ſunt, & ipſe Imperator, quod ſummo, fidoque militiæ Duce orbatus ſit, gliſcente bello Moſchovitico, nondum abſoluto Polonico, vehementius indoluit. Fatum acceleraſſe dicitur immodica vivendi libertate. Subacta Candia curarum vacuus, Chium ſe in inſulam abdidit, quanto magis intentus olim publicas ad curas, tanto occultior in luxus, & malum otium reſolutus; Tiberii Auguſti exemplo, quem in Capreas inſulam ſe contuliſſe ferunt, quo ſecurius voluptatum illecebris frueretur. c)

Quan-

A) Lengnichius ait Regem recepiſſe duas partes Ukrainæ, ſeu Ukraniæ (nam Scriptores, & Geographi utroque vocabulo utuntur) unam tenuiſſe Coſaccos. Continuator Brietii hoc loco addendus. „ Hac pace, inquit, reſtitutum Poloniæ decus, abolito tributi nomine, quod tempore Michaelis Regis pactum fuerat, redditaque Reipub. Podolia, uno excepto Camenecio, cum eo diſtrictu, quem Rex deſignaret. Ukraina item eidem Reipub. aſſerta, minori ejus parte Doroſenskio relicta, qui eam ſub Soltani fide retineret, priſtinæque libertati reſtitutis XV. millibus Polonorum, quos durante bello captivos Turcæ abduxerant. „ Hæc ille.

B) Polonorum XV. millia redierunt in patriam. c) C. Cornel. Tacitus Annalium Lib. IV.

A. C. 1676. Quanquam creditum ſit a pleriſque, Vezirium ſolitudinem delegiſſe eo tempore, ut procul ab aulæ, miniſtrorumque turbis, graviſſima Imperii negotia liberiore animo complecteretur.

Sed reliquus vitæ tenor aliorum opinionem firmaverat. Sive enim domi, ſive militiæ ageret, vino, lege Mahometis vetito, paulo intemperantius indulſit, tanta aſuetudine, ut poſtremis vitæ annis, cum ſitim ſedare nequiret, opium, atque aduſtum vinum largiſſime potaverit. Inde vires corporis attritæ. Iſthoc vitium multæ, eæque plane Imperatoriæ virtutes æquabant. Has a ſeniore Kiuperle, patre ſuo, rebus geſtis Aſiæ, Europæque notiſſimo, veluti hærediarias accepit; fortunæ variantis diſciplina perfecit. Ingenium illi ad pacis, bellique artes a natura promptum. In paterna ſchola multum exercitatus, mirum quam hauſerit Turcicæ monarchiæ rerum peritiam, & de arduis negotiis conſilium capiendi facultatem. Admodum adoleſcens Caimacanes (Prætorem Urbanum, aut potius Imperatoris, vel Vezirii vices gerentem dicunt) renunciatur; mox extincto patre A) Vezirius. Raro utique exemplo apud Ottomanos, ut filius in parentis dignitatem ſuccedat. Fortaſſis ne firmata potentia ultra privatæ fortunæ modum, proceſſu temporis aſſurgat.

Vix inito magiſtratu aulam, omnemque exercitum in ſe convertit. Seniorem Kiuperlem viventem redditum veterani credere; eandem in rebus tractandis ſagacitatem, animi vigorem, habitum oris, lineamentaque intueri. Deinde brevi effecit, ut pater in ſe minimum momentum ad favorem conciliandum eſſet. Parkanenſi prælio, & capto Ujvarino, feliciſſimus belli Imperator eſt habitus. Hoc Duce inpoſterum plurimum & ſperare, & audere ſunt viſi milites; quaſi in prima expeditione ſibi fortunam deſpondiſſet. Ad S. Gotthardum altera expeditione non nihil cladis accepit, uti FERE declinat felicitas, cum in ſummo apparet. Hanc cladem expugnatis Candia, Cameneco Podoliæ, illuſtribus victoriis abſterſit, amplaque acceſſione provinciarum, Imperium auxit. Poloniæ tributo annuo ſubjectæ Coſaccos avulſit. Nec minor ei a pace, quæve pacem ornant, claritudo. Toto Imperio Ottomanico ſagaciſſimus erat. Nihil ferme domi, foriſque tranſegit Imperator; non præfecturas contulit, non bella indixit, non fœdera ſancivit, non ſeditiones compoſuit, niſi adminiſtro, atque interprete Achmete Kiuperle. Ferax illi conſiliorum ingenium, ut perinde in Senatu Ulyſſes, ac in campo Ajax haberetur. Imperatoris matrem ſibi, ubique in aditu dignitatis adverſantem, miris artibus devinxit. Æmulorum dolos, paribus dolis more gentis eluſit, nihil turpe exiſtimantis inſidiatorem gratiæ, dignitatis, & fortunarum, e medio tollere. Juſtitiæ vindex, avaritiæ acerrimus oſor audiebat, & ut erat literis a pueritia imbutus, humanitatis laudem affectabat. His naturæ dotibus egregius, lubricam aulæ gratiam totos quindecim annos, ad extremum uſque diem, RARO exitu potentiæ diuturnioris poſſedit; ediditque præclarum hujus argumentum Imperator, quod teſtamenti tabulas ratas habuerit, ampliſſimis fortunis in fratrem, & ſororem Vezirii (cum nulla proles relicta fuiſſet) tranſlatis.

Dignitatem morte Achmetis vacuam obtinuit Kara-Muſtapha, Caimacanis, aliiſque præfecturis ſumma cum laude functus, vir placida indole. Ex omni ſervitio Achmetis pleroſque famulos, & miniſtros elegit, atque priſtinis officiis admotos, ſuæ familiæ accenſuit. Jam omnino in aula longe alios mores præſetulit. Ut comis alloquio, ab omni aſperitate, faſtuque remotus erat, ita occupato hoc munere, gravi ſupercilio elatos ſpiritus prodebat. Nulli, maxime exterorum Principum Legatis, faciles aditus, Aurea clavi penetrantibus durum, atque agreſtem ſe exhibuit, ut adeo ſuæ gentis ſuperbiam plane exprimeret. Hac elatione animi difficillima bella Imperio Ottomanico concivit, ad quæ enarranda ſtylum referimus.

A

A) Vide annum 1661. pag. 50. ubi artem Imperium Turcicum moderandi tribus potiſſimum documentis innixam ab eo traditam reperies.

A Polonica pace arma nondum ſatis recondita, de integro, mole, ac periculo longe majori ſtringenda fuere in Moſchoviam, quo e vicina Polonia perleves primum ſcintillæ belli tranſilierant, mox in atrociſſimum incendium erupturæ, nec niſi multorum ſanguine reſtinguendæ. Moſchos inter, & Polonos fœdus in vico Andruſovia prope fluvium Ilarodnam A) ictum, interceſſit adverſus Tartaros, Turcasque, atque his annis, quibus Polonia impetita fuit, Moſchorum copiæ auxiliares nunc Coſaccos, nunc Tartaros, ne totius belli moles uni Poloniæ incumberet, diſtraxere. Sed concurſatio potius, quam bellum erat, neque ſtataria pugna dimicatum. Et condonatæ fuiſſent illatæ, acceptæque injuriæ, niſi Doroſenskius, rebellium Coſaccorum Ductor, repentina defectione ad Moſchos, in ſe, & Moſchos Turcarum iram concitaſſet. Namque homo Imperii, quod mala fide arripuerat, retinendi cupidus, ac omni aura verſatilis, animadverſo dominatum ſuum longe, quam ſibi perſuaſerat, reſtrictiorem in dies fieri apud Turcas; populares ſuos tributo, injuriis opprimi; libertatem plerisque ademptam; a Polonis ſuam regionem hoſtiliter incurſari, & diripi; ſuſpicionibus omnia gliſcere, odium augeri; ſervile regimen, & ſuorum viliſſimam patientiam indignatus, Ottomanorum partibus damnatis ſe, ſuosque in avitam libertatem aſſerere conſtituit. Primoribus gentis clam convocatis, *quas calamitates, injurias in eum diem perpeſſi ſint a Turcis*, Doroſenskius oſtendit; *neque molliori fortuna uſuros inpoſterum, niſi avarum, crudeleque Imperium excutiant. Quamobrem ſibi optimum factu videri*, ajebat, *ut conſociatis animis Moſchorum patrocinium implorent; eo impetrato, deſertis impiorum caſtris, in Moſchoviæ ampliſſimas provincias ſedes ſuas transferant. Id genti Coſaccorum admodum ſalutare futurum, quod ſuo arbitratu, vi nulla adacti ad veteres Dominos redeant. Moſchos bellicoſæ nationi plurimum tribuiſſe; neque nunc recuſaturos præſentiſſimum auxilium adverſus Ottomanos. Sperare ſe, ut transmiſſis oblivione præteritis culpis, oblataque clementia, nihil dempturi ſint ex antiquis privilegiis, modo omni mora præciſa, authoritate publica mittatur nuncius, qui ſignificet Coſaccos animos, atque arma adjuncturos Moſchoviæ.*

A. C. 1677.

Applauſum eſt ab univerſis Doroſenskio; cunctis feſtinantibus ad Moſchorum potentiam, ne viderentur nolente animo velle, ſi poſtremi voluiſſent. Reconciliationis negotium, CUM MULTUM referat, ut conſilii actor ſit, qui author fuerit, Doroſenskio commiſſum. Is nihil cunctatus fidum e familiaribus ſuis deligit, inſtructumque litteris a præcipuis Coſaccorum ſubſcriptis ad Moſchoviæ Czarum, Theodorum Alexovichium, legat, quarum ſumma hæc erat: *Coſaccos multo tempore armorum ſocietatem habuiſſe cum Moſchis, iisdem in caſtris verſatos, eandem fortunam expertos. Præliis demum & morte Chmelnizkii fractos, cum Polonis in amicitiam rediiſſe. Eam illico exuiſſe data opportunitate. Delatos alio, quam par erat; nempe quo ſecurius injurias ſuas ulſciſcerentur, & deinceps domi foriſque res pacatiores haberent. Neutrum ex voto ceſſiſſe. Nunc a Polonis, nunc Turcis bellorum incommoda media in pace ſuis fortunis inferri. His malis Primores commotos, communi conſilio decreviſſe ad Moſchos, aram ſuæ ſalutis, & portum tutiſſimum confugere. Adfuturos ſtrenue in Moſchovia cum omni populo, intellecto patere miſeris ad gratiam regreſſum.*

Sed Doroſenskius privatim ſibi conſulturus, clam cæteris Legatum occultis mandatis onerat: cum Czaro haud perfunctorie agat de principatu in ſe, ſuamque familiam transferendo; atque hac ſuper condonatione legitimas tabulas confici curet. Nuncius in Moſchoviam delatus, omni officiorum genere a Czaro acceptus eſt, confectoque ſine mora (ne ſcilicet conſpiratio in longius protracta ad Turcas emanaret, aut certe magna gratiæ pars cunctando corrumperetur) ampliſſimi favoris, ac benevolentiæ diplomate, quo vetera gentis privilegia firmabantur, ad ſuos remittitur. B) Doroſenskii poſtulatis nihil delatum eſt. Crediderim reformidaſſe Czarum elatos nimium

A) Anno 1667. ut habet Lengnichius. B) Menſe Januario 1677. Porta Ottom.

A. C. 1677. mium viri ſpiritus, & ultra quamlibet fortunam indomitos, aut ne in unum congeſto maximo beneficio reliquos a ſe abalienaret. Nam Doroſenskio triſti, ſeveroque ingenio dominante, perinde ſuam libertatem imminutam, fortunas rapinis expoſitas, ac ſub Polonorum, Turcarumque dominatione, queſti fuiſſent; tanto quidem liberius, quanto ægrius ferunt a domeſtico, quam externo premi.

Intellecta Czari propenſa in Coſaccos voluntate, continuo primarii, ut conventum erat, ſuos populares hortantur, ut memores libertatis, Religionis, ejurata Turcarum ſocietate, Moſchorum amicitiam amplectantur. Ne ſinant præſentem occaſionem e manibus labi, qua vix opportunior ſibi, ſuisque poſteris proſpiciendi inſequentibus annis reditura eſt, collectisque propere vaſis, fortunarum ſedes in Moſchovia figant. Moti authoritate virorum, maximeque ſpecie libertatis, ac Religiouis, etſi ſacrorum plerique rudes, immodice ſæviente hyeme ad proficiſcendum ſe comparant. Conjectis in carros impedimentis, ac imbelli liberorum, mulierumque turba, pecora, quæ hujus gentis præcipuæ divitiæ, ante ſe agentes, longinquum iter ante emenſi ſunt, quam Byzantii de eorum fuga quidpiam certi acciperetur. Primus eam detexit Sacerdos Græcæ Religionis, Patriarchæ Conſtantinopolitano Parthenio, A) apud quem opulentius Sacerdotium quærebat: hic Vezirio Kara-Muſtaphæ, quo ſe gratioſum redderet in aula. Conſultanti, qua via, quove modo, in obſequium reducendi Coſacci? idem Græcus ſuggeſſit, eſſe Boguslai Chmelniczkii Georgium filium, qui triennio fere genti præerat, inter gregem captivorum in ſeptem turribus; hunc opponendum Doroſenskio; haud dubie multos Coſaccorum veterem Ducem, & patris ſui meritis pergratum ſecuturos. Ita ſciſſis, diſtractisque viribus multum Doroſenskio, multum Moſchis deceſſurum. Placuit conſilium Vezirio. Parthenius cum Mauro Cordato, linguarum in aula Interprete, hoc negotium juſſus ſedulo exequi, Chmelniczkium teterrimo concluſum carcere adit. Quo vero infortunio huc miſeriarum devolutus, e Ricautio, locuplete Scriptore, deprompta narratione evolvam; non ut improviſis eventibus Hiſtoriam condiam, ac Lectores varietate B) rerum detineam, ſed ut viri Principis noſtro operi inſerti imago tot tragœdiis involuta, plene innoteſcat.

Boguslao Chmelniczkio ſive in acie cæſo, ſive morbo confecto (nam Scriptores variant) Georgius filius in medio armorum æſtu, inconditæ Coſaccorum turbæ præficitur. A Lubomirio, veterano Duce, ipſe non vetus copiarum Ductor, una aggreſſione adeo victus eſt, ut & caſtra, & animum tractandi deinceps arma amiſerit. Poſitis clam præfecturæ inſignibus, Monachum induit, aſſumptoque Ghildeſii nomine, in Kioviam, ubi cænobium Virgini Deiparæ dicatum floruit, contendit, in ea ſolitudine tanto tranquilliorem vitam ducturus, quanto a curarum fluctibus remotior. RARA profecto magnitudo animi ſpernentis dominatum, quem alii per ignes, ferrum, provinciarum ſtrages obſtinate quærunt. Jam in portu ſibi videbatur Ghildeſius, cum ecce tibi! nova tempeſtate in altum rejicitur. A prædantium Polonorum manipulo in itinere circumventus captivus abducitur. Forte eo ipſo tempore Kioviam Tartari percurſarunt, ac viſo, agnitoque hoſte, ut erant numero ſuperiores, Polonos infeſti aggrediuntur. Prælium haud diu prædatores tenuit. Nam ſpoliis onuſti dum ſe, prædamque diviſa mente defendentes, nunc arma in hoſtem, nunc oculos in fugam vertunt, eoque non toti pugnant, in Tartarorum poteſtatem ipſi, & præda deveniunt. Ghildeſius in Crimæam raptus, Chamo ſiſtitur, alte diſſimulans natales ſuos. Sed NULLA larva totum Principem tegit. Et non levis ſuſpicio occuparat Chamum ſub Ghildeſii Monachi perſona nobilius quid latitare, adeo inceſſus ipſe, atque aſpectus (etſi præſenti fortunæ quam maxi-

A) Alter utique ab eo Parthenio, quem hoc Tom. pag. 42. ſupplicio affectum narravimus ob fœdus adverſus Ottomanos initum cum Primoribus Bulgarorum. B) T. Livius Patav. Lib. IX. id facere ſe non negat.

maxime accomodarentur) privato majorem arguebant. Res tandem prodita est per quemdam Nicolaum e gente Cosaccorum ortum, qui in militia senioris Chmelniczkii quondam stipendia fecerat, Georgiumque in castris educatum, ac familiarius versantem inter gregarios optime notum habuerat. A Tartaris subinde captus, ejurata Religione Christiana, & obsequendi studio, tantam gratiam a Chamo inivit, ut primarios inter ministros locum obtinuerit eo temporis, quo Georgius personatus in aula vilissimi mancipii ministeriis fungebatur. Itaque lineamenta oris dudum sibi visa sæpius percurrens, Georgium agnovit, ac Chamo detexit. Neque Georgius ausus est diutius simulatione uti, in conspectu propositis instrumentis ad veritatem exprimendam.

A. C. 1677.

Chamus, ne quid molestiarum sibi crearet, nobili captivo apud se retento, eum Constantinopolim ad Mahometem cum armata Tartarorum manu dimisit. Inde deportatus ad Bosphorum Thracicum captivus, in septem turribus quæsitam solitudinem reperisset, nisi eam miserorum gemitus, & feralis imago mortis quotidie obturbasset. Transactis aliquot annis inter infinita calamitatum genera, fugam circumspectare cœpit, laxata insuper custodia, quod nihil a profugo, ac rerum humanarum pertæso custodes timerent. Dum omnia sedulo rimatur, & ad unam libertatem assequendam animum intendit, forte in area præacutum ferrum inter sarmenta neglectum reperit; eo clam subducto, & cratibus, queis fenestra ergastuli muniebatur, admoto, continuato pluribus diebus labore, quoad crates suo loco emoveret, viam elabendi sibi patefecisse videbatur. Mox ope conscissi sacci, ac instar funis contorti faventibus tenebris ex alto semet demittit. Verum cum funis longe brevior foret, quam altitudo loci postulabat, reliquum spatium saltu, aut potius casu emetiri debuit. Editus fragor fugam prodidit, hortulano, qui in vicino conclavi somnum capiebat, custodes inclamante. Elusisset vestigantium conatus Ghildesius, nisi acerbiori ludibrio eum fortuna exposuisset. Etenim inter concursantium tumultum in murum eluctatus, quem mare alluit, nihil veritus extantia saxa, uno saltu se in mare immittit, graviter sauciato capite. Metu, vulnereque perturbatus, ad Gallorum naves haud procul in anchoris hærentes pervenire non potuit. Insequenti die prope exanimis deprehensus, verberibus male acceptus, in augustius ergastulum, collo, pedibusque inditis catenis retruditur. Septem annis in hoc pœnarum feracissimo loco, nunquam mutata illuvie; pane, frigidaque parce administrata; sine omni humano solatio traductis, jussu tandem Vezirii Kara-Mustaphæ, ut dicere occepi, & libertati, & pristino muneri redditur.

In præsentia Parthenii, & Mauro Cordati, cum malorum suorum insignibus productus, omnium animos vehementissime commovit. Obsita erat squallore vestis, fœdior corporis habitus, longa inedia, pallore, ac macie perempti. Ad hoc promissa barba, & capilli efferaverant speciem oris cicatricibus deformati. Non homines, non lucem ferre poterat. Illud magis ad commiserationem flexit adstantes, quod eandem fortunam perferre mallet, quam ad pristinas principatus curas revolvi. Adeo obfirmaverat animum ad principatum spernendum, quem multi dulcedine regnandi capti per fas, nefasque petunt. Urgenti Parthenio, cæterisque, ut tantæ felicitati nunquam rediturae manus daret, prompto obsequendi studio atrocioribus suppliciis caput suum eriperet, exesas vestes cultiori indumento mutaret, multum, diuque, obstitit, negans se passurum, ut paupertatis insignia ponat, queis longo annorum usu assueverat; neque velle pristinæ sortis oblitum negotiorum fluctibus rursus exerceri. Solitudinem se unice quæsivisse, hac obtenta nulli mortalium molestum fore. Sed postremum precibus cessit, squalloreque abluto vestem ex imperio Vezirii Byzantio latam indutus, comitibus Parthenio, & Mauro Cordato recta Constantinopolim contendit. A)

A) Hæc de Chmelniczkio desumpta sunt e Ricautio locuplete Scriptore, qui tum temporis, Byzantii agebat.

A. C. 1677.

Vezirius evocandis militibus intentus, excuſata paucis temporum iniquitate, qua circumventus Chmelniczkius multa indigna non Turcarum odio, non ira, ſed ſuimetipſius, inconſtantia in ergaſtulo perpeſſus erat, hominem in corona Purpuratorum magnifice acceptum oravit, ut immemor malorum præfecturam temere abjectam magnis animis capeſſat; fidem a parente olim Ottomanis obſtrictam, & omnium fortunarum jactura non ſemel probatam, integerrime colat. Iſtud non Chmelniczkio modo, ſed & chariſſimæ ſibi genti Coſaccorum plurimum profuturum. Quidquid erratum ab iis deſerto Principe, excuſſa Turcarum clientela, condonari haud illibenter a Mahomete, leniſſimi animi Imperatore, qui magis deſiderat Coſaccis olim fidis veniam dare, quam Doroſenskii rebellioni immiſtis iraſci. Sat pœnarum dediſſe inconſtantes, quod alieno jugo colla ſponte ſubdiderint. Ageret, ut ſpecie libertatis falſi, ſinceram libertatem in agro Turcico recipiant. Omnia large addicenti Chmelniczkio traditur ſigillum Præfecti Coſaccorum; cultus militaris, arma, equi, veſtes, famuli: atque ut intelligeret ſe extra ſcenam Principem eſſe, non modica vis pecuniæ ex ærario Imperatoris in ſingulos dies eidem ſeponitur.

Hæc tanta dignitatis acceſſio, ingentem aulæ Byzantinæ converſionem intulit. Adorari extemplo Chmelniczkius, qui heri ut viliſſimum mancipium neglectus. Purpurati ſtudiis majoribus certare, qui gratiæ locum occupet. Aulici officioſis blanditiis nullum finem facere; populus quærere, quid ſubitæ dignitatis hominum miſerrimo apud Imperatorem acceſſiſſet, mirari deinde rerum humanarum vices, & ab implicatis hujusmodi fortunæ eventis, ſecundum belli exitum, omnia proſpere Imperio fluxura, haud timide ſperare. Et ille quo magis ſtudia Turcarum erga ſe intenderet, non immemor ſuæ dignitatis, primis illico diebus literas dedit ad Coſaccos amoris, & benevolentiæ plenas. Inter cætera ſcripſit: *Doroſenskii defectione patefacta Byzantii, ſe juſſu Imperatoris ſuſcepiſſe Coſaccorum præfecturam non tam ſui, quam popularium cauſa; quorum amore ſe rurſum priſtinis curarum fluctibus reddidit, quos olim tantopere fugiſſet. Unius Doroſenskii ambitioni turpe transfugium ab aula Byzantina tribui, non innoxio populo. Imperatori nihil magis in votis eſſe, quam ut gentem armis inclytam, ac Turcarum fortunæ tot annis innexam avitæ libertati, ampliſſimis juribus reſtituat. Ea de cauſa bellum feciſſe Polonis. Oblivioni daturum, quidquid cæco libertatis æſtu abrepti nuper peccarunt. Defectionis pœnitentes priori loco futuros. Hanc veniam Imperatorem ſua fide publice ſanxiſſe.* Poſtremum precibus obteſtatur univerſos; *ut deſertos lares, agros repetant, Turcarum partibus accedant; ne in perniciem ſponte præcipites, Mahometis iram in ſe, ſuosque poſteros conciant.* Hujus tenoris complures libellos qui vulgaret apud Coſaccos delectus eſt quidam Stamatellus, homo vaferrimi ingenii. Huic impoſitum: cominus exploret, ecquid molitionum ſubſit? aut ſi medicinæ locus, ſopiat iras, amicitiam inſtauret. Sed nihil profecit ſuis artibus, ut adeo rebus infectis redire debuerit. Nam plerique Doroſenskii authoritate oppreſſi, nihil movere ſunt auſi; alii nullam fidem habuere literis Chmelniczkii, quem poſito principatu clam petiiſſe ſolitudinem conſtabat; neque turbulento regimini manus admoturum arguebant, quod otii, quietisque amantiorem noſſent, ac ut in æmulum, militia clarum bellum ſuſcipiat, & adverſæ, quam integra ætate expertus eſt, fortunæ ſe iterum implicet ſenio confectus. Alii viſis Moſchorum copiis, quæ ad Cecrinum caſtra fixerant, nihil ſibi, rebusque ſuis metuebant. Id tamen Stamatellus utilitatis retulit ex longinquo itinere, quod hoſtium caſtra, vires, conſilia explorata haberet.

Agente apud Coſaccos Stamatello, Chmelniczkius militari cultu ſatis inſtructus, Siliſtriam a) diſcedit ad Ibrahimum, cui expeditio in Moſchos & Coſaccos demandata erat. Trajecto Iſtri flumine cum quadraginta milli-

a) Seliſtria, ſeu Siliſtria, urbs Bulgariæ ad Iſtrum cum arce; expugnata per Bajazethem, in domicilium Præfecti illius provinciæ delecta eſt.

millibus armatorum per Valachiam, & Moldaviam celerrimis profectionibus in Ukrainam contendit, præmisso militum, & fabrorum globo itineri explorando, sternendoque, ratus Cecrinum, olim Cosaccorum Ducis principem sedem, subito impetu posse occupari. Moschi haud ignari Ibrahimi consilii, locum valido præsidio communiunt, mox superato Borysthene castra haud procul ab oppido ponunt. Ita Moschorum solertia Ibrahimi spes confusa, Cosaccorum ager arduo bello liberatus, Tartaris clades illata. Quippe isti aperto in campo tendentes, repente a Moschis invaduntur, primaque impressione consternati, amissis castris, ac impedimentis omnibus, brevissimo tempore inter frequentes cædes in fugam aguntur. Turcæ visa Tartarorum strage tanta trepidatione se castris ejiciunt, ut non expectato victore, citatissimo cursu ad Bogum fluvium iter relegerint. Immodicis profectionibus exhaustæ legiones, imbribus tumentem ægre superassent, nisi primus terror nondum consopitus, imminens a fluvio periculum minuisset. Neque hic ausus subsistere, insequenti die, veluti hostis tergo insisteret, Benderam versus, ad ripam Tyræ celebre munimentum, lassum militem movit.

A. C. 1677.

Non alia ex omni memoria leviori impendio victoria confecta. Utraque hostium castra metu potius, quam prælio capta. Cecidisse dicuntur in fuga, decem millia Tartarorum cum filio Chami, & octo majoris nominis Ductoribus, quos Mirsas nominant, multique deficientibus equis e fuga retracti. Turcarum etsi pauci a Moschis interfecti, itinere tamen diebus, noctibusque continuato, multi viarum difficultate, ac vorticibus Bogi fluvii periere. Ad hæc castrensis apparatus Ottomanorum, sine certamine in potestatem Moschi venit, ut adeo mirarentur victores, cur sat validus exercitus nullo tentato certamine, convulsis signis, maxima trepidatione Bederam, deinde Silistriam se receperit? Isthæc minus prospera expeditio Ibrahimi spiritus infregit; Vezirio, & Imperatori mitiora consilia indidit. Sed contra Imperatoriam dignitatem existimarunt, si priores pacem flagitasse arguerentur: NON ignari virium tenuitatem fateri eum, quisquis prior pacem oraverit. Operam igitur Chami adhibere placuit. Hic pro veteri necessitudine Theodoro Alexovichio literis significat, *Mahometem a pacis consiliis adeo non esse remotum, ut jam nunc ea de re mandata misisset, nisi Purpuratorum authoritas desideraretur, quorum suffragiis ut bellum indicitur, ita pax confieri solet. Se vero altius inspexisse omnium animos, bellum illico pace permutaturos, modo Cecrinum, & quidquid Turcici juris in Ukraina fuit, Moschi reddant, atque Cosaccorum patrocinium repudient; secus atrox, diuturnumque bellum Moschoviæ facturos.* Ad extremum monuit: *ne ex hac expeditione omne bellum metirentur; sibi videri MELIOREM, tutioremque esse pacem, quam speratam victoriam.*

Conditiones istæ ejusmodi erant, quas Moschi prælio victi ægerrime accepissent. Nunc pulsis hostium exercitibus, illustri victoria animosiores, non dubitarunt bellum prosequi, & suas provincias adversus injustos invasores tueri. Probro simillimum præterea censebant, Cosaccos nuper in amicitiam acceptos, ac belli socios, Turcarum ardentibus odiis relinquere. Certe Moschorum fidem inposterum suspectam fore omnibus, si gentem uni Moschoviæ obnoxiam, acerbissimis hostibus, extremis suppliciis haud dubie mactandam, traderent. His in senatu bellico perpensis, visum est Alexovichio, Principi bellicosæ indolis, suam, suorumque voluntatem Mahometi, & Vezirio declarare scriptis in hanc sententiam literis: *Urbem Cecrinum Boguslaum Chmelniczkium Moschis cessisse: Dorosenskium vetera pacta firmasse, & gentem suam ad veteres Dominos, fundosque reduxisse. Nullam inde injuriam Ottomanis factam. Si pergerent Moschos armis lacessere, urbes obsidere, strenue advolaturos suarum fortunarum vindices. Pacem nullam omnino futuram, nisi deductis omnibus præsidiis Turcarum, fluvius Tyras pro limitibus Imperii fuerit. Assoviam cum omni penu bellica re-*

A. C. 1677. *stituendam. Hæc Mahometi ad unguem primo quoque tempore explenda, ut Moschos amicos habeat.*

Missus Byzantium Davidovichius homo imperterriti animi, Vezirium adiit, traditisque literis postulavit, ut sui Principis scriptum ipsi Imperatori exhibere posset. Haud probavit postulatum Vezirius, ne forte, ut erat Imperator ingenio impotenti, varioque, illud indecore susciperet, haberetque; & nuncius capitis periculum subiret. Contra morem Ottomanorum esse, ut hostis tantam majestatem, cui parem Sol non videt, oculis hauriat. Consultius visum, ut in præsentia Purpuratorum legationem obeat. Duodecim Chausiis, & viginti Janicsaris stipatus in sanctius consilium (Divan appellant Turcæ) deducitur. More gentis consalutata Purpuratorum corona, vertit se ad fenestram dubium diem accipientem, ad quam Mahometem adesse non falso existimavit, literasque alte sustollens ait: *has magnus Moschoviæ Czarus, tibi Imperator Mahometes tradi jussit.*

In eo consessu recitatæ, varios animorum motus ciebant. Proxima clades Tartarorum, & probrosa Turcici exercitus fuga, pacem potius qualemcunque ineundam, quam bellum plerisque suadebant. Obtestabantur Imperatorem, ut dissimulata ira bello tantisper abstineat. Militem panico metu perterritum, nondum compotem sui animos recepisse. Tartaros perinde, ac Turcas sterilem militiam detrectare, & ad torvam Moschorum aciem fugam capessituros. Præter lassitudinem, inediam, dedecus e longa, difficilique peregrinatione nihil relatum. Non eadem mens Imperatori, cujus animum tum pacis monstrosæ turpitudo, tum Cosaccorum inprimis defectio adeo exulceravit, ut bellum unice spiraret. Neque Vezirius alienus a bello, arma, & ultionem unum læsæ authoritati remedium contendit. Mufftius, Janicsarorum Aga adversari non ausi, ne scilicet se invitis aliquid in senatu conficeretur, eadem ferocia arma conclamant. Decreto bello, Imperator ingenti fastu per Davidovichium commonefecit Czarum; proximo vere educturum se exercitum, quantum nullus antea Soltanorum. A) Videret, ut non inferior viribus in limitibus occurrat; secus in imam Moschoviam penetraturum. Dominantium lites non æquius decidi posse, quam armatis copiis. Fortunam belli causæ æquitatem prodituram. In præmium Assoviam, Cecrinum, Cosaccos, & quidquid in Ukraina controversum, victori cessura. Vezirius tamen paulo moderatior Czaro nunciavit: nihil hostilitatis in Moschos movendum, modo Cecrino militem suum abducat, Dorosenskium malorum caput Ottomanis dedat. His verborum velitationibus adeo nihil profectum est, ut utraque pars concitatior majoribus animis, quam antea, bellum redintegrarit.

1678. Annus octavus, ac septuagesimus supra millesimum sexcentesimum tum Ottomanis, tum Moschis haud sane prospere decurrit. Hyeme pro more consultatione, militum delectibus, bellicis paratibus transacta, primo vere Mahometes cum Vezirio castra adiit, aliquot dierum itinere Byzantio dissita. Hic in præsentia legionum, tradito grandiori vexillo Imperii Vezirio, eum universæ expeditioni præficit. Jam omnis ex Asia, Europaque miles sub signis aderat, Vezirius nihilominus profectionem distulit. Moras injecit Caimacanis dignitas, quam Vezirius Kara-Ibrahimo addixit, Mussaipes Mahometis gener sibi pollicebatur. Et perplexus erat, hæsitansque Imperator, utri provinciam demandaret, eaque procrastinatione augebat in dies & numerum ambientium, & aliorum sermonem. Mussaipi non tam militaria facta, aut rerum peritia spem faciebant nobilissimæ præfecturæ, quam Imperatoris favor, quo ad invidiam multorum fruebatur. In prima adolescentia urbi Magnesiæ Gubernator datus, mox in generum adoptatus ab Imperatore, filia tradita nondum nubili. Vixit deinceps in aula gratiosus, arcanorum omnium particeps. Sed Vezirii tum temporis armata authoritas prævaluit, designato Caimacane Ibrahimo, vetere amico, au-

licarum-

A) Parem stellarum numero minatus est se educturum exercitum; qua similitudine fastum Ottomanicæ gentis agnoscas.

licarumque artium minime ignaro. Crediderim anxium futurorum pro Ibrahimo evehendo adlaborasse, ut amici in aula potentia suas partes firmaret, & si adversis rebus uteretur belli, haberet domi fulcrum, cui cadentem fortunam tuto commendare posset. A. C. 1678.

Hac cura feliciter defunctus, conclamatis propere vasis trigesimo Maji, cum omnibus copiis ad Istrum processit. Injecto ponte navali, alteram ripam tenuit decima sexta Junii. Inde continuato diebus, noctibusque itinere, maxima celeritate rapitur ad fluvium Tyram. In summo discrimine versabatur expeditio. Si Moschus praevertisset, facile Turcas fluminis transitu prohibuisset. Sed celeritas Vezirii vicit. Incumbentibus operis, bidui spatio pons sustinendis tormentorum oneribus par fabricatur. In utraque ripa munimentum e disciplina militari erectum, validaque peditum manu firmatum, ne ab hoste rescinderetur, aut a tumescentibus aquis rumperetur. Iis diebus exploratores Tartari dimissi, duos Cosaccos in castra captivos adduxerunt. A Vezirio clam rogati, quantus numerus armatorum Moscho foret? edixere: centum millia sub signis stare trans Borysthenem. Perculsus numeroso exercitu, ut ne rumorem spargerent iu castris, militemque immaturo metu frangerent, aut captata occasione, ut erant viarum gnari, elaberentur ad suos, capite truncatos in flumen praecipitari jussit.

Defixis ad Tyram castris in campo liberrimo, reliquas copias cum gravioribus machinis, annonariis curribus, impedimentis, quae lentius sequebantur, accepit, lustratisque militibus censuit octoginta millia partim equitum, partim peditum; quibus se conjunxerunt triginta millia Tartarorum. Omnibus ad iter expeditis, quatuor millia Janicsarorum, & totidem Bassae suis cum militibus praemittuntur, qui securitatem praestent secuturo exercitui, & securibus, dolabris, arborum caede, equiti, curribusque viam extundant. Moldavi, & Valachi ingenti numero compulsi, in repurganda militari via perutilem operam praestitere. Gravi agmini fuit iter longe asperrimum, quod crebrae paludes, instabilesque caeno campi superandi essent, implexaeque sylvae. Aqua praeterea dulciori laboratum; quamvis agrestium agmen fodiendis fontibus assiduo insudarit. Deleri poterat exercitus, si Moschus in tempore vincere novisset. Tandem ad Bogum fluvium eluctantur, quem pluribus pontibus stratum, decima quarta Julii, nihil moventibus Moschis, sunt transgressi.

Necessariam militi quietem indulsit Vezirius in fertilissimo agro. Huc festinavit Chmelniczkius cum quatuor prope armatorum millibus, quos e suis popularibus suas in partes traduxit. Hominem laetissimo vultu accepit Vezirius, ut ea benevolentia Cosaccis patefaceret, qua gratia apud summum armorum Praefectum valeret; largeque sparsis in eos muneribus, quod primi ad officium, & justum imperium redierint, omnes improvisa liberalitate captos, sibi arctius obstrinxit. Sed Tartariae Chamum, qui iis diebus equestri suo agmine exercitum auxit, Regiis honoribus coluit. Appropinquanti castris duas admodum leucas obviam prodierunt Bosniae, Thraciae, A) & Caramaniae B) Praefecti. Prope Vezirii papilionem tendentem ministri Vezirii excipiunt, & apparatissima militarium ordinum pompa ad primum tentorium equo insidentem comitantur. Mox desiliens in pedes, positisque armis, ipsum Vezirium non modo humaniter assurgentem, sed & extra tentorium progressum in conspectu habuit. Chamus in frequentissimo senatu, excusavit tarditatem suam, quod Cosaccorum copiae obsessis itineribus moram properanti fecerint, ferroque via per confertos ordines saepius aperienda fuerit; Vezirio superflua humanitate celeritatem commendante. Eo die certatim epulae appositae Tartaris, omnisque generis officia cumulata, ut vix belli, quod difficilimum instabat, meminisset hilaritas.

At

A) Thraciae Praefectus dicitur Romeliae Praefectus, quo nomine venit Bulgaria, & Romania, sive Thracia a Byzantio, nova Roma sic appellata, B) Caramania in majorem, & minorem partita, olim Ciliciam, Licaoniam, Pisidiam, Pamphiliam, & Lyciam complexa suis parebat Principibus, donec seculo XIV. a Turcis subacta.

A. C. 1678. At Vezirium graviores armorum curæ ab hoc ſuavi otio avocarunt. Conſultabat cum præcipuis Præfectorum, cuinam præſidio tam florentes copiæ admovendæ? an relictis præſidiis, hoſtes in caſtris invadendi? omnes cenſuerunt Cecrinum petendum; eo expugnato ſat pœnarum defectionis daturos Coſaccos. Moſchos præterea ad rumorem obſeſſæ urbis transmiſſuros Boryſthenem, eaque opportunitate poſſe ad manus deveniri. Conſpirantibus in hunc modum ſententiis, motis altero die caſtris intra biduum ad Cecrinum exercitus Turcarum conſtitit. Erat ea urbs, naturæ non magis ingenio communita, quam artis. Vaſtis mænibus, præaltisque foſſis cingebatur, in quas immiſſus fluvius urbem alluens, perennes aquas ſufficit, ac oppugnationem admodum arduam reddidit. Pars camporum ſtagnantibus aquis merſa, ut homini juxta, atque pecori impervia, ita obſeſſos ſui, ſuarumque fortunarum ſecuriores præſtitit. Ea de cauſa Doroſenskius Coſaccorum Dux, quive eum anteceſſere, hic domicilium fixere. Arx præterea ſaxeo monti impoſita, ac militaribus operibus firma, omni metu cives abſolvit. Novum vallum urbi adjicere aggreſſus eſt Doroſenskius, jamque magnam partem præacutis palis, terreis aggeribus clauſerat, ſed Vezirii celeritate præventus, opere interrupto tanta trepidatione ſe in urbem conjecit, ut maximam copiam palorum, & faſcium hoſtibus reliquerit.

Iſthæc Coſaccorum trepidatio animos addidit Vezirio urbem opprimendi; atque ut erat inquies, & occaſionum haud ſegnis, occupatis vallis, exploratum hoſtium opera paucis comitatus recta contendit. Reverſus nulla ad reſpirandum data militi quiete, nec deſignato caſtris loco, jubet partem militum in armis eſſe, partem ſuffoſſionibus initium dare. Præſidiarii (erant Coſaccorum novem millia, Moſchorum tribus pauciora) ad famam pertinere exiſtimarunt, ſpecimen ſuæ virtutis aliquod præbere, egreſſique urbe adeo fortiter inconditam illam multitudinem incurrunt, ut cæſis duobus millibus & valla receperint, & hoſtem poſt quatuor horarum certamen ab urbe repulerint. Poſt cladem cautior Dux, caſtra ita defigi juſſit, ut Cecrinum undique ſe obſeſſum videret. Ad deſerta Coſaccorum valla conſederat, ſeque novis operibus munierat Vezirius. Ejus non longe a caſtris ſenior Defterdar, ſive vetus ærarii Præfectus, Hametes Baſſa, tetenderat. Proximus huic ſtationem ſuis cum copiis cepit Kiot-Aſſanes, Siliſtriæ Baſſa. Inter Vezirium, & Kiot-Aſſanem Cutajæ Præfectus ſua caſtra poſuerat. His minores Præfecti additi cum juſta peditum, equitumque manu.

Decima nona Julii cœptæ obſidionales viæ, & duo tormentarii ſuggeſtus horis nocturnis erecti. Ex iis duodeviginti grandioribus machinis urbs impetita, præſidiariorum diligentiam ad defenſionem magnopere exacuebat. Nihil ab his omiſſum, quo urbem undique circumvallatam tuerentur. Quanto propinguior Ottomanus fiebat, tanto vehementius jaculationem congeminant. Interim nunciatur Vezirio Ramadanoskium, Moſchorum Ducem, Boryſthene ſuperato, cum omnibus copiis ad liberandum Cecrinum adventare. Continuo oppugnationis ratio immutatur. Circumducto vallo interjectis caſtellis, ac tormentis, munitiſſima caſtra efficiunt. Mehemetes cum parte equitum, atque peditum in auxilium mittitur Chamo, qui Moſchorum iter exploraturus, & quantum poſſet, moraturus cum ſuis præceſſerat. Ille paulum progreſſus, Ramadanoskium caſtris prope invictis incluſum offendit. Quotidianis velitationibus vires periclitati, diebus ſeptemdecim mutuo in conſpectu hæſere, Turca explicata acie, ſignis canentibus crebro prælium indicente, Moſcho univerſum certamen detrectante; ſive exiſtimarit ſine hoc diſcrimine urbem minime caſuram, ſive reipſa Ramadanoskius a Turcis emptus de induſtria aggredi noluerit multis partibus inferiores. Et ſane multum gloriæ detractum eſt viro militari, quod obſeſſus in caſtris, opportunitatem rei bene gerendæ corruperit.

At præſidiarii a primo ſuo ardore nihil omnino remiſere. Singulis diebus, ut erant numeroſi, binis eruptionibus opera hoſtium incurrunt, tanto nonnunquam ſucceſſu, ut labores plurium dierum momento disjecerint,

riat, castra tumultu, trepidatione compleverint. Unde non arma ponere, non quietem capere stationariis licuit, maxime postquam eorum non exigua manus ad obsidenda Moschorum castra immissa. Muros tormentorum ictibus labefactatos concubia nocte strenue resarciunt: his si potirentur hostes, in ipsa urbe novas fossas, currus terra onustos opponunt, sudiumque objectu firmant, ut ex hujusmodi munimentis pugnam redintegrare possint. Hæc tanta obsessorum pervicacia non levibus curis Vezirium implicuit. Timebat, ne in longum extracta obsidio partim castrorum tædia, partim frigora, quæ eam regionem infestam præ cæteris faciunt, exercitum conficiant: et si hæc abessent, qui aleret militem in sterili solo, & Cosaccorum incendiis per plura milliaria absumpto? unde panis petendus in provinciis magnam partem hoste insessis? imminentibus hisce periculis commotus, & desperato successu, statuit infaustam obsidionem solvere, exercitumque in fertiliorem agrum reducere. Sed Kiot-Assanes, Senior Defterdar, & Caplanes spectatæ militiæ Duces, continuo intercessere, ne se, ne fortissimos milites tanto dedecore, tanta ignominia afficiat. Sibi a Polono transfuga detectum, urbem, qua paludstres campos respicit, adeo infirmis operibus esse instructam, ut levi impendio capi possit. Eo vertendam vim oppugnandi. Sperare se mutato aggrediendi ordine, mutatum iri fortunam.

A. C. 1678.

Cessit authoritati Præfectorum magis, quam quod felicem successum speraret; atque ut MULTUM refert, maxime in bello, ut consilii actor sit, qui author fuerit, Kiot-Assani eam urbis partem impugnandam committit. Iste sine mora Moldavorum, & Valachorum opera fabricatos tres latissimos pontes super cænosam planitiem projicit, fascibus instabile solum celerrime explet, traductisque per Caplanem Bassam quatuor millibus equitum, & non paucioribus peditum, in conspectu obsessorum paludem inter, & urbem subitariam munitionem erigit. Caplanes animadverso longe firmiorem esse eam stationem, ac relatum, non ausus impetum facere, subsidiarias cohortes a Vezirio flagitavit. Sed is homini pridem peroffensus, nihil auxiliorum misit, exercitumque universum privatas ob simultates in summum discrimen conjecit. Namque obsessi dedecore accensi, quod hostis prope mænia quietus stationem teneat, duodecima Augusti eruptione tentata, rejecti quidem fuerant amissis duobus tormentis, & aliquot gregariis, postero tamen die tanta fortitudine certamen inierunt, ut cæsis pugnacissimis Turcarum reliquos in apertam fugam compulerint, captis omnibus impedimentis. Longe plures in fuga, quam pugna perierunt. Cum enim prælio superati, simul omnes in tutum evadere conarentur, nihilque magis, ac tergo hærentium iram reformidarent, adeo frequentes per nimiam festinationem occuparunt pontes, ut jam angusti fugientium turbam non caperent, multique idcirco aliis, aliisque a tergo supervenientibus protererentur, aut in palustria loca impellerentur. Hos Cosacci veluti per otium destinatis ictibus subinde configebant. Caplanes egregii Ducis munere functus, cum suorum fugam sistere non posset, ne victores majoribus castris stragem inferrent, pontibus ignem injecit. Deletis pontibus iter ad victoriam intercepit, impendentemque universo exercitui cladem felici ausu avertit. Quippe Ottomanos commilitonum fuga, ac miserabili strage audita, tantus subito metus incessit, ut plerique stationes desererent, atque fugam anxie circumspectarent. Auxit timorem rumor festinantis ad pugnam Ramadanoskii: verum is contentus auxiliares copias intulisse in urbem, otiosa fronte castris assedit. Non tamen propterea metus remisit, præsidiariis frequentius, ac antea erumpentibus. Ad expiandas Superum iras omnia castra pietati vacant, Mahometis opem flebili carmine implorant. Preces diebus octo continuatæ. Iis potissimum Cecrinum, ac de Moschis insignem victoriam contendunt. His rite obitis tres cuniculi soluti, adeo e sententia cessere, ut procumbentibus magnam partem mænibus, latissimam viam aggressuris panderent.

A. C. 1678. Mutuo ſe cohortati Janicsari ſubiere illico ruinas, ac nullo repugnante (nam Coſacci metu correpti certatim ſe per averſam portam in caſtra Moſchorum ejecerant) urbem occupant. Mox diviſis agminibus in trepidos cives, militesque, qui diutius ſubſtiterant, feruntur, ac obvios quosque nullo ætatis, ſexusve diſcrimine implacabiliter obtruncant. Nondum ad ſpolia verſi, grandiori propugnaculo e vaſtis, ſolidisque trabibus extructo, ac terra oppleto, faces admovent. Lignea moles igni obnoxia incendium in vicina opera illico diffudit. Jamque populator ignis incredibili velocitate pervagatus, conſumptis ædificiis publicis, privatisque, inania locorum ſpatia patefecerat, cum ecce! pulverariam turrim corripit, ac momento ſuccendit, tanta violentia erumpente peſte illa pulverum, ut duo millia Turcarum partim dilacerata, partim ſaxis obruta fuerint. Neque caſtra ab hoc malo immunia. Multos decidua petrarum fruſta neci dedere. Vezirius in tutiorem locum elapſus, cladem ſuorum, & urbis lachrimantibus oculis aſpexit. Die uno, ac nocte incendium ſæviit. Poſtero mane militari pompa per ruinas ingreſſi, informem lapidum ſtruem, ædificia deformata repererunt. E ſpoliis nihil inventum præter pauca tormenta. Unde ſuſpicio oborta, Coſaccos deſperata urbis defenſione, & caſtrenſes machinas inutiles reddidiſſe, & clam igniarium funem pulverariæ turri appoſuiſſe, atque authores fatalis adeo incendii extitiſſe.

Funeſta loci facies nihil lætitiæ militum decerpſit. Explicato Janicsarorum ſigno, grates repenſæ ſupremo victoriarum Authori inter feſtos ſcloporum, tormentorumque plauſus. Subinde diruendis hiantibus muris initium datum, & urbs tota cum arce funditus exciſa. Ramadanoskius etſi admodum vicinus eſſet Ottomanorum caſtris, pacatas tamen copias tenuit. Eum aggredi conſilium erat Vezirio. Sed dum ſuper hoc negotio in ſenatu conſultat, ille intendentibus ſe primis tenebris, Boryſthenem verſus caſtra movit, ſuperatisque paluſtribus locis, Caplanem ſtrenue inſequentem eludit. Ad Boryſthenem metatus, impedimenta trans fluvium mittit, quo miles in prælium expeditior foret, ſi hoſtis inſtaret. Et vero inſtitit Vezirius cum univerſis copiis, aſſecutusque hoſtem ad Boryſthenis ripam, vallis circumdatum, ad caſtra excindenda militem educit. Atrox, ac perquam vehemens pugna conſeritur. Quinquies Turcæ in caſtra irrupere, totidem vicibus repulſi ſunt; Caplani inter primos prælium cienti manus minori pila trajecta. Cæterum uti æquato Marte pugnatum, ita vanitate pari utraque pars triumphum cecinit.

Ab hac cruenta pugna nondum in hyberna diſceſſum, Turcis ſolicite evigilantibus, ne Moſchi Boryſthenem ſine clade trajicerent. Sed Ramadanoskius haud tentato tranſitu in caſtris ſubſtitit, ratus præcipitante jam æſtate Turcas in ſuas provincias conceſſuros, aut certo frigoribus, & fame in evaſtatis regionibus conficiendos. Caſtra adeo collata erant caſtris, ut ſe tormentorum ictibus mutuo infeſtare poſſent. Obſervatum a Moſchis: Turcarum valla raris ſtationariis eſſe inſeſſa, nec perinde, ac oportuiſſet in tanta hoſtis vicinitate, e diſciplina militari omnia peragi, ſive tædio laborum victi, ſive nihil hoſtile formidarent a Moſchis. Hi igitur viceſima ſexta Auguſti, adulta jam nocte ferociſſime erumpunt, in aggeres enituntur, una fiſtularum diſploſione levioris armaturæ equites in fugam agunt, tormentis potiuntur. Crebreſcente tumultu accurrunt Janicsari, & juſta acie victores excipiunt. Duabus horis ancipite Marte dimicatum. In hoc incitato certamine, cum ferreis fiſtulis uti nequirent Moſchi, ad extremum profligantur amiſſis viginti vexillis. Inſequenti die Vezirio exhibita fuere mille circiter capita cum aliquot captivis. Capita in editiore loco poſita, diu ſpectaculo fuere.

E tot adverſis recreavit Ramadanoskium, quod Ottomanos hyberna petere intelligeret. Nam gregarii longiorem militiam pertæſi, ſeditioſis ſermonibus in patriam reditum urgebant. Idem ſuadebant Ordinum Ductores in conſilium vocati, ne videlicet irritatus miles, excuſſo omni obſe-

quio expeditionem corrumpat, aut fames, quæ jam sentiri cœperat, vires exercitus absumat. Istas ob causas omnium consensione castra solvenda decernitur. In ea concursatione militum, ne quid subitæ cladis acciperetur, de industria evulgatur, suprema aggressione, hostium castra postero die tentanda. Interim intempesta nocte machinis, impedimentis præmissis, ad Cecrinum omnis exercitus brevi constitit. Multa convicia pertulit a Moschis pugnæ avidis Ramadanoskius, quod otiosus complicatis manibus, inedia, & labore fractos elabi sit passus; abeuntium tergo non institerit. Per campos aquis restagnantibus fallaces deleri potuisse fugientes, modo vincere voluisset. Eum tacite collusisse cum Vezirio plerique persuasum habuere, literisque proditum, a Chamo admonitum severe fuisse, ne in receptu Ottomanos lacessat; secus filium ejus in Tartaria captum securi percutiendum. Inde non expectato profectionis signo, Moschorum exercitus strenue sequebatur Turcas. Ad Cecrinum rursus contulisset signa, si pugnatorum sex millia in tempore adfuissent. Sed & hic proditio intervenit. Nam Mahometanus (ut variæ Religionis apud Moschum stipendia faciebant) tranans fluvium, qui utraque castra diviserat, Moschorum consilium patefecit. Turcæ frustra expeditis armis instructa acie hostem operiebantur.

A. C. 1678.

Autumnus imbribus fœdus belli alioquin fessos in hyberna compulit. Moschi sine magno incommodo partem Kioviæ, & vicinas provincias tenuere. At Ottomanorum exercitus ingentibus detrimentis affectus, exeunte Octobri Adrianopolim victus potius, quam victor pervenit. Recensitis copiis desiderata sunt triginta millia gregariorum, & complures magni nominis Præfecti. Vezirio, uti & militibus retentandi Moschoviam ingentia incommoda omnem animum excussere. Etenim præter longinquum iter, quo homines perinde, ac pecora conficiebantur, fames, frequentiora prælia accedebant, & si alio Duce bellum administrassent Moschi, extremo agmini unum tota profectione, ac perpetuum certamen fuisset. Profecto summo in discrimine versabantur copiæ, dum jam per campos uligine frequentes, jam per planitiem immensam non vicis, non oppidis cultam progredi cogebantur. E tot, tantisque difficultatibus nullus victoriæ fructus extitit. Everso quippe Cecrino, ad ripam Borysthenis munitionem A) erexere Moschi, tanto adversus hostium conatus firmiorem, quanto vicinior fluvius. Ad hæc Cosaccorum incredibilis repugnandi ardor spem penitus intercidit, redituros aliquando ad obsequium, aut armis edomari posse. Et quamvis subjugarentur, non diu quietos fore sapienter conjiciebat Vezirius. NEQUE enim amicorum in numero habendi, quos bello vincimus; nec diuturna possessio, in quam gladio introducimur.

At ille veluti bellum continuaturus in Moschos, anno MDCLXXIX. novum præsidium fundavit ad Borysthenem haud procul Axiace. B) Jamque Mymar Agæ machinatoris ingenio opus crescebat, advectis per Pontum Euxinum sectis lapidibus, e ruderibus Varnensis urbis; cum subito Cosaccorum Ductor Czirkius C) tum populabundo agmine e Tartaria redux operas, & excubitores invadit, ac circumdatos, per ludibrium obtruncat, paucis in captivitatem redactis. Mymar præcipiti saltu navigium petens, imminentes jugulo frameas effugit. Georgius Chmelniczkius firmando præsidio intentus, a furentibus frustatim concisus calamitatum finem reperit. Czirkius in loco victoriæ metatus, captivos cum spoliis ad Czarum Moschoviæ mittit, & quid porro sibi agendum? an cœptum munimentum disturbandum? sedulo exquirit. Non multo post e Kiovia Princeps Dolhorovszkius aderat cum copiis, viribusque junctis uterque jussus est evigilare, ut ne quem locum ad Borysthenem, aut Pontum Euxinum obmunirent Turcæ. Hoc facinus Cosaccorum fuit concoquendum Mahometi, quod Buda acce-

1679.

 perit

A) In Porta Ottom. lego, eam vocitatam Krissurium tribus leucis dissitam Cecrino. B) Axiace, sive Oczakovium, urbs cum firmissimi operis arce ad Pontum Euxinum, ubi Borysthenes in eundem Pontum præcipitat. C) De Dorosenskio altum silent Historici tota hac expeditione. Pronum creditu præfectura motum hominem imperii avidum; aut certe fatis cessisse.

A. C. perit, Moschos Christianorum Principum fœdera implorare, & adversus 1679. Ottomanos cum Rege Poloniæ, & Magno Leopoldo Imperatore bellum moliri. Et legatio quidem Moschovitica Baderlini (ita appellabatur Legatus) oculos totius Viennæ in se convertit, maximoque hominum plausu celebrata est. Legationis summa in eo versabatur: antiqua fœdera instaurarentur; novum in Turcas, Christiani nominis hostes acerrimos, constituatur. Paucis post diebus Joannis Poloniæ Regis Legatus, Radzivilius Princeps consecutus est, in eosdem hostes fœderis iciendi causa. Verum Leopoldus Gallico bello fessus, neque certus de Germaniæ auxiliis, sine quibus neutiquam irritandus erat Ottomanus, ostenso potius, quam perfecto fœdere Legatos magnifice abs se dimisit. Budensium Præfectus odoratus legationis causam, extemplo Byzantium enunciavit.

Anno insequenti A) fœderis negotium inter Moschum, Polonum, Turcam fervebat. Moschus ut nuper Cæsarem, ita non impetrato fœdere Polonum suas in partes attrahere hoc anno adlaboravit, missis palam Cracoviam, qui arma adversus Turcam solicitarent. Eodem tempore Byzantii aderat Moschoviæ Legatus, nomine sui Ducis fœdus postulans. Ita callide moderari visum est hoc negotium, ut ad æquiores conditiones pacis, Turcæ cogerentur. Sed in Byzantina aula haud prosperum initium nacta est legatio. Nam Orator vultu, verbisque minax vetera postulata recoxit; nempe ut omnia præsidia Ukrainæ, quæve munimenta a Turcis postremo hoc bello sunt occupata, potestati Moschorum permittant, secus armis repetituros ab invasoribus, proximeque bello arsuram Turciam. Non sine stomacho rejectus ad septem Turres damnatur; mitigata pœna deprecatoribus Purpuratis, domui suæ veluti carceri obscuro includitur. Interea Moschi instabant Regi Cracoviæ: stabiliret, quod toties expetiissent fœdus. Ille *eandem semper sibi fuisse, & perdurare sententiam ajebat, & vel hodie bellum cæpturum, modo de sua constantia Moschi satis caveant. Habere se certis nunciis, Byzantii de pace agi cum Turca, & haud dubie confectum iri, si Ukrainæ præsidiis decesserit. Notam sibi esse infirmam Moschorum fidem. Notam cupiditatem amissarum urbium, quibus recuperatis utique iras, & arma posituros. Se pro Cameneco omnia tentaturum, & vel longinqua fœdera petiturum.* Dum ex composito Moschi tabulas pactorum commutant, ac missis, acceptisque nunciis rem sine fine trahunt, clam alterum Oratorem Constantinopolim legant cum muneribus. Non illico voti damnatus est, Turcis pari calliditate Moschorum artes eludentibus. Purpurati enim animadverso, Moschos simulata mente cum Polonis agere, uniceque ambire fœdus Ottomanicum, difficiliores se in dies præbuere, quo divitem sibi messem conficerent, & cupide nundinantes pacem, iniquissimis conditionibus illigarent.

Suspenso in hunc modum fœdere, malum corripuit Moschoviam hoc gravius, quo inopinatum magis, animosque omnium in extremum luctum, dein turbas conjecit, mors Theodori Alexovichii. B) Supererant hæredes bini fratres Joannes, & Petrus. C) Illi ætas, huic bellica indoles favebat. Civium suffragiis, mox armorum terrore Petrus superior imperare cœpit. Princeps Sophia soror dolore tacta, Joannem luculenta hæreditate excidisse, militum animos occupat, ac facile in Petrum, Primoresque concitat. Cœptus est tumultus occasione a stipendiis sumpta. Ea multis debebantur multa; adeo ut quingenta aureorum millia numeranda forent, si singulis justam mercedem vellent persolvere. Cumque sub novo Principe nihil pecuniæ corradi posset, ærario alioquin vacuo, spe inani diu lactati milites, ferociter in Primores consurgunt, raptisque illico armis, opulentiorum domos obsident, ac stipendiorum loco fortunas privatorum sibi vendicant.

A) Nempe anno 1680. B) Historia Magni Leopoldi Cæsaris, Authore P. Franc. Wagner, e S. J. meminit Czarum hunc obiisse anno 1679. P. Anton. Foresti ex eadem Soc. anno 1682. Porta Ottom. anno 1680. A Scriptoribus illius ævi Fedor Alexovichius, & Basilius nominatur.
C) Filii nempe Alexovichii, qui ante Theodorum regnaverat.

dicant. Deinde minitabundi in aulam irrumpunt, medicos, quorum opera usus fuit Alexovichius, & Primores consultationibus implicitos, per fenestras præcipites agunt; quos socii hastarum spiculis exceptos crudeli mortis genere interimunt. In hoc tumultu Joannem Principem Imperii consortem pronunciant, nihil repugnante Petro, quod neque par esset infringendo furiosorum conatui, neque aliud, præter inane Moschoviæ Ducis nomen in ignavum Principem translatum sentiret; apud se armorum arbitrium, vectigalia, pœnas, & præmia futura.

A. C. 1679.

Domestico hoc malo composito, ardentiori, quam unquam alias, cupiditate iciendi fœderis deflagrabant Moschi, existimantes detecta tot legationibus simulatione, Poloniæ Regem sine mora de limitibus transacturum cum Mahomete, sibi unis cum potentissimo hoste deinceps rem fore, eamque fortunam habendam, qualem ille daturus. Igitur misso mandato de fœdere absolvendo ad Moschoviæ Oratorem, qui ad Chamum Tartariæ deflexerat captivorum causa, conciliatore Chamo induciæ fiunt cum Turcis viginti annorum; iis conditionibus, ut terna præsidia Kioviæ Moschis reddantur, ad Borysthenem nullum munimentum erigatur. De Ukrainæ præsidiis, & Cosaccis neutra pars meminit. Ingemuit ad apertam secessionem Rex Poloniæ, exprobrataque levitate animi, suspectam inposterum Moschorum fidem habuit. Sed ne exulceratos præcoce acerbitate magis exasperaret, & hesternos amicos sibi hostes efficeret, nuncios muneribus donatos in patriam remisit; memor: UTCUNQUE ferendum, quod corrigi non potest. Jam etsi sat potenti socio destitutus, esset de limitibus tamen controversis, nihil omnino cessit Ottomanis, certus bello experiri omnia, quam veteri possessione iniquissime spoliari; seduloque circumspexit occasionem, qua eorum potentiam attereret, suam erigeret. Eam obtulit tribus abhinc annis Viennæ urbis obsidium, quod jam continenti narratione, uti & bellum Hungaricum, complectar.

1680.

Post memorabilem illam ad S. Gotthardum in Hungaria, ductu, & virtute Montecuculi de Turcis reportatam victoriam, A) a Kiuperle Vezirio pactæ sunt induciæ viginti annorum; quas Gualterus Comes Leslæus subinde Adrianopoli nomine Magni Leopoldi Cæsaris firmas reddidit, ut ad annum quintum, & sexagesimum supra millesimum sexcentesimum narravi. Et habuere firmitatem suam, quoad vixit Kiuperlis, seu metueret fortunam felicissimi Cæsaris, seu religioni sibi duceret pacem violare, seu irritare nollet Europam ante, quam attritas Cretensi bello Imperii vires instauraret. Amœnissima pace floruisset Hungaria, adsitæque provinciæ, nisi inquieta paucorum civium ingenia tranquillum Reipublicæ statum obturbare cœpissent. Nunc in Hungaria, nunc in Dacia adversus Cæsarem arma sumpta, Vezirio nihil movente; quamvis limitum Præfecti Budensis, Bosnensis, & Canisiensis consilia miscuerint, & armatas copias ostentarint turbulentis. Ea de causa Perisius Constantinopolim destinatus, B) belli scintillas feliciter oppressit, acrioribus in Præfectos edictis procuratis, ne quid auxilii Hungaris submittant. Elato Kiuperle C) Purpuratorum Principe, Kara-Mustaphas simulationem exuit. Factiosorum Legatos non humaniter modo, & blande habet, sed etiam opem prælarge pollicetur. Mense Januario D) sex millia Canisiensium Turcarum ad evastandam Styriam missa, prope erat, ut provinciæ malum inferrent, fluminibus gelu adstrictis expeditum iter præbentibus, nisi Csakatornenses Croatæ, accita agrestium multitudine, eam nubem dissipassent. Meninskius linguarum Orientalium Interpres, ad Kara-Mustapham Vienna missus, questurus de induciis violatis, responsum tulit, venturum ad Cæsarem Chausium, qui factum excuset. Eodem anno factiosi, Michaelis Apaffii E) Transylvaniæ Principis copiis; dein Polonis,

A) Anno 1664. Vide pag. B) Anno 1670. C) Anno 1676. D) Anno 1677. E) Michael Apaffi hujus nominis I. Nam alter Michael Apaffi insignia principatus sceptrum, & vexillum e manibus Legati Mahometis accepit anno 1684. die XVIII. Septemb. jam sexto ante parentis obitum anno Albæ Juliæ in publicis Comitiis Transylvaniæ Princeps renunciatus.

A. C. & Tartaris aucti, Bohamo Comite Ductore, nobili victoria potiuntur, cæ-
1680. so Germanorum exercitu. Hac clade vulgata Turcæ veluti bellum indictum foret, non uno loco hostilitatis signa extulerunt.

Quadringenti Ujvarinenses Nitriæ agrum depopulati, non paucos Christianos in servitutem abduxere. Mille in Croatiam delati, ad Carolostadium Cæsareos fundunt. Koppio, qui Strasoldo Viennam translato successit, quiritanti apud Varadinensem Bassam, quod turbulentos suam in provinciam recipiat, eorum contumaciam adversus legitimum Principem alat; parum amice responsum est: patere omnibus miseris apud Turcam asylum: perfugos ære suo sine maleficio vivere in Varadinensi agro, incolis acceptos, neque ab se repulsum iri. Hoffmannus, Leopoldi Cæsaris internuncius, ipsum Vezirium, ipsumque Soltanum a fovendis palam alienis dissidiis deterrere aggressus est, A) exemplo non utique Principibus probando, & in authorem quandoque retorquendo. Neque enim hæc fieri, quin simul fieri doceantur. Inter ludibria auditus renunciare est jussus: relinquendos suæ fortunæ Hungaros, modo Cæsar annuo tributo hanc gratiam redimat. Hæc non levia erant indicia, Ottomanos regni turbatoribus & opes, & arma deinceps daturos.

Interea Apaffio istorum consiliis, & armis immisto, æmulum excivit invidia Paulum Beldium, B) nobili, & pervetusto genere natum. Animum is adjecerat ad principatum, quod videret complures publicis muneribus, se neglecto admoveri, & Byzantii omnia venalia forent. Conciliatis igitur sibi muneribus aliquot Purpuratorum, exercitum conscribit, & Apaffium bello petit. Transylvani, & Hungari Duce Bohamo ad tuendum Principem convolant; Beldium in Valachiam propellunt. Nondum animo dejectus instaurato e Valachis exercitu, in novum prælium æstuabat, cum perferuntur a Varadinensi Bassa Mahometis mandata: ni ab armis discedat, pervicaciam pœna capitis luiturum. Paruit miser, seque Byzantium contulit, melioribus auspiciis bellum reparaturus. Sed ubi salutem quæsiit, perniciem invenit. Purpurati magis auro, argentoque Principi devincti, quam amicitia, Beldium cum suis ad septem turres condemnant, post aliquot annorum calamitates veneno perimendum. Ita e consilio non sat digesto exitium retulit. Adeo MALUS consultor est turbidus, nec sibi imperans animus. Proditum est memoriæ, captivo principatum addixisse Turcas, si tributum augeret, statosque dies populationi in Transylvania concederet. At is patriæ non ingratus suæ, mortem oppetere in carcere maluit, quam cum perpetua nominis sui ignominia, patriæque excidio dignitatem obtinere. Dignus principatu, si tali moderatione usus fuisset semper.

Ut solveret beneficium Apaffius, palam adjuvit seditiosos, misso Comite Emerico Tökölio in Hungariam cum copiis, quas ad sui defensionem excivit. Civilibus armis undique coortis, Ottomani ampliorem in dies spem concepere, Hungariam aperto bello invadendi, avideque arripuere occasiones odia, inimicitias cum Cæsareis serendi, ut cogi quodammodo viderentur ad injurias armata manu propulsandas. Et parum aberat, quin iisdem diebus pax penitus abrupta fuerit. Ibat Ujvarinum novus Gubernator ducentis equitibus stipatus. Cæsarei peroffensi Ujvariensibus, quod assiduis excursionibus pagi circa omnes, oppidaque, inprimis Nitria, usque adeo infesta haberentur, ut ad opus faciendum vix tuto efferre oppidis pedem auderent agricolæ. Belli securum præparatis dudum viribus aggressi Cæsarei, illico profligant, cæsis aliquot etiam nobilioribus Turcis, quos armorum gloria, itineris comites adjunxit. Budæ Præfectus suorum cladem edoctus, apud Vurmium Cæsarei exercitus Ducem acriter expostulat, & atrocem injuriam se Byzantium nunciaturum minatur. Sed nec a Vurmio, nec a Mahomete expectato responso, Agria, Varadino celeriter evocatum militem, in Cæsaris provincias immittit, ac privato odio stimulatus, cædibus, incendiis

A) Anno 1678. B) Porta Ottom. quam secutus est Scriptor Historiæ Leopoldinæ, & corrupto nomine Pedipolium vocat.

diis suum dolorem explevit. Transylvanum etsi Ottomanis amicum, non absimilis casus prope evertit. Turcarum agmina per Daciam sine injuria agrestium ultro, citroque commeabant, & quasi in patrio solo agerent, omni hostilitate abstinebant. Accidit tamen, ut oborta rixa Transylvanos inter, & Turcas, pars utraque ferrum stringeret. Illi & numero, & causa superiores non paucos concidunt. Mahometes re cognita, malum minatus Principi, octoginta Nobiles ad necem deposcit; aut si malit facti atrocitatem ære eluere, centum quinquaginta imperialium millia dependat. Nec Vezirius sui oblitus provinciam Marmarosiensem sibi tradi postulat. Apaffius se inscio cædem patratam testatur; reos pœnas daturos; obscurorum hominum facinus nihil officere debere sibi. Præter preces munera magni pretii addidit (fortissimum nempe arietem ad expugnandos Turcarum animos) quibus omnem irarum nubem feliciter dissipavit.

A. C. 1680.

Mitigata Byzantina aula, Seditiosi gratiæ jam securi, Cæsaris mandatis, consiliis ubique adversantur. Tôkôlius, Hungariæ suæ alter Sertorius, grandi exercitu incedens, Austriam, Moraviam terrore, metu complet; celeritate, qua plurimum valuit (nam una die sexaginta milliaria Italica confecisse dicitur) Cæsareos Duces prævenit, crebris cladibus afficit. Tanta jam erat hominis potentia, atque authoritas inter suos, ut privatam fortunam perferre minime posse videretur. Intendebat hos ei spiritus Turcarum favor, & Leopoldi Regis paterna prorsus solicitudo, qua eum ad pacatiora consilia traducere adlaboravit. Ad hæc multitudo inprimis Hæreticorum, spe novæ libertatis allecta, ut ea, quæ moliebatur, sub aliquo Duce, forent tutiora, advertit oculos in Tôkôlium, quem potentiæ avidum, eoque Regiis infensum introspexerat; quem ingenio mire fæcundo, promptoque, ac bellicis artibus florentem non ignoravit; quem denique opibus, & Turcarum gratia validum experta est. Tot invitamentis, tantaque opportunitate invadendi dominatum arrectus, sub specie propugnandæ libertatis spes interim suas abunde pascebat. Regis, vel ut mitius dicamus, Ducis imagine jam turgidus, dominandique captus dulcedine, nihil pacati admisit, ac elusis legationibus, Comitiorum auctoritate, quæ subinde Sopronium indicta, in armis perseveravit, Ottomanorum clientelæ, & fortunæ innexus.

Clarum jam erat non rediturum ad obsequium, nisi bello domitum; multorumque in aula sententia fuit, ut seposita omni facilitate, ferrum in contumacem Rex arripiat. Legationibus, promissis, indulgentia, nihil aliud effectum eatenus, quam ut Regi obedientia, seditioso civi timor adimeretur. At pares copiæ Tôkôlianis unde peterentur, explicatu haud perinde facile erat; potissimum quod media in pace Galli, nobilissimas provincias ab Imperio avellerent; A) nec tutum foret Rhenum exarmare. Et si omne robur Cæsarei exercitus in Hungariam duceretur, Ottomanis criminandi materiam, & occasionem cruentissimi belli præberi. Ad ARMA pronos facile pacem abrumpere, si irritentur. Visum est igitur Leopoldo Imperatori, missa legatione Constantinopolim, Mahometem rursum aggredi, ac serio commonefacere, ne Regis, & patriæ suæ hosti auxilio esset. Ipsi Tôkôlio Junioris Rakocziæ, quam deperibat, nuptias offert; grande utique beneficium, quo amplissimarum possessionum dominium in Hungaria adivit.

Sed omnis hæc solertia optimi Cæsaris sperato eventu caruit. Kunizius Baro Byzantio nunciat: *de prorogandis induciis Mahometem persæpe agere; testari, nihil se adversus fœdera commissurum; pacem suo Imperio necessariam unice velle; eorum postulatis facilem se ostendere, palam in senatu asseverasse, sibi liberum esse miseris, ac aliena invidia oppressis opitulari. Cum Moschorum Duce non sane quæstuosam pacem festinasse; Vezirium placida fronte perferre, quidquid in suprema expeditione detrimenti, aut dede-*

A) Nempe Reunionum titulo. Quid hoc nomine veniat, consule laudatam Historiam Leopoldi Magni.

A. C. 1680. *dedecoris acceptum; obortam de limitibus controversiam, & ingenti animorum concitatione agitatam cum Republica Polona, insolita Turcis modestia abruptam. Bellicos nihilominus paratus fieri in provinciis: Vezirium curas omnes, cogitationesque vertisse ad legendum militem; impigros ministros futuræ expeditioni necessaria curare. Dubium non esse, in Hungariam translatum iri gravissimum bellum.*

Neque de Tökölio lætiora audiebantur. Cœptis vixdum Sopronii Comitiis, spreta induciarum religione, infestis signis superioris Hungariæ oppida territabat. Nec integrum erat ab armis tantisper discedere, consiliis Turcarum, & viribus abrepto. Etenim Vezirius intellecta Cæsaris indulgentia adversus Tökölium, veritus, ut ne factionem Hæreticorum conspiratione adultam desereret, & gratiæ locum apud Regem occuparet, tredecim millia peditum, duo equitum, in subsidium misit; destinato consilio, simul in officio continerent seditionis Ducem, simul ad ea, quæ vellet, operam prompte, alacriterque conferrent. His copiis cinctus, vix locum vidit retrahendi (etsi voluisset quam studiosissime retrahere) aleam, quam jecerat, totumque se ad Turcarum partes transdidit. Ergo inter arma quæsiturus dominatum sibi, ac suis libertatem, magni exercitus Imperator, Lodronia Croatarum legione in itinere concisa Cassoviam inter, & Tokainum castra ponit, milite usus longe obsequentissimo, quod Turcicus Quæstor viritim stipendia summa fide numeraret. Mox incredibili celeritate Scepusium A) Germano obtruncato intercipit; eodem festinationis præsidio Kalloviam, B) Beszermenium sui juris facit, Tibiscanam regionem, terrore armorum suas in partes pertrahit.

At vero Apaffius hostem jam professus, præter Transylvanos Valachis, Moldavis ad arma concitatis, ingenti cum exercitu, nec minori fama, & terrore in Hungariam jussu Mahometis properans, Szattmarino ad Samusium fluvium sedenti non omnino a munitione male proviso, & tum temporis arce, terreis propugnaculis firmato, quatuor, & viginti millia pugnatorum admovit. Ad ciendam tot nationum (nam & Turcæ aderant) æmulationem quadripartito aggressus est urbem adeo scite, & prospere, ut prope deditionem extorserit. Neque diu obstitisset victoribus, nisi Apaffius conclamatis subito vasis, in Daciam eadem, qua venerat, celeritate abiisset. Immane quantum divinationum, sermonumque is receptus apud Hungaros, & Turcas excivit. Opinabantur quidam discordias inter milites variarum nationum exarsisse; alii conjiciebant proditionis telam, cujus fiducia advolaverat, fuisse abruptam. Vero similius erat: quod Apaffius incertis indiciis intellexerit, Ottomanos suo milite insessuros Szattmarinum, nolletque aut barbarorum potentiam hinc crescere, aut novo hoc servitutis vinculo adstringi Transylvaniam. Prævaricationis accusatus Constantinopoli, ad solitas suas artes semet convertit. Pollicitationibus, præsenti auri fulgore Purpuratos, inprimis Vezirium placat; eam cessationem e re sua, & Turcarum fuisse facile persuadet. Nec opportunum erat Vezirio in Apaffium durius quid statuere, ne offensus segniori animo factionem aleret, aut desertis partibus gratiam Cæsaris amplecteretur, simulque Transylvanos abstraheret. Nam mite ejus, ac minime cruentum imperium, innata præterea comitas, & (quod rarum est) innoxia nobilitati popularitas, & amorem, & venerationem apud subditos conciliarunt. Neque ignoravit Vezirius Leopoldum Imperatorem summo studio adlaborare, quo Tökölium, & Apaffium factionis prima capita sibi adjungat, ab Ottomanorum societate avertat.

Et supremum quidem arietem Cæsar per Saponaram Baronem, gente Neapolitanum, admovit. Ablegatus is fuerat ad Tökölium cum saluberrimis mandatis, & opimis conditionibus, ut Principi suo reconciliatus, finem

A) Scepusium, arx saxeæ moli imposita, nec, nisi fortassis, qua meridiem respicit, accessu facilis. Ab hac arce provincia Scepusiensis nomen sortita. B) Kallovia, vulgo Kalloa, oppidorum Haidonicalium in provincia Szabolcsensi, quæ a Mathia Corvino libertatem consecuta, hostes a patriæ finibus arcebant. Inter ea recensentur Beszermenium, Nánás &c.

finem aliquando imponat ejusmodi bello, quod multos Christianæ Reipublicæ Principes involvet, cum maximo Hungariæ, Germaniæ, Imperiique periculo, si forte communis hostis, inter hæc vicina turbamenta, justum exercitum in Hungariam mitteret. Summa omnium fuit: *Cæsaris, Regisque gratiam ad obsequium redeunti patere: injuriarum oblivionem æternam fore, modo pertinaciæ, bellique finem faciat. Hungariam belli incommoda perpessam, misere in dies dilacerari, ab Ottomanis crudeliter uri, exedi. Cæsarem nobilissimi regni calamitates sine lacbrymis intueri non posse. Inter civiles urbium, hominum, fortunarum strages regnum hauriri, seu Cæsar, seu cives vincant. Utrinque ingentia detrimenta accepta, Turcis plaudentibus, qui profecto mutuis cladibus debilitatos invadent, aut socii armorum effecti, in Cæsarem totius Imperii viribus agent, idque demum gratiæ relaturi seditiosis, quod Ulyssi obtulerat Polyphemus, ut postremi devorentur. Respiceret pericula, quibus in horas obnoxius, inter homines æque infimos, ac infidos precariam traheret non minus vitam, quam militiæ præfecturam. Quid tandem firmi, pacati sibi polliceri posset, etsi Turcarum authoritate Princeps Transylvaniæ evaderet? Apaffii vilissimam conditionem perpenderet, ad minimi Præfecti Turcici nutus anxie trepidantis. Satius fore, sub mitissimo Rege liberam, quam in grege crudelissimorum hominum servituti obnoxiam vitam degere. Non defuturas super Regis gratiam novas accessiones fortunarum, honorum appellationes, atque insignia. Postremum Regis nomine pollicetur nuptias Junioris Rakocziæ, si arma cum seditiosis deponat: renunciata Ottomanis amicitia Comitiorum statutis obtemperet: eosdem ad prorogandas inducias sua gratia permoveat.*

A. C. 1680.

Hujusmodi suavissimis illiciis tentari debuit eo tempore, quo cogi non poterat. Gavisus ea liberalitate Tôkôlius, spondet se æquissimis Leopoldi postulatis morem gesturum. Excusat armorum necessitatem, quam militis Germani rapacitas, Ducum avaritia imposuit. Horum licentiam se castigare voluisse ait. Sed exasperatis utrinque animis altius processum, Turcis rebus turbatis se se miscentibus. Ab istorum authoritate, imperio se, suosque pendere. In eo verti negotium pacificationis, ut Cæsar prolatis induciis militem in stativa revocet. Profecturum se ad Budensem Præfectum, enisurumque, ut quamprimum melior lux affulgeat Hungariæ. Hæc magnificis verbis pollicebatur homo ingenii occulti, & multiplicis; spemque faciebat non vanam Saponaræ, rem propediem confectum iri. Quanquam callidiores, quive altius Tôkôlii animum vastum, atque immoderata percupientem, introspexerant; conjectarint, nullis conditionibus depositurum, quam jam manu teneret, dominationem; & nobilissimis nuptiis obtentis, per omne fas, & nefas ruiturum. Nec falso.

Nam consequenti anno A) celebratis ingenti pompa nuptiis, Rakoczia nomini Germano infensissima, impatienterque imminens regimini, maritum ardentis alioquin animi, assidue stimulabat: *ne pulcherrimam libertatis recuperandæ occasionem negligeret. Jam corroboratæ factioni, quæ pene ex æquo scindat Hungariam, eum præ Apaffio Ducem impositum. Adesse potentissimi Imperatoris Turcarum exercitus partem; adesse Hungaros, Dacos, Valachos, Moldavos Germanis infestos; quorum omnium valida conspiratione, & prompto auxilio, posse ejectis e provinciis Hungariæ, perpaucis Germanis ipsum regnum, aut certe amplissimam superioris Hungariæ oram occupari.* Ita ferox hæc Tullia B) non mitiori Tarquinio nupta disserebat. His muliebribus instinctus furiis Tôkôlius, & suapte natura dominandi avidus, ardentius suscepta promovendæ factionis provincia, spes suas alebat. Saponara ludificationibus diu circumductus, postremum irrisus, suo experimento didicit: TALIUM hominum ferociam, nulla re magis, quam indulgentia, irritari; neque unquam bona fide hæresim mansuescere.

A) Mense Junio anni 1682. B) Tullia maritum suum L. Tarquinium, cui cognomen Superbo ex moribus datum, incitaverat ad invadendum Romanum regnum. Adi, si tibi otium, T. Livium Patav. Dec. I. Lib. I. & L. Annæum Florum Lib. I. c. VII.

A. C. 1682. Nihilo feliciorem exitum sortita est Comitis Alberti Capraræ Byzantina legatio. Vicesima quarta Januarii Vienna discedens, septus aliquot Nobilibus, Marchione de Bui Bononiensi, Comite Nadasdio, Barone Svarczbachio, Constantinopolim pertigit mense Aprili. Ab Vezirio multa quidem humanitatis simulatione acceptus, sed post longam aulicorum cunctationem, ad finem vergente Junio, Mahometem Imperatorem accessit. Traditis muneribus, inter quæ horologia bina peregrinis gemmis ornata, & quatuor candelabra ab arte, & pretio multum commendata, nomine Cæsaris multis, exaggeratisque rationibus efflagitavit: induciæ in alterum vicennium proferrentur; cessatio armorum promulgaretur; limitaneorum militum excursiones severis edictis inhiberentur. Seditiosis neve asylum, neve auxilium præbeatur. Consideraturum se Cæsaris postulata respondit Mahometes, & si Imperio Ottomanico perniciosa non fuerint, postulatis satisfacturum. Vestibus deinde de more donatus Caprara, longo agmine Chausiorum, & militum comitatus ad navim, in suum palatium rediit.

Haud post multo e mandato Soltani, sed consilio Vezirii apprime instructi, aderant apud Capraram magnus Imperii Cancellarius, & Janicsarorum Aga de induciis acturi. Ajebant: *sine mora inducias prorogatum iri, sed Hungariam in eum statum reponendam esse, in quo erat anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo quinto; & quotannis quingenta florenorum millia* A) *Mahometi pendenda. Leopoldopolim solo æquandam. Tökölio cedendam arcem Muranyiam, Nitriam, Csallokoziam; ejus sociis veniam, fundos, libertatis jura ad unguem reddenda.* Bellum apertius denunciari Cæsari non poterat. Neque leves, eæque privatæ rationes Vezirium in illud perpellebant. Moschovitica expeditio non sat prospere suscepta multum laudis homini ambitiosissimo detersit: quidquid in ea non infeliciter actum, id unice proditioni hostium, aut ignaviæ dandum, Purpurati existimarunt; Cecrinensis victoriæ fructus infra spem, immaturo vero reditu Moschovitis, quod ipsi jactitent, nimis fuisse utilem. Ejusmodi cavillationibus, inimicitiis, quod aularum ingenium est, oppugnatus, opportunitatem sedulo circumspexit, qua æmulos ab aula distractos, inter armorum strepitus gravioribus curis implicaret, traditaque sibi belli gerendi in Hungaria provincia (uti tradendam facile prævidebat) suos obtrectatores, quos in aula pari loco, graduque videbat, in campo sua sub potestate haberet. Præter hæc ad bellum Hungaricum incendebatur valida Tökölianorum factione, Germanorum cessatione, & anxia illa Leopoldi tot legationibus testata in petenda, impetrandaque pace solicitudine. Isthæc omnia illustres victorias spondebant Vezirio, quibus utique Mahometis favores affirmaret, æmulorum obtrectationes protereret.

Mahometi non perinde bellum arrisit. Venatione, voluptatibus a pueritia captus, otia sua turbari his annis ægrius ferebat. Inde populus, ac miles in minaces primum voces, & prope tumultum erumpit, ignavum Principem liberrime maledictis proscindit, quod abjecta exercituum cura, posthabita Imperii salute, inter greges spadonum, ac fæminarum, desidem vitam ageret. Gnarus Vezirius, quantæ popularibus irritatæ furoribus vires essent, præsentem procellam ut celerius dissiparet, Mahometem urget, bellum quantocius decernat, militem in campum abstrahat, civibus materiam criminandi subducat. Nutantem fortioribus telis aggressus expugnat. Ostendit: *plurimum utilitatis obventurum Imperatori, indicto bello Christianorum Cæsari. Licere novum tributum* (sursatum vocant Turcæ) *a populo exigere. Illud erat, ut singula capita toto Imperio certam pecuniæ summam ærario publico persolvant. Sic enim posse*, ajebat Vezirius, *exhausto continentibus bellis ærario provideri, atque adeo provinciarum securitati. Imo potentissimum adjumentum fore ad sustinenda immensi luxus aulici impendia. Obsequii tanto faciliores habiturum subditos, quanto lubentius intellexerint in*

A) Longe majorem summam adnotavit Historia Magni Leopoldi Lib. VIII. P. I.

in Hungariam arma verti. Nec æquum esse Imperatoriis impensis bellum geri, quo populus lucra, Imperator detrimenta referat. A. C. 1682.

Post hanc ditissimam auri, argentique venam, alio emolumento, si bellum maturaret, Mahometem suam in sententiam pertraxit. Janicsarorum potentiam, apertas in Imperatores seditiones, frequentiores tumultus exaggeratis verbis expingit. Commemorat: *plures e Soltanis in palatio, istorum ferro trucidatos, quam in acie, hostium armis. Hujus ordinis militiam multis prærogativis, multa fortium factorum gloria superbire in dies; arroganti ostentatione laborum laxare disciplinam, quoties libuerit vi armata donativum flagitare, rigidiores Præfectos pro libidine exauthorare, Imperatorem, veluti precario, & suffragiis Janicsarorum regnaret, contemptim habere; nisi stipendia ad assem solvantur, eorum postulatis satisfiat; omnia tumultu, cædibus miscere; ipsum Soltanum ad necem designare. Equites etsi longe modestiores, ejusmodi illustribus exemplis, ne puderet sequi, ad paria audenda fuisse pellectos. Nunc e manibus haud dimittendam occasionem hoc genus hominum in ordinem redigendi, aut penitus extinguendi. Id maturato bello Hungarico ita perfici posse, si imminutis per oppugnationes urbium, & varia certamina Janicsaris, neque per supplementa refectis, alium militiæ ordinem ex Imperatoris nutibus suspensum, nullisque ad audaciam prærogativis illustrem conflaret, cujus subinde dextris, Janicsarorum nomen, ac reliquiæ delerentur.* His extinctis Effendiorum, seu Jure consultorum auctoritas (qui Janicsarorum fortunæ innexi plerumque ab eorum partibus stabant) suapte infringebatur. Hoc remedio aliquanto acriore, ancipitique invalescenti malo occurrendum putavit Vezirius, & persuasit Mahometi.

Nam iste seu conscius sui fati, ac futurorum, quæ a phalange Janicsarorum metuere procedente tempore A) deberet, seu stimulatus avaritia ambitioneque, nondum evolutis induciis pacem abrupit. Equidem Mufftius, sacrorum apud Turcas supremus minister, palam concionabundus, Divini Numinis, Mahometis Prophetæ iram violatoribus pacis denunciavit. Purpuratorum plerique in Divano, seu sanctiori consilio, præcipitem Vezirii sententiam aversati, orarunt Imperatorem, ut ne aperto bello, nulla injuria lacessitus, petat Leopoldum Cæsarem, neve totius Imperii vires, Majorum suorum gloriam manifesto discrimini objiciat. Integrum annum superesse, quo induciæ evolvantur. Posse minori invidia Tökölianis auxilio esse, modo Ottomanicæ copiæ alieno Ductori hoc anno subsint. Sed Vezirii arma contendentis authoritas apud Mahometem prævaluit. Bellum tamen denunciare Cæsari visum non erat, ut scilicet a rebus castrensibus imparatum, decumana clade ante afficerent, quam ad defensionem semet colligeret. Imo Vezirius, quo Germanos spe pacis a belli paratibus avocaret, cum Caprara non cessavit agere de induciis, de novo fœdere; & quasi abhorreret ab omni bello, conditiones offerre molliores. Agnoscit utique Lector, quam rara concordia mentis, & frontis Ottomani de concordia disserant. At firmatis jam domi rebus, mentem suam luculente prodidit, dum a Legato insuper firmissima præsidia Comaromium, Jaurinum, Szattmarinum, hoc est haud paulo plus exposceret, quam secundissima belli fortuna obtinere posset. Monuit Caprara: ne existimaret Germanorum virtutem emarcuisse. Cæsarem bello pacem semper prætulisse. Hæc si per Turcas violetur, haud feliciores e campo recessuros, quam postremo bello Hungarico. B)

Cum hæc aguntur pacatiori quidem, sed non acri minus, pugnacique senatorio in campo, jam prope Hungaria pessumierat. Etenim Tökölius, novus maritus, ostensurus Rakocziæ, quanti exercitus Imperarori nupserit, auctus Turcarum peditatu, omnem suum militem e stativis evocat, ac Szattmarino superiori anno nequidquam oppugnato, adulta jam æstate affundit. A pauculis præsidiariis nullo negotio oppidum acceptum. His prosperis initiis

A) Anno 1687. exauthoratus est, ut loco suo referam B) Anno 1664. ad S. Gotthardum victi sunt.

A. C. 1682. tiis animatus, ad Cassoviam, superioris Hungariæ caput, obsidendam animum applicuit; quod intelligeret ad rem, & famam, qua bella constant, plurimum facturum, si locum copiis, munitionibus validum aggrederetur, & successu armorum Leopoldo Cæsari auferret. Habet ea urbs præter saxea, & terrea mænia præaltas fossas, in quas præterlabens fluvius Hernadus tuto, & levi impendio immitti potest. Ad Austrum grandem, ac prævalidam arcem, Cittadellam vocant Itali, spectavit, jussu Magni Leopoldi anno millesimo sexcentesimo sexagesimo primo e fundamentis erectam, civibus & præsidium, & frænum. Tum arcem, tum urbem Leopoldi miles insederat, annona, pulvere pyrio, cæterisque rebus adeo instructus, ut arduam oppugnationem Tôkôlianis facturus esse existimaretur. Sed præter opinionem celerius utroque munimento exutus est. Res in hunc modum accidit. Atrox incendium dolone civium, an casu? incertum, vicinum suburbium corripuerat adulta A) jam nocte. Arcis præsidiarii desertis stationibus suis, certatim eo properant, unde flammarum crepitantium fulgor arci minabatur, seu ea ex parte hostem excepturi, seu incendio, si arcem invaderet, occursuri. Mænibus milite nudatis Tôkôliani scalas apponunt, ac nullo obsistente, arcem sui juris faciunt. Germanos subita invasione perterritos partim Ottomanis in prædam cedunt, partim contrucidant.

Arx, quæ saluti urbis præparabatur a suo conditore, exitium tulit. Nam ea capta urbani milites timidius resistere, quod e propugnaculis arcis perpetuo impeterentur, neque diu adversus vim Tôkôlianorum munitiones defendi posse viderent, nisi amissa arx reciperetur. Accessit & alius timor. Etenim extructis non uno in loco suggestibus, cœptis furnulis, cuniculisque, quadraginta hominum millibus naviter opus facientibus, novis identidem supplementis ab Rakoczia missis, adeo ruinis fatiscebant muri, ut expedita in urbem via aggressuris pateret. Cives direptionem suarum fortunarum veriti, & Tôkôlio addicti, dedendam urbem conclamant. Miles fide juxta, ac ære vacuus, Lambium Protribunum circumsistit, utque honestis conditionibus, suorum cædem prævertat, minaciter orant. Cessit armatis precibus Lambius. Fit deditio. Victor urbem ingreditur, abeuntibus Germanis cum pompa militari. Haud multum viæ confecerant, cum a Tôkôlianis miserabili laniena conciduntur. Cædis causam dederat cuniculus, quem Lambius bellico pulvere oppleverat, applicito illuc prælongo sub terra incendiario fune, ignaris oppidianis. Hunc neque detexerat Tôkôlianis Lambius, neque fomite in digressu spoliavit. Ergo solutus ingenti cum fragore, aliquot Hungaros, & Turcas saxorum, ac trabium collisu obruit. Rem malo dolo factam interpretati Tôkôliani, Germanos, ut dixi, ad unum omnes interficiunt. Ita contumaces in suum Præfectum a tergo Nemesis secuta est. Cives populationem præsenti pecunia redemere.

Capta Cassovia minoris nominis oppida celeri deditione in manus victorum venere, sic ut e Superiori Hungaria minimum quid Cæsarei obtinerent. Fûlekinum, B) haud ignobilis locus, septem & decem diebus oppugnationem fortissime tulit. Cinxerat illud Varadinensis Bassa (Tôkôlio cum parte exercitus alibi agente) summaque vi aditum tentaverat in oppidum. Defendebat illud Comes Stephanus Koharius, vir non minus fide erga Regem, quam fortitudine in hostes, omni Europa clarissimus. Tribus Turcarum millibus per continuatos assultus trucidatis, nec nisi capto per partes oppido, se in arcem, non tam munimentis, quam constantia Gubernatoris firmam, recipit. Tormentis muralibus patefactis mænibus, cum nullam spem auxiliorum haberent præsidiarii, obsessis per Tôkôlianos itineribus, & pauci adversus multos ruinas tueri desperarent, Koharium obtestantur, deditione arcis suam, suorumque cladem antevertat; se fortium, fidorumque defensorum partes omnes explevisse. Addunt minas: ni festinaret

A) Inspice Antiquæ, & Novæ Pannoniæ Descriptionem Authore Paulo Conrado Balthasare Hanio Edit. Norimberg. anno MDCLXXXVI. B) Fûlekinum provinciæ Neogradiensis oppidum.

naret colloquium, miſſuros ſe ad Baſſam internuncios, qui ſuper conditio- nibus tranſigant, nec tam Turcis, quam extremæ neceſſitati arcem ceſſuros. Cum obfirmato animo militibus obſiſteret, ac proditionem objectaret, a furentibus Baſſæ traditur. Sed neque tum vir fortiſſimus permoveri potuit, ut acta ſeditioſorum probaret, pactisque ſubſcriberet. In vincula conjectus a barbaro, ſubinde ad Tôkôlium miſſus, inter infinitas carcerum ærumnas luculenta fidei adverſus Domum Auſtriacam edidit argumenta. Fůlekinum ab Turcis ſuffoſſum, funditusque exciſum eſt, ſeu odio Gubernatoris, cujus conſtantiam ſaxis firmiorem experti ſunt; ſeu ira, quod tot funeribus informia murorum rudera emenda fuerint.

A. C. 1682.

Subjugata Superiori Hungaria, victor Tôkôlius longo agmine equitum (tria millia exceſſiſſe ferunt) ineunte Septembri Budam tetendit. A) Relicto ad ripam Danubii equitatu B) prope Peſzthinum, Nobilium corona cinctus Danubium trajicit inter fauſtos tormentorum fragores. Ad portam urbis præſto erat Gubernatoris filius cum turma Spahiorum, qui ſuperflua humanitate hoſpitis adventum gratulatus, more gentis vario fructuum, & potionum genere laſſum recreavit. In medio urbis ipſe Gubernator omiſſo faſtu, ac majeſtate e palatio proceſſit, obviamque factus maximo apparatu, & pompa, quantam nemo ne primis quidem Veziriis exhibitam Budæ recordabatur, inter lætos Janicsarorum clamores, & machinarum tonitrua, in ædes tanto hoſpite non inferiores deduxit. Convenerant Budam varii variarum urbium, præſidiorumque Præfecti, deliberaturi cum Tôkôlio de expeditione Hungarica, quam Vezirius moliebatur. Huic deliberationi interfuit Muſtaphas Begus Byzantio miſſus a Vezirio, ut moderaretur diſſidiis, ſi quæ inter Præfectos oborirentur, & nomine Mahometis ad bellum incitaret omnes; habebatque in commiſſis præcipue, ne parcior pollicendo, quam Tôkôlius flagitando eſſet. In eo frequentiſſimo ſenatu confectum eſt: Hungaris liberum ſit ejurata Leopoldi Regis dominatione, Principem adoptare, cujus præſentia, moderatione regno priſtina majeſtas, Nobilibus jura, privilegia tot Regum decretis ſancita, hominibus liberis libertas, patriarum legum integritas reſtituatur. Ottomani nullum præſidium inpoſterum ſuo milite inſideant, ſed Regi Hungariæ ſine fraude permittant. Hungaros adverſus quemvis hoſtem Turcæ tueantur. Mahometi Imp. fas eſto copias per Hungariæ provincias ducere. Annis ſingulis quadraginta imperialium millia novus Rex, Mahometis Quæſtori ad exercitus impendia perſolvat.

Ut vero Tôkôlium penitus illaquearent, Principem, Ducem, imo & Regem Superioris Hungariæ, liberali appellatione eum conſalutant, Regioque cultu c) ornatum frequenti militi, & populo, qui ſcenæ ſervire apprime noverat, oſtentant. Et ille privatam Domus ſuæ fortunam dudum peroſus, tanto facilius hæc talia vocabula admiſit, quanto in dies certior ſpes a rebus geſtis intendebatur, ſe ab hujusmodi nominibus ad Ducis, Regisque munus aliquando tranſiturum. Rebus in hunc modum compoſitis; pellibus, armis, vexillo, veſtibus pretioſis donatum hominem dimittunt. Buda redux, haud ignarus quantam iram Leopoldi Regis in ſe conciverit, & nudas honorum appellationes in fumum abituras, niſi vi, armis firmentur, longe intentiori cura ad futura belli diſcrimina ſe comparat. Oppida nuper ſubacta, dotalesque arces fido præſidio, annona, bellico inſtrumento armat. Sed inprimis Munkacsiam D) arcem, altiſſimo monti impoſitam, novi Regis domicilium, omni belli apparatu ſolerter inſtruit; novis delectibus copias auget; in Polonia majores, minoresve fiſtulas ferreas

 coemit;

A) Ita quidem Porta Ottom. Deſcriptio vero Antiquæ, & Novæ Pannoniæ menſe Majo. B) Sic factum exiſtimo. Nam profecto fidem ſuperat, quod Porta Ottom. ait; Tôkôlium non minus vafri, quam pugnacis animi, cum ternis armatorum millibus Budam admiſſum. Regi ſuo haud fidus, jure ſuſpectus eſſe poterat. c) In Porta Ottom. lego: corona, neſcio qua, redimitum fuiſſe. Nummos aureos, argenteosque cuſos teſtatur laudata Deſcriptio Ant. & Novæ Pannoniæ cum hac epigraphe: Pro Deo, & Patria. In averſa parte: Emericus Comes Tôkôli in Kismárk Dux Hungariæ. D) Munkacsinum Beregienſis provinciæ arx cum oppido. Uberius agetur de eo, dum arduam oppugnationem a Cæſareis intentatam dabimus.

A. C. 1682. coemit; seditiosos per regnum libellos spargit, Superioris Hungariae incolas ad arma capienda, statutis in contumaces gravissimis poenis, hortatur.

Neque Turcae segniores bellum apparaverunt ex imperio Mahometis, & Vezirii. Belgradum, Budam ingens vis annonae, omnis generis arma terra, & aquis convehuntur. Ex ultima Ægypto, e finibus Persiae omnes copiae evocantur. Nemini vacatio data. Nec renuerunt veterani militiam, audito bellum gerendum in Hungaria, insolitaque alacritate maximum tyronum numerum in eam expeditionem traxere. Nam Hungariam mitiori coelo, amaenitate locorum, copia rerum, Poloniae, Moschoviaeque longe praestare, nemo ignoravit. Differebant in circulis veterani: *adverso Danubio impedimenta militum, annonam subvehi posse: Hungarorum equitatum levem, & velocem, qui nullum usquam tempus, nullum locum quietum, aut securum hosti concedit, nunc Turcico militi conjunctum magno praesidio futurum. In Poloniam, Moschoviam montana, aspera, crebro palustria, & insidiis infesta itinera fuisse; inopem regionem, quae multum discriminis militibus, parum spoliorum praebuerit. Ex adverso in Hungaria nullos montes occurrere, patentes campos insidias detegere, militibus expeditum iter dare, praedae plurimum polliceri. Belli molem fortassis in Austriam tot annis bello intactam transportandam. Illuc viam jam esse pulcherrime communitam; sine certamine in ditissimam regionem perventuros.* His commodis allecti, tanto numero, motuque ad signa convenerunt, ut omnes provinciae in militiam commigrare sint visae. Primae copiae Belgradum, Budam suis sub Praefectis dimissae sunt, cumque assiduo aliae, atque aliae consequerentur, nec aedes caperent multitudinem, explicatis in ampliori foro tentoriis hyemem egerunt. Byzantii major armorum apparatus, ac manifestius belli signum visebatur. Omnis Asiae equitatus adeo severis imperiis huc excitus est, velut ad Adrianopolim hostium exercitus jam assisteret, excidium Imperio immineret. Publicae quaquaversum viae, plane militares properantium turmarum, cohortiumque frequentia terebantur. Classiarii e portubus maritimis advecti, ad oram Hellesponti navigia sua reficere sunt jussi, Istrum appetente vere intraturi. Denique cauda equina ad palatii Imperatorii fores depacta, bellum gravissimum denunciari nemini jam dubium erat.

Juvat apparatum, quo fatale signum spectandum proponitur pluribus dare; cum & ipsa Soltana, patrii sui moris haud rudis, in alterum gynaeceum se contulerit, commodiori loco visura pompam. Haud procul a Vezirii palatio, agmen suas in classes divisum, longo ordine procedere occepit. Centum Janicsari suis armis ornati, bini, ac bini lento gradu, alto silentio praeeuntes initium fecere, tergum claudente uno ex minoribus Praefectis hujus militiae. Hunc sequebantur totidem Janicsari. Successere dein centum equites dicti Saimeni, arcubus, ac exuviis ferarum, quas neci dedere, horridi; ut vel externus hic cultus te moneat, quam truces, atque in arma pronos gerant animos. Pileis alte prominentes dispari numero plumas, fortium nempe factorum signa, superbe ostentant. Hos excepere centum Bosnacchi cultu corporis haud dissimiles Saimenis. Sed Delliorum equestre agmen omnium visum ad se trahebat. Est hoc genus militiae ad omne facinus projectum. In stataria pugna, assultibus, ubi suos laborare, aut circumventos ab hoste vident, mira alacritate, velut furiis agitati per media tela, adversus ignea tormentorum ora ruunt; vulnera, mortes intrepidi excipiunt, saepeque terrorem, fugam, interitum in hostem devolvunt. Unde insanire creduntur vulgo. At non una istorum classis. Alii pileis viridi, alii rubro colore tinctis, in pyramidem abeuntibus utuntur. E pileis quatuor nodi pensiles in pectus procumbunt. Plerique alas, & ferarum pelles humeris late defluentes gerunt. Arma illis, qualia fere Janicsaris. Belli ad tabernaculum Vezirii excubant, corporis custodes agunt.

agunt. Domi pedites Vezirio ab obsequiis sunt, ac in publicum prodeuntem affectantur, A) undantemque populum removent. A. C. 1682.

Post Dellios exiguo intervallo apparuit centuria militum Natoliæ, sive minoris Asiæ. Subinde Tartarorum equites, arcubus, sagittis more gentis instructi, velocissimis equis insidentes. His mixti iverant Circassi, B) qui Chausios minores, seu Cursores in Imperio Ottomanico agunt. Horum Præfectus sonipede, gemmatis stragulis insigni, vehebatur. Istud haud omiserim. E collo sonipedis hujus, candidissimi coloris equina cauda pene in terram defluebat. Singulare istud ornamenti genus propterea, quod Ottomani sibi persuasum habeant, hujusmodi caudas ab equis Mahometis Prophetæ, originem ducere; neque ullis sumptibus parcunt, quo eas sibi comparent. Solis Agis, ac præcipuis Præfectis isthoc ornamento uti concessum est. Auxerunt agmen centum, & quinquaginta pedites, amiculis varii coloris, auro, argentoque exsutis velati. Præferebantur dein eximiæ magnitudinis quaterna vexilla octoginta Agis, quorum singulos aliquot servuli comitati sunt. Proximi ibant octo, & viginti Bassæ opibus, nobilitate ante alios insignes, quive e Domo Imperatoria uxores accepere. Horum agmen claudebant triginta equites luxu magis, quam decoris armis conspicui, Nobiliore quodam Præfecto insequente cum cohorte Janicsarorum. Unus e Dervisiis (genus est Religiosorum apud Turcas) modica lacinia tectus, incondito mugitu cornu bovis undique ex omni platea accurrentem populum pietatis admonuit. Tum in conspectum venere septem, & decem equinæ caudæ purpurei coloris, præaltis hastilibus alligatæ. Haud procul erat Kihaja C) Begus cum duodecim ephebis, & totidem circumpedibus magni Vezirii, Albanorum more indutis; quinquaginta Turcis Nobilibus muliebriter propemodum cultis, istorum vestigiis hærentibus. Cultus opulentiæ Asiaticæ non alios magis honestabat. Apud hunc manipulum tympana, cæteraque instrumenta, quibus Turcæ utuntur, audiebantur. Ultimi erant centum equites, dimidio pauciores pedites fatali caudæ, aliisque signis bellicis explicandis attributi. Universum agmen clauserunt tercentum Cameli, & currus varia supellectili onusti. Hac pompa solemni, publica via itum est ad aulam Imperatoris, tota ad spectaculum effusa civitate, ubi signum belli propositum.

Dum hæc solitis cerimoniis Byzantii fiunt, Mater Mahometis, cognomento Valide, D) Adrianopoli, qua in urbe juniores Principes adversus vim fraternam cauta custodiit, supremum vixit. Ultima voluntate magnam pecuniæ vim Mecham deferri jussit in pauperum, eoque voti causa proficiscentium subsidium. Cadaver multis odoribus delibutum, Constantinopolim avectum, ac Moscheæ maximis impensis, dum viveret, exædificatæ impositum. Multi captivi, perpetuis vinculis addicti, testamento libertatem consecuti sunt. Præstantissimæ Principi communi mœrore toto Imperio parentatum est. At junior Soltana potenti æmula jam libera, vehementer lætabatur, quod speraret Imperium Ottomanicum in suum filium, præteritis Mahometis fratribus, transferendum; atque apud illum gubernationis titulum, penes se vim ejus fore. Exemplo scilicet senioris Soltanæ, quæ primis annis tanta authoritate res Turcicas moderabatur, ut inconsulta ea nihil domi, nihil militiæ susceptum fuerit, Mahomete maternis monitis religiose obsequente. Nec minoris se fieri intelligebat a suo filio Mustapha, venustissimis moribus prædito, ac pronissimi erga parentem obsequii, venerationisque. Ita fœmina futurorum anxia, jam tum in lubrica aulæ fortuna, dominationem, nescio quam, & animo præconcepit, & firmare occultis machinationibus aggressa est. Verum serius, ac putaverat, telam

A) Joannes Josephus Pokhius in Descriptione orbis P. V. p. 586. & Ricautius P. III. de Ottom. militia. B) Hujus gentis excidium narravi Tom. I. Imp. Ottom. pag. 98. C) Kihaja unus e Janicsarorum Præfectis. Aliis etiam Præfectus aulæ magni Vezirii dicitur, aut Pro-centurio peditum. Qui elegantius loquuntur, Tihajam nominant. D) Hujus nominis Imperatrices plures leguntur.

A. C. 1682. telam pertextam vidit, post Solymanum III. & Achmetem II. regimini admoto Mustapha, A) ut suo loco dicturus sum.

Mahometes justis exequiarum matri suæ solutis, ad belli curas se illico convertit. In campis Thraciæ sexta Octobris castra sunt posita. Sole nondum orto, numerosæ copiæ Byzantio excedere cœperunt per portam Silivrea appellatam. Eo die Soltanus in ædibus Agæ, non procul a Silivrea porta convivio exceptus est. Ut venerunt Janicsari majori vexillo explicato, jussi subsistere, inspectante Soltano ab Aga lustrati sunt. Sed festinanti ad castra, longum foret tanti exercitus, quantum vix ullus antea Imperatorum eduxit, ordinem, Ductorum superbissimum cultum, militum, variarum gentium mores, & arma hic exponere; neque fortassis Lectori jucundum, cum multa rursus repetenda forent, quæ jam occasione depactæ nuper caudæ retuli. Papilionum multa millia in patentissimis illis campis pulcherrima serie constitere, ut adeo vastissimam urbem in vicos, & compita ad amussim descriptam, castra exprimerent. Mahometis tentorium eminentiori loco defixum, oppidi cujusdam speciem præbuit. Præter minora triginta receptacula, terna palatia columnis innixa, acu phrygia elegantissime exsuta, in eo visebantur, omnia auro, argentoque distincta. Pictis tapetibus opertum sabulum latuit. Ad principem ingressum duæ caudæ equinæ defluebant. Portentosa hæc moles lineo muro circumdata, sævientes turbines non sensit. Tam multiplici, tam vasto apparatui deportando, tercentum cameli haud sufficiunt. Certe validissimi mille famuli operam accommodant, dum isthoc tentorium erigendum. Vezirius, cæterique Præfecti minoribus usi, parem tamen suæ dignitati supellectilem in castris habuere. Quo minime mireris, omnem hunc exercitum viginti passuum millium ambitu fuisse porrectum.

Ingenti pompa, ambitioneque castra ingressos, eodem adhuc die turbulenta tempestas prope obruit. Rapidissimo vento mixtus imber custodes, vigilesque dilapsos e stationibus, suffugere in tabernacula coegit. Cum per noctem totam procella teneret, & campi aquis innatarent, ne mergerentur cum tentoriis, eminentiores tumulos petiere. Vezirii tentorium venusta in valle positum, aquarum impetu, e monte decurrentium, prorutum, ægre in editiorem locum transferri potuit. Ipse famulorum opera furentibus aquis ereptus, postero die sua castra, atque agmina disjecta mæstus conspexit. Multi currus, jumenta, sarcinæ, in Pontum provoluta desiderabantur, ut adeo vix majus detrimentum captis castris intulisset hostis, quam populatrix aqua. Hæc tam repentina, tam atrox tempestas, novas religiones in animis Turcarum excitavit, utque misere superstitiosi sunt, eam infelicissimi belli prænunciam interpretati sunt. Auxit metum apud obnoxios animos, quod tum primum serio expenderent, induciarum dies nondum effluxisse, fœdusque male abruptum vindicem Deum, exercitus cæde severissime ulturum. Sed Vezirius jactura potius, quam præsagitione commotus, militi rebus vacuo novam supellectilem dari jussit, qua accepta metum posuit, animum recepit. Firmatum ad omne discrimen, senescente jam autumno in oppida Thraciæ, quo celerius primo vere contrahi posset, dimisit.

Caprara non uno indicio comperit, maximos hos apparatus ad Hungariam, Austriamque subjugandam fieri, inque unum Leopoldum Cæsarem Orientis vires insequenti anno convertendas. Jam non inducias, non pacem a superbissimis mortalium petit, sed dolore accensus, sibi toties verba data, Vezirio, præcipuo belli instrumento, in os graviter exprobrat: *quod contra religionem induciarum, justum prope exercitum in Hungariam, ac Daciam miserit, Regii juris arces hostiliter insederit alias, alias demolitus sit; multas provincias militum itineribus conculcarit partim, partim usserit. Tökölium seditionis principem adversus legitimum suum Dominum obarmet; Civilis belli incendium consiliis, ære, milite alat.* Reponit Vezirius: *se ab velitationibus ad arma invitum pertractum. Christianorum hostilitates, procursio-*

A) Nempe anno 1695.

cursiones in agrum Turcicum aliter, nisi oppidis, in quæ sua spolia contulerunt, captis, cohiberi non potuisse. Tökölium opem orasse a Mahomete adversus invasores jurium, ac libertatis patriæ suæ: æquissimis precibus Soltanum innuisse. Istis nullam injuriam Cæsari illatam, minus fœdus violatum; nisi crimini vertatur, sua tueri, & armis repetere; atque miserum, ne avito jure excidat, quoquo modo adjuvare. Horum vanitatem etsi refelleret Caprara, non ideo Vezirium a cœptis consiliis dimovit, armis non minus in Senatu, quam campo dominantibus. a)

A. C. 1682.

Legatus pro suo munere ut alias, ita sub extremum Octobrem festinatis nunciis Cæsarem admonuit, bellum certissimum Hungariæ, Austriæ immihere; nullas conditiones, quamvis amplas, & opimas, Ottomanos admissuros; ab ARMATIS sperni inermes. Igitur Cæsar minime jam dubius universi belli molem sibi incumbere, Reunionum metu alio timore, eoque præsentiori extincto, novo per provincias delectu arma imperat, accersit e Rheno cohortes, præsidia in Hungaria prope Danubium veterano milite communit; in publica horrea annonam conferri, Viennam ad subita belli pericula commeatu instrui jubet; a Christianis Principibus opem requirit, Europam ad maturanda auxilia legationibus excitat. In Poloniam Carolus Wallensteinius; Mansfeldius in Hispaniam; Cauniczius ad Bavarum, & Saxonem; Berka ad Brandeburgum, Danumque; Martinizius Romam, ac ad Italiæ Regulos auxilia petitum dimissi sunt. Adlaboratum est etiam, ut Principes Imperii communibus viribus bellum suscipiant.

Tot Legatorum concursationibus dici non potest, quantum trepidationis per Europam obortum. Metum intendit Tökölius numeroso milite ex Hungaris, Dacis, Valachis, Moldavis lecto succinctus, haud dubie expeditum iter in Austriam, Styriam, cæterasque Germaniæ provincias hosti facturus. Inveteratum hominis odium, quo ardebat in nomen Germanum, facile persuasit omnibus, bellum in Austriam deportaturum. Unde in dies major crescebat cura, qua ratione potentissimis duobus hostibus occurrendum. Multi Principum præsenti periculo rei Christianæ commoti, Cæsaris in adornando bello solicitudini, ac festinationi nihil cesserunt, sibique Domum Austriacam cordi esse, validissimis subsidiis ad Viennæ mœnia adductis, palamfecere; eo maxime ex capite, ut ne invalescens ex Austriæ ruinis barbarus, processu temporis Rempublicam Christianam magis magisque arrodat, ac tandem deglutiat. Ita illi alienis rebus prope collapsis strenue succurrerunt, quo suas extra ictum tunc positas, contuso, quod sperabant futurum, hoste, metu liberi inposterum securius possideant. PROMPTI aliis dexteram porrigimus, dum nos ex obliquo firmare contendimus. Et vero nisi magnanima pietate Christianorum Principum fulta fuisset Austria, innumerabili hostium multitudini in spolium cessisset, eaque sub jugum missa, provinciæ bello intactæ, eandem fortunam subiissent. Nimirum: EXCITATUM in vicinia incendium qui negligunt, eodem postea involvuntur. Nunc jam bellum anni tertii, & octogesimi supra millesimum sexcentesimum, maximo utriusque partis apparatu gestum, commemorabo.

Anno superiori Tökölius fax belli primum civilis, dein Turcici, comitia edixerat; verum morbis Cassoviæ grassantibus dilata sunt in præsentem annum. Saponara, ne in jus Regium temere involet, hominem commonefecit; spes amplissimas, quibus immanis ambitio impleri posset, ostendit; Principis Transylvaniæ dignitatem, si ad officium redeat, e Cæsaris lenitate affundit. Risu excepit minora suis votis promissa: nec se depositurum Ducis, aut Regis personam respondit. Germanorum superbiæ tribuendum, quod se ad fidem, & amicitiam Turcarum applicuerit. Eo jam perventum, ut sine manifesto vitæ, fortunarum periculo regredi non possit. Firmarunt eum uxor supplicii paterni memor, ac hæreditariam ab Leopoldi partibus abalienationem, animo fovens; & Legatus Ottomanicus, Delphicum

1683.

a) Descriptio Antiquæ & Novæ Pannoniæ.

A. C. 1683. cum Oraculum, qui e mente Vezirii, & Tökölium, & comitia moderabatur. In iis, præter pacta Budæ inita, nova beneficia seditiosis magnifice exhibentur: *Tökölium sanguinis Bethlenii surculum, Hungariæ Regem agnoscendum; eo demortuo suam consortem Reginam; & fundos Rakoczianos sub tutela Turcarum fore; Hungaris integrum erit liberis suffragiis Regem, Portæ Ottomanicæ acceptum, surrogare. Inconsulto Principe cum Germanis, pax ne fiat. Hungaris Tökölianarum partium, fas esto per Turcicas ditiones iter facere, commercia exercere; eorum Legati more Regiorum Legatorum honoribus iisdem habeantur.* In has, & Budenses conditiones Legatus Turcicus nomine sui Imperatoris solenni ritu juravit. A) Non post multo Tökölius Constantinopolim tributum misit ad Imperatorem; ad Vezirium, Purpuratos munera; ea liberalitate copias in Hungariam acceleraturus.

Et jam illæ eundem, quem anno præterlapso, locum castris delegerant. Ad exitum mensis Martii resumpta ab Imperatore lustratione, Cydarim, Imperatorii capitis decus, atque insigne validissimus ventus in terram præcipitavit, fortuitum casum avide vertentibus in funestum omen, quos ea expeditio seu religionis, seu susceptæ cum Vezirio æmulationis causa, anxios habuit. Per eos dies tanta erat continuatio imbrium, ut campi copioso nimbo obruti, aquis restagnarent, militi iter prope intercluderent. Nihilominus castra mota sunt Philippopolim. B) Est enim in proverbio apud Ottomanos: *tempestatem, non item itineris rationem mutari posse.* Præeuntibus viarum gnaris, per præaltas fluviorum, ac profundas voragines, numerosus exercitus limo fere haustus, cum omni genere vexationis signa sequebatur. Multi tædio laboris, cænosæque viæ, maxime Asiatici, ægerrime fessa corpora trahebant; multi, ubi fluvii superandi, impetu aquarum cum jumentis, & oneribus rapiebantur. Ipse Imperator cum Principe suo Mustapha, ingens vitæ discrimen adiit, dum torrentem nullis coërcitum ripis, & tum imbribus auctum transgredi vellet. Jam primas rotas altior aqua superaverat, omnibus, qui in comitatu erant, pavida vociferatione clamantibus, paucis ferentibus auxilium; seu intempestivo metu sibi cavebant, sive subiti atrocitas periculi, vires torpentibus eripuit. Unus Bostangi Bassa, seu hortorum Præfectus, non Imperatori, non Principi defuit. Nunc aurigam monere, ut equis acrius obsistat, nunc Prætorianos, ut strenue ingressi aquas, nondum hominis mensuram æquantes, Imperatorem, Principemque excipiant. Multitudo festinantium saluti fuit. Retracto in ripam vehiculo, vadumque alibi tentare jussis equitibus, eminentiori curru feliciter in alteram ripam evasit.

Ut perventum est Philippopolim, placuit copias in plura agmina dividere, quo facilius Hæmi montis angustias, nivibus horrentes, transcenderent. Expediti milites cum globo fabrorum, qui iter explorarent, sternerentque, & Quæstores, qui commeatum e præscripto Vezirii curarent, primum agmen fecere. In altero erant Asiatici equites, & Janicsari, robur exercitus cum Vezirio Kara-Mustapha, supremo Aga, Caimacane Kara-Ibrahimo, Mussaipe Imperatoris genero, Mufftio, & legum peritis. Tertium ducebat Mahometes suis prætorianis stipatus. Haud procul ab Imperatore curru sublimis vehebatur Soltana Kaschis, Mustaphæ Principis mater, cum grege fœminarum, spadonumque. Raro legeris inter armatas legiones in castris apparuisse Soltanas. Nec deerant, qui sugillarent insolitam libertatem mulieris, disserentes: plenam periculi rem esse in Turcico Imperio, ubi Soltana & ambitiosa, & callida in castris versetur, manipulos interviset, c) suum filium militi ostentet. Sed Imperator plus amori tribuebat, quam immaturæ suspicioni; nihilque mutata sententia, eam Belgradum usque devexit. Novissime jussæ sunt ire aliquot turmæ equitum, urgentes agmina, potissimum Asiaticos (ut est mollis ad talia gens) si dilabi, aut subsistere vellent.

A) Eadem pag. 523. B) Philippopolis urbs Romaniæ, seu Thraciæ saxeo colli imposita præterfluenti Hebro assidet. C) Hujusmodi suspiciones alebat Tiberius, dum Agrippina filium suum in castris circumferret. Vide C. Cornelium Tacitum Annalium Lib. I.

lent. Exercitus tripartito incedens, ita moderabatur profectionem, ut unde moverat primum agmen, postero die illic poneret medium; atque in hujus abeuntis locum succederet, stationemque haberet ultimum. A)

Quarta Maji omnes copiæ ad Belgradum constiterunt. Diebus aliquot inter quietem, ac lautas epulas exactis, constituta die omnem exercitum Vezirius in patenti campo, suos in ordines disponit, & inspectantibus Comite Caprara, Barone Kuniczio, Cæsareis Legatis, traducit. Paraverat ille abitum, ut primum sensit inducias abruptas, petitaque sæpius venia ad Cæsarem redeundi, nec impetrata, ad extremum contra gentium jura domi suæ obsessus, deinde sub custodia militum exercitum assectari est jussus in Hungariam. B) Hujus fide, & ex ipsius Vezirii tabulis, in tentorio ad Viennam captis cognitum est, summam omnium copiarum prope ter centena millia excessisse. Ad comparandum grandem hunc exercitum duorum annorum spatium, quod vacuum a bello, atque ab hoste otiosum fuerat, impensum est. E Mesopotamia tredecim millia sagitariorum aderant. Babylonii quatuordecim millium expleverunt numerum. Quatuor, & vicena millia equitum Syria dedit. Palæstina undeviginti millia levis armaturæ, totidem Cilicia, & Caramania. Ex Armenia, Capadocia, Amasia, vicinisque regionibus quatuor, & vicena millia. E provinciis Ponto adsitis tricena millia contracta. Minor Græcia viginti quatuor millia armavit; ex his octo equitum, sedecim peditum millia erant. Janicsarorum legiones duodecim, Spahiorum duodetriginta millia effecerunt. His se conjunxit quinque, & triginta millium agmen, e volonibus conflatum, quos belli gloria, aut exteras terras visendi studium in castra pellexit. Jam si numerum ineas, facile ducenta triginta millia armatorum censebis.

Tanto exercitui par numerus fossorum, fabrorum, vectorum, calonum, & mercatorum erat, trium, & quinquaginta millium. Rex Tartarorum diro imperio excitus, cum viginti suorum millibus in Hungariam festinavit. Principes Valachiæ, Moldaviæ sex millia adduxerunt. Tőkölius, & Apaffius, Daciæ Princeps, viginti millium exercitum in campo habuere. Moderabatur supremo jure Kara-Mustaphas Vezirius (nam Mahometes post brevem moram Constantinopolim cum sua Soltana reversus est) Ottomanorum copiis, vir sane pugnacis animi, sed turbidus, quive inconsulte ferox, impetu magis, quam consilio bella circumferens, fortunam sibi plerumque adversam merito suo habuit. Janicsaros, cæterosque pedites Mustaphas Janicsarorum Aga, Kara-Mehemetes Mesopotamiæ, Chydir c) Bosniæ, Ibrahimus Budæ, Gubernatores; Hussaines, & Hassanes, ille Damasci, hic Temesiæ Præfecti, bellica omnes laude conspicui, ducebant. Equitatui e Spahiis, ac Tymariotis D) conflato Osmanes, & Diages veteres militiæ præerant. Alter Diages bellicarum machinarum peritus, rei tormentariæ curam gerebat. Cæteri Præfecti arcium, præsidiorum, urbium in hanc expeditionem accersiti, ut erant veterani fere omnes, multorumque stipendiorum, e præscripto Vezirii munia sua in castris obierunt; maxime ii, quos in Hungaria bella illustres his annis effecerunt.

Mahometem ad Belgradum hærentem Tőkölius E) invisit. Assectabantur eum præter bina equitum millia, multi honorarii Nobiles, partim vi adacti, partim sua voluntate. Regiis honoribus cultus, tentorium defigit prope Vezirium. Hic rursum vetera promissa, fide interposita instaurantur. Tőkölius fidem Mahometi, iste Hungariæ coronam illi pollicetur. De lætitia e tanto hospite hausta, festinati ex Mesopotamia Olachi, sive nuncii multum imminuere; ferentes Persiam novos tumultus ciere, jamque in regio-

A) Porta Ottom. Tom. II. B) Post custodiam quinque mensium, oppugnatione Viennensi parum procedente, libertati restitutus, in urbem mittitur a Vezirio cum mandato: Si Jaurinum tradatur, Vienna abductum iri copias. Sed victoris est leges dicere, victi accipere c) Aliis Scriptoribus Heyra vocitatur. D) Tymariotæ & terra, & mari suis impendiis militare adiguntur, eo quod amplas possessiones in Asia habeant. Spahii, Janicsari, machinatores, classiarii ab Imperatore stipendia accipiunt. E) Porta Ottom. In Descriptione Antiquæ, & Novæ Pannoniæ lego, ad Eszekinum hoc officii genus præstitisse Tőkölium.

A. C. 1683 regiones Turcarum armatos effusos; haud dubie bellum instare a veteri hoste. Mahometes gravibus curis alioquin implicitus, graviore tamen fama (cum ad id quisque, quod audiverat, insita hominibus libidine alendi de industria rumores, adjiceret aliquid) perculsus, partem exercitus in Asiam remittere cogitavit. In illo curarum æstu, nimiam Vezirii fiduciam graviter objurgavit, quod limites Persiæ raris præsidiis firmaverit, militem e Mesopotamia eduxerit; aliena invadat, Turcarum Imperio haud satis munito adversus Persam; in Asia omnia quieta fore spoponderit.

Iram, quam non satis in potestate habebat, temperavit utcunque Kara-Ibrahimus, ne atrocioribus verbis Vezirii ægritudinem irritaret. *Ejusmodi rumoribus*, ajebat, *non esse plenam fidem adhibendam. Multa cudi in officina æmulorum, quo consilia, designationes Vezirii obturbent. Fortassis manipulum latronum, ut fieri amat, in vicinos Turcarum agros irrupisse, sparsoque in alios irruptionis metu, ac rumore, speciem imminentis belli (ut nempe OMNIA, fama tradente, majora sunt vero) præbuisse. Superventuros proxime alios, atque alios nuncios, si quid hostilitatis coquat Persa; & tum demum de Asia cogitandum.* Instituta dein venatione, ut erat apprime gnarus oblectandi Principem suum, adeo omnem sollicitudinem illi absterſit, ut redux in castra, trium horarum spatio cum Vezirio, & Tököllio de præsenti expeditione consultarit, novoque argumento susceptum in Leopoldum Cæsarem bellum, sibi magnopere probari palam ostendit. Namque ubi rumor de Asiaticis turbis evanuit; decima tertia Maji, grande Mahometis Prophetæ vexillum Vezirio tradidit, ingenti lætitia, apparatuque militum. Quippe universus exercitus fulgentibus armis, provolantibusque signis, in legiones, turmasque distributus, solutis sæpius fistulis plausum militarem edidit, reboantibus per castrorum valla tormentis.

Insequenti die trans Savum fluvium positas copias postremum inspexit Imperator, commendataque exercitus cura Vezirio, iter relegit Byzantium A) cum Soltana, & Principe suo. Paucis post diebus exercitum fames vexare cœpit, annonariis curribus viarum difficultate retardatis. Janicsari magno numero conglobati, quidquid ciborum pro Vezirio, ejusque familia curatum, non sine tumultu diripiunt. Hac causa ultra Eszekinum processit Vezirius, seque altius in Hungariæ provincias mersit, nondum certus, cuinam præsidiorum tantum exercitum admoturus, donec Christiani exercitus saluberrimum receptum fugam interpretatus, ad Viennam, Austriæ caput, oppugnandam animum adjecit. Jam quibus viribus, quorum ductu conatus barbari infracti, non indiligenter evolvam.

Missi ad varios Principes Legati, sustentare Leopoldum Cæsarem spe secuturæ quamprimum opis non omittebant. Caunizius e Bavaria significavit: Electorem omnia prælarge pollicitum, in se recepisse, non suis modo militibus, sed præsentia quoque sua in Hungariæ campis bello consulturum. Saxonem non minores animos gerere. Suevicum, Franconicum, Rhenanos circulos delectus facere. Martinizii opera tantum in Italia præstitum est, ut Innocentius XI. Purpurati Patres, Italiæ Reguli, omni auctoritate, ope, consilio, isthoc bellum promoverint. Wallensteinii eloquentia, quæve princeps Legati dos, insignis prudentia, Poloniæ regnum in comitiis novo fœdere Leopoldo adjunxit. Capita præcipua erant: armorum societas adversus solum Turcam inita intelligatur; neutri parti seorsim pacificare fas sit; Cæsar sexaginta millia, Polonia quadraginta millia armatorum educat; Cæsar in Hungaria bellum faciat, Poloni in Ukraina, atque Podolia. Sed postea mutato consilio e sterili Ukraina in Hungariam, Austriamque ductæ sunt copiæ. Vetera nomina, ac jura utrinque remittantur; B) trecenta imperia-

A) Alii volunt Mahometem Imperatorem Belgradi substitisse, sedem Imperii Viennam translaturum, si ea caperetur. Verum id temporis nondum constabat, quo arma vertenda; imo displicuisse Mahometi, copias Viennæ admotas, idoneos authores habeo. B) Lenichii verba sunt: „ Leopoldus Cæsar remisso ob auxilia Suecici belli tempore debito, ac Diplomate de eligendo ex Domo Austriaca Rege reddito, duodecies centena millia florenorum in sumptus Polonorum repræsentet „ &c.

perialium millia e sacris decimis Regi pendantur. Hæc pacta ad hæredes quoque pertineant, operaque detur, ut Moschi, & Veneti accedant, coramque Pontifice juramento firmentur. A. C. 1683.

Sub finem mensis Aprilis, miles late per provincias sparsus, Kôpcsinium, Mosoniensis provinciæ oppidum, convenire est jussus. Adfuere sex, & triginta millia. præter Hungaros, quos amor patriæ, & inconcussa adversus Regem fides, in Turcas armavit. Modicus numero exercitus, si eum conferas cum immensis barbarorum agminibus, sed usu, robore, vincendi assuetudine ad Danubium, Rhenum, Padum supra numerum validus, & Carolo V. Lotharingiæ Duce dignus, cui summum armorum imperium delatum. In præsentia Leopoldi, Electoris Bavari, Principum Imperii, Hungariæ Procerum, lustratus miles, ac persoluto ære multum animatus, cum omnibus impedimentis Strigonium ducitur. Dux cum aliquot turmis equitum præcucurrit, atque arcem contemplatus, quo castra loco poneret; & quam cuique Præfectorum attribueret castrorum partem, animo designavit. Reperit locum opinione sua debiliorem, captuque facilem, nisi duo millia Turcarum e præsidio Ujvariensi recens inducta fuissent. Nec impediri poterant auxiliares copiæ, cum Danubium, & Parkanum, in adversa ripa nobile munimentum, hostis sua in potestate haberet; & si Vezirius cum suo exercitu appropinguaret, castra adversus infinitam barbarorum multitudinem defendi non possent, nec promptum foret, militem sine clade prope Danubium retrahere.

Igitur e mandato Senatus Bellici, Ujvarino tertia Junii illata est oppugnatio. Obsessum illud tenebat A) Paulus Eszterhazius, Hungariæ Palatinus, spemque non vanam faciebat Lotharingo, præsidii capiendi, quod magna pars militum Strigonium immissa sit. Exusto hostili ponte, ac revulsis ad Parkanum palis, Ujvarinum est itum. Ad primum hunc rumorem, Pro-Gubernator præsidii, adolescens impiger, ac periculorum avidus, qui nuper suppetias tulerat Strigoniensibus, more Hungari equitis armatus, cum Cæsareis Ujvarinum contendit, repertaque opportunitate, in oppidum se ad suos conjecit, ac incredibili celeritate igne deletis suburbiis, sedulus ubique, & laborum pertinax defensionem adornavit. Vix vallo circumducto, suggestibusque erectis, tristes nuncii, atque mandata superveniunt: Vezirium Budam inter, & Strigonium B) metari: binos pontes Danubio injecisse, irruptionem, quadripartito divisis copiis, provinciis minitari; haud consultum ad mœnia Ujvarini diutius hærere, sed omnibus curis evigilandum, ne hostis impune incendia spargat. Ita retracto celeriter Christianorum exercitu, Comaromium, ad Vagi, & Danubii confluentem, muniendis Jaurino, Comaromio, Leopoldopoli dies, noctesque strenue desudatum. Sed maxime Jaurinum, Christiani orbis propugnaculum, cura, ac solicitudine animum Lotharingi occupavit. Huc bellicarum machinarum peritos, novem millia peditum robur legionariorum, cum maximo omnis generis apparatu injicit; fossas repurgat, extima opera, quæ amplissima habet, paucos intra dies restituit. Nam hunc locum impugnatum iri vel ex eo sibi persuasum habuit, quod Solymanus II. eo neglecto, vinctis, ut ipse ajebat, manibus Viennam venerit, ac re infecta deseruerit. C) Unde conjecit Dux: Vezirium Solymani errorem correcturum (QUÆ enim olim nocuerunt, hodie docent) atque Jaurino florentissimas copias affusurum. Verum sive Tôkôlii consiliis actus, sive sua ambitione obcæcatus, præterito Jaurino, Viennam, tantæ expeditioni non impar præmium, Ottomanorum vires convertit.

Procuratis hunc in modum præsidiis, cum adeo imminutus esset exercitus, ut non nisi duodecim peditum, undecim equitum millia censerentur, evitato universi certaminis periculo, in Rabæ insula munitis castris se detinet Lotharingus. Ad ea excindenda Vezirius, præmisso Budensi, & equi-

A) Descriptio Antiquæ, & Novæ Pannoniæ. B) Eadem laudata Descriptio. C) Vide Tom. I. annum 1529. pag. 126.

A. C. equitatu Tartarorum, celeriter accurrit. Calendis Julii totius Orientis co-
1683. piæ, late explicatis tentoriis, in conspectu nostrorum erant. Eodem die aliquot turmæ Arrabone fluvio, qui utraque castra diviserat, seu vado, seu natatu transgressæ, calonum, lixarumque imbellem turbam improviso invadunt, castris, veluti omni ex parte captis, maximum tumultum, terrorem, afferunt. Eam procellam justus miles dissipavit; reliquum equitatum adductæ castrenses machinæ, fluminis transitu prohibuere. Sed reperto alibi vado, alibi fabricatis pontibus, non uno loco Arrabo transmissus. Præcursores Tartari, rapidissimo cursu in prædam effusi, oppida lacui Fertő vicina dire evastant, atrocissimis incendiis Jaurinensem, Mosoniensem regionem consumunt; cædibus, tumultu omnia miscent. In castris Christianorum haud lætior rerum facies. Ingens multitudo hostium a fronte inundaverat campos, fremitusque tot millium aures impleverat. Ignes deinde nocturnis horis, tota illa vastissima planitie collucere cœperunt; omniaque velut continenti incendio ardere visa, cum incondita multitudo propter jumenta, quæ maximo numero ad impedimenta vehenda aderant, laxius tenderet. A tergo, ab latere crebriora incendia visebantur. Nec satis constabat, num altera Danubii ripa ab hostibus pura, liberaque sit? Unde miles tanquam circumventus, cibi, somnique immemor, torpere, miserrimam suam sortem lamentari. At Lotharingus acer animi, subito pavore consternatos animat, ne quid temere, sed omnia e consilio Ducis agant, hortatur; solitusque gerere bellum ratione, non fortuna, prima noctis vigilia, dato ad receptum signo, omnem peditatum cum apparatu bellico in Csalokőziam insulam Leslæo Duce trajicit, ipse equitatum, gradum accelerare jussum, eadem nocte Ovarinum, mox ad Laitam amnem ducit. Ad Roraviam vicum, communitis castris, ad septimam Julii subsistit.

Vezirius animadverso Cæsareos recessisse, illico Tartaros ad lacessendum ultimum agmen immittit. Sed non ausi aggredi instructa acie procedentes, sine certamine redierunt. A) Fluctuabat interim animo, & modo suum, modo aliorum consilium, sera æstimatione perpendebat, quo arma vertenda. Tőkőlii mens erat: Viennam, principem urbem Austriæ, cor Imperii Romano-Germanici illico petendam. Viam jam esse stratam ad nobilissimam victoriam. Duces Cæsareos metu perterritos fugam, faventibus tenebris, capessivisse. Urbem terrore captam, viso maximo exercitu deditionem sine mora facturam, aut si resistat, paucis diebus victores admissuram. Vienna expugnata minoris nominis oppida eadem clade involvenda. NUNQUAM majora sydera sine clade minorum stellarum casura. Vezirius quid consilii ceperit, septima Julii aperuit, dum Agam Janicsarorum cum legionariis, Arrabonem trajicere jussit. Istud continuo per Ovarienses Lotharingo enunciatur. Hic festinatis itineribus Kőpcsinium, dein Petronellam progreditur. Sed jam octo millia Tartarorum ad Sarvarinum B) transgressa Arrabonem, ac in plura agmina divisa, in Austriam populationem intulerant. Ex his terna circiter millia cum aliquot turmis Spahiorum, iter Christiani exercitus prælegerant, atque ad Petronellam vicino in nemore insidias locaverant. c) Ut impedimenta, quæ ante primam aciem agebantur, in conspectum venere, sublato clamore, a fronte, ab latere affusi, ad sarcinas diripiendas vertuntur. E secundo agmine in auxilium missi, Tartaros rapinæ potius, quam prælio intentos facile cædunt, fugantque. Sed cum affluerent identidem majores prædatorum globi, Cæsarei Ductores aciem struunt, omnemque equitatum in certamen effundunt.

Vix cœpto prælio, diditur rumor: cum universo hostium equitatu rem esse; periisse omnes, nisi fuga salutem quærant. Cohorrescere primum miles, tum languidus dimicare, fugam denique circumspicere. Lotharingi virtus, cæterorumque Ducum strenuitas, dedecus una, & periculum avertit.

A) Descriptio Antiquæ, & Novæ Pannoniæ. B) Sarvarinum ad Arrabonem fluvium non ignobile superiore seculo propugnaculum provinciæ Castri-Ferrei. c) Descriptio Antiquæ, & Novæ Pannoniæ.

tit. Nam ille ex equo desiliens, inter turmas aliquot decore recedentes se conjicit, aciemque componit. Isti qua voce, qua exemplo suorum fugam sistunt; redintegrataque leviter pugna, Tartaros spoliis onustos illico disiiciunt. Propulsis hostibus apparuit, majorem jacturam sarcinarum fuisse, quam hominum. Duorum nobilissimorum Juvenum interitus magnæ instar cladis fuit. Alter Julius Ludovicus Sabaudus, Eugenii Principis frater, equi ab impacta Tartarica clava ferocientis lapsu provolutus, contususque adeo, ut sexto post die Viennensium intra muros vixerit. Alter Thomas Arembergius, Areschotani Ducis Germanus, illustris e Belgio Volo, in confertos barbarorum globos procurrens, acceptis multis vulneribus cecidit.

A. C. 1683.

Hæc velitatio potius, quam prælium, Viennensem urbem in summam trepidationem conjecit. Quippe qui primo pavore in fugam abrepti, quive vulneribus mutilati, in urbem penetrarunt, seu persuasi eadem, aut infeliciori fortuna usos commilitones, qua ipsi; seu dedecus fugæ, periculi magnitudine depulsuri, trepidi evulgant: pugnatum infeliciter cum Turcis; cladem acceptam, quantam barbarus cruore satiatus voluerit. Id cum alii, atque alii in urbem se se ex pavore per intervalla recipientes confirmarent; adderentque: equites internecione cæsos; Lotharingum cum præcipuis Ductoribus perditum; Vezirium cum victore exercitu (ut PROPIORA sibi fingit timor) jam præ foribus esse; adeo trepidatum est tota in urbe, ut neglecta defensionis cura, certatim per aversas portas semet cives ejecerint. Plurimum terroris addidit incendium e mænibus conspectum Vischamundæ, ac Swechetæ, non inelegantium oppidorum. Ignem ea conceperant, seu prætergredientis incuria militis, seu imperio Ducis, ut Viennenses ad accelerandam sive fugam, sive defensionem excitaret; simul venturum hostem hac præda everteret. Ad Cæsarem missus C. Æneas Caprara tumultuosi certaminis exitum denarravit. Sed plebs primo rumore occupata, nihil solatii admisit, donec postridie Viennam appulsus equitatus, collapsos animos recreasset. Eo ipso die, a) quo ad Petronellam, præliaris velitatio oborta, in consultatione deliberatum est, Cæsarne Viennæ subsisteret, ac obsidionem ferret? an tutiorem in locum se reciperet? Consiliariorum nemini placuit, ut angustis civitatis mænibus se includi patiatur, caputque Augustum manifesto discrimini offerat. At diversæ audiebantur sententiæ, quo abscederet. Pars Styriam; pars Austriam superiorem suasit. Posterior vicit; subque noctem altera Danubii ripa, quam ab hoste immunem constabat, Corneburgum, dein Crembsium, ac Lincium abiit.

Erat hic discessus fugæ quam simillimus. Festinandi studio itineri necessaria ægre in currus conjici potuere. Unde Corneoburgi famem, ignotum eatenus hostem experto, paucula ova cœnam dedere. Ducenti corporis custodes, Ductore Hyberno homine, Thadæo de Hassia, eum affectati sunt. His omne famulitium Cæsaris, non viribus tot suarum provinciarum, sed fuga tuti, finiebatur. Quam vero atrocibus convitiis lacessitus fuerit a petulanti, suisque malis irritato populo, pudet, tædetque dicere. Calamitates hoc bello Turcico invectas, uni Leopoldo merito exhauriendas, quod immoderato Religionis studio abreptus, novarum opinionum fautoribus vix aliquid indulserit in Hungaria; crudo Præfectorum imperio, quos arcibus, aut bello præfecit, universam gentem concitarit; imminutione privilegiorum Nobilitatem a se abalienarit. Hæc, atque alia homines non minus rerum rudes, quam liberrimi oris in Cæsarem contorserunt. Ille, ut erat sanctus, mitisque ingenio, hæc omnia adversa, mira vultus tranquillitate excepit; veluti rebus humanis altius impositus, ab iis, quæ mortales vexant, infortuniis lædi haud potuisset. Aulicorum primi eo acerbius exagitati sunt, quo plebs pertinacius illis imputat asperiora quæque Principis imperia, sinistrosque rerum eventus. Certe in Paulum Eszterhazium, ProRegem Hungariæ post infinita probra, tela intentata fuisse a furenti populo, ab

a) Nempe septima Julii.

A. C. 1683. ab iis, quos fugæ comites habuit, accepimus. Ubique assentator Leopoldi, desertor civium, proditor patriæ audiebat. Et tamen ille qua consiliis, qua armis, imminentem procellam ab Hungaria, Austriaque omnium unus maxime avertere adlaboravit. Quindecim millia Hungarorum partim regni, partim suis stipendiis Tököllio, Turcisque opposuit. A) Perstitit in campo, donec Vezirius Hungariam inundaret.

Discedente ab urbe Cæsare novus pavor, fugaque civium animos occupaverat. Fama est duos intra dies, amplius sexaginta hominum millia Vienna abiisse tanta festinatione, ut cum multitudinem fugientium angustiæ compitorum, ac portarum non caperent, a supervenientibus aliis, aliisque hominibus, equis, atque curribus non pauci misere obtriti, ac proculcati fuerint. Qui se in Styriæ montes, Austriæ sylvas abdiderunt, sagacitate canum ab Tartaris explorati, aut vitam, aut libertatem amisere. E sola Austria, ac Styriæ confinibus, quadringenta hominum millia in servitutem abducta Scriptores perhibent. Non minor strages oppidis illata. Omnia Jaurinum inter, & Cæcium montem ferali incendio conflagrarunt. Hortis Cæsareis, uti & æstivario, seu novæ fabricæ, furor pepercit propterea, quod in iis Solymanus II. dum Viennam circumsideret anno millesimo quingentesimo vicesimo nono annonariam domum; in hoc altero loco stationem suam habuerit, minoribus tentoriis prope ædificium defixis. Quanquam alii existiment, non tam Solymani memoriæ istud dedisse Vezirium, quam suis commodis prospexisse naviter; ut nempe in regione, quam animo reputabat suam, haberet locum, quo post belli tædia semet reciperet, ac curarum vacuus, in eo ædificio amænitate camporum, circumque adjacentium prospectu collium celebrato, quietem capere posset. Reliqua circum oppida, castella, arces in bustum, & solitudinem redacta sunt; ut profecto mirum videri possit, cur ferro, & igne pulcherrimas provincias perditum iverit Vezirius, quas jam spe devoraverat? nisi fortassis tot locorum excidia Tartarorum crudæ, asperæque genti attribuas, quæ pro stipendiis, hostium spolia habet, eaque cum populatrice flamma sæpe dividit, ne quid miseris relinquere cogatur.

Inter tot strages juvat meminisse Heimburgi, populosi oppidi, ad ripam Danubii siti. Occluserant portas populabundis Turcarum agminibus cives, certique tueri urbem, animose magis, quam prospere arma sumpserant. Bis magna aggredientium vi muri invaduntur; bis majori repugnantium ferocia defenduntur. Puduit Janicsaros cum clade rejectos, triduo hærere ad oppidum nullis munitionibus firmatum. Igitur se mutuo hortati, truci clamore edito, impessionem iterant, contractoque in muris certamine, armatos in fugam avertunt. Tum vero apparuit, ira, & odio stimulatos in urbem penetrasse. Nemo capiendi vivos, nemo patentibus ad direptionem omnibus, prædarum memor fuit. In obvios quosque implacabiliter sæviunt; inermes juxta, atque armatos; fæminas pariter, ac viros perimunt; usque ad infantium cædem ira crudelis pervenit. Nulla profecto, quæ in tali re memorabilis scribentibus videri solet, prætermissa clades est; adeo omnis libidinis, crudelitatisque, & inhumanæ superbiæ editum est exemplum. Ad oram fluminis repetita est cædes. Ingens multitudo per minorem portam se eo ejecerat, in adversa ripa duobus longioris formæ navigiis salutem quæsitura. Sed sive remis destituta, sive nimio pondere retardata, cum ripæ adhærerent, ab accurrentibus Janicsaris occupantur, omnisque illa infelix turba in ipsis navigiis conciditur. B) Hisce incendiis, atque excidiis admonebatur urbs Vienna, quid formidare deberet. Habet illa a prætaltis mænibus, propugnaculis undecim inde prominentibus, seque mutua ope respectantibus, ac ingenti circum fossa magnum contra validissimorum hostium vires munimentum. Verum eo temporis, quod diuturna pace floreret, & veluti extra omnem ictum posita, nihil ab Ottomano, vel alio

A) Descriptio Antiquæ, & Novæ Pannoniæ. B) Hæc ex Descriptione Antiquæ, & Novæ Pannoniæ desumpta.

alio hoste metueret, munitiones tum extimæ, tum interiores non eo loco fuere, ut Orientis molem, insultusque diu perferre possent. Inde Lotharingus, ac Starembergius, ille universæ militiæ, hic urbis Præfectus, divisis inter se muneribus, incredibili celeritate reparatis mænibus, propugnaculis, turribus, seduli ubique, ac laborum pertinacissimi, Viennam ad defensionem egregie compararunt. Lotharingus arrepto ligone primus terram molitus, indiscreto labore multiplici operi manum admovit, ac inter fossores, militesque versatus, suo exemplo omne genus hominum traxit. Sex dierum spatio non vetera modo munimenta instaurata, sed etiam nova adjecta.

A. C. 1683.

Nec minus urbi firmamentum aderat a præsidiario milite. Præter ducentos, & mille statos excubitores, adducta sunt altero Danubii latere a Leslæo duodecim millia peditum. Septena millia ex Academicis, civibus, variisque hominum ordinibus lecta; ut adeo vicenis millibus armatorum urbs propugnata fuerit. Par numerus aliorum censebatur, qui ad cuniculos agendos, restinguenda incendia, subitaque periculorum præsto essent. Denique; ne urbs adversus exterum hostem satis communita, domestico, id est, fame subigeretur, inutilis hominum turba, rigido imperio jam antea exesse jussa est. Sed maximum firmamentum adjecit Leopoldus Cæsar, dum ea ipsa, qua discesserat, die, severo judicio delegit viros, qui publicam rem tot malis oppressam curarent. Bellicum Senatum, ac urbem moderari jussus est Rudigerus Starembergius Comes; adjunctis Guilielmo Comite Daunio, Ferdinando Marchione Obizzio. Opportune cum legionibus advenere Comites Joannes Serenius, Carolus Ludovicus Souchius, Fridericus Sigismundus Starembergius, Carolus Wirtembergæ Dux, Melchior Leopoldus Bekius, Sigebertus Heusterus, Baro Dasigius, aliique. Ad hos armorum primarios in urbe administros additum est Consilium, penes quod summa Reipub. gubernatio resideret fervente oppugnatione. Hujus Princeps erat Stenko Caplierius Comes, vir belli, pacisque artibus clarissimus; additis Comite Molartho, Hartmano Hütendorffio, Barone Belcampio, Leopoldo Kolonichio, Neostadiensis Ecclesiæ Pæsule. Hic postremus publicis curis intentus, insigni, qua valebat apud omne genus hominum, existimatione, toto obsidionis tempore, constantiam, pietatem militibus perinde, ac civibus insinuabat; institutis supplicationibus, suis maxime precibus, atque aliis Divinæ iræ placamentis cælestem pro aris, & focis adversus invadentem, scandentemque mænia hostem pugnaturis, opem orabat, pollicebaturque. Tum non optimis modo consiliis urbanas, resque militares adjuvit, sed quod pluris tunc erat, coactis egregia solertia sexcentis florenorum millibus, defensorum animos in iis ærarii angustiis opportune firmavit; apparuitque præsenti ære alacriores redditos, quam publicis, privatisque alloquiis. His munimentis, præsidiariis, Belliducibus, Consultoribus Vienna armata, de quantacumque barbarorum vi, secura videbatur.

Pridie ante, quam ii adessent, jussu Starembergii amplissima suburbia, nempe Viennæ dimidium, miserabili incendio A) deleta sunt. Firmiores muri partim suffossionibus diruti, partim tormentorum ictibus labefactati. Sed hoste appropinguante, cum vastiora ædificia everti non possent, magno commodo Turcarum steterunt. Leopoldino suburbio faces admovere haud placuit, quod multi Ducum censerent, illud equitatui, & auxiliis e Germania adventuris percommodam stationem præbiturum. Tandem Vezirius quarta decima Julii omnem suum exercitum, lento admodum itinere actum, ac cædibus, incendiis lassum urbi ostendit. In colle Viennensi ipse cum Janicsarorum Aga substitit, dum minores Præfecti suis cum copiis designata castra intrarent. Ea ab S. Marci suburbio, Nucetum, sive Nusdorffium usque in mediæ lunæ formam, facile quatuor, ac viginti passuum millium ambitu porrecta erant. Vezirii tentorium in Divi Udalrici subur-

A) Descriptio Antiquæ, & Novæ Pannoniæ. Historia Magni Leopoldi nuper laudata, non minus eleganter, quam accurate seriem totius oppugnationis complexa est, qua usus sum.

A. C. 1683. suburbio, contra Scotensem portam, eminentiori loco statutum est. Mustaphas Aga Janicsarorum, moli aulicæ portæ imminebat. Kara-Mehemetes Mesopotamiæ Prætor cum aliqua manu Tartarorum, & Moldaviæ, Valachiæ Principibus Rossavium occupavit. A) Spahiorum Præfectus cum aliquot Bassis Carinthiacam, & Stubensem portam obsedit. In hunc modum sparsæ copiæ damna obsidionis e quinis partibus Viennæ inferebant; solum e Leopoldini B) suburbii insula aditu in urbem, redituque relicto, quod putarent Turcarum Duces, sine ingenti temporis, & militum jactura Christianos eo loco dejici non posse; & capta urbe si potirentur, sponte sua suburbio cessuros.

Vezirius Machinatorum sententia explorata, ad invadendum, terna potissimum propugnacula designaverat: Palatinum, Leoninum, ac Carinthiacum. E binis tormentorum sedibus eodem die erigi cœptis antequam mænia quaterentur, duo equites citato cursu ad vallorum sepimentum provolantes, literas Latinis, Turcicisque verbis perscriptas magno numero sparsere, quarum hæc fere sententia fuit: *adesse magnum Vezirium cum infinita armatorum multitudine ad Mahometis religionem propagandam; & injurias genti Ottomanicæ hisce annis illatas strenue vindicandas. Urbem proxime omni ex parte claudendam. Nunc integrum esse Viennensibus, prona, celerique deditione iram Imperatoris, & Vezirii lenire, ac fortunas cum vita libertateque e manifesto periculo efferre. Si contumaciæ insisterent, quam frangere tanto apparatu armorum in manu Vezirii utique esset, strage hominum, & murorum gravissimas pœnas daturos.* Quid consilii ceperint obsessi, solutis per mænia tormentis in Turcarum stationarios patefecere; e quorum numero multi majoribus pilis discerpti, plures murorum fragmentis (nam frequentes in suburbiorum rudera, securitatis, vel spoliorum causa se abdiderant) misere consepulti sunt.

Haud segniores Turcæ, nulla jam interjecta mora, muralibus machinis in mænia fulminarunt. Sed plurimus labor impensus est suffossionibus, atque operibus terreis, quod sentirent bellicorum operum periti, nullo alio, quam hoc oppugnandi genere urbem securius, ac certius subigendam. Inde Vezirius accitis Janicsarorum Præfectis, aliis fossores augendi, aliis urbem circumvallandi negotium imponit. Et fossores quidem partim e Janicsaris, partim e Christianis captivis sunt lecti; præsertim eruendis carbonibus, & lapidibus assuetis, eoque ad valla ducenda, aggeresque jaciendos maxime factis. Caute tamen adhibiti cuniculis agendis, ne observatis obsidentium subterraneis operibus, fuga elapsi ad Viennenses referrent. At ad alia fossionum genera, magisque obnoxia periculis, intentatis verberibus compellebantur. Unde nudi tormentorum globis expositi, impune cadebant, multum plaudente Vezirio, quod Christianorum opera, in Christianis perimendis uteretur, militesque sui hoc onere levarentur. Nam occupato Leopoldino suburbio, & continuatis vallis usquequaque conclusa urbe, sanguinarium mandatum tulit, ut captivi armorum capaces ad unum omnes interficiantur, vita solum parvulis condonata. Septuaginta millia in vinculis attinebantur. Hi omnes per manipulos extra valla castrorum raptati, destinatis glandium ictibus, aut frameis barbarorum per ludibrium interempti sunt. Ferunt Vezirium ad hanc cædem impulsum caritate annonæ, quæ e longinquo petenda fuit, evastato dirum in modum vicino agro, veritumque, ne protracta in longius tempus obsidione, per captivorum turbam fames in castris invalesceret. Præterea voluisse suum militem hac præmolesta cura tantam multitudinem custodiendi liberare; ut inposterum omnem solicitudinem, viresque convertat ad unam urbem expugnandam. Denique conjecisse, ea clade miserorum nihil detrimenti illatum iri rebus Turcicis, quod

A) Hoc modo sparsas fuisse Ottomanorum copias, meminit Descriptio Antiquæ, & Novæ Pannoniæ. B) Pulsis ex eo suburbio Judæis anno 1670. Leopoldini nomen accepit sive a Leopoldo Cæsare; sive D. Marchione Leopoldo, cui eversa Synagoga templum est positum. Factum Romæ Patrum consultum de Judæis pellendis ex Italia, lege sis apud L. Cornelium Tacitum Annal. Lib. II.

quod Tartari in dies nobiliores, venaticorum canum opera in specubus, in sylvis exploratos, vinctos adducerent. Ita ille accelerandæ oppugnationi unice intentus, sanguini innocentum minime pepercit.

A. C. 1683.

Nondum patrata cæde, Leopoldina insula a Turcis capta est. Insederat eam cum delecta equitum manu Schulzius; tuiturus locum, dum numerosior hostium vis receptum imperaret. Ex his pugnaciores aliquot Danubii ramum, quo suburbium Leopoldinum ab urbe abscinditur, vado transgressi, suo exemplo, & spe prædarum plures in insulam pertraxere; inprimis Janicsaros, qui prælio congredi potius, quam lentæ obsidioni interesse voluere. Schulzius, quo incautos clade afficeret, suos ex composito omnia perturbate agere, tela eminus torquere, postremum cedere jubet. Dolus e voto cessit. Etenim Turcæ visa nostrorum perturbatione, nihil fraudis suspicati, in apertum campum procurrunt, ubi brevia tormenta, sed amplissimi oris, ferri fragminibus, aliaque ad nocendum peste referta, collocata fuere. His nusquam irritis emissionibus in implicitos, cohærentesque displosis, illico primi ordines sternuntur. Reliqui ad primas tormentorum iras, recta, & oblique ferientium, late profugi, ut erant locorum ignari, a redeuntibus Schulzianis magnam partem cæduntur. Verum gliscente hostium numero, viribus suis diffisus Schulzius, pontes rescidit, seque Lotharingo conjunxit.

Insula potiti Turcæ, continuo Danubii ripam urbem respicientis, erectis aliquot castellis, ac ducto aggere, qui unum alteri perpetua sepe committeret, firmare aggressi sunt; quo factum, ut non modo spem nullam Viennensibus, omni ex parte jam clausis, externæ opis accipiendæ relinquerent, sed semetipsos etiam adversus auxiliares copias, si quæ in urbem aditum molirentur, egregie obmunirent. Tum novo tormentorum suggestu prope templum Misericordiæ statuto, urbs Danubio obversa oppugnari cœpta est, nusquam intermissa, nisi noctibus, verberatione. Centum millia, & amplius grandioris formæ pilarum, duorum mensium spatio, in urbem depluisse, constans fama est. Sed inprimis animum, operamque advertit Vezirius ad cæcas suffossiones, queis plerumque hodierna tempestate certam mœnibus parare solent ruinam bellorum Duces. a) Promotis accessibus jam ad vallationis extimæ angulum, nulla prope suorum clade pervenere hostes, quod fossas densatis inter se trabibus, aut saccis terra, vel lana fartis superne contegant, atque in iis subterraneis specubus a pilarum tempestate, aliisque nocendi instrumentis sat tuti cœpto labori insistere queant. Decima nona Julii sub vallationis angulis duo cuniculi incensi sunt, majori utique terrore obsessorum, quam damno. Quippe deni solummodo desiderati fuere. At timorem non modicum crearunt primi cuniculi, quod Vienna tota, quantum domorum culminibus assurgit, tantundem prope in subterraneas cellas deprimatur. Unde Vezirio spes creverat, actis non uno loco furnulis, cuniculisque, interiora urbis intrandi. Contra Viennenses solicitudo maxima habebat, ne hostes ignoti, inobservatique sub terram, quod in aperto non poterant, in urbem penetrent, vique pulverum semotis obstaculis viam sibi in medium forum sternant. Ea de causa in apothecis vinariis frequentes excubare jussi, qui admota ad tellurem aure, suffodientium ictus exciperent, ac ad Gubernatorem referrent.

Isthac excubitorum industria non unus cuniculus ingenti obsessorum commodo detectus erat. Nam ubi animadversum est Ottomanos moliri humum, cunicularii Viennenses continuata dies, noctesque fossione, strenue obviarunt, transversoque meatu, omnem eorum operam aut corruperunt, aut certe, ut peritiores erant harum machinarum; arte jam victos inevitabili strage involverunt. Multi tamen speratum successum habuere, præsidiariis juxta, ac mœnibus noxii. Sed quotidianæ procursiones ad hostium opera convellenda, rescindendaque plures abrumpserunt, quod longe

a) Ex quo invaluit militare proverbium: Ligonem, & palam esse demum illa, quæ arcem extruant, destruantque. Famianus Strada Dec. I. Lib. IX.

A. C. 1683. ge firmiora essent, ac ut a properantibus dari in ruinam possent; & Janicsari, ne multorum dierum labor perderetur, solito diligentius evigilarent, operaque stantia incredibili ferocia tuerentur. Sæpe certamina in angustis locorum spatiis contracta, nunc his, nunc illis perniciosa; sæpe nec sine multo utrinque sanguine pro laceris vallis dimicatum. Sed PAUCITAS demum celerius consumitur, ac multitudo. Id animadvertens Gubernator urbis, edicto omnes, qui nondum militiam amplexi, nomina sua edere jussit. Collectitio huic militi arma data e publico; stationes minus obnoxiæ assignatæ (veterano in extima opera conjecto) ad quas signo campani æris citabantur. Ea de causa, ut ne quid perturbationis oriretur, ad obsidii finem turres omnes conticebant. Hæc curante Starembergio, audacissimi Turcarum tanto impetu palos assiliunt, ut iis nondum revulsis, aut excisis, viceni præsentissimæ necis contemptu, in ipsum septum se conjecerint. Excepti sunt pari ardore a Christianis; omnesque in profundam fossam acti præcipites: cæteri furente undique procella glandium, lapidumque, nihil deterriti, expeditis securibus ad interscindendos palos semet accingunt.

Verum Mesopotamiæ Prætore, qui aggredientibus præerat, lethaliter saucio, multis præterea per cancellorum septa fistularum ictibus prostratis, pedem retulerunt, amissis facile ter centum. Nostrorum e gregariis cecidere quadrageni cum Burcardo Gallenfelsio Barone. Nec felicior erat e parte Danubii tentata aggressio. Hanc multa suorum cæde ineunte Augusto adornavit Vezirius. Prætenuem Danubii ramum ratibus in latera commissis, ac nexis veluti totidem pontibus firmissimi operis sternit; tum canalem, qui subter muros in urbis navale influit, armatos subire jubet. Vix parum viæ confecerant, cum plerique plumbea e mænibus procella corripiuntur: neque enim defensorum injuriis se subducere poterant, quod solo contemptu periculorum, adversus manifesta pericula, præcipue fistulatorum destinatos ictus, armati procederent. Ignibus subinde in materiam nauticam immissis, Danubius repurgari cœpit, neque deinceps ea parte urbs infestata.

Sub idem tempus castra intravit Aga quidam natione Maurus, ab Imperatore Mahomete missus, cui in paucis gratiosus erat. Hujus adventus multam materiam sermocinandi dedit militibus. Alii dicebant reprehensum venisse Vezirium, quod neglecto Jaurino, Viennæ admoverit copias; ferociores alii, attulisse mandata, ut cum Lotharingo acie decernat. Reipsa exstimulando Vezirio ad accelerandam oppugnationem iter susceperit, quem in finem haud vulgaria munera Soltani nomine eidem exhibuit. Questus est ille in corona primariorum Ducum, tam numerosum exercitum, tot, tantorumque præsidiorum, molium expugnatorem, ad fossam quidem adrepsisse, circum aggerem unum complures dies hærere. Hoc convitio everberatus Vezirius, omnem machinam expugnandis extimis operibus admovet, ac tertia die Augusti universam aggressionem in ea comparat. Ne ordines assilientium turbarentur cæsorum cadaveribus, destinati sunt, qui mortuos, ac vulneratos e pugna efferrent, quive in eorum locum succederent. Turcarum copiæ majori numero sub signis stantes, consilium prodiderunt, nostrisque spatium concesserunt, robustiore audacia aggredientium vires repellendi. Ter sepimentum summa vi invadunt, toties a defensoribus repulsi. Demum resumpto Ducum adhortationibus impetu, redeunt in pugnam, atque partem vallorum, & opertæ viæ occupant. Tum operi accincti ad labrum fossæ, e terræ, lanæque congestis saccis, subitaneam munitionem extruunt. Ita vicesima die oppugnationis, ad fossæ marginem perventum est.

Interea Lotharingus Tököliam ad Posonium tendentem die VI. Augusti profligat. Festinaverat iste cum tricies mille pugnatoribus e superiori Hungaria Posonii potiundi causa, ut altera quoque Danubii ripa Cæsarei dejicerentur. Urbs Regia non ausa experiri vim, sponte se Tökölio tradidit. Illico jussu Vezirii naves, aliaque materia ad pontem Danubio imponendum conquisita.

Arcis

Arcis præſidiarii & loco, & numero freti, rejecto de deditione colloquio, A. C.
defenſionem ſedulo parabant. His intellectis, Lotharingus ducentos pedites 1683.
Ductore Ogilvio Centurione ad augendum arcis præſidium præmittit, ipſe cum exercitu primum ad Moravam amnem, dein Poſonium contendit. Ogilvius temere illatus in Tököllianos funditur, fugaturque. Ultus eſt ſuorum cladem Lotharingus. Leviſſima verberatione proſtratis muris, urbem in poteſtatem redigit. Mox quindenis, non amplius legionibus, & fere equeſtribus, adverſus hoſtes lento, dimenſoque gradu procedit, dum apertam campi planitiem nanciſceretur acies. Vix concurri eſt cœptum, cum calones, quive in inſidiis latebant Tököliani, terrore panico perculſi, fugam ineunt, eodemque terroris contagio Turcas (dena millia fuere) involvunt. Maxima cædes edita in fuga, Polonis Tyrnaviam uſque veſtigia prementibus.

Fuit hæc victoria admodum opportuna. Nam amiſſo Poſonio, ac læva Danubii ripa, nec tutus erat equitatus Cæſareus, nec expeditam ſine vaſto terrarum circuitu viam Polonorum auxilia habebant, neque Jaurinum, & Comaromium aditus patebat. Tökölius omnem eam cladem Huſſaini Turcicis copiis præfecto attribuit, in hæc verba ad Vezirium ſcribens. *Fixis ad Poſonium caſtris, principem curam in id potiſſimum intendi, ut numerum, viresque hoſtium exploratas haberem, miſſis trans Moravam diverſæ nationis, uti aſſolet, ſpeculatoribus. Ab his certior fio: Ducem Lotharingiæ, ac Principem Lubomirſzkium, majorem opinione mea exercitum in nos movere. Rogatis Ducum ſententiis, magnopere ſuadebam, ut exercitu ad Vagum fluvium deportato, ubi ſpatioſi, ac explicandis copiis opportuni campi, hoſtes operiremur. Unus Huſſaines ſui conſilii tenax, atque adeo alieni impatiens, pervicaciter obſtitit. Haud perinde in prælio conſtans. Vixdum acie congreſſus, ab equitatu Germanorum repulſus, meorum partem militum ſimul in fugam abripuit. Minus proſpera hæc pugna tanto gravioris doloris ſenſu me afficit, quanto magis intelligo, mihi ab Huſſaine imputari, quidquid infeliciter actum. Sed ille in campo vinci maluit, quam in ſenatu inferior videri. Cæterum ſi ſuppetiæ advenerint, hanc qualemcunque cladem compenſabo, promptus in ardua quæque, ac periculoſa vitam meam conjiciendi. Hæc pauca ſcribenda exiſtimavi, ut explorate cognoſcas, quæ ad Poſonium geſta, tibique proſperum rerum eventum ex animo precer.* A)

Re ſtrenue peracta in Hungaria, alibi periclitatum eſt. Vezirius e Leopoldino ſuburbio in alterum Danubii littus tranſitum meditatus, jam ponte commiſſis duabus inſulis, extimum pontem Valachorum, ac Moldavorum opera fere abſolvit. Id plane molientem redux Poſonio Dux victor occupat, ſecundumque flumen diſpoſitis fiſtulatoribus, ac colubrinis, omnem eum conatum in tempore evertit. Attamen diu quieto eſſe non licuit. Etenim Tökölius dolore cladis Poſonienſis ſtimulatus, fruſtra tentatis aliquot oppidis Leopoldo fidis, alteram expeditionem ſuſcipit, ut Cæſareos ripa Danubii ſubmoveat. Ab Varadinenſi, & Strigonienſi Baſſis accepto quater, ac decies mille Turcarum exercitu, Moravanum agrum inundat, permulta oppida in cineres agit. Ea incendia e mœnibus Viennæ conſpecta quantum trepidationis excitarunt inter cives, tantum alacritatis affuderunt Lotharingo conveniendi hoſtis, pugnæque conſerendæ. Impedimentis Stokaraviam rejectis, velites Poloni procurrere jubentur; quibus, quam imperatum erat, longius provectis, nec ſine clade repreſſis, per eum tumultum ſagaciſſimus Dux inſidias ſtruit. In vicinum tumulum tormenta adducit, pauculis Germanorum manipulis explicatis; reliquum aciei robur ſylvulæ objectu extra conſpectum collocat. Barbari inani ſpe victoriæ capti, denſis agminibus irruunt, ac novo ardore pugnam capeſſunt. Fulminantium machinarum vi, & legionariorum, qui e nemore eruperant, virtute disjecti, contento curſu trans Moravam fugere. Perierunt Turcarum

A) Hujus epiſtolæ exemplar in Deſcriptione Antiquæ & Novæ Pannoniæ, Germanica ſcriptum lingua, pene ad verbum latine reddidi.

A. C. 1683. mille ducenti cum Agrienſi Baſſa, ſauciato Tartarorum Principe. Capta equeſtria ſigna duo, & vicena, pedeſtria ſeptem, & viginti, equi ſexcenti, ſex & triginta Cameli.

Dum res Chriſtianorum in campo virtute Lotharingi eriguntur, Viennenſium interim muri, nondum animi cadebant. Inter alia, quibus urbs communita eſt, prævalida moles (parma A) appellatur) eminebat. Hæc quoniam hoſtibus infeſta erat, &, ſi propugnatoribus adimeretur, in expedito fore videbatur urbis expugnatio, illuc vires converſæ ſunt. Ut primum ſexta Auguſti in foſſam penetrarunt, ipſo Vezirio e geſtatoria ſella ferri laminis undique contecta aſſilientes moderante; altero mox die prægrandi cuniculo frons parmæ tanto quatefactæ motu terræ, atque fragore ſuccutitur, ut cives nutantibus ædificiis trepidi, e domibus ſe ejecerint, ultimum exitium adeſſe rati. Excepit ferale tonitru tempeſtas armorum, utrique parti cruenta. Barbari in molem obſtinatis uſque adeo animis eluctati ſunt, ut duabus & media hora, ancipiti eventu certamen extraxerint, majorum, minorumve fiſtularum diſploſione ægre ſubmoti. In hac ipſa mole, molem alteram vallis, & foſſa armatam fabricant obſeſſi, & ſi hanc quoque everteret hoſtis, geminos rurſum receptus, foſſa, & loricæ munimento vallatos, e quibus pugnam redintegrare poſſent, e diſciplina militari addunt; non niſi multo Turcarum ſanguine paſſum omnem ceſſuri. Interim iſti ad molis pedem, quæ cuniculatores injuriis ſubducat, vineam ſolidiſſimo opere conſtruere; ad latera utriusque propugnaculi diurnis, nocturnisque horis acceſſus promovere: ex adverſo obſeſſi eruptionibus infeſtare opera, in foſſam crebros ignes noctu injicere, cuniculos cuniculis corrumpere. Duodevigeſima Auguſti alterum molis receptum, quinos poſt dies tertium cuniculis ſubrutum, non ſine incenſo certamine hoſtis accepit.

Supererat exigua molis pars, neque illa integra, ſed vicinarum munitionum injuria labefactata. Hæc veluti campus delectus eſt, in quo Ottomanorum robur, viresque ſæpius contuſæ. Janicsari tot aſſultibus incaſſum tentatis, conceptas animo turbas, loci aſpectu, & periculorum proviſu incendebant, ut adeo palam negarent, ſe inpoſterum ligonem, aut gladium ſumpturos. Mufftius concinna oratione turbidos allocutus, quarta, & decima Auguſti ad novam aggreſſionem impulit. Ergo præerapidi in ſupremum molis receptum ſignis illatis, pugnam cominus conſerunt, defenſores a fronte, a latere urgent. Hi omni telorum genere ſubeuntes impetunt; minoribus pilis pyrio pulvere fartis, B) haſtis, falcibus, ſtellatis clavis; non irrito armorum pulſu, cædunt: adeo nullo aut fugæ, aut trepidationis indicio, ut in locum trucidatorum alii, atque alii necis inferendæ, vel ſubeundæ avidi advolarent. Hac fortitudine repreſſi, tertia Septembris ferociores inſtabant. At Gubernatoris juſſu modica illa terræ lacinia a Centurione Heiſtermanno relicta eſt. Hoc modo quadruplex illud, ac toties renaſcens, ceu hydra, munimentum, ſuffoſſionibus, cuniculis quarto, & viceſimo impugnationis die prope evanuit, magno Turcarum fructu, quod parma obſeſſos exuerint, majore, ſi molem ſtantem cepiſſent.

Præter molem amiſſam multa angebant præſidiarios. Eruptiones plerumque parum utiles fiebant, militemque atterebant. Multis morbo dyſenteriæ, multis quotidiana dimicatione confectis, ſtationes pauculis obeundæ erant, iisque ex vulneribus, vigiliis, labore pugnæ invalidis, clades eo major apud obſeſſos, quos utique vincit, quisquis imminuit, quod haud ſufficiant periculis inter paucos crebrius redeuntibus. Hoſtis in dies alacrior, ac clade ſua ferocior non labori, non ſanguini parcebat. Timebantur incendia, proditiones, aliaque belli fortuita. Starembergius ſemel, atque iterum internunciis Raſcianis C) ſuppetias poſtulans, præter ſpem nihildum obtinuerat. Has inter curas, quarta Septembris Palatini propugnaculi angulus

A) Revellino, ſeu propugnaculum a mænibus abjunctum, aut moles plerumque portæ præſtructa.
B) Tria millia ejusmodi pilarum, vulgo granatæ, immiſſa. C) Michalovichius, & Kolſchickius hi erant.

lus cuniculo ſtratus, facile quindenis armatis expeditam viam dedit. Hac occaſione utendum ratus Vezirius, quatuor millia peditum immiſit. Depactis aliquot ſignis in ipſo propugnaculo, dum ſe obmunire incipiunt, a Gubernatore capta ſtatione depelluntur. Duobus poſt diebus Leonini fronte pari ruina in foſſam effuſa, pari fortuna decedere coguntur. Noctu tota Turcarum caſtra ignibus fulgere, ac vigilias intentiori cura ſervari viſa, Chriſtianorum auxilia ad urbem liberandam adventare, indicio fuere obſeſſis.

A. C. 1683.

Et jam Joannes III. Poloniæ Rex cum Jacobo A) filio natu maximo, facto per Sileſiam, Moraviam, itinere B) viginti millium exercitum in exitu Auguſti adduxerat, atque e conſilio Lotharingi ad Tulnam Danubio trajecto, in agro Tulnenſi cum Cæſareis caſtra fecerat, quo cæteræ Fœderatorum copiæ convenire ſunt juſſæ. Die ſeptima Septembris adfuerunt Bavarorum equitum tria, ſeptem peditum millia. Totidem fere Saxonum. Novem Suevorum, ac Franconum millia. Opinione minor univerſus exercitus compertus eſt. Namque nonaginta millia confluxiſſe fama percrebuit, & Hiſtorici tradidere; cum tamen ſexaginta quatuor millia, & quingentos recenſitos notaverit Dux Lotharingus. Vezirius intellecto Chriſtianorum Principum copias in propinquo adeſſe, in adverſum ſimul, averſumque hoſtem pugnaturus, numerum ſuorum init, atque hoc primum die (ſeptima Septembris) caſtrenſes machinæ conticuerunt. Cenſa ſunt centum octo, & ſexaginta armatorum millia, ut adeo quinquaginta fere millia deſiderata fuerint. Et in oppugnatione quidem cenſu per legiones inito tres Baſſas, ſedecim Janicsarorum Tribunos, Machinatorum Præfectos quinque, & viginti, nobiliores quingentos cum decem Janicsarorum millibus cecidiſſe e Vezirii tabulis conſtat. C) Poſtridie duplici cuniculo Leoninum ſuccuſſum, cruentam arenam rurſus aperuit. Turcæ tot ad eum diem certaminum fructum capeſſituri, etſi maxima vi niterentur in ruinas, a defenſoribus ſpe libertatis multum animatis promiſcua cæde retruduntur. Victores, quod metuerent pulverum vi propugnacula everſum iri, interiora urbis ad ultimum exitium depellendum munire aggrediuntur. Capita viarum prægrandibus catenis, vallis præſtruunt, omnem juventutem ad cadentis patriæ defenſionem incendunt, arma corripere, ac compita conſidere jubent. Caſtra perinde tumultu fervebant. Omnis equitatus in plura agmina, commodioris pabuli ergo diviſus, ex inſulis, aliiſque locis revocatus; pars arma polire, pars equos frænare, omnes inconditis clamoribus ſe ad prælium incitare; neque tamen foſſionibus, aſſultu, jaculatione abſiſtere. Leoninum tanta vehementia jam diſcerptum erat, ut uſu tormentorum adempto, lapidum ſtrue hoſtes arcendi fuerint. D)

Laboranti in hunc modum, ac prope ſuccumbenti urbi, exercitus Chriſtianorum opportune adfuit. Motis Tulna caſtris, tanto celerius iter intendit, quanto per viam triſtioribus nunciis accepit, Turcarum ſigna in Leonino volitare. Undecima Septembris ſervatis ordinibus per arduos collium, valliumque anfractus in Cæcium montem eluctatus eſt. In dextro cornu locati erant Poloni, quos regebat Rex ipſe cum Jacobo filio, Szemavid minore copiarum Præfecto, Jablonſzkio, ac ſenatoribus permultis. Lævum obtinebant Cæſarei, quibus præerat Lotharingus, Saxolavenburgicus equitatus Magiſter, Leslæus, Dunewaldus, Æneas Caprara, aliique bellica laude celeberrimi Duces. Mediam aciem faciebant Saxones, Bavari, Francones, Suevi. Bavaris Degenfeldius, Saxonibus Golzius, Fridericus Saxo; Suevis, ac Franconibus Waldeckius, Marchio Baruthanus, Thungenius imperitabant. Viſum eſt hoc modo aciem ſtruere, ut ſervato tot nationum diſcrimine, mutuæ virtutis æmulatione, tanto acrius incenderentur milites, quan-

A) Plures filios ſuſcepit ex Maria Ludovica Marchione de Arquin, nempe Jacobum, Alexandrum, Conſtantinum. B) Memoratus Gotfridus Lengnichius. C) Inſpice Deſcriptionem Antiquæ, & Novæ Pannoniæ, ubi reliquos ad Viennæ mœnia cæſos reperies. D) Die undecima Septembr.

A. C. quanto conſpectior ſingularum nationum fortitudo, aut ignavia omnibus
1683. in prælio patefieret. Haud procul aberat occaſio. Sub primam auroram a) expanſis ordinibus demiſſa acies per declive, barbarorum copias pugnæ accinctas in conſpectu habuit. Namque Vezirius ad radicem montis flore exercitus collocato, peditum cohortes oppido Nuceto cum Budenſi Præfecto, veterano, fortique bellatore injecit; loca monti adſita vallo circumducto, ac tormentis in fronte diſpoſitis, valide munivit, omnes hortatus, ut ſtationem ceu ultimam ſedem armorum extremis viribus tueantur. Nec ideo ceſſere animis Chriſtiani, ſed conſertis ordinibus, quantum viarum aſperitas patiebatur, dimenſoque gradu in hoſtem proceſſere. Volupe erat obſeſſis, intueri montem florentiſſimo exercitu inſeſſum. At Ottomani lymphatis ſimiles trepidare cœperunt, omnium pectora metu percurrente. Armis inſignibus equi, virique ſplendebant, & Duces partis victoriis inclyti, agmina ſua promoventes noſcebantur. Ipſa montis declivitas, quod ſinguli armatorum perſpicue ſub aſpectum caderent, numerum copiarum augere eſt viſa. Tum clangor ſignorum, fremitus hominum, equorum hinnitus, armorum internitentium fulgor mentem omnium turbavit; denique belli cauſa animos ademit.

Primi Cæſarei, Ænea Caprara Ductore, tormentorum, ac fiſtularum procella hoſtilem equitatum impulerunt, dum ad anguſtias Nuceto aditas, hora ante meridiem quarta perveniretur. Ex his in oppidum compulſi ſtationarii, liberum ſiniſtræ alæ deſcendendi iter dedere. Media acies, ac dextrum cornu, confertis Janicsarorum cuneis perruptis, ipſo meridie in planum emerſit. Nuceto, alteroque Vico Heiligſtadio, per Cæſareos pilarum emiſſionibus expugnatis, cum animadverteret Ibrahimus Budæ Præfectus, Cæſareorum impetum ſe perferre non poſſe, & Vezirium in altero latere incumbentibus Polonis laborare, ne diviſis viribus uterque vinceretur, capto in arena conſilio, cum omnibus copiis prærapidus in Polonos fertur. Tum enimvero in patentiori campo juſto prælio concurſum fuit. Huſſari (nam & hoc genere militum utuntur Poloni) ſubditis calcaribus, in media agmina illati, immanem ſtragem ediderunt, præcipue Alexandri Principis centuria, quæ ſe prima in medium hoſtium abdidit. Perierant fortiſſimi equitum multitudine Turcarum circumventi, niſi Cæſarei, & Bavari feſtinatis auxiliis in latus incurriſſent.

Sed Rex eo die momentum per ſane magnum ad victoriam fuit. A fronte irruens cum prætorianis, denſatos Janicsarorum ordines infregit; ubique imperio, manu, vultu ipſo animum ſuis, terrorem hoſtibus incuſſit. Nondum tamen ea parte Ottomani ſtatione ceſſere, verum adeo ſtabili gradu contulere manus, ut non ſuſtinuerint modo tot nationum incumbentium vires, ſed repulerint interdum. Ad extremum capto Janicsarorum vexillo, & ſonipede Vezirii, quem in æſtu pugnæ mutavit (quippe plures fatigaverat) cæſisque pugnaciſſimis Turcarum cum Kihaja, ad caſtra defenſanda, obverſa tamen in hoſtem fronte, compelluntur. In ſiniſtro cornu, Lotharingo perinde ferro aperienda via erat. Tumulus proximus caſtris, viris, armisque probe communitus occupandus fuit. Quid deſperatio poſſet, hic demum apparuit. Nam etſi tumuli defenſores proſpicerent, toto campo commilitones ſuos propelli, tamen ne qua Cæſarei penetrarent in eum, denſati tanquam novum vallum oppoſiti, ingruentium vim telorum, tormentorumque, ea pervicacia excepere, ut cadente ſuorum aliquo, veluti decuſſam valli partem, alio in locum cæſi feſtinante, reficerent. Acies media in latus invecta, tempeſtatem adeo improviſam, adeoque majorem importavit, ut ſolutis ordinibus palantes in caſtra ſe conjecerint, ac una victores quinta a meridie hora admiſerint. Hic rurſum vires colligunt, atque objectis in fronte vehiculis, carrisque, ad ſupremam defenſionem ſe incendunt. Sed omnis ille animorum ardor ſupremo in actu incitatior, momento elanguit, reſeditque, ut rumor percrebuit, Cæſareos in caſtra irrupiſſe,

a) Die 12. Septembr.

pisse, dextrum cornu profligatum. Ea res oculis ipsis conspecta, Vezirium, Chamum, primarios Ductores, omnemque peditatum, qui in campo extremus perstitit, in fœdissimam fugam avertit. Interim cunicularii, quive ad opera relicti, Janicsari, obsessos acerrime urgebant, ternisque prægrandibus cuniculis ignem admovere parabant. Fortuna partium territi, & ipsi fugientium agmina auxere. Quanquam multi, ut erant in profundis cryptis, operi instantes, ignari socios excessisse castris, a superveniente victore capti, aut obtruncati fuerint. Feliciores fugitivi, quos ingruentes tenebræ cædi eripuerunt.

A. C. 1683.

Hanc grandem victoriam Duces majore ex parte virtuti, quam fortunæ debuerunt. Nam in Senatu bellico, in acie mire concordes, peritissime hostem aggressi sunt; mutua ope festinata loco moverunt, & ipsi promptissime pugnarunt. Lotharingus sapientis, ac cauti Ducis titulos, eo die ex merito obtinuit, quod primus castra ingressus, in illo ardore animi prudentius, quam avidius perculsis institerit, suos ab omni præda cohibuerit, plenis ordinibus per Rossavium suburbium, ad muros accesserit, nihil denique in hostibus pene devictis tute despexerit. Nam si ardentius fugientium tergo hæsisset, Polonis in acie stantibus, clades ea parte accipi poterat. Si dein castrorum direptio cœpta fuisset a Cæsareis, vagi, sparsique, atque adeo extenuatis ad pugnam viribus, facile a Turcis in ea victoriæ confidentia opprimi potuissent, aut certe confœderatas copias omissis hostibus in partitionem prædarum pertraxissent. PERSÆPE enim obstitit vincentibus pravum inter ipsos certamen, hoste neglecto spolia legendi. Hac cautione & victoriæ, & Confœderatorum rebus consuluit.

Castra ultra modum opulenta subiverunr Saxones, Bavari, Suevi, Francones sexta post meridiem hora, tardius Poloni; noctemque sub Turcarum papilionibus, mutuas inter gratulationes egerunt. Rex Poloniæ frænatos equos stare, magnamque exercitus partem in armis esse, ac vigilias servare jussit; ipse, siquid nocturnæ trepidationis oriretur, pervigil, ac expeditus, in Vezirii tentorio cum Prætorianis perstitit. Occupaverat illud in aditu castrorum Vezirium persequens, A) uno ex Aulicis ipsius, qui e fuga retractus est, locum tentorii, & immensam auri, argentique vim ibi depositam commonstrante. Confestim missi equites, qui nomine Regis stationem illic figant, atque ea parte castrorum populatione militem prohibeant. Stabat tentorium non ad omnem commoditatem modo, sed & delicias instructum. Balnea, fontes irrigui, aquæductus, peregrinæ aves non sine intuentium admiratione in illa amplissima linea arce, integra, intactaque conspiciebantur. Præter arma diversi generis, auro gemmisque ornata, reperti sunt duo aureorum nummorum milliones; Asprorum (probissimi argenti moneta est) permulti sacci; princeps vexillum Mahometis ab Imperatore in campo Belgradi datum; quod illico Romam Innocentio XI. Pontifici Maximo dono transmissum a Rege. Pretiosarum vestium, equorum ingens numerus, instrumenta litteraria. Unde facile colligas, Vezirium in castra rejectum cum omni suo servitio præcipitem admodum fugam iniville, & tentorii custodes, quo fugæ aptiores essent, opimis spoliis abstinuisse. Gregarius Polonus quam in prælio fortis, & alacer, tam in diripiendis postridie Asiæ opibus inexplebilis. Nec cæteris deerat cupiditas prædandi. Direpti sunt papiliones quinquies, & vicies mille, prædivite supellectili instructi. Camelorum quina, dena boum millia. Frumenti, orizæ, fabarum Arabicarum, vis ingens; in publica armamentaria variæ formæ tormenta ter centum illata, reliquusque rei bellicæ apparatus summis expeditionibus par. Kollonichius defensionis pars magna, prope quingentos infantes totis castris conquisitos, paterna charitate, curis, impendiis rite educandos suscepit.

Eodem die Rex Poloniæ a Ducibus Saxoniæ, Lotharingo, C. Staremberg io urbis Gubernatore persalutatus, insigni pompa Ducum, Præfectorum,

A) Ex epistola Regis data ad Reginam Conjugem suam, dein typis vulgata.

A. C. 1683. ctorum, civium, per decumanas urbis ruinas in urbem deductus est. Inspectis, æstimatisque hostium accessibus, operum firmitate, molis, & propugnaculorum ruinis, apparuit sola defensorum virtute Viennam stetisse; id quod Starembergio immortale nomen peperit. Inde per agmen e militibus, & civibus compositum, recta in templum Aulicum contendit, ibique in Lauretano B. Virginis Sacello, Ambrosiano carmine DEO victoriarum authori, & Magnæ DEI Matri grates persolvit. In castra reversus, insequenti die legiones suas intra Swechetam, & Ebersdorffium locavit, quod passim strata cadavera, vi æstus cum intolerando pædore solverentur; timebaturque, ne morbi vulgarentur. Cæteri fœderati suas quoque copias ab urbe removerunt. Non post multo advolavit Lincio Leopoldus Cæsar, contemplatusque stragem mænium, ad sacras ædes D. Stephani processit, actisque supremo exercituum DEO gratiis, Regem Poloniæ, & Electores convenit. Nihil hic venerationis omissum, quæ Cæsarem, quæve Regem victorem addeceret. Paucis post diebus, cum malum dysenteriæ serperet, & aula tormentorum ictibus lacerata, commode habitari non posset, Lincium reversus est, multum collaudatis, ac amplissimis præmiis, præfecturis large donatis Caplierio, Starembergio, Kollonichio, cæterisque tum militaris, tum urbani ordinis Præfectis. Quanquam multi pro aris, & focis vita posita, benignissimi Cæsaris favore frui haud potuerint, immortali gloria, & fama in popularium animis perpetuo victuri. Porro ut & horum numerum addamus; fervente oppugnatione, obsessorum septem millia ferro ceciderunt; morbo haud paulo plures sublati. In supremo certamine quatuor millia, eosque inter Thomas Princeps Croyus, C. Trauttmansdorffius, Postoczkius, Palatini Cracoviensis filius. Ottomanorum vero longe maxima strages erat, ut adeo in tot assultibus, eruptionibus, cuniculis infeliciter solutis, & ultimo prælio, septuaginta millia interiisse Scriptores mire consentiant. Atque hic demum exitus fuit oppugnationis Viennensis, magnis impendiis susceptæ, majori clade continuatæ, maximo dedecore interruptæ; patuitque PESSIMIS consiliis pares eventus respondere.

Multiplici pugna victi, ac omnibus castris exuti Turcæ, in una fuga salutem quæsivere. Equestres copiæ, nunquam non fugæ accinctæ, deserto peditatu, sine signis, sine Ducibus, eadem adhuc nocte ad limites Hungariæ evectæ, continuatis itineribus ad Arrabonem fluvium pervenerunt. Compertum est; paucioribus horis fugitivos, iter Vienna relegisse in agrum Jaurinensem, quam nuper diebus A) integris illud ipsum spatium Jaurinum inter, & Viennam emensi fuerint. Pedites ab equitatu nudi, nec lento, nec strepero itinere, beneficio noctis per notos calles in Hungariam properarunt. Animadverso, neminem victorum victis instare, octo circiter millium agmen, præcipiti cursu lassatum, vetera castra ad Altenburgum, Austriæ oppidum, intrat, seque ad castrorum defensionem, nondum bene digesto terrore, inconsulto comparat. Poloni direptis spoliis alacres, primi hostem persecuti, castra metu prope jam capta circumsident, acceptisque Germanorum aliquot signis, post breve certamen diruto vallo, miserabilem cædem edunt. Duo millia, quingenti positis armis se Polonorum potestati permiserunt, qui Viennam retracti perutilem operam purgandis fossis, ac reparandis munitionibus dedere.

Alia ex parte C. Adamus Battyanius, B) quem torrens Turcicus a Muræ amnis custodia nuper abripuit, ductu sui filii, duorumque Comitum e Nadasdiis, duo millia Ottomanorum ad Kanisam cæcidit. Prope Jaurinum Vezirius cum equitatu fugiendi finem fecit. Hic munitis castris se continuit, expeditis in omnem partem Præfectis, qui reliquias profligati exercitus per ripam Arrabonis colligerent. Tatta, Vesprimio, Papa sua præsi-

A) Quatuordecim omnino diebus Jaurino Viennam profectus est hostium exercitus, quæ mora saluti fuit urbi; sed equestres turmæ longe paucioribus horis revolarunt. Nempe: timor addidit alas. B) Quem Dalmatia, Croatia, Sclavonia Banum anno 1693. accepit, factis bellicis admodum præclarum.

præsidia revocat, misso ad Gubernatores istorum locorum persevero mandato, eversis munimentis ut tormentariam supellectilem in castra revehant; quo nempe fucum faceret imperitis, non omnem ad Viennam bellicum paratum amissum. Et Tatta quidem oppidum in ruinas abiit. At Vesprimium, Papa non integra modo steterunt salvis civium fortunis, sed præsidiarii etiam in suis commilitonibus victi, in capitivitatem redacti sunt. A) Necessaria quiete refectum militem, triduo post Strigonium versus promovet. Jaurinenses e suo præsidio erumpentes, promiscuam cædem per complures dies exercuerunt. Ex ultimo agmine facile sexcenti per eosdem obtruncati erant, nullo fere resistente, quod FUGÆ intentis singulis, nemo, quid altero fieret, moveretur. Equidem Ductores Arrabone superato, milites hortabantur, ut pauculis frontem obvertant, stricto ferro vitam tueantur, ne impune cadant. Verum Viennensi clade dejecti, calorem Martium nondum senserunt; patuitque, TURBATIS acrius metum, quam Duces imperare. Quod si victores eadem alacritate perculsos ursissent, qua ad Viennam dimicarunt, pauci profecto e peditatu in tutum evasissent.

A. C. 1683.

Interea tenui, incertoque rumore ad Mahometem Imperatorem perfertur: Vezirium memorabili pugna a Christianorum fœderato exercitu victum, obsidione Viennæ depulsum, trepide in Hungariam refugisse. Id cum alii, fortunæ Vezirii innexi, pernegarent; alii contra, hominis ambitioni dudum perinfensi, asseverarent, stragemque in immensum augerent, locuples dissidiorum materia in aula alebatur. Litem diremit infelicis nuncii bajulus, ab ipsomet Vezirio missus. Inhorruit enimvero ad triste nuncium Imperator, parumque abfuit, quin bajulum ferro impeteret. Pluribus postea diebus, Imperatoria majestate haud dignis questubus dolorem solvit, ac versa veluti mente, nunc barbam utraque manu vellens, nunc cydarim, caputque non molliter pulsans, fortunam rebus Turcicis nimium adversam incusavit; renovato Octaviani Augusti Cæsaris exemplo, quem cæsis legionibus muliebriter indoluisse accepimus. B) Dolore, iraque ultra modum stimulatus, usque adeo implacabile odium in nomen Christianum concepit, ut statuerit, non sacra modo omnia toto imperio proculcare, sed ipsos quoque sacrorum cultores sine discrimine ferro excindere. Byzantinos præcipue Christianos, & Oratores Europæorum Principum ad cædem designavit, per quos sua consilia, copiarum numerum, expeditionis typum, quæ neminem alioquin latere potuerunt, ad Cæsarem effluxisse perperam criminabatur. Nec deerant Purpuratorum aliquot, qui ad præceps quodque consilium pronum, per eos dies in Christianos magis concitarant, veluti expeditionis sinistrum exitum, nullo mæroris sensu acciperent, ipsaque fronte detegerent animum latentem. Mufftius, cui jam major, quam ante bellum, authoritas, sive religione tactus, sive periculi magnitudine commotus, quod Imperio haud dubie imminebat a cæde Legatorum, tantoque innocentum sanguine, ferale decretum in tempore evertit. Namque in Senatum admissus, luculente ostendit, *quam lethalem plagam rebus suis impositurus esset Imperator, in proposito si perseveraret. Principum Legatos*, ajebat, *hostium loco haberi non posse, nisi proditionis convincantur. Rem vero periculi plenam fore, nec lætos exitus habituram, si singuli in jus trahantur, quæstionibus vexentur, aut non citati plectantur. Certe principes, quibus nunc amicis utimur, communi hac injuria offensum iri, & jura gentium in Legatis violata, consociatis armis prosecuturos. Tot autem cives interficere, quid aliud foret, quam Imperium Ottomanicum brachio uno truncare? commerciis, præcipuo maritimarum urbium alimento, immania vulnera, nec ullo tempore coalitura infligere?* his aliisque rationum momen-

A) Sic Porta Ottomanica T. II. In Descriptione antiquæ, & novæ Pannoniæ, a Comite Rekum hæc præsidia occupata, & Turcas præsidiarios Posonium captivos abductos fuisse reperio. B) C. Suetonius Tranquillus Lib. II. de Octavio Cæsare Augusto prodidit, post auditam Varianam cladem, adeo consternatum, ut per continuos menses barba, capilloque summisso caput interdum foribus illideret, vociferans: Quinctili Vare, legiones redde; diemque cladis quot annis mæstum habuerit, ac lugubrem. Sunt verba laudati authoris.

A. C. tis furentem, opportune placavit, evicitque, ne cruenta Mithridatis, A) 1683. Regis Ponti B) vestigia, quem par furor in cædem Romanorum per omnem Asiam impulit, ipse Ponti Dominus, ingrederetur.

At Vezirius, quo omnem culpam infaustæ expeditionis a se amoliretur, & testes suæ ignaviæ e medio tolleret, in non paucos Præfectos animadvertit. In castris Budam inter, & Strigonium locatis, Ductores quinquaginta cum Eszekinensi, & Posegano Bassis, partim capite plecti, partim Zona collo injecta strangulari jubet. Istorum suppliciis proludebatur neci, virtute bellica clarissimi viri, qui supremum funestæ tragœdiæ actum, magno militum terrore, sed majori, quod author nollet, indignatione, invidiaque complevit. Budensis is erat Præfectus, cognomento Ibrahimus, multorum stipendiorum in Asia, & Europa miles. Hic non tam æmulatione, quam difficultate permotus, Viennæ oppugnandæ consilium maxime unus damnavit, atque in campo potius ad Vagum amnem evigilare C) maluit, ac oppugnationi, cujus minus prosperum exitum animo præconcipiebat, interesse. Sex tamen diebus ante, quam obsidione soluta est urbs, cum suis copiis Viennam accessit, sive Vezirii errata correcturus, sive cladem aversurus a Turcis, si Christiani prælio decertarent. Quo ardore in supremo certamine pugnarit? Poloni equites sensere. Hunc inprimis reformidavit Vezirius, quod rerum militarium calentissimus, quid in oppugnatione, in postrema pugna peccatum, optime omnium teneret. Tanti accusatoris metu se semel liberare decrevit, ne semper timeret. Et quamvis amicorum multi, quibus sanguinarium consilium minime probabatur, persuadere niterentur, ut ne cæde primarii viri, & gratia apud Mahometem validi, (quippe hujus sororem Ibrahimus conjugem habuit) collum ultro laqueo innectat, ille tamen facile contemptis familiarium monitis; nam impetu magis, quam matura deliberatione omnia agere solitus, & suopte ingenio ab aliorum consiliis plerumque aversus; nullius sceleris convictum securi percutit; multa per Hungariæ provincias lætitia, quas ille postremis hisce annis, validis continenter excursionibus obnoxias habuerat, ac divexarat. Tam atroci facto ut speciem honesti indueret, perduellionis notam Ibrahimo inurit. Totis adeo castris evulgat: eum omnia Turcarum arcana prodidisse Christianis; minutim perscripsisse, quantæ copiæ? quo tendant? oppugnationi Viennensi hunc unum intercessisse in Senatu, in campo perpetuo obstitisse. Ægre adductum, ut postremis diebus obsidioni cum suis copiis interesset; nisi fortassis ea causa advenerit, quo tutius res Ottomanorum affligeret. Illius utique factioni attribuendum, quod montium aditus, ac angustias miles non insederit, Nucetum vallo permunitum deseruerit, Germanis aditum in castra primus dederit. Jure cæsum videri, quem tot argumenta execrandæ proditionis reum faciunt.

Speciosis hisce mendaciis Vezirius non potuit imponere militibus, qui seu ex odio in Vezirium, seu in Ibrahimum amore judicium ferentes, insuper fortium factorum haud ignari, cæsum plane absolvebant, culpamque omnem transferebant in Vezirium, invidiæ retinentem adversus Ibrahimum, veterem belli æmulum. Hunc exitum habuit Ibrahimus, aulicarum non minus, atque bellicarum rerum peritus; pari nimirum fato sublatus, quo alter Ibrahimus sub Solymano II. qui post infelix obsidium urbis Viennæ, collusionis cum Christiano exercitu insimulatus, vitam amisit. D) Adeo verum est: IN HOC magno orbis theatro personas interire, easdem tragœdias identidem recurrere. Quanquam Ricautius a Scriptore Italo proditum

ditum

A) Mithridates, Ponticarum gentium Rex, ut meminit L. Annæus Florus Lib. III. c. V. omnes, qui in Asia forent, Romanæ civitatis homines interfici jussit. Et T. Livius Patav. Lib. LXXVII. Epitom. B) Nempe illius regionis Rex, quæ Orientem intuentibus ad sinistram jacet prope Euxinum Pontum; qui a Strabone, Tacito, Plutarcho mare appellatur. C) Ibrahimum fervente oppugnatione rem alibi egisse, certum habeo. Volunt aliqui, eum cum Tökölio ad Posonium, ad Moravam fluvium adversus Lotharingum pugnasse, verum utriusque pugnæ eventus longe infra fortunam, & militarem scientiam Ibrahimi videtur fuisse. At quis ignoret, virtute, & consilio, felicissimos belli Imperatores sæpe superatos? D) Vide Tom. I, pag. 140.

ditum meminerit: Ibrahimum interfectum, ut Vezirius ejus conjuge (Basclaris huic nomen fuit) quam incassum deperibat, sine æmulo potiretur; at illam aspernatam hominis crudelitatem, oblatos thalamos non recusasse modo, sed ultimam quoque perniciem apud Imperatorem fratrem, barbaro accelerasse. Istud etsi in Principes viros Turcarum, quantum dignitate prætumidos, tantum in ejusmodi amores frequenter effusos, perbelle cadat, tamen Kara-Mustaphæ hanc labem illinere supersedeo; cum locupletes Historici, qui vitia pariter, atque virtutes summa libertate literis mandarunt, altum taceant.

A. C. 1683.

Imperator sive reipsa facta Vezirii, sive in speciem eatenus probarit, ei non vulgaris pretii munera, veluti felicissimo Imperii Ottomanici propugnatori transmisit. Isthoc Imperatoriæ benevolentiæ signo multum erectus, rursum grassari cœpit in Præfectos militum, quos delatores in aula fore suspicabatur. Ipsum adeo Regulum, seu Chamum Tartarorum neci addixit, quod liberius perstrinxerit ejus imperitiam, suumque consilium ad Viennæ mœnia datum, in castris jactarit. Suaserat nempe Vezirio, ut relictis ad obsidionem pauculis, adversus Christianorum copias educeret suos, summamque totius belli in eo prælio collocaret. Procul dubio urbem victum iri, si pugna vinceret. Sed ille alieni consilii, si ultro præsertim offerretur, impatiens, suæ sententiæ inhæsit, urbemque simul, & Confœderatos divisis bipartito copiis aggressus est. Ex quo confecit Chamus, attenuatis nimium viribus legionum, Turcas & prælio inferiores fuisse, & obsidione depulsos. Hæc cum verius, quam prudentius commemoraret, Vezirium in terrorem, defensionemque sui alioquin intentum, adeo exasperavit, ut imminentem damnationem maturata e castris fuga prævertere debuerit. At non propterea placavit iratum: dignitate exutus ex imperio Vezirii, alterum suæ gentis Principem vidit, & coluit.

Hæc talia dum impotens sui patrat, castra gravissima seditione exarserant. Urebat inprimis Janicsaros clades Viennensis cum insigni dedecore (duo enim primaria signa hujus ordinis amissa sunt) conjuncta, quam unius Vezirii ignorantiæ tribuebant. Funera præterea tot Ducum, & Bassarum, quorum ductui, & virtuti, quidquid prospere cessit, ex magna parte debebatur, quæ præmia singuli a furente, totque nobilium virorum sanguine efferato expectare possent, unum quemque admonebant. Neque illud ad concitandam multitudinem erat postremum, quod plurimi sine tentoriis, cœli injurias autumno sæviente perferre, ultraque statos dies in campo persistere adigerentur. Inter minas, strepitusque, & concussiones armorum nihil deterritus Vezirius, Principes tumultus, quive culpæ propiores comperti fuere, non pauciores centum, per Prætorianos comprehendi, illicoque frameis concidi jussit. Mirum profecto erat, Janicsaros ad supplicium commilitonum, in ea armorum licentia vi omni abstinuisse, nihilque in supremum armorum Præfectum attentasse, quod ejus authoritatem imminueret. Crederes non alia de causa turbasse castra, quam ut ad præsentiam Vezirii pacati, disciplinæ militaris, suæque modestiæ specimen possent edere. Sed istud fortassis ex composito egerint, ut integras querelas suas Imperatori deferrent, ipsumque eo acerbioribus pœnis reservarent, quo majori fama, & pompa, Principi etiam suo invisus plecteretur. Post non multo recrudescente acrius seditione, Tartarorum gens in suam provinciam, Janicsari Belgradum turbidi discedunt. Ad hos motus non pauci Strigonio se subduxere: unde leviori impendio stetit Lotharingo loci hujus expugnatio, qua expeditionem Christianæ Reipubl. saluberrimam, Dux omni memoria dignus coronavit.

Rebus ad Viennam utcunque compositis, Lotharingus decima octava Septembris, iter in Hungariam edixit. Poloni prope oppidum Kópcsinium tetenderunt; Cæsarei, & Bavari, qui biduo post secuti sunt, Petronellæ, & Heimburgi castra metati, sex diebus, magna utique jactura temporis, subsistere cogebantur, dum pons navalis Tulna accersitus ad Posonium

A. C. ſtrueretur. Nec recto, nec celeri itinere ad Vagi confluentem profecti, eo- 1683. que ſeptima Octobris transmiſſo, Ujvarinum ingenti terrore compleverunt. Et jam aliquot turmæ Polonorum, qui primam aciem faciebant, præſidium propius accedentes, cæſa in itinere valida Turcarum manu, abductisque quinquaginta captivis, obſidium, obſidiique damna minabantur; A) cum Dux æſtimatis paludibus, Nitra fluvio, quæ autumno in hyemem inclinante, irritam redderent oppugnationem, Strigonium præ Ujvarino impetendum delegit. Re in Conſilium bellicum adducta, ea etiam de cauſa Lotharingi conſilium prælatum fuit, quod ſecundo Danubio commeatus, cæteraque ſupellex caſtrenſis facilius devehi in caſtra poſſet, & redacto in poteſtatem principe Hungariæ fluvio, Fœderati latiſſime dominarentur; id, quod Montecuculus, veteranus in Hungaria adverſus Turcas bellator, perpetuo tenuit; tum ſi Strigonium caperetur, Buda ad ictum pateret. Igitur poſtridie B) Rex Poloniæ cum ſuo equitatu, uno veluti curſu Parkanum c) verſus, in ripa Strigonio oppoſita præſidium, contendit, tanta feſtinatione, ut nemo unus e peditatu Polonico prævolantes conſequi potuerit. Nempe diſcordes animis, diſcretos viribus (ut exploratores retulerant) hoſtes aggredi ſtatuerat ante, quam Ducibus authoritas, militi obſequium, junctis legionibus fiducia rediret. Lotharingum in procinctu Rex admonuit: tendere ſe Parkanum cum ſuis, ad prædabunda hoſtium agmina rejicienda. Nihil quidem magnopere formidandum a circumvagantibus prædæ magis, quam pugnæ accinctis; ſuadere tamen, ut Cæſarei motis illico caſtris ſequantur.

Perculſus improviſo Polonorum cœpto Dux, per Dunewaldum Regem edocet: rem plenam diſcriminis eſſe ſine Confœderatorum viribus in pugnam ruere; ſibi compertum, juſtum exercitum barbarorum, Tököliaños item haud procul, pro Parkano in armis ſtare. Temperaret ſuo ardori, & explorato prius camporum ſitu, hoſtium numero, maturo conſilio expeditionem moderaretur. Equeſtres turmas ſine peditatu, a Janicsarorum cuneis facile ſuſtineri, disjicique. Si tantopere in pugnam æſtuet, peditatum ſimul in hoſtem duceret. Rex ordinando militi intentus, accurrentem Dunewaldum placida fronte accepit, laudavitque cauti Ducis veteranam prudentiam. Verum hæc monita a nonnullis Nobilium, uno equeſtri prælio, una virtute Polonorum debellare ardentium, rejecta fuere, quorum æſtu mirum in modum accenſus Rex, primis agminibus immixtus cum filio in Turcas feſtinavit; Lotharingo interim, infelicis eventus præſago, equitatum ſuum in aciem educente. Suboluerunt hæc omnia exploratorum indicio Ottomanis. Itaque in omnem occaſionem intenti, alacres animis, corporibusque, ſine mora ſe ad prælium expediunt, inſidias ſtruunt. Frequentiores ad Parkanum tumuli aſſurgunt, non ad pedites modo, ſed & equites tegendos ſatis latebroſi, cæterum latior undique pateſcit campus explicando equitatui opportunus, niſi quod ſiniſtrum latus Danubio claudatur. Sub eos tumulos robora virorum ſe condunt. Pauculi equites, pecorum gregem Polonis curſum intendentibus adverſum agunt; juſſi injecto certamine, cedendo, hoſtem inſidiarum ſecurum ad tumulos protrahere. Res e ſententia ceſſit.

Etenim Poloni conſpicati prædam, raroſque equites; feroces alioquin ea parte virium, avidi certaminis turmam invadunt, propelluntque, ac ad tumulos inſequuntur. Turcæ, ubi id quod petierant, clauſos, ac circumfuſos ſuis copiis habuere hoſtes, accepto ſigno, ex inſidiis prorumpunt, ac glandium procellam in-

A) Deſcriptio antiquæ, & novæ Pannoniæ. B) Id eſt octava Octobr. ut Hiſtoria Magni Leopoldi. E Lenchnichio ſeptimam fuiſſe eruo. c) Parkanenſium munitio eam ſubinde nacta eſt bellorum fortunam, quam multæ urbes, & præſidia in Hungaria, id eſt ſuis tumulata eſt ruderibus; ut illud de Vejentium urbe Propertii carmen, appoſite occini poſſit:

Nunc intra muros paſtoris buccina lenti
cantat, & in veſtris oſſibus arva metunt. Lib. VI.

in improvidos continenter spargunt. Ad eam tempestatem ut improvisam, ita A. C. multorum cæde cruentam, media acies in fugam vertitur; prima, quam Rex du- 1683. ctavit, ægre prementium vim sustinuit, fluctuantibus jam signis, & multis reditum solicite circumspectantibus. Tam prospero initio pugnæ calentiores Ottomani, primam aciem circumdant, viaque fugiendi interclusa, ex omni parte ferocissime urgent. Rex perculsis omnibus, ipse satis, ut in re trepida, ac ultimo discrimine impavidus, turbatos ordines instruit, refrigescentem pugnam accendit; fugitivos retrahit; stare, & pugnare in hostem jubet, hortaturque: neque enim indecora fuga, sed vi, & virtute incolumes fore. Per Janicsarorum cuneos ferro viam quærendam; & quo timoris minus sit, eo minus periculi.

Cæterum inter cadentium, morientiumque dissonos clamores, nec consilium, nec imperium Regis accipi potuit: tantumque aberat, ut sua signa, atque ordinem, & locum nosceret miles, ut confusus vix ad arma prælio aptanda competeret animus. In ea omnium perturbatione haud procul a pernicie aberat Rex, quem Ducis, militisque partes strenue obeuntem, hastatus Turca ferociter aggressus, transverberaturus haud dubie videbatur, nisi Prætorianus miles periculum in tempore conspicatus, infesto venienti semet objiciens, ictum, & mortem pro Rege excepisset. Non levius alterum periculum fuit, pari felicitate, minori impendio depulsum. Prægrande ferrum alte sustulerat ferox, furentique similis Janicsarus, Regem uno vulnere confecturus. Accurrit illico gregarius, ferreaque fistula in pectus invadentis directa, ac soluta, pium, fortemque Regem ab interitu servavit. A) Nimirum summi bellorum Duces in eum se promovent sæpe locum, aut in iis deprehenduntur angustiis, ubi Marti tantum in eos licet, ac fortunæ, quæ sacros Regum vertices perinde, atque infima gregariorum capita cruento petere acinace non horret. At bonis Superis curæ sunt illi, quibus Superi, Superumque causa cordi fuere; ne vita temere inter arma exuantur, ex qua miles suam vitam trahit. Regius Princeps ingruentibus telis, seu Patris jussu a Prætorianis in tutiorem locum abreptus, seu sua virtute per hostium stragem eluctatus, ubi Patrem circumventum vidit, raros in orbem pugnare, Turcas nudatis frameis rem gerere, anxie Lotharingi, suorumque opem imploravit. Dunewaldus, qui Regiorum inclinatam aciem spectavit, de rerum statu Lotharingum celerrime edoctum admonet: ni perdita velit omnia, quamprimum auxilietur. Ille omnem equitatum sub primum fugæ tumultum, ita in campum promoverat, ut inter utrumque eorum tantum intervalli relinqueret, quo se Poloni recipere, atque absterso terrore ordines recuperare possent; ipse ex utroque latere hostem impetiturus. Sed jam Prætoriani, Regis sui manifesto discrimine stimulati, Turcarum cuneo disjecto viam sibi elabendi aperuerant. Victores conspectis Germanorum ordinibus non ausi fugientibus instare; receptui cecinere. Lotharingus e re minime censuit, ut sociis perculsis, sine peditatu, victoria exultantes ad tumulos insidiis aptos invadat; sat prospere actum eo die cum Christianis existimans, quod Regem e mediis hostium integrum, incolumemque rediisse acceperit. Occisorum cadavera in arena jacuere duo facile millia, quos inter Pomerelliæ Palatinus præcipitis consilii author, præter plurimos ordinum Ductores, ac Senatoriæ dignitatis viros.

Hac suorum jactura nimium dejecti Polonorum Proceres, collatis inter se sententiis Regem adeunt, orantque: *ut de reditu potius in patriam, quam de bello in Hungaria prosequendo cogitet. Ingravescere hyemem, hyemisque incommoda omni hoste acerbiora. Asperis, longinquisque itineribus legiones attritum iri, in quibus tamen Poloniæ salus versatur. Vienna libertati reddita, Pontifici, Cæsari, Christiano orbi satisfactum. Hac nullam fertiliorem gloriæ messem Polonis obventuram in Hungaria. Minoribus præ-*

liis

A) Hæc mutuatus sum a Porta Ottomanica; neque, ut opinor, ingratiis Lectorum, quibus & fortia facta, & præsentissima pericula Regis, quæ male de tanto Heroe intercciderent, prodere animus erat.

A. C. 1683. *liis militem hauriri. Timendum, ne amisso copiarum robore, anno insequenti Poloniam proterant Turcæ, Tartarique. Patrios lares periclitari, dum in exteris regionibus arma peregrinantur.* Hæc in speciem obtendentes, reapse infelix prælium urebat, in quod imperantibus similiores Regem pertraxere; pudebatque inter Germanos versari, ipso veluti aspectu hesternam cladem exprobrantes. Rex dolore quidem alte perfossus, animo tamen nihil inde demisso, re cum Lotharingo communicata, non obstitit modo factioni suorum Procerum, sed novo quoque prælio hostium vires tentandas duxit, modo utraque ex gente, una acies strueretur. Hac Regia magnanimitate erecti Poloni, occasionem reddendæ cladis alacres accepere.

Ea haud procul aberat. Nono Octobris decreta universim pugna, explicata acie, occinentibus tubis, ac tympanis præliarem in modum constrepentibus, ad Parkanum propius successum est. Equitum Cæsareorum erant millia novem, peditum duobus fere pauciora, experti belli, plurium pugnarum homines, spes ipsa victoriæ. Dextræ alæ Badensis cum Gondola, & Mercyo; sinistræ Dunewaldus cum Palffio, Taffio imperavit. Illam Danubius, hanc frequentiores tumuli tegebant. Peditatui Starembergius, & Dux Croyus præfuere. Poloni terna agmina fecerunt. Primum Rex ipse tuebatur in sinistro; alterum in dextro cornu Jablonszkius regebat, Cæsareo equitatui intermixtum. Tertium in subitos casus, e consilio Lotharingi, reservatum. Hoc ordine lento gradu progressi, tertia ante meridiem hora Turcas in conspectu habuerunt. Erant illi etsi pro more gentis non maximo numero, majore tamen, quam creditum, animis etiam e Polonorum strage auctiores. Duodeviginti pugnatorum millia fuisse captivi postea prodiderunt. A) Præerant his summo jure bini Prætores Aleppi, & Silistriæ; & Budæ Præfectus Ibrahimi successor. Acie scite composita, ut intra teli jactum constitere Christiani, dimicandi initium fecit Turcarum sinistra ala, feroci impetu in Jablonszkium invecta. Accurrente Dunewaldo firmior jam equitatus, non gradum tenuit modo, sed invasores insigni clade retro egit. Sed non propterea pugnandi ardor resedit; imo ira, dedecoreque accensi ferociores redeunt, ac pulsi, pellentesque victoriam dubiam æquato diu Marte faciunt: donec Dunewaldus circuito tumulo, hostium latus incurrit. Tum fluctuare cœperunt Turcæ. A fronte validissima impressione nutantes, pugnæque dubios urgent Poloni, ac demum adhortatione Jablonszkii, præeuntisque exemplo, maxima vi incumbentes fundunt, fugantque. Dextrum Cæsareorum cornu celerius vicit. Primam, & mox continentem displosionem fistularum, adeo non tulit leviter armatus Ottomanicus eques, ut versis continuo signis, fugam capessiverit. Eo pavore correpti pedites, paulatim cessere, insequente Germano, ac fortissimos quosque, qui pugnam postremi ciebant, passim sternente; in apertam deinde fugam acti. Verum longe major a Polono est strages edita, per patentes campos inter perpetuas cædes grassante.

Qui ferrum evaserant, vicinum Parkanense præsidium, vallis, tormentis, numerosoque milite munitum, ingenti cum tumultu, ac terrore petierunt, magno utique præsidiariorum malo, quos pari formidine, mox inevitabili strage involverunt. Nam ubi præsidiarii vident fugitivos, desperata loci defensione, per portam Danubio proximam, se se certatim ejicere, atque ad pontem festinare; & ipsi abjecta armorum cura, fugientibus impliciti, cursum præcipites ad pontem intendunt. Hic enimvero multo maxima hominum, jumentorumque strages fuit. Quippe dum cæca festinatione alii alios prævertere, omnesque fugientium Duces esse nituntur, adeo onerarunt pontem, ut per multitudinem prægravantem eo disrupto, pluri-

A) Imo Historia Magni Leopoldi ex iisdem innotuisse ait, quatuordecim Spahiorum, duodecim peditum millia pugnam inivisse, atque ex omni eo numero haud plura, quam terna millia evasisse; quod utique mirum commendat Fœderatorum virtutem. Lege modo, & illustri victoriæ applaudes.

plurimi in altum flumen effusi; atque ut erant plerique armis graves, & cursu exhausti, mersi fuerint. Hanc Turcarum trepidationem, atque pontis ruinam ubi intellexit Lotharingus, Starembergium cum quinque cohortibus, & signis aliquot Polonorum, Dimachas item equo jussos descendere Badensi Duce propere immittit, ut ex utroque latere revulsis Parkani sepimentis, præsidium, & ponti præstructum aggerem invadant. Viso aggredientium apparatu, candido vexillo deditionem sero obtulere oppidani. Badensis enim effracta una portarum, in medium forum infusus, eodemque tempore Poloni, vallis, partim fossione subrutis, partim scalis transcensis, irrumpentes, capita viarum armis occuparunt. Ad pontem, quo se ejecerant fugitivi, funera continuata sunt. Multi in aquas se projicientes, deprimentibus armis mergebantur: neque alios peritia nandi morti eripuit, quin destinatis e ripa ictibus trajicerentur. Meliori fortuna usus est Budæ Præfectus, qui pernici equo inter primos elapsus, firmo tum adhuc ponte, alteram ripam incolumis tenuit. A)

A. C. 1683.

Ad rumorem capti præsidii aliis, aliisque advolantibus, tanto militum furore, ac cædis aviditate sævitum est, quantum raro alias in ejusmodi excidiis, locorum Christianos effudisse legeris. Etenim Poloni memores acceptæ cladis, in qua nemo non sanguine junctum amisisset, aut charum commilitonem, vel certe gentis suæ gloriam, privatum dolorem impotenter ultum ibant, atque ut pluribus quasi victimis placarent suorum Manes, laxato iræ, furorique fræno, obvios promiscue trucidabant. Octingenti duntaxat, quos vallum defenderat, traditis armis, in deditionem accepti, & Ducum interventu lanienæ subtracti. Post devictos hostes, spoliorum causa inter victores certamen exarsit, non nisi admoto legionum terrore sopitum. Poloni a Lotharingo præsidio impositi, jam prædæ magis, quam sanguinis cupiditate flagrabant. Cum ecce! conspectis sociorum capitibus, quæ Turcæ more suo perendie magno numero palis præfixerant, novo perciti furore arma capiunt, ac consumpta omni clementia, truces, implacabilesque imbellem puerorum, atque mulierum turbam per domos obtruncant. Mox facibus armati, toto oppido discurrentes, admoto domibus igne spargunt incendia. Arsit cum oppido multa annonaria penus, pulvis pyrius, omnis generis bellica supellex, ut adeo populatrix flamma nihil reliquerit Polonis, præter sævum victoriæ suæ monumentum. B)

Et sane fœda, nec verbis æquanda illius loci calamitas erat. Ad caput pontis omnia strata cadaveribus visebantur. Danubius sanguine barbarorum pictus, cæsorum corpora volvebat. In præsidio armorum sonitus, clamor terrentium, aut paventium inter crepitantes flammas audiebatur. Per fora, per vias crebra funera, sanguinis rivi occurrebant. Funestam tragœdiam mæstis oculis e mœnibus arcis spectarunt Strigonienses; quodve dolorem auxit, circumventis sociis adesse non poterant, seque prælio, & excidio Parkani jam victos haud ex vano augurabantur. Nam ex omni numero armatorum, non nisi terna millia abiisse, e captivis est cognitum. Unde facile conjicies, multo majorem hic stragem accepisse Turcas, atque in postrema dimicatione ad Viennam, qua pulsi potius, quam cæsi erant. Altero die sub Regio papilione, Deo ter optimo maximo, tam illustris victoriæ authori, grates redditæ tormentis, etiam captivis, quorum quinque, & viginti fuere, adversus Strigonium horrendo fragore exoneratis. Lotharingus haud ignarus hostium metus, quando ex rebus ad Parkanum gestis, Vagi provinciis consultum videbatur, exercitum in alteram ripam transducere festinavit, aggressurus cum victore milite Strigonium. Plerique Ductorum cum Cæsarei, tum Regii oppugnatione validissimæ arcis, oppidique mœnibus egregie firmi, suspensi; magis arduum aliquanto consilium, quam

A) Prætorem Hierapoleos, captis adnumerat Porta Ottomanica. Historia magni Leopoldi prælio interfuisse negat, Descriptio antiquæ, & novæ Pannoniæ affirmat Strigonium fugisse, arcique propugnandæ operam dedisse. Descriptionis authori assentior ob pugnantium multitudinem. B) Urbem stratam potius, quam incensam, nobilius monumentum & clementiæ, & victoriæ esse, nemo negaverit.

A. C. ut exitum prospere sortiretur, existimarunt. *Namque*, ajebant, *Strigo-*
1683. *nium frustra terra obsideri, cui commeatus, & subsidium per Danubium pateat. Navigia admodum pauca adesse, quorum occursu Turcarum classicula arceri possit. Pontem Turcicum tormentis præsidii subjectum, nulli usui futurum: novum vero, quo miles trajiciatur, in tanta vicinitate hostium extruere, rem summi periculi. Certe interturbandum, aut cum clade Christianorum excindendum. Jam etsi frænato flumine ab hostium injuriis tutus, integerque persistat, cogitandum inprimis, an virium abunde sit, quibus urbs, & castellum claudi, Vezirii, cum non exiguo militum numero excubantis, conatus retundi possint? præterea hyemem propinquam, pabuli defectum, minutas copias, minime aptum apertæ obsidioni tempus, memorabant, suadebantque universi, ut quietem lasso militi concedat, cadente donec hyeme validior ad pugnam, ad obsidium emittatur.*

Factis potius Lotharingi, quam longa oratione Strigonii oppugnationem probarunt, Cæsarei maxime, qui omnia tribuebant ejus fortunæ. Etenim tantum pabuli paucos intra dies Quæstorum opera convectum est, ut equestribus legionibus, veluti in opimis hybernis, nihil rerum defuerit. Navalis pons Comaromio devectus, dimidia supra Strigonium leuca Danubio impositus, ac in aditu adversus hostium incursiones, omni telorum genere operose munitus, tutum ultro, citroque commeandi iter militi dedit. Sexta, & decima Octobris, exercitu in alteram ripam deducto, Turcæ suburbia, montisque Divi Thomæ ædificia flammis corrumpunt. A) Eodem die transfuga quidam, gente Rascianus, prodidit: in urbe omnia metu torpere; exercitum Vezirii e quindecim Bassarum copiis conflatum, recepisse se ultra Budensem agrum; Janicsaros tumultuari; Budam arma Confœderatorum expavescere. Hæc transfuga, grata nempe, & accepta militi enarravit, quo facilius matri, fratrique suo in urbe hostili degentibus vitam, & fortunas a victore impetraret. At per exploratores cognitum fuit: Vezirium quidem abiisse, fieri tamen aliqua castra spatio sex leucarum Strigonio. Unde Poloni ad custodiam alterius ripæ remissi. Divisis inter Duces, militesque ex Lotharingi partitione muneribus, simul Starembergius Aquariam urbem muralibus tormentis, per tenuem Danubii ramum quatere; simul Cæsarei e monte Divi Thomæ arcem; Bavari Budensem portam infestare occipiunt; simul Mercyus cum quater mille levioris armaturæ equitibus ad speculandum hostes; equitatus reliquus multiplici statione vias Strigonium ferentes, occupandas festinare jussus; admonitis Præfectis, ut assiduo turmas aliquot expeditas habeant adversus eos, qui auxilio adfuturi obsessis ferebantur. Starembergius post acrem verberationem murorum, aggressionem adornat, non tam spe arcis potiundæ ea ex parte, quam reducendi in potestatem Danubii, ne quid subsidii adverso flumine præsidiarii acciperent. Vigesima quinta Octobris Starembergiani, pars per ruinas aditum in urbem rimati, pars admotis scalis in muros connitentes, difficiliorem, ac crediderant, oppugnationem experti sunt.

Nam præsidiarii æstu gloriæ accensi (res etenim in conspectu arcis agebatur) non uno in loco commissa pugna, insigni fortitudine aggredientium vim sustinuere. Animos addebat clamor commilitonum adhortantium, crebrique tormentorum ictus; tum vicinitas arcis, quo se amissa urbe recipere possent. Fama est mulieres supra sexum suum ferociores, defensorum manipulis fuisse immixtas, ac militari cultu armatas, nullum laborem defendendæ urbis, nullum telorum genus reformidantes, muros adversus invasores manu strenue defendisse. Certe inter cæsorum cadavera, vulneribus adverso pectore acceptis, repertas fuisse aliquot, victores postea retulere; mirantes earundem robur, & ferociam, plane ut fuisse mulieres, non nisi post mortem agnitæ fuerint. Sed Starembergii solertia, nunc integros sauciis submittentis, nunc pluribus locis muros invadentis, hanc ferociam

A) Nempe Regiam urbem. Aquariam enim ad defensionem comparatam, cur incendio delevissent? non video.

rociam postremum fregit. Defensoribus partim cæsis, partim in arcem compulsis, duodeviginti tormenta, multum pulveris pyrii victoribus obvenerunt. Capto oppido arx ipsa biduo post deditionem obtulit, insolita gratulatione Ducum, quos oppugnationis difficultas magnopere terrebat. Sed ut primum manus admotæ operi, animadversum est, omnia opinione facilius processura. Pilis ignivomis e monte Thomæo in arcem diu, noctuque injectis, plurimum stragis hominibus, tectisque illatum. Bidui jaculatione ad portam Budensem vasto hiatu muri procubuerunt: tormentorum hostilium sedes inutiles redditæ; turres magnam partem decussæ, ut adeo Bavari sub primas tenebras in mænium ruinis, Cæsarei in fossa semet contra eruptiones Turcarum obmunirent. Cuniculatorum industriam etsi prima fronte vincerent crebriora saxa, quibus ager ille abundat, tamen quod Lotharingus prosperum successum in una celeritate positum haberet, ne vel auxilia obsidium turbarent, vel Poloni moræ impatientes discederent, suis consiliis, præsentiaque tantum apud fossores potuit, ut binos cuniculos evacuaverint, ultimum arci fatum allaturos.

A. C. 1683.

His intellectis Poloniæ Rex per Turcam captivum Gubernatorem admonet: spem omnem suppetiarum deponeret, Vezirium suæ fortunæ memorem, Christianorum metu ad Belgradum hærere, neque Janicsaros seditione turbidos Strigonii causa advolaturos. Arcem mænibus nudatam una impressione captum iri; præsidiarios, nisi matura deditione malum prævertat, eandem, quam Parkanenses experti sunt, habituros fortunam. Motus tam aperta denunciatione Præfectus, cessationem armorum unius diei postulavit, quo super hoc negotio cum suis deliberaret. Ea simpliciter negata, ut sine jactura militum deditio extorqueretur, omnibus machinis arx impetitur quatuor, & viginti horis. Post igneam tempestatem candido signo sublato, deditionem propere se facturum pollicetur; modo præsidiario conditiones decoræ, sibi testimonium amplum daretur, in defendenda arce nihil se prætermisisse. Lotharingus lætus paucorum dierum impendio, nulla prope jactura suorum, nobile præsidium expugnatum, mitiores multo conditiones Gubernatori vicesima septima Octobris edixit: *præsidiarii armis induti, explicatis signis, sonantibus tympanis, cum uxoribus, liberis arce excedant; res eorum, uti & annona duorum dierum curribus Cæsareorum ad ripam Danubii devehantur. Navigia Cæsarei præstabunt, remiges Turcæ; liberaque navigatione utentur, dum omnia sua Budam deportent. Machinæ castrenses, penus pulveraria, annona, Christiani captivi, bona fide tradantur: cuniculi sine dolo detegantur.* A)

Postridie septingenti B) armati cum oppidanis, a Cæsareis ad Danubium deducti, ac grandioris formæ navigiis impositi Budam defluxere. Prætor Aleppi, sive Hierapolitanus cum Nicopoleos Gubernatore, qui a prælio Parkanensi Strigonii salutem quæsiverunt, & arcis Præfectus, equitumque turma Budam terra profecti, ne a Polonis in itinere contrucidarentur, comitivæ Germanorum debuerunt. Repertæ sunt majores, minoresve machinæ quinquaginta, in sex, pluresve menses res cibaria; denique viginti quinque matres familias cum parvis liberis, e teterrimo carcere in libertatem assertæ. In marmoreo veteri sacello præsente Rege, decantato solenni gratiarum carmine, arcis præfecturam accepit Carlovizius Starembergianæ legionis Structor, vetus, fidusque miles. Nuncium victoriæ ad Leopoldum Cæsarem Comes Auerspergius detulit; ad reliquos Principes publica fama; maxima Lotharingi commendatione, quod tantam arcem non nisi tridui oppugnatione, adversus omnium fere sententiam suscepta, sine multo sanguine Regi, religionique reddiderit, postquam pluribus annis sub jugo Ottomanorum gemuit. c) Imposito præsidio mille Germanis, & quinquaginta equiti-

A) Ita Descriptio antiquæ, & novæ Pannoniæ. B) Porta Ottomanica numerum præsidiariorum auget, superadditque septingentis, mille tercentum. c) Anno 1605. Strigonium a Turcis subactum. Vide Tom. I. pag. 283.

A. C. equitibus Hungaris, ac novis munitionibus machinatorum ingenio, Lotharingi judicio fundatis, in hyberna discessum est.
1683.

Poloni partim in patria, partim in superiori Hungaria habituri stativa, quinta Novembris conclamatis vasis Parkano moverunt, comitante Henrico Dunewaldo cum quatuor legionibus Cæsareorum. Non segne illorum iter fuit. Multa oppida admoto armorum terrore, Tôkôlio, & Turcis erepta. Cassovia Tôkôlianæ factioni innutrita urbs, munimentis, milite firmata, sæviente præterea frigore ab aggressione tuta, iras in hyberna properantium risit. At Szécsenium A) Ottomanorum præsidio, vallis, sudium duplici sepimento, & castello ferox, quoniam Polonos inter, & Cæsareos commercium præcideret, decrevit Rex Cæsari asserere. Turcæ non tam numero, quam ira in Polonos animati, non dubitarunt locum adversus arma sat validum propugnare; rati insuper omnem moram gravem fore festinantibus, nec processuram oppugnationem, tempore jamjam in hyemem declinante. Atque, ut sui aliquod specimen præberent, egressi pedites, equitesque, subitariam pugnam posituris castra inferunt, revectique in oppidum, aliquot domos defensioni noxias incendunt. Fumo late diffuso Cosaccorum equitatus sine prælio, sine sanguine ad portas succedit, præstructum oppido vallum excisis sudibus obtinet, præsidiariosque in castellum retrudit. Externis munitionibus improviso exuti, cum agressionem molirentur Poloni, deditionis signum sustollunt, seque Regis clementiæ tradunt, enixe orantes, ut salva libertate ad suos emittantur. Liberalitate Regia concessum est, ut egrederentur cum armis, impedimentisque quingenti equites, & ter centum pedites (tot enim in præsidio erant) quos Dunewaldiani Budam comitati sunt. Abeuntibus Turcis, Cæsareus miles occupavit Szécsenium. His rebus confectis, suisque in hyberna collocatis, B) Rex vicesima tertia Decembris, triumphantis in modum Cracoviam intravit, Jacobo filio, & primariis militum Ductoribus stipatus; maxima civium e regno toto affluentium gratulatione. Ita finiit Joannis Sobieskii, Polonorum Regis Austriaca expeditio, ipsi, genti, orbi Christiano non minus utilis, quam gloriosa. C)

Cæterum, ut & hoc addamus, Rege alibi circumferente arma, Andreas Potocius, sive Potoczkius, Cracoviæ Castellanus, in Podolia rem adversus Ottomanos feliciter gessit. Expugnatis, direptisque minoris nominis hostium præsidiis, Camenecenses, & Tartaros ausos aperto in campo metari, uno prælio cæcidit. Spe præterea, famaque auctus Moldavorum a Turcis diffidentium, expeditionem in Moldaviam adornat, trahensque aliquot millia pugnatorum Jassium, regionis caput, infestus aggreditur. Qui Principis vices obibat, sponte deditione facta, præsidium Polonorum in urbem accepit. Relictis in Moldavia Cosaccorum signis, victor Potocius in Poloniam redit. Istorum Dux Kunicius, cum fidis Valachorum trans fluvium Pruthum D) pervigil stationem tenuit. Tricesima Decembris a Turcis,

A) Lengnichius meminit in sua Historia hujus oppidi deditione capti; at corrupto vocabulo. B) Timonianæ Epitomes Chronologicæ Continuator cum Historia Magni Leopoldi ait: Polonos cum Rege suo in patriam abiisse hybernatum. In Lengnichio, Porta Ottomanica, Descriptione antiquæ, & novæ Pannon. item epistola Tôkôliana suo loco recitanda reperi, partem Polonorum in Hungaria cepisse stativa. Procul dubio tredecim oppida juris Polonici, præsidia accepisse, res ipsa docet. C) Lubens adjicio, quod lego apud Sandinum in vitis Pontif. Sec. XVII. „Innocentius XI. inquit, Principes summos Fœderatos contra Turcas, & periculosissimum sustinentes bellum adjuvit pecunia, & fusis præsertim ad Deum precibus. Hinc Poloni Camenecciam receperunt, Veneti Peloponnesum, Cæsar non solum ab sede sua, Viennæ obsidione soluta, imminens periculum propulsavit, sed etiam Hungaria pene tota potitus est, ingenti Turcarum exercitu magna strage cæso, fugatoque. Tantam victoriam secundum Deum Virgini Deiparæ protegenti, sospitantique Christianum populum acceptam referens Innocentius, stata die sanctissimo Mariæ nomini consecrata præcepit, ut quotannis beneficii tam insignis memoria ab Ecclesia universa recoleretur; ac Joanni Poloniæ Regi, cujus præsertim virtute egregia, peracta res tanta est, Ensem misit, & Galerum munus Imperatoris clari meritis in rem Christianam. „ D) Pruthum, olim Hierasum appellatum, Moldaviæ fluvium esse veteris Geographiæ peritis notum est. Sed planissime falsum, Jassium Valachiæ urbem esse: quo errore lapsus est Lengnichius, nisi Scriptoris vitio Valachiam pro Moldavia, cujus Jassium urbs est, positam, atque ita mendum irrepsisse velis.

cis, quibus se adjunxerant Tartari, repentina aggressione statio tentatur. Pugna committitur paribus animis, sed impari numero Cosaccorum; & quidem eo die utraque pars sibi victoriam attribuit. Postridie conserto iterum prælio, pro statione decertant. Cosacci impares multitudini, versa in hostem facie, plenisque ordinibus, quantum locorum angustiæ patiebantur, pedetentim recedunt. Moldavi sociorum recessu exterriti, fuga sibi certatim consulunt, sparsoque terrore, Cosaccos, strenue eatenus pugnantes, una abripiunt. Amissis impedimentis, ad Jassium trepidi primum conveniunt Cosacci, deinde in Ukrainam per hyemem vires reparaturi abeunt. Quid isti, quid Poloni, insequentibus annis in campo Ottomanici Martis patrarint? temporum magis, quam rerum rationem hic ego secutus, post Hungaricum, Venetumque bellum candida narratione commemorabo.

A. C. 1683.

Mahometes Imperator post Parkanense prælium, & amissum Strigonium, successu præsentium perculsus, & futurorum metu anxius, ad reparandas vires, bellumque renovandum, præter morem suum, animum intendit. Evocato Purpuratorum bellico senatu Adrianopolim, de statu Imperii Ottomanici pluribus disseruit, confecitque: *quoniam Confœderati Christiani in dies potentia, famaque crescerent; in Hungaria ejecto Turcarum milite multis arcibus, præsidiis potirentur; ipsi clade non una mulctati viribus imminuerentur, ad avertendas in posterum calamitates, sibi in mentem venisse, aut pacem a victoribus petendam, aut melioribus auspiciis, majorique conatu bellum apparandum. At prævidere se, nihil æqui, nihil tanti Imperii Domino perferendum, a superbis, suaque fortuna ebriis impetratum iri. Budam, victoriarum additamentum, haud dubie repetituros; quam si cedamus*, ajebat, *quæstuosa imperii præfectura pacem redimemus, infelicissimo bello longe deteriorem. Quare armis, quod unum fortibus viris concessum est, nos, conjuges, liberos, fortunasque nostras tueamur, ne desidia nostra magis incitatos victorum exercitus ad Budam, Belgradum, tum in Bulgaria, Thracia impune volitare conspiciamus. Sunt nobis amplissimæ provinciæ plurimis annis bello intactæ, armis, equis, viris opulentæ. Ex his, modo delectus hac hyeme fiant, vosque alacres operam accomodetis vestram, pristina fortuna facile reparari potest.*

Hac Imperatoris oratione sive confirmatis eorum animis, sive imperium magis, quam consilium sequentibus, omnibus provinciis arma festinant. Severissima mandata ad Præfectos Europæos, ac Asiaticos illico sunt missa, ut militem undique contrahant, novis delectibus legiones augeant; largiori stipendio, minis, terrore, non juvenes modo, sed seniores quoque, quibus aliquid roboris superesset, in sua verba juratos centurient. Caimacani Constantinopoleos mandatum, navales fabros ædificandi navigia, gubernandi juxta peritos e Peloponneso, Creta, Rhodo, aliisque maritimis locis arcessat; reparandæ classi primas curas impendat, sexaginta naves partim onerarias, partim bellicas e materia in portum Byzantinum convecta, fabrificari imperet. Crediderim hunc apparatum navalem magis Veneti belli causa, cujus jam semina jacta erant, quam Hungarici solicitatum fuisse. Cum præterea multa tormenta, machinæ obsidionales, pilæ, pulveris pyrii dolia, quæve miles gestare solet, arma, hoc anno perdita fuerint, armandis navigiis, & legionibus vis maxima id genus telorum comparata est. Insanæ molis tormenta, quibus olim Byzantium, Belgradum, Bagdatum succubuere, in hodierni usus modulum conflata.

Sed non perinde miles ad signa confluxit, infelicem militiam aspernatus, Janicsaris præsentis belli incommoda nimium augentibus. Redierant ex istis multi Byzantium, in Asiam trajecturi, alii Adrianopolim, alii in alia loca; utque erant male animati in Kara-Mustapham Vezirium, clade in immensum aucta, tanquam imperitum armorum, in circulis traducebant, neque felicius res Turcicas habituras, nisi malorum origo exscindatur, liberrimo ore commemorabant. Neces deinde tot Præfectorum, hujus crudeli imperio in Hungaria perpetratas, querelarum plena narratione vulgarunt,

 testati,

A. C. 1683. testati: plus detrimenti Imperio illatum, fortissimis juxta, ac peritissimis Bassis sublatis, quam ad Viennam a Christianis. Hujusmodi sermones, multos a militia deterruerunt, & non apud cives modo, verum etiam Purpuratos immane odium, atque invidiam conflarunt homini. Per eosdem dies jussu Vezirii strangulato Strigonii Gubernatore cum aliquot Præfectis, properatæ deditionis reis, odium sui ipse cumulavit, suumque fatum ignarus acceleravit. A) Namque Janicsari arrepta hac qualicunque occasione tumultuandi, veteres cantilenas recinunt, Vezirium ad necem ab Imperatore minaciter deposcunt. Oleum flammæ affuderunt Tôkôlius, & soror Imperatoris, morte Ibrahimi, mariti sui, multum exasperata. Ille frustratæ expeditionis culpam, Vezirii pertinaciæ, palmarique inscitiæ attribuit. Hæc mota veluti mente, viri fatum assiduo questa, ad ultionem ejulatu, ac precibus stimulavit Mahometem. Et jam is metu crescentis periculi (plures enim armis correptis per Adrianopolim volitarunt, nullo certo Duce, nec satis certo consilio, in quos iram effunderent) commotus, ad extremum sententiam mortis tulit in Vezirium: ratus insuper hac publici odii victima multorum gratiæ se litaturum; & cum alio Duce bonam fortunam redituram. Allegatur Aga Janicsarorum cum duobus Bassis Belgradum, ubi aulam vitabundus id temporis, velut vacatione sibi indicta, se continuit. Bassæ a magno Imperatore se missos professi, habereque mandata, quæ remotis arbitris exhibere deberent, cum Vezirio in ipsius ædibus consultant, trahuntque data opera consultationem, dum Aga omnes aditus domus, viarumque armatis interciperet.

Ad eum tumultum perterritus Vezirius rogat, ecquid sibi armorum sonitus in amica urbe vellet? tum unus Bassarum vultu minax: *sigillum* inquit *Imperii magno Imperatori redde.* Ea denunciatione magis perculsus, armatosque circum se conspiciens, sigillo tradito reponit: *se magni Domini fidum famulum, mancipiumque semper vixisse, & nunc quidquid demum decretum, prompto animo exhausturum.* Haud perinde, ac dixit, feralem zonam accepit. Rudi vociferatione, inconditis questubus sortem suam detestatus, pauculas, queis se ad mortem compararet, horas expetiit. Suffocato B) caput avulsum, & Imperatori Adrianopolim delatum; inde rursum Belgradum remissum, honorificeque cum corpore conditum in Moschea, quam suis impensis erexit. Ajunt Historici caput hujus Vezirii capto C) per Christianos Belgrado, Viennam missum, atque in urbis armamentario spectantibus exhiberi. Famuli in vincula projecti, immensas Heri sui opes prodiderunt. Duodeni milliones in fiscum redacti.

Rarus, qui deploraret viri exitum, multitudine funerum, ac malorum præsentia, quibus Imperium Turcicum sua imprudentia maxime unus involvit, omnem miserationem obruente. E vili admodum stirpe ortus (nam pater ejus emptis, venditisque in Asia fructibus victitavit) adeo se opibus juxta, & honoribus firmatum vidit, ut nulli secundus in aula Byzantina fuerit. Primis pueritiæ annis in aulam senioris Kiuperlis D) translatus, ingenium suum ad mores Domini rara felicitate finxit. Processu temporis omnium arcanorum conscius, & transactor, ut primus erat in amoribus Vezirii, ea tempestate apud Imperatorem dominantis, ita officiis, benevolentia in Purpuratos, omnium oculos, animosque rapuit. Et gratum erat Kiuperli ingenium adolescentis, militarium, & urbanarum rerum capax,

A) Ignoravit Kara-Mustapha, quæ eleganter Seneca:

> Violenta nemo imperia continuit diu:
> Moderata durant: quoque fortuna altius
> Evexit, ac levavit humanas opes,
> Hoc se magis supprimere felicem decet:
> Variosque casus tremere, metuentem Deos
> Nimium faventes. Troade A. II.

B) VIII. Calen. Januarii, seu XXV. Decembris strangulatum fuisse, authorem habeo Brietium. C) Nempe 1688. D) De hoc Kiuperle, ejusque filio multa dedimus supra.

pax, quod hujus æmulatione, filii sui mores veluti ad cotem perpolire pos- A. C.
set. Neque hæc ei gratia fraudi aliquando fuit apud filium, vel aulicos, 1683.
quos, ut erat indole facili, & translatitia, mira dexteritate sibi devicit.
Imo a morte senioris Kiuperlis apud filium jam Vezirium, eadem gratia
semper floruit, & ut POTENTIA facilius crescit, quam incipiat, dignitatibus longe anteivit. Nam & præfectura classis, & Caimacanis munere aliquot annis est functus, maxima civium approbatione. Inter sagacissimos, felicissimosque aulæ Constantinopolitanæ ministros numerandus, nisi eum fortuna altius provexisset. Postea enim quæ perpetraverat, incertum habeo, pudeat magis, an pigeat disserere.

Successor datus Kiuperli juniori, supremam armorum præfecturam septennio, & impotenter, & plerumque minus prospere administravit; prodiditque primum in hoc dignitatis gradu, maxima vitia virtutum specie in ignobili animo diu latuisse. Bella partim ambitione, partim avaritia impulsus, Christianis Principibus prius intulit, quam indixit. Nec dubitavit fœderum religionem violare, quo indomitas suas cupiditates expleret. Consilii sui tenacissimus, multa temere, multa imperite militiæ egit. In schola Kiuperliana multum exercitus, & a diuturna rerum experientia suspicax, aucupandæ Principis gratiæ, parandæ dominationi unice intentus, quid quid in hanc rem facere posse existimavit, omni æquo, rectoque posthabito, strenuus exprompsit. Unde clarissimos viros interimi jussit, quos vel æmulos dignitatis, vel gratiæ autumabat. Sed tandem ipse tot funerum victima cecidit, quive & civium, & hostium sanguine, urbes, & campos aspersit, sanguine suo lares domesticos fœdavit, gestiente populo: POTENTIAM multo scelere quæsitam haud esse diuturnam. Reliquit duos filios expeditionis Viennensis comites, quibus in fuga inter lachrymas, sui fati præsagus, dixerat; se fortunas, & vitam amissurum; præsagitionem eventu mox secuto. Memoriæ proditum est; moriturum conscientia scelerum exagitatum, ac palam fassum: merito se hæc perpeti, qui violata fœderum sanctitate, tot millia inermium, impuberumque neci dederit. Ex amplissimis opibus, novi Vezirii liberalitas, quo vitam sustentent filii, tenues agellos cessit.

Erat is Kara-Ibrahimus, gesta Caimacanis præfectura clarus, pace, quam bello melior. Nec Purpurati, nec milites probabant Vezirii munus in hunc esse collatum eo tempore, quo Christiani Confœderati virtute Ducum, militum robore, & super hæc victoriis reportatis animati, terra, marique bellum moliebantur; NON ignari tanti fieri universum exercitum, quanti Ducem. Imperator, ne quid minus recte egisse argueretur, Ibrahimum A) loco quidem non moverat, sed Vezirii dignitatem ita partitus est, ut in Saitanem Ibrahimum, Mesopotamiæ Prætorem, ætatis flore, ac nobilitate generis (nam Imperatorem propinqua cognatione attingebat) praeferocem, bella pro arbitrio in Hungaria administrandi, præsidia exstruendi, Præfectos legendi, exauthorandique transtulerit potestatem; ut adeo Saitanes Seraskerius, B) sive supremus copiarum Præfectus per Hungariam fuerit, relictis penes Kara-Ibrahimum reliquis muniis Vezirii. Ea partitione regiminis, etsi Kara-Ibrahimus animadverteret, neque Imperio Ottomanico consultum, neque suæ authoritati; quod apud Turcas hac calamitosa tempestate alioquin ægre parentes, multum existimationis sibi decerptum foret, tamen quia in socium omnis tempestas moveretur, si belli alea sinistre caderet, silentio transmisit imminutionem suæ dignitatis. Neque Saitanes tantam nominis famam, virtutemque collegerat, ut ejus ductu, imperioque victoriam sibi polliceri miles auderet. Sed IN DUCUM penuria, ac rerum trepidatione, quis quis audet, facile se Ducem multitudini præbet. Supererant

aliquot

A) Descriptio antiquæ, & novæ Pannoniæ Solymanum stabuli Imperatorii Præfectum renunciatum Vezirium memorat. Plures Historici Ibrahimum. B) Vox hæc Serasker militaris dignitatis, non familiæ est, e Persico, Arabicoque vocabulis composita: prius Ser caput, posterius Asker exercitum notat, ut adeo Serasker idem sit Ottomanis, quod Latinis summus exercitus Præfectus. Ita apud Ricautium Orientalium Linguarum peritissimus D. Pespiers.

A. C. 1683. aliquot præfecturæ Gubernatorum vacuæ. Eas Mahometes delibato Purpuratorum flore, iisdem diebus perquam liberaliter diſtribuit. Haſſanem Caimacanis muneri admovit; Muſtapham e Luſitania oriundum, multæ eruditionis virum, Imperii Cancellarium, ſeu ſcriniorum, epiſtolarumque aulæ magiſtrum nominavit. Functus erat jam iſthoc munere, non minori æſtimatione ſui, quam Imperii emolumento, ſed invidia Kara-Muſtaphæ, quod in ſenatu hujus deſignationes acrius, quam cautius impugnarit, exauthoratus, privatus Conſtantinopoli agebat, otii cupidior, quam curarum. Janicsarorum Agam Aleppo, ſimulque univerſo peditatui præfecit. Muſſaipi, genero ſuo, maris præfecturam cum claſſis imperio attribuit. Diſtributis hunc in modum nobilioribus præfecturis, unum ordinandæ militiæ præcipuum momentum angebat Imperatorem, quo plurium querelis obnoxium, eo timidiore manu omnino tractandum.

Ærarium pro tantis, quæ premebant, rebus erat multo tenuius. Ad Viennam, magna vis pecuniarum, ſtipendiis copiarum deſtinata, periit; acto propterea in furcam Quæſtore A) Imperatorio, quod imminente prælio, in tutiora Hungariæ loca, uti licebat, eam neglexerit præmittere. Sed non ideo immenſum damnum reſarciebatur. Vezirii Kara-Muſtaphæ divitias, etſi ultra privatæ fortunæ modum lautiores, partim claſſis, partim Purpuratorum avaritia abſorpſit, certatim convolantium veluti ad fontem, quem multis partibus imminuant, propeque exhauriant. Populus tot caſibus ſiniſtris, tributiſque æger, exiguam ſpem fecit ærarium augendi. Tantæ rei argentariæ anguſtiæ, armorum molitiones magnopere conturbabant. Imperator omnes artes ærarii ſupplendi ſedulo rimatus, ut eſt ingenioſa, & audax neceſſitas, huc delapſus eſt, ut decreverit, militum poſſeſſiones, qui hoc poſtremo bello occubuerunt, ſine diſcrimine fiſco ſuo addicere, ac ſub haſta vendere. Neque diu moratus, confecto hac ſuper re edicto, & feſtinatis nunciis in Aſiam miſſo, cæſorum domos, domeſticamque ſupellectilem per ſuos occupare cœpit. Adrianopoli, Byzantii, inque vicinis oppidis, ubi amplioris lucri ſpes erat, quod multi nobilium diverſo mortis genere interierint, ut primum edictum promulgatum eſt, continuo ſatellites in fundos involant, arcas, ipſaſque domos pulſis viduis, atque liberis, annulo Imperatorio ſignant. Inuſitata eatenus ratio corrivandi pecunias in Ottomanico Imperio, dici non poteſt, quantas turbas, præſertim in Aſia concitarit. Timarotæ, B) flos equitatus Aſiatici, quorum multi poſſeſſiones in liberos ſuos, aut ſanguine junctos jus transferendi obtinuere, quive agris comparatis & ligonem, & ferrum tractarunt, cum Spahiis, ac peditibus uſque adeo conjunctis animis repugnarunt, ut trucidatis, qui edictum aut proponebant, aut exequi contendebant, civilis belli luculenta indicia ediderint. ACERRIMUM rebellionis telum eſt jactura fortunarum; quæ ſingulis imminet, omnes terret.

In Europa plus querimoniarum, quam tumultus fuit, edicto moderatione temperato, mox extincto. Mahometes enim expilatis opulentiorum civium arcis, perceptaque Aſiæ ſeditione, e re fore minime arbitratus, ſubditorum animos ultra irritare, odioſam quæſtionem abrupit. Quin imo ut cœptos tumultus ſopiret, ac ad militiam amplectendam calcar adderet Aſiaticis, non abrogavit modo edictum, vix ullo emolumento ærarii, maxima ſui invidia in Timarotas latum, ſed etiam Imperatoria fide ſpopondit, omni tributo liberos fore Timarotas, quoad vixerint, eorumque filios in hæreditatem ſucceſſuros. Cæteris militibus ſtipendia ampliora; univerſis, quos aut gravior ætas, aut vulnera caſtrorum laboribus inutiles facerent,

non

A) Ærarii curator, Præfectus, qui in caſtris ſtipendia militi perſolvebat. Habent nempe Turcæ præter Urbanos Quæſtores, Provinciales ad normam Romanæ Reipub. quæ belli Imperatoribus hujusmodi Quæſtores addere eſt ſolita. Res trita, & vulgata. B) Haud ſum ignarus, Timarotas poſſeſſiones accepiſſe ab Imperatoribus (uti olim Romani, & Græci) quæ iis vita functis rurſum in fiſcum redactæ ſunt. Unde Timarotæ, ſeu Beneficiarii appellantur a Græca voce Timarion, ut vult Lazarus Soranzius Patricius Venetus. At & illud non ignoro, multos facinoribus militiæ patratis, in poſteros ſuos hujusmodi fundos tranſcribendi jus obtinuiſſe. Horum maxime cauſa tumultuatum.

non ſolum remotam a præliis ſtationem, ubi curarum vacui reliquum ætatis poſſent agere, ſed præſens quoque ſubſidium, & annuos fructus ſolvendos pollicebatur, parum ſolicitus, quo ex fonte tantum æris haurirent Quæſtores. Hæc Imperatorii animi erga militarem ordinem propenſio, ac cura, omnibus provinciis numerum militiam ambientium auxit. Sed Janicsarorum legiones multis præliis, viarum difficultatibus, morbis attenuatæ, ſolito minorem numerum faciebant, tantoque diligentius ſolicitando iſtorum delectui, curas omnes intendebat Imperator, quanto magis experientia didicerat, hoc genus militiæ plurimum ſpei ſuis adferre, hoſtibus terroris. Militares domus, ſeu ſeminaria, in quibus hujus ordinis tyrones, diſciplinam bellicam condiſcere ſolebant ſuis ſub magiſtris, paucos admodum numerarunt alumnos, quod plerique veteranis copiis neceſſitate ultima urgente immixti jam eſſent. Igitur miſſis in provincias, experti inter arma roboris Præfectis, præter morem ſuperiorum annorum, delectus Janicsarorum inſtitutus eſt, translatis in hanc militiam, quos ætas, vires corporis oneribus ferendis pares fecerunt.

Adoleſcentes præterea toto Imperio conquiſiti, Conſtantinopolim, Belgradum, aliaque in loca deportati ſunt, militaribus præceptis ex more informandi, ut & ipſi in ſpem bellicæ virtutis ſuccreſcant, & veterum bellatorum manipulis accenſi, Janicsarorum fortia opera æmulentur. Decimus quisque Græcorum portandis armis, caſtrorumque tædiis non impar, militiam ſequi compellebatur; reliquorum tum Turcarum, tum Græcorum in omni provincia numerus initus, qui adverſus ultimos Reipub. caſus patriam tueri poſſent. Denique ad Superum iras expiandas, preces, ſupplicationes ubique indictæ ſunt. Addidit Mufftius graviſſimas literas ad omne genus Sacerdotum, quibus hortabatur, ut populum pro ſua authoritate Ottomanicæ pietatis admoneant, ad defendendas aras, & focos incenſis dictionibus inflamment. Succeſſu non caruit Imperatoris, miniſtrorumque pervigil induſtria. Præter claſſem robore, numeroque navium præſtantem, annonam, machinas bellicas terra, & mari ſubvectas, novus exercitus octoginta millium armatorum coactus fuit.

Non minor cura Tôkôlium habuit, res ſuas ſive pace, ſive armis provehendi. Poſt geminam cladem, ultra Vagum fluvium regreſſus, & ſuæ, & Turcarum fortunæ metuens, militem quietum in caſtris continuit. Sub dimidium Octobris Comitem Homonaium a) ad Regem Poloniæ ablegat, pacis negotium ſub manu tractaturum. In principio ſpes boni eventus illico præfocata eſt, quod Tôkôlius ſuperbis conditionibus prolatis, nihil oraret, multa Regia majeſtate indecora, juribus Hungariæ damnoſa flagitaret. Lotharingus præterea, ad quem poſtulata rejecta ſunt, Martia libertate reponeret: *Regem haud decere cum ſubdito conditionibus agere. Si ex animo cupiat gratiam, dimiſſis legionibus, repudiato Turcarum fœdere dedat ſe, fortunasque clementiæ Regis; ac ferrum cum Regiis in Ottomanos vertat.* Sed non is erat Tôkôlius, ut ſuorum exarmatus præſidio, ad alienum arbitrium vaſtiſſima ſua conſilia flecteret, rogare nondum aſſuetus. Strigonio perdito nonnihil modeſtior, rurſum ſuos ad Polonum dimittit jam ſupplices: immortali ſuæ gloriæ poſtremum, ac pulcherrimum trophæum adderet; operam ſuam componendæ diſcordiæ accomodaret, & gentem Hungarorum malis ſuis quotidie conflictantem priſtinæ felicitati, ſplendori, tranquillitati, tot cædibus, incendiis, everſionibus urbium fruſtra quæſitæ, redderet. Rex ſeu exiſtimaverit reconciliato Tôkôlio, non modicas vires Confœderatis acceſſuras, ſeu decorum putarit, ſe arbitro aliena pacari, quinta Novembris ſuo ſub papilione Polonorum, & Germanorum Procerum concilium habet.

In eo Legâti ſincerum ſui Domini pacis ſtudium exponentes, poſtulata, ut ne quid excideret, e ſcripto recitant. *Tôkôlium deſertis Ottomanorum*

a) Sigismundum Homonai de Drugeth. Amplexus eſt ille cum ſuorum manu Regias partes anno inſequenti; unde Drugethiani fundi, dirum in modum evaſtati per Tôkôlianos.

A. C. 1683. *norum partibus, Regis castra bona fide secuturum, modo præteritorum æterna oblivio, turbarumque venia sibi, suisque tribuatur. Libertas omnium Ordinum in integrum restituatur, atque in publicis Regni comitiis immunitates ab Rege Leopoldo edito decreto firmentur. Bonorum possessiones e fisco Regio, si quæ ablatæ, reddantur. Tredecim provinciæ* A) *superioris Hungariæ, tum quidquid agri Granum inter, & Vagum fluvios interjacet, cum Principis insignibus Tökölio in perpetuum beneficiariæ tradantur. Urbs Cassovia, pacificationis sedes futura, omni præsidio evacuabitur, quo majori libertate & sentiendi, & agendi Regii gaudeant. Rex Poloniæ ut conventa primo quoque tempore effectui dentur, suam authoritatem interponet.* E cruditate postulatorum facile conjectatum: seditiosorum animos nunquam ad obsequium redituros, nisi vi armorum corpora domentur. Eadem mens Leopoldi Imperatoris fuit (cui pacificationis capita a Rege Poloniæ Lincium missa) qui Regem insuper oravit, ut Tökölium commoneret: ad obsequium, Principique suo debitam reverentiam tandem redeat cum suis; bellum intestinum diutius non alat, hæsurum utique intra Hungarorum viscera, ipsisque, liberis, conjugibus, ac fortunis exitiabile futurum. Spem pacis omnem ponat, nisi ad unam Regiæ clementiæ aram confugiat. Non post multo patuit e literis, hominem vafrum, in speciem negotium pacis obtrusisse Cæsareis, reipsa bellum parasse, scriptis ad Vezirium in hanc fere sententiam:

Non est, cur de mea fide, ac constantia dubitet Ottomanica Porta. Egi cum Cæsare de induciis armorum, deque conditionibus pacis eo animo, ut producto, non sine artificio, hoc permolesto negotio, minacia Fœderatorum arma suspendam, & instaurato per hyemem exercitu, primo vere bellum continuem. Per Saponaræ aulicum B) *eas conditiones ad Cæsarem misi, quas victor victo imponere possit; ut adeo verear, ne conditionum extremis offensus, spem omnem pacificationis intercidat Cæsar: nisi forte existimet, quemadmodum fieri consuevit, pactorum capita eo consilio me immodice intendisse, ut esset, quod in iis postea laxandis dari Conciliatorum gratiæ videretur. Comitia Regni mea ut authoritate celebrentur, omnem lapidem moveo. In iis patriæ Patribus animi mei sensa apertius detegam. Unum oro, obtestorque, ne Imperator fidum sibi Confæderatum hac tempestate, hostium injuriis expositum, deserat; qui non alio unquam intendit animum, ac vires, quam in obsequium Ottomanicæ gentis, pro cujus incremento, uti superiora testantur, neque labori, neque suis fortunis pepercit. Alterum majorem in modum flagito: Varadini, & Agriæ Præfecti copias suas meis quam celerrime conjungant, ne opportunitatem elabi sinamus Polonos, & Cæsareos, per hyberna sparsos, clade aliqua mulctandi.* c)

Pluribus subinde indiciis hostilem erga Leopoldum animum, bellique cupidiorem, quam pacis denudavit. Nam & nuncios prope quot diebus Byzantio accepit, quodve in oculos incurrebat maxime, Eperjesinum, Bartfsam, Cassoviam, alterum post Munkacsciam arcem Palladium suum, multaque alia loca novo militum præsidio muniit; provincias superioris Hungariæ, per suos emissarios in armorum pervicacia confirmat; ad libertatis consueta vocabula, dominationis ipse percupidus, Nobiliores solicitat; Regiis partibus addictos possessionibus suis, exilio, ferro, igne mulctat. Turcarum auxiliares copias magnificis verbis extollit; conventum omnium Ordinum Eperjesinum edicit. Hic ut frequentior esset quinto, & vicesimo Decemb.

A) Per decursum historiæ sæpius usus sum, utarque inposterum hisce vocabulis *Provincia*, *superior Hungaria.* Priori volo regionem, sive Comitatum certis suis limitibus definitum; non vero Romano more *Provinciam* bello captam, legibusque domesticis spoliatam. Posteriori Comitatus ad Orientem partim, partim ad Septentrionem porrectos. Qui de Hungaria scriptione mereri studuerunt, mecum faciunt; damnant hunc modum loquendi alii, alii contra non sine jurgiis probant. Sed quis dies hæc jurgia, amica pace aliquando componet? B) A secretis Baronis Saponaræ fuit, qui apud Tökölium gratiosus, anno proxime superiori, & alias, a societate Turcarum hominem revocare frustra conatus est. Cujus jussu, consilio, aulicus Tökölium convenerit? ne vestigium quidem de hoc, quamvis curiose inquirerem, inveni. c) Laudata Descriptio Antiquæ, & Novæ Pannoniæ.

cemb. Stephanus Petroczius, equitatus Magister, nomine Tökölii sparsis toto Regno literis, reluctantibus populationem agrorum, exilium, cruces minatur. Molitionibus istis superiorem Hungariam in Leopoldum Regem, cæca dominandi libidine abreptus, armavit. Horum omnium minime ignarus Rex Leopoldus, ut seditiosi consilia everteret, atque charum sibi Regnum malis suis eriperet, & ipse Posoniensem in urbem Ordinum status evocat, promulgata prius generali culparum venia, dato diplomate A) Regio benevolentiæ pleno, quo fundi, honores, Regia fide, authoritateque addicuntur omnibus, qui ad dimidium Februarii mensis anni insequentis, nominibus suis apud Regios Commissarios Neosolii editis, veniam orarent. Quin imo, ut tutam ultro, citroque commeandi facultatem haberent Nobiles, nullique mortalium fraudi esset diploma, militaribus Præfectis in mandatis dedit, ut liberi commeatus tesseram gratuito omnibus præstarent. Sic piissimus Regum, omissa in præsens ultionis, armorumque mentione, una clementia, & beneficiis reconciliationem turbulentorum, e qua Tökölii fortuna, Turcarum, Cæsareorumque spes, amplissimi Regni tranquillitas in primis pendebant, maturare statuit. Sed ego, ne præscriptos operi meo limites prætergrediar, hanc messem & majori apparatu, & feliciori calamo patriæ nostræ fortunam scripturis, non invitus cedo, stylumque, & curas ad anni quarti, & octogesimi supra millesimum sexcentesimum res gestas enarrandas converto; delibatis duntaxat summis capitibus reconciliationis, bellique Tököliani. Quanquam Ottomanorum, Tököliique rationes adeo conjunctæ fuerint, ut in alieno versari me minime existimarem, etsi hujus facta non minus curate, ac cætera recenserem.

A. C. 1683.

Cum certis authoribus compertum esset; non ante unquam Ottomanos nec Ducibus legendis, nec exercitui scribendo, nec fabricandis armis, classibusque intentiores fuisse, Leopoldus Imperator versis in procurandum bellum curis; ad propulsandum commune discrimen cum Repub. Veneta feliciter transegit. B) Non cessabat ille literis, legationibusque ad primum Turcicæ tempestatis rumorem, communione periculi eam in veterem hostem inflammare, suasque in partes attrahere; verum discordibus in Senatu animis, ac prævalentibus pacis cupidioribus, non ante fœderi accessit, quam geminata intra mensem clade, cæsis veteranis cohortibus, robur illud hostilis potentiæ nimium enervatum, viamque ad planas victorias terra, marique stratam videret. Itaque adnitente Innocentio XI. summo Pontifice, in curia Romana in has leges conventum est inter Cæsarem, Polonum, & Venetos: nemini Confœderatorum fas esto, singularem cum hoste pacem conficere quibuscunque de causis; hæc belli societas adversus solum Turcam inita intelligatur. Confœderati summis viribus in hostem agent. Socio gravius laboranti cæteri auxilio sint. Si copiæ pro ratione belli miscerentur, singuli Duces pari authoritate præsint, & communi consilio bellum administrent. Capta oppida, spolia solis victoribus cedent. Isthæc Romæ tres Patres Purpurati solenni sacramento firmarunt; Pio pro Cæsare, Barberinus pro Rege, ille Imperii, hic Poloniæ Protector; c) & Ottobonus pro Repub. gente Venetus.

1684.

Triplici hoc fœdere lætus Imperator, longius spes suas jecit. Properatis in Moschoviam Legatis Joanne Christophoro Zirovszkio, ac Sebastiano Blumbergio Petrum, & Joannem Alexovichios Imperium, rara fratrum concordia, pacate moderantes, in armorum societatem vocavit, ostensaque opportunitate res maximas agendi, suasit: magnitudine suarum virium, Christiani nominis perpetuum hostem invaderent, ac immissis legionibus ad Assoviam impugnandam, ea parte terrorem augerent. Illi sive perosfensi,

A) Diffusum hoc diploma legere licet in eadem Descriptione. B) Dionysius Petavius S. J. in suo Rationario temporum putat, eodem, quo Polonus, Bavarus, Saxo Luneburgici anno, Venetos accessisse huic fœderi, quod sacra Liga, sive Lega ab Historicis appellatur. At certum est, hoc primum anno Venetos post multam consultationem fœdus inivisse. C) Duumviri isti jam anno 1683. die XVI. Augusti fœdus Cæsarem inter, & Polonum juramento firmarunt Romæ. Ephemerides Leopoldinæ.

A. C. 1684. fenſi, quod ante quinquennium irrita eorum legatio fuerit Viennenſi in aula, ſive reipſa ab armata Polonia, uti aſſeruerant, ſibi metuerent, ſive Turcarum pollicitationibus a Cæſare abalienati, tantiſper reſtitere, dum compoſitis rebus controverſis cum Polonis, arma & ipſi in Ottomanos moverent, primis annis majori fama exercitus, quam fortuna in campum progreſſi. A)

At domi, propiore nempe cura, retrahendis ad fidem Tökölianis multam ſolicitudinem impendit. In comitia evocati, belli civilis, & ſocietatis Turcicæ pertæſi, frequentes e ſuperiori etiam Hungaria Poſonium advenere, ſeque Regis arbitrio, & clementiæ permiſere, B) ut adeo Tökölius præter Turcarum, & Tartarorum colluviem paucos ad latus haberet. Is tamen propoſiti contumax, & principatu rebellionis, Mahometisque favore tumidus, cum ſibi uni, & periculi, & invidiæ molem incumbere inpoſterum cerneret, partes ſuas populationibus, incendiis, ſuppliciis firmare intendit. Inter hæc hoſtilia frons fuit homini, reconciliationis tentandæ gratia Lincium, non ſine ſplendido comitatu, Legatum mittere ad Cæſarem, quem conſecutus eſt Principis Apaffii Orator, nomine Mahometis pacem nundinaturus. Uterque parum benevole acceptus eſt. Tökölianus in ſenatum admiſſus, tria potiſſimum poſtulavit: ceſſationem armorum; Principem Tranſylvaniæ conciliatorem eligendum; ante univerſam pacem quædam puncta cum Præfecto Budenſi ſtabilienda. Sed cum Regii e fiduciariis literis cognoſcerent, eum nullam facultatem componendæ pacis habere; & ſua potius, quam Heri ſui voluntate, multa diceret, ageretve, prope erat, ut tanquam explorator detineretur. Apaffio nunciatum: ceſſaret intempeſtivis patrociniis alienas provincias turbare, ac nutritæ per tot annos perduellionis pœnas operiretur. Legatus itineri accinctus, poſtremum admonuit Regios: Turcas majori apparatu armorum, hominumque in Hungariam venturos ineunte vere, quam adulta æſtate ſuperioris anni. Id ſe didiciſſe e Tökölio arcanorum omnium conſcio. Hungariam ſummo in diſcrimine futuram, ni pacem amplectatur Cæſar. Reſponſum eſt paucis: Tökölio, omnibusque turbulentis pace frui licere, ſi poſita contumacia, ſuo cum Principe in gratiam redeant. Cæſari non eſſe jam integrum de fœdere agere cum Ottomanis, niſi e mente Confœderatorum, quibus bellum unice placet.

Lenioribus remediis fruſtra adhibitis revocando conjuratorum Principi, quando niſi vi compulſus ad obſequium rediturus minime videbatur, armis ulciſci contumaciam decrevit Cæſar, tantoque ſolertiori cura apparatus feſtinavit, quanto triſtioribus in dies nunciis intellexit, Tökölium Regiorum fundos ferro, & igne implacabiliter vaſtare. Milites toto lectos Imperio contrahit; a Bavaro veteranas copias poſtulat; equitum, peditumque ſummum imperium Lotharingiæ Duci per Hungariam attribuit; Leslæum cum duodecim armatorum millibus in Sclavoniam ad diſtinendum hoſtem, Schulzium cum octo millibus adverſus Tökölianam factionem in ſuperiorem Hungariam immittit; Hungaros ad defenſionem patriæ more veteri edicto evocat; maximam vim inſtrumenti bellici, rei cibariæ ſecundo Danubio Strigonium miteſcente hyeme devehi mandat. Et quoniam apud Ottomanos navalem apparatum multo maximum fieri exploratores retulerant, & Leopoldus prope Danubium bellum perſequi jam decreverat, quo celerius Budæ, armorum ſedi, obſidionem inferre poſſet, Vecchiam Comitem nauticarum rerum ſcientia percelebrem, claſſiculam Saikarum, & grandiorum navium, C) adornare jubet.

Eſt Saika uſitatum Hungaris juxta, & Turcis navigii genus, longiori, ac anguſtiori forma præditum, quam cæteræ naves. Undique apertum, niſi

A) Porta Ottomanica T. II. B) Deſcriptio Antiquæ, & Novæ Pannoniæ pag. 620. ad annum 1684. numerum eorum edit, qui relictis partibus ad Regem tranſierunt. C) Iſtæ ad Comaromium immobiles adhæſerunt non tam aquarum, quam nummorum brevitate, ut in ſua Apologia Marchio Fleuryus, alter Danubii Neptunus, ajebat. De hoc ſermo redibit ad annum 1692.

nisi quod latera durioribus tabulis firmentur, contra tempestatem minorum glandium. Prora ferro armata, & in cuspidem desinens, puppisque castrensibus tormentis instructa, inimicam navim procul arcet. Quatuor, & viginti remigibus utrumque latus occupantibus, ac non minus concordi, quam pertinaci remorum pulsu Danubium everberantibus, tanta celeritate agitur, ut expeditum equitem facile prævertat. In onerariam, aut bellicam incitatum, inevitabilem stragem edit. Quod si hostis acrius obsistat, arma & remiges expediunt: pressi, mira agilitate in omnem partem Saikam impellunt; seque statariæ pugnæ inferiores illico subducunt: mox familiari clamore se mutuo cohortantes, rursus in certamen redeunt, nunc a tergo, nunc a lateribus incurrentes, hostilium navigiorum agmen distrahunt, avulsaque impugnant, ut adeo in hoc certamine sic remis, quasi habenis utantur, quantumque Hungarus eques in terrestri pugna, sua celeritate præstat gravioris armaturæ militi, tantundem plane hi remiges antecellant sua agilitate prægraves, ac vastas machinas ægre circumflectentes. A) Hoc genere pugnandi prisci Hungariæ Reges, illustres de Turca reportarunt victorias; & si verum fateri volumus, minori invidia ornassent Budensem urbem appensis devictarum navium rostris, quam Romani, qui de sex captivis navibus ingenti gloria triumpharunt, earum rostris in suggestu fori magnifice suffixis. B) Postremo bello, Gallicone dicam, an Bavarico, an Europæ propemodum omnis? quid classiarii isti ex Hungaria acciti, rebus nimium angustis superiori Austriæ commodi attulerint, grati Scriptores commemorabunt. Complures jam Saikæ Danubio immissæ instructæ stabant, nautarum, militumque defectu non admodum validæ. Publicis literis Leopoldi Cæsaris ad hanc navalem expeditionem invitati, inprimis Equites D. Georgii, C) quorum princeps cura ex instituti legibus erat, sacra Christiana tueri adversus Ottomanos, multi avita pietate incensi advolarunt, utilemque operam in defensandis pontibus, rejiciendis hostium navibus præstiterunt. Procedentibus annis, ut & istud hoc loco adjiciam, sub Carolo VI. Imperatore, & Rege Hungariæ, Saikarum classe operosius, superbiusque aliquid vidit Hungaria innatare Danubio, ac secundo flumine Belgradum deferri, nempe naves bellicas, quadraginta & amplius grandioribus tormentis in eundem hostem armatas. D) Ex quo luculente patuit, Danubium, etsi per Hungariæ plana in multiplices ramos abeat, aliasque ex aliis insulas molitus, cum aqua vires suas amittere videatur, maximis tamen oneribus ferendis parem esse.

Copiæ terra, & aquis cum omni apparatu in Hungariam profectæ, ineunte Junio ad Nitram amnem castra fecere. Lotharingus e consilio bellico Budam oppugnaturus, spem concepit Uivarini simul capiendi, non quidem castris ad præsidium compositis, quod non licebat per paucitatem militum, sed objectis procul stationibus, clausisque viarum aditibus, ne quid alimenti, vel auxilii acciperet, sine obsidionali strepitu, obsidionis incommoda inferre. Ea de causa Præfectos vicinorum præsidiorum Selyæ, Levæ, E) Schentaviæ, Leopoldopolis, Comaromii expeditis equitibus regionem percursare jubet, ad omne commercium cum præsidio intercidendum. Comitem præterea Mercyum, cum bis mille septingentorum equitum agmine illuc immittit, quo omnia infesta redderentur ad Uivarinum.

A) L. Annæus florus Lib. II. de Romanorum classe simile quid meminit: Romana, inquit, classis prompta, levis, & expedita, & quodam genere castrensis ad similitudinem pugnæ equestris, sic remis quasi habenis agebatur: & in hos, vel in illos mobilia rostra, speciem viventium præferebant. B) L. Annæus Florus Lib. I. c. XI. ait: extant & parta de Antio spolia, quæ Mænius in suggestu fori, capta hostium classe, suffixit; si tamen illa classis, nam sex fuere rostratæ. Sed hic numerus illis initiis navale bellum fuit. T. Livius Patav. L. VIII. earum numerum augere videtur. Cui otium, consulat eum. C) Hic equitum ordo sive a Rudolpho I. sive Friderico III. in Austria, ac Carinthia institutus, procedente tempore crebras de Turcis victorias reportavit. Dignus longiore ævo, ac floruerat. D) Singulæ istarum navium partim Viennæ, partim Budæ oneratæ, quadraginta, quinquagintave tormentis Szalankamenum: inde per Donaviczam, ramum Danubii, infra Belgradum actæ, quo urbs terra, & aquis clauderetur anno 1717. E) Istorum locorum maxima munimenta erant ipsi oppidani, strenui, pugnacesque, quorum vel fœminæ militaribus curis gloriabantur.

A. C. 1684. Verum quantumcunque evigilaverint isti, missis hinc illinc exploratoribus, tamen prohibere haud poterant, quin præsidiarii clam egressi, carros farina onustos Comaromium tendentes occuparent, prædamque læti aveherent. Brevis erat hæc lætitia. Namque admonitus Pro-Rex Hungariæ Paulus Esterhazi, cum aliquot millibus provincialium agro Uivariensi propius succedens, adeo præsidium omni ex parte clausit, ut obsessi rerum inopia misere conflictati, sine certa clade pedem efferre minime auderent. Pertulere tamen lentum obsidium insigni constantia, certi aut Seraskerium suppetias venturum, aut Hungaros ad oppugnationem Budæ avocatum iri, quæ iisdem diebus a Lotharingo cœpta, non sane prosperum exitum spondebat.

Et reipsa appropinquante Seraskerio cum suo exercitu in Hungariam, cum minus virium haberet Lotharingus, quo Budam eodem tempore a flumine, & terra concludere, eodem validissimum hostem a castrorum invasione arcere posset, omnes copias Hungarorum in unum contraxit, A) sicque laxata obsidione Uivarino anni unius libertatem (nam postero anno captum est) & spatium accipiendæ annonæ, militisque dedit. Sed ante attentatam totius regni naturæ munitissimam urbem multa prospera evenere Lotharingo. Nondum castris Strigonium translatis exploratores retulerunt: B) Europeæ militiæ Præfectum, copias conjunxisse cum Seraskerio ad Eszekinum; caput pontis præstructo aggere, quatuor tormentis, & aliquot peditum signis valide præmunitum; Principem Apaffium in mandatis accepisse; e Dacia suum militem quam primum moveat in Hungariam; reposuisse eum, Ordinesque universos: delectibus exhaustam esse provinciam, e re Transylvanorum minime fore, si veteranum militem migrare alio sinerent, ea scilicet tempestate, qua Poloni, Valachi, Moldavi armati ad limites sese ostendunt: irrupturos sine mora in inermem regionem, & uno cursu Principatum occupaturos. Daciam viribus potius externis augeri, quam suis spoliari, opus esse. Velle se tamen loco copiarum, æs in belli subsidium transmittere. Seraskerium accepisse, non probasse decretæ pecuniæ conditionem. Turcarum exercitum, opinione minorem, quinquaginta millium esse; ex his duodena millia jam Budam præmissa.

His intellectis, ac in militem de industria sparsis, delecto castris percommodo loco C) ad Parkanum, relictisque castrensibus impedimentis cum quatuor legionibus, quibus Hallevillium præfecit, ipse Danubio trajecto ad Strigonium, undecim millia peditum, septem equitum cum quingentis dimachis Vicegradum D) rapit, ac inopinatus oppidum, & arcem aggreditur. Octingenti circiter præsidiarii locum obtinebant, dimissis ante obsidium conjugibus, atque liberis cum omni pretiosa supellectili, quo a metu, curaque suorum liberi ferocius repugnarent. Ludovicus Neoburgicus oppidi muros assilire jussus, dispositis, qui continenti jaculatione defensores submoverent, fistulatoribus, adeo celeriter omnibus partibus a pyrobolariis, volonibus irruptum est, ut multi victorum ferro caderent ante, quam in arcem semet fuga subducerent. Sed arx in plures dies defensionem non instrenue extendit. Eam Bekius Tribunus cum mille quingentis bellatoribus, & ignivomis pilis infestabat, Lotharingo aciem ad Danubii ripam explicante, unde auxilio hostes venturos suspicio erat. Et ostentaverant se non pauci peditum in adverso litore, læta vociferatione socios animantes. In hos ope Saikarum prope immissi pedites Hungari, spem suppetiarum obsessis ademerunt. Nam cæsis in primo congressu octonis, cæteros in montium

A) Descriptio Antiquæ, & Novæ Pannoniæ sparsim. B) Eadem Descriptio. C) Castra cum impedimentis in adversa Strigonio ripa fuisse, & laudata Descriptio, & Porta Ottomanica asserit. Nam Dux Lotharingus ad Vacium oppugnandum oculos, animumque adjecit. D) Visegradum, & Vicegradum apud patrios juxta & exteros Scriptores reperias. Primum vocabulum Bohemicæ dialecto magis accedens aptius est. Ego sine discrimine utroque usus sum. Positum loci amœnissimi juxta, atque validissimi olim, dederam ad annum 1545. Tom. I. pag. 158. Poeta, nescio quis, lusit:

Inspice natales Vicegradi, & funera: dices
destruxisse homines, sed posuisse Deos.

A. C. 1684.

tium avia compulere. Bekius interim ex editiore loco in arcem fulminans, multum damni, plus trepidationis barbaris intulit, maxime Pro-Gubernatore ignefacta grandiori pila interempto.

Undevigesima Junii candida vexilla per muros fulserunt, impetratoque colloquio super conditionibus arcis tradendæ, orarunt Lotharingum, ut vita concessa, potestatem faceret Budam abeundi, tabulasque sua manu signaret. Nempe memores erant turpissimi facti, quo Majores sui contra juratam fidem præsidiarios, in ipso arcis limine anno millesimo, quingentesimo, quadragesimo quarto contrucidarunt, solo Amadeo loci Præfecto laniénæ subtracto; timebantque, ne perfidiæ, crudelitatisque pœnam repeteret. A) Facilem se præbuit Dux eorum postulatis, permissisque Budam abire septingentis, & tredecim (tot enim supererant) cum armis, & telis, ac novo præsidio imposito, Strigonium festinatis profectionibus iter relegit, quo trepidis admodum nunciis evocatus est. In altera ripa Danubii non contemnendæ Turcarum copiæ convenerunt. Ex iis octo circiter millia in Vicegradum conversa, locum obsidione liberare, aut subsidio per Danubium illato firmare ardebant. Quam celerrime eo contendentibus, occurrunt paucos ante dies male mulctati socii, narrant: Danubium ab Hungaris teneri; oppidum expugnatum esse; aditum in arcem patere nullum; neque libero etiam Danubio, cum eo quidem militum numero, irruptionem in Christianorum stationes tentandam. Expeditionis vero operæ pretium laturos, si conversis signis Parkanum iter accelerarint, ubi castra Lotharingi cum multa supellectili, sed exigua militum manu; sperare se aleam felicissime casuram. Facile persuasum est spoliorum avidis.

Itaque comperto Lotharingum nondum rediisse, quanta maxima possunt celeritate, sine signorum strepitu ad castra opprimenda properant, infessisque vicinis sylvis, pauculi indicium sui faciunt. Hallevillius non æstimatis hostium viribus, Dûnewaldi, Rabattæ, Thimmii legiones arma capere, & si validior hostis incumberet, latera impetere jubet. Ipse assumpto Barone Norcarmio, cum sex equitum centuriis in antesignanos provolat, ardentius magis, quam Ducem oportebat, prælium init. Turcæ e latebris illico erumpentes, Christianorum equitatum numero disparem, & ab agmine longius progressum, magna passim strage impune sternunt. Hallevillium sagitta percussum, subinde præacuta hasta confodiunt; Comitem Juniorem Rabattam, Baronem Lorium strenue repugnantes capiunt. Carloviczium Strigonii Gubernatorem vulnerant. Felix pugnæ principium sequuntur Ottomani, promotisque copiis ad castra excindenda se vertunt. Continuo densato agmine primum Rabattæ equestris legio, dein Thimiana, mox Dûnewaldiana victoribus se offert. Redintegrato certamine non modo castra defensa sunt, verum etiam ob Ducis infortunium dolore, iraque vires, ac ferrum acuente clades est reddita, pluribus signis equestribus, & Rabatta in libertatem asserto. B)

Lotharingus murali corona decorus, postridie Vicegrado redux, mox campestrem difficili pugna obtinuit. Propter Vacium urbem, duorum, & viginti millium exercitus Turcarum substitit. Ei moderabatur Budæ Præfectus, vetus sane Dux, a pueritia militiam secutus. Consilium huic fuerat Christianorum vires experiri ante, quam Seraskerius adveniret, bellum pro arbitrio gesturus. Delecto prælii loco ad Vacium, munitoque, ita aciem struxerat, ut dextrum latus densiori sylva, sinistrum palude, & Danubio clauderetur. Utrumque cornu Janicsaris firmatum. Media acies peditum a fronte minora tormenta, a tergo Vacium amicam urbem habuit. Ut Lotharingum huc pertraheret, suos ad stationes infestandas immisit, quos Hungari equites pari alacritate aggressi, cæsis, captisque aliquot in castra repulerunt. Ex his numerus hostium, ordoque aciei cognitus. Lotharingus

A) Mathias Archi-Dux Austriæ anno 1595. Vicegradum recuperavit. Iterum in hostium manus subinde venit. B) Ita Porta Ottomanica, Prælium ad Parkanum fuisse e typo expeditionis sat certum est. Historia Magni Leopoldi de loco pugnæ dissentit. Descriptio Antiquæ, & Novæ Pannoniæ quina duntaxat Turcarum millia prælium capessivisse meminit.

A. C. 1684. tharingus dimicandi occasione lætus, copias gemina victoria exultantes in hostem movet. Bidui itinere per instabiles cæno campos confecto, secunda, & vicesima Junii conjectis in cumulum impedimentis, postquam e locorum difficultate emersum est, pauci primum velites, dein omnis Turcarum exercitus in conspectu erat. Nemo Præfectorum dubitavit, militem etsi via fessum in hostes viribus præfidentes, & pugnæ cupidos educere. In terna agmina dividuntur copiæ. Dextrum agmen Maximilianus Starembergius, Salmensis Princeps; sinistrum Taffius, Scherffembergius, Ludovicus Neoburgicus; medium Ludovicus Badensis, item Starembergius, Gondola regebant. a) Constrepentibus tubis, atque tympanis per quartam horæ partem, cum eodem loco firmi persisterent barbari, Cæsarei ordinibus servatis processerunt.

Maximilianus Starembergius ramalibus, ac sarmentis palustri campo in modum pontis constrato, mox e colle tormentis, depulso hostili equitatu, suo agmini viam sinistro cornu aggrediendo opportunam aperuit. Acies media, & sinistra eodem tempore e monte demissa, prælium occepit. Turcæ solutis exiguo Cæsareorum detrimento fistulis, nudatis ferociter frameis, in mediam nostrorum aciem invecti, Taffianam, quæ prima furentibus se obtulit, legionem impetunt, & turbatis ordinibus, fere in fugam conjiciunt. Lotharingus nunc hos, nunc illos ad certamen hortatus, visa trepidatione Taffianorum, huc advolans atrocissimum vitæ periculum adiit. Nam emissus non minore fragore, quam impetu ferreus globus, Molam stabuli Præfectum, & Prætoriæ cohortis Sub-centurionem, uti ejus latus cinxerant, comminuto fœdum in modum cerebro afflixit, sonipedem Ducis, collum trajectum, eadem vi, furoreque prostravit. Ille magis extra ictum timoris, quam tormenti, Taffianos sua præsentia multum animatos, meliori ordine in pugnam reducit, iram omnem in obstantes effundere jubet. Continuo versa est alea; maxime postquam Starembergius aggerem tormentorum insiliit, potitusque omnibus machinis, Janicsaros, & duos Præfectos cum turmis equitum in auxilium festinantes, toto campo fudisset. Tum enimvero media, & sinistra acies, ne circumveniretur ab equitatu, anxie se retrahit, mox apertam fugam init. Equitatus Pesztinum continenti cursu petiit; peditum pars in proximos colles, pars Vacium compulsa est; oppidum illico cinctum, acri potius, quam diutina verberatione fatigatum fuit. Excisa Principe porta per Aspremontianos, Turcæ in castellum evadunt. Multiplici ignium genere in adultam noctem continuato, tantum terroris, & damni illatum est, ut octingenti præsidiarii, qui e prælio huc confugere, sexcenti Janicsari cum duobus Agis, se captivos dediderint. Fæminæ a victore milite spoliatæ, postero die in insulam S. Andreæ abire sunt jussæ. Feruntur in pugna interiisse Janicsarorum fere tria millia cum Præfectis Mesopotamiæ, & Temesiæ. Horum alteruter tantæ obesitatis erat, ut venter immodice projectus, intuentibus admirationem, vulnera vero nec pauca, nec levia misericordiam moverent. Budæ Gubernator amissa spe victoriæ, fuga elapsus, Seraskerio ad Pesztinum tendenti cruenti prælii nuncium detulit.

Nona & vicesima Junii Pesztinum mota sunt castra. Seraskerius ad primum rumorem advenientis exercitus, copias suas Budam traducit, munitiones Pesztini solo æquat, superstantia ædificia exurit, quidquid usui esse potest, corrumpit. Missi, qui oppidum ab incendio vindicent, Janicsaros flammas aggerentes per pontem repellunt, sine noxa e castello Budensi fulminantibus Turcis. Comes Fontana loco præfectus, terreis propugnaculis oppidum firmavit. Mercyus percursare jussus Pesztinensem agrum, & ripam, ne quid auxilii ea parte Budam inferatur. In hunc modum Buda exuta vicinis præsidiis, unde mutuam opem eatenus accepit, reddiditque, victorum armis patebat. Deliberatum jam erat Lotharingo, hanc urbem

a) Descriptio laudata Pannoniæ aciei Ductores alios recenset; hos tamen plerosque pugnæ interfuisse, ait.

bem aggredi, quod sciret Cæsarem Leopoldum huc totis animis propende- A. C. re, Vacii tamen consultationem hac super re instituit, suorumque sententias 1684. audire voluit. Horrore perfundebantur multi Ducum existimantium apud se, præteritorum annorum irritos conatus, cladesque tot Christianorum acceptas; A) urbem loci natura, & arte longe munitissimam, fortissimo sedecim millium præsidio, ter centum machinis, omnique telorum genere instructam, & opulentam. Transmittere vero in conspectu hostilium copiarum vastum flumen, tam exiguo militum numero invadere urbem, simul castra tueri adversus Seraskerium, non modo intutum, ac intempestivum, sed prorsus temerarium censebant. Itaque ab obsidenda Buda, ad obsidendum Lotharingum conversi, orant, ut memor suæ existimationis, tuta præ speciosis amplectatur, Uivarinum potius, aut Agriam impugnandam suscipiat.

Ille hæc præcipua difficultatum animo pridem complexus, quo tamen pericula imminueret partim, partim Duces, & milites incenderet, in hunc modum exorsus est: *Consilium Budæ invadendæ non se in animum admisisse prius, quam Cæsarem, consilium bellicum idipsum maxumopere velle intellexisset. Hostem anno superiore, & præsente, multiplici clade fractum, præsidiis plurimis exutum ad Cæsarei militis conspectum trepidare. Seraskerium inconditam hominum turbam, nullisque præceptis bellicis condocefactam trahentem, quem adeo reformidarent, ante biduum trepide recessisse Budam, ut captæ urbis non vindex, sed otiosa fronte spectator assistat. Locum, non periculum dimicationis in alteram ripam profugum mutasse. Exercitum quidem Christianorum obsidendæ, terra, & aquis urbi, extero hosti propulsando imparem videri; sed meminissent armorum peritum, & victoriis assuetum, & quod caput est, a veteranis multarum palmarum Ducibus regi. PERITIA Ducum, & virtute militum congeminari exercitum. Occursuros Seraskerio, si manum ausit conserere, legionarios, toties Ottomanorum sanguine perfusos, captis castris, præsidiis, muralibus, vallaribusque insignes coronis, spolia non gregariorum modo, sed Bassarum quoque portantes. Cæterum ne de paucitate copiarum querantur; adfore propediem sena Polonorum millia; Hungaros ab Uivarini obsidione revocandos; Bavarum duodena millia probi militis adducturum. Danubium non semel a Cæsareis sine clade superatum: daturum se operam, ut in præsens pari successu copias traducat. Quamobrem cum Cæsaris voluntas, cui plurimum deferendum, in hanc potissimum expeditionem propendeat; multa præterea prosperum exitum spondeant, more suo alacres obsidium Budæ capesserent.* Consultores victi magis authoritate Lotharingi, quam ad eam diem mira rerum felicitate integram apud suos habuerat, ac oratione, nihil ultra morati, magnis animis se operi accingunt.

Propius Vacium insula S. Andreæ fere Budam porrecta visitur. Hanc trajiciendis copiis peropportunam existimavit Lotharingus, quod majorem partem densioribus arbustis, arenosis tumulis, cæcis hiatibus, lacunisque horrens, atque adeo explicando equitatui, quem numerosum sub signis habuit Seraskerius, minime apta foret. Neque diu cunctatus: composito e junctis, contabulatisque navibus ponte, ut trajicientibus præsidio essent, expeditam Germanorum, & Hungarorum equitum, peditumque manum præire voluit, capereque castris, quem designaverat, locum in adversa ripa. Medium agmen peditum secutus est postero die omnis equitatus. Erant castra situ ipso egregie munita. Utrumque latus Danubio, frons palude tegebatur: tormenta præterea per intervalla disposita absterrebant subiturum hostem. His præsidiis opus erat, ne qua in divisos vis fieret. B) At Seraskerius seu crediderit non processuram Cæsareo Duci trajectionem flumi-

A) Quoties oppugnata sit Buda? apud elegantissimum Scriptorem P. Ladislaum Turoczi S. J. in sua Hungaria reperies; & ego ad annum 1686. quo felicibus armis hæc Troja est domita, referam. B) Porta Ottomanica, Historia Magni Leopoldi, Descriptio Antiquæ, & Novæ Panuoniæ,

A. C. 1684. fluminis, seu sperarit tanto facilius illum debellandum, quanto propius Budam, armorum sedem, accessit, exposito jam milite, & in castra recepto, cum viginti equitum millibus rapidus advolavit. Viso castrorum situ, acieque composita, hæsit attonitus. Ut ne tamen spectandi gratia castris assideret, dispertito in duo agmina exercitu, primum dextram alam, deinde sinistram admissis habenis invadit. Firmo gradu Cæsarei Lotharingo Duce impetum excipiunt, continentique fistularum displosione, tantum terroris incutiunt, ut vix a fuga revocari, atque in arenam retrahi potuerit. In sinistra a Caprara, Badensi, & Neoburgico Ductoribus perinde res feliciter est gesta. Reparatis ordinibus, novis animis pugna resumitur. Flos equitatus, Seraskerii jussu in sinistrum cornu iterum invectus, post breve certamen in fugam conjectus est. Poloni, qui iis forte diebus Principe Lubomirszkio Ductore (unde Lubomiriani ab Historicis appellati) in castra venerant, palantes fere ad Budam persecuti sunt. Obscura hujus prælii fama est. Nam prorsus incertum, quot capitibus molitio hæc steterit hosti, pleraque funera secum avehenti. Alii mille, alii ter centum in arena, plures in fuga occubuisse, Christianorum triginta præter Comites Vehlen, Scotti, Delli, Baronem Servi, e pio manipulo Volonum, desideratos fuisse dicunt. Illud quoque fere ambiguum: in insulane D. Andreæ, num in adversa ripa dimicatum? author Portæ Ottomanicæ in insula pugnatum ait; Hannius in sua descriptione veteris, & novæ Hungariæ, sat locuples Scriptor, superatis aquarum difficultatibus Cæsareos infestatos; uterque præterea affirmat, in principio pugnæ, omnes nostras copias adfuisse, paratas, atque intentas Ottomanorum adventum expectasse, in quibus aliquantum discrepat Historia Magni Leopoldi.

Cæterum transmissio fluminis in tanta propinquitate hostium, ne unico quidem amisso, per Europam omnium ore celebrata, quantum gloriæ, existimationisque Lotharingo addidit, tantundem Seraskerio etiam apud suos ademit, veluti occasionum segni, & artium bellicarum imperito. Inde Budenses ingenti terrore concussi, quod non ex vano crederent, Lotharingum arma circumferentem, finitimis præsidiis jam perdomitis, ipsam Budam repente aggressurum, neque spem propugnandæ urbis in pulso exercitu haberent, defensionem strenue adornaverunt. A) Moderabatur præsidio Ibrahimus, vir sane providus, & fortis, ac post Vezirium, Seraskerium authoritate apud Mahometem nulli secundus. Hujus maxime consilio muniendis propugnaculis impensa est cura; armati muri variis machinis; diutinæ obsidioni tolerandæ ex agris convecta annona; civium, Rascianorum, Judæorum census initus, qui sedecim millibus propugnatorum immisceri possent, si acrior vis urgeret, e Janicsaris audacissimos in extera opera, ubi plus periculi, conjicit; reliquos ita per viarum capita, & muros disponit, ut parti uni gravius laboranti, altera suppetias ferret. Sic comparati Budenses Christianorum copias operiebantur. Neque diu aberant. Hostili equitatu ultra Budam fugiente, cum speculatores tuta omnia renunciarent, necessaria quiete aliquot dierum refectæ legiones, auctæque quatuor millibus Hungarorum, quarto decimo Julii ad Budam constitere; eodem nempe die, quo anno superiore Ottomani Viennam inauspicato cinxerunt. B) Unde malo omine obsidionem cœptam, homines nimium religiosi interpretati sunt, exituque non multo feliciorem fore Turcica cecinere.

Validam a Danubio Budam, validiorem præstant mons saxeus, cui urbs, prægrandeque castellum insidet, c) & solidissimi operis munitiones; ut jure ambigas industriane humana, an loci ingenio magis communita sit Buda?

A) Ibrahimus iste cognomento Saitanes, primis statim obsidionis diebus in locum Gubernatoris successit vulnere, aut morbo extincti. Non vanis argumentis impellor, ut omnino affirmem, hunc Ibrahimum Seraskerium, seu armorum Præfectum per Hungariæ provincias a Mahomete renunciatum. B) Vide supra annum 1683. c) Unde Poeta cecinit:

Buda jugo: Venetæ pelago: Florentia campo
eminet.

Buda? Orientem versus Danubium despicit, qui integer vasto, profundo- A. C. que alveo illac decurrens, civitatem, uti vocant, Aquaticam alluit. Qua 1684. meridiem fere spectat, castellum assurgit firmissimum urbi conjunctum. Illa ex parte præceps admodum, difficilimusque ascensus, ut adeo sæpius oppugnata Buda, semel aggressionem castelli timuerit. Istud muro ad Danubium ducto, ac geminis turribus firmatum, flumen sua in potestate habet, & aquatoribus tutum egressum, regressumque præbet. Urbs per montis latera duplici vetere muro, & illo solidissimo, turribus per intervalla erectis, profundaque fossa cingitur. Quina A) propugnacula serior ætas addidit. Ad radicem montis, flumentanum, ac Rascianicum oppida, & thermæ ingenti spatio porrecta visuntur; tum sancti Gerardi mons se objicit, elato supra urbem, castellumque fastigio. Hic speculam posuere Turcæ. Mons urbis propemodum totus suffossus cæcas cryptas, furnulos, rudimenta cuniculorum, occultas vias eruptionibus servituras, aliaque subterranea opera adversus invadentium vim, artesque habet. Castellum, quod urbi adhæret, muro, transversis sepimentis egregie vallatum fuit; in quod defensores, si forte urbe cedendum esset, semet reciperent, Carthaginemque suam ex eo receptu ultimis viribus propugnarent; quin & plura hujusmodi munitionum genera in ipso castello struebantur, novique a tergo receptus præsto erant. Sic locum duce natura in præsidium regni designatum, delectumque, partim Reges Hungariæ, B) partim Ottomani adeo e disciplina militari communiverunt, ut cunctis gentibus innotuerit, in omnibus historiis tristem sane paginam fecerit. Et profecto vix reperias urbem, quæ toties obsidentium conatus pertinaciter luserit, majores clades datas, acceptasque viderit, sinceriori gaudio orbis Christiani Turcarum imperio erepta fuerit. Sed me Budæ imminens revocat Lotharingus.

Captis uno impetu suburbiis, oppido inferiori vis admota est. Dum muri e duobus suggestibus verberantur, & fossæ obsidionales ducuntur, hostilis equitatus urbem propius accedit. Lotharingi jussu equites nostri arma capiunt, quo viso hostium agmen in montem Gerardino objectum se retrahit, ternis duntaxat millibus, veluti equestri prælio dimicaturis, in patentem vallem demissis. Sed omisso equestri certamine, repente in fossores incurrunt, interfectisque eorum nonnullis, omnibus fugatis, per plures centurias peditum apud fossores agentium, terrorem, ac cædem spargunt. Trepidationem auxerunt præsidiarii eodem tempore erumpentes. Bekius Tribunus cum subsidiariis cohortibus advolans, suorum fugam, & victorum impetum tamdiu stitit, dum ad arma in exercitu conclamatum, ac milite undique procurrente, præsidiarii intra urbem, equites in montem non sine clade rejecti sunt. In hoc tumultu, gregariorum ducenti ceciderunt, cum quindecim clari nominis Præfectis; quos inter numerabantur Carlovizius Strigonii Gubernator: Comites Fürstenbergius, Hohenzollerus, Baro Polheimbius.

Quatefacta magna murorum parte, postridie Scherffembergius, ac Thimmius Tribuni; Tillius, & Archintus Subtribuni oppidum invaserunt. Aggressores delecti sub primas tenebras ad sua signa convenerunt. Inter primos pyrobolarios, & Volones primum locum petiit, & obtinuit Baro Astius, periculorum avidus Centurio: quippe MULTIS in ejusmodi periculis deprehensus, metum periclitandi postremum posuit. Inde quingenti pedites Hungari ad vastandum longum suburbium destinati constiterunt. Tum Tillius cum quatuor peditum centuriis: denique Gallenfelsius cum globo fabrorum, ac militum ad exscindendas portas. Invadentium vim non sustinuere oppidani Abiectis armis, præcipiti fuga superiorem urbem petunt. Verum a Gubernatore, ne simul victor irrumperet, repulsi, tormentorum ictibus discerpti sunt. Reliqui per domos, & compita trucidati. Oppidum jussu Ducis incensum, milites spe prædarum exutos, ad opus facien-

A) Nempe anno 1715. Carolus VI. Imperator, & Rex Hungariæ. Inde urbs pentagoni operis figuram refert. B) Maxime Ludovicus I. Sigismundus, & Mathias ille Corvinus.

A. C. 1684. faciendum revocavit. Raro alias minori hominum jactura oppidum expugnatum. Nam e gregariis non nisi quinque interierunt, paucis vulneratis; cum tamen hostium facile bis mille ducentos ferrum hauserit, multos etiam Danubius, quo se amentes præcipitarunt. Reliquum noctis in statuendis, muniendisque loricis insumptum est, adversus pilarum tempestates.

Altero die in militari senatu consultatum est, quæ pars oppugnanda urbis videretur? Æstimatis castelli munitionibus, nemo omnium erat, qui illud impetendum censeret, quod ea pars Budæ, longe aliis firmior, validiorque esset, captisque multo sanguine (quod futurum procul dubio prævidebant Duces) extimis munimentis, alia, atque alia continenti serie veluti ex insidiis consurgerent. Accessit arduus loci ascensus, & Cæsareorum castra sub castelli alte dominantis aspectu, atque adeo sub ictu posita. Denique, quod castellum tenui præsidio defendi posset, nec urbs fatigaretur, distrahereturque. Fuit, qui ad flumentanas turres, fræna nempe Danubii, principem aggressionem dirigendam persuadere niteretur, ratus iis expugnatis, & aqua, & auxiliis, quæ per Danubium irrepere possent, obsessos exutum iri. Nulli probabatur isthoc consilium, quod exploratum haberent Duces, urbem a numeroso milite obtineri, conjicerentque inde non ex vano, haud futurum, ut suppetiarum egeat, protracto quamvis in plures menses obsidio; in præsenti non deesse obsessis cisternas imbribus servandis, nec defore puteos, quamdiu Danubius Budam præterlaberetur; certe aquationis causa, extrema tentaturos, & præter jacturam temporis, & fortissimorum militum, nihil relaturos Cæsareos. Igitur in Lotharingi sententiam itum est, qui urbem ad occidentem porrectam, machinis infestandam existimavit. Ad Viennensem portam Maximilianus Starembergius, Neoburgicus, Fontana oppugnationem adornarunt; ad Vallensem Dux Croyus, Parella, Scherffembergius: illis dextra ala exercitus, his sinistra attributa est. Rudigerus Starembergius, Lotharingi Legatus; ac per ejus morbum universam oppugnationem curavit. Ducto aggere circa urbem ab una Danubii ripa ad alteram, fossaque præmunito, & crebris peditum stationibus firmato, atque Saikariis excubare jussis, urbs undique claudebatur.

Ne obsidentium conatus Seraskerius suis incursionibus averteret, visum est Lotharingo eum aggredi in castris ad Hansabegam A) fixis. Relictis ad obsidionem necessariis, vigesima prima Julii nocturno, silentique itinere profectus, sub primam auroram ad castra barbarorum pervenit, structaque propere acie, canentibus signis Seraskerio certamen indixit. Is Cæsareorum improviso adventu, ac mira alacritate perculsus, ratus insuper universas copias ad se oppugnandum venisse, castris excedens de receptu magis, quam prælio cogitabat. Sed visa paucitate hostium, spem subito concepit rependendi nuperam cladem. Immissis equitibus, qui pugnæ præluderent, copias suos in ordines ire jubet. Peditum sex, equitum fere quatuordecim millia erant. Janicsari mediam aciem, equitatus latera explebant. His in mandatis dedit, ut laxatis ordinibus pars frontem, pars latera Cæsareorum incursent, & sua multitudine tenuem aciem undique claudant, telis obruant. Gregem camelorum castris eductum post equitum turmas collocat; sessores monet, ut si equites terga verterent, belluas inter inconditos clamores in Cæsareos agant, repugnantium ordines perturbent.

Lotharingus longe inferior copiis, sua præsentia militum virtutem exacuit, arte militari numerum geminavit. Duo peditum millia (neque plures in hanc expeditionem B) traxit) utrique lateri apte intermiscet: sinistrum, cui Principem Salmensem, Taffium præposuit, senioris Styrumii, & Magni dimachis firmat; dextrum quod Princeps Badensis, ac Mercyus rexerunt, Schulzianis, & Sabaudicis claudit. In medium fere omnem equitatum accipit, quem ipse moderabatur. Orto certamine animadvertit, Spahiorum agmina (equitum id, sicut alio diximus loco, est genus) concitato

A) Hansabega duobus, & medio milliari Buda dissita. B) Imo in epistola Ducis Lotharingiæ, quam mox recitabo, mille solum pedites lego.

citato curſu in latera noſtrorum invehi, ac effuſa in confertos telorum procella, illico refugere; mox rurſum eadem celeritate redire, atque ſtatariam pugnam, cui gravioris armaturæ Germanus eques aſueverat, vitare, prorſus equeſtris more prælii A) aciem laceſſere. Inde Lubomirianos, atque Hungaros, armis, velocitate Ottomanorum equitibus pares, animis multo præſtantiores, partim e ſubſidiaria, partim e media acie accitos Spahiis objicit. More ſuo refugientes aviditate cædis intemperantius inſecuti Poloni, in validas Turcarum turmas incidunt, verſaque momento temporis fortuna pugnæ, qui modo pellentes ſtrenue ſecuti erant, pulſi terga vertunt; tanta omnium trepidatione, ut niſi diductis ordinibus curſum, fugamque exequendi campum nacti fuiſſent, haud dubie ſumma prælii in præſentiſſimum diſcrimen adducta fuiſſet. Firmior Germanus ferocientium impetum cohibuit, atque rem reſtituit. Polonorum pavore, animis auctiores hoſtes, ſemel, atque iterum dextrum cornu ſumma vi, ferociaque perrumpere conantur. Cum a confertis, præparatisque multi minoribus pilis figerentur, neque denſatos ordines aperire poſſent, valla caſtrorum trepidi petunt. Nec ſtetiſſent, ni Seraskerius ter centum paratos camelos in prælium induxiſſet; ad quorum odorem perterriti equi, aciem turbare cœperunt. Sed vanum hoc auxili genus in prædam ultro ceſſit. Nam beſtiarum rectoribus ferro dejectis, omnem illum gregem victores in ſua caſtra abduxere. Tum vero conſilii inopem, omnibus viribus Dux occupat, obſeſſisque lateribus per Hungaros, ſpe ſimul, & arena depulſum, fugere coegit, relictis opulentis caſtris. Lotharingus laureatis literis Cæſari gratulatus, victoriam Ducum juxta, ac militis ardorem multa laude ornavit. Juvat ipſius verba reddere.

Cum illuſtrem de hoſte Chriſtiani nominis, die Divæ Magdalenæ ſacro, Dei benignitate victoriam reportaverim, eam Majeſtati tuæ per Tribunum Comitem Carolum Magni ſignificandam duxi. Diſtributa majori parte copiarum ad Budæ obſidium, atque opera facienda, reliquum equitatum cum mille peditibus, & mille quingentis equitibus Hungaris, Ductore Comite Eſzterhazio Jaurinenſium Præfecto, heſternæ noctis beneficio in hoſtem movi ad Hanſabegam metantem. Nondum orto ſole juxta caſtra conſtiti, acieque per otium directa prima luce ſignum prælii dedi. Seraskerius ſuorum multitudine fretus (nam prope vicena armatorum millia numeravit) poſteaquam raros ordines peditum animadvertit, avide certamen arripuit. Quatuor horarum ſpatio pertinaci magis, quam cruenta impreſſione noſtræ aciei latera tentavit. Poſtremum fuſus, fugatusque non caſtra modo cum impedimentis, ſignisque militaribus (quemadmodum ad Viennam) amiſit, verum ſpem quoque ſuccurrendi in poſterum Budæ, cæſis nimirum magnam partem Janicsaris, depoſuiſſe videtur, cum Eſzekinum præcipiti fuga ſemet receperit: ut adeo ſperari poſſit, hanc victoriam expugnationem Budæ, aliarumque urbium expugnationes tracturam. Cæſorum, captorumve numerus quantus ſit? haud conſtat, nondum reverſis Hungaris, & Polonis, qui hoſtem etiamnum perſequuntur. Inter opulenta ſpolia Seraskerii vaſtum tentorium, vexillum, inſigne ſupremæ armorum præfecturæ, a Mahomete traditum, eminent. Ludovicus Badenſis cum Gözia, ac Sabauda legione ultra milliare fugitivos cædens, hoſtiles machinas occupavit, Hungaris cum Lubomirianis longius prementibus. Velim Majeſtas tua mihi fidem habeat, tanta alacritate, tantoque animi robore equites, univerſosque Ordinum Ductores dimicaſſe, ut ab ſingulis tanta ſint præſtita, quanta neque exigere potuerim. Æneas C.

A. C. 1684.

 Caprara

A) Sic olim equites artem pugnandi docebantur, ut nunc aciem incurſarent, nunc fuga Parthorum more, ſemet ſubducerent, ubique adeſſent, nusquam ſtatario gradu prælium cierent. T. Livius Patav. Lib. XXXI. §. XXXV. de Philippi Macedonis equitibus ait: credidere Regii, genus pugnæ, cui aſſueverant, fore, ut equites invicem inſequentes, fugientesque, nunc telis uterentur, nunc terga darent. Unde idem author ſcribit de memorabili pugna Cannenſi, Gallos, Hiſpanosque equites cum Romanis concurriſſe minime equeſtris more pugnæ, quod ſtantes, ac conferti tela ingererent, exciperentque. Vide Lib. XXII. §. XLVII. Principio ſeculi decimi ſeptimi Hungari equites priori genere pugnæ ſunt uſi, nunc firmi hoſtem opperiuntur, pilas excipiunt, ac adverſus ignea tormentorum ora vadunt.

A. C. *Caprara Mareschallus, Principes Badensis, Salmensis ut munere militari præcipui,*
1684. *ita fortibus factis militi præivere.* A) Sic Lotharingus sine discrimine nationum, & Ducum, & gregariorum virtutem, qua secundum Deum victor evasit, compositis Viennam literis Cæsaris memoriæ, & liberalitati admovit. Cæterum quina circiter millia inter fugam occubuere hostium, pauci capti cum octo tormentis; Seraskerius prope erat, ut numerum captorum augeret, dum fugiendo fessus, sparsos, palantesque suos ad prælium redintegrandum hortatur; nostrorum centum, ac quadraginta desiderati, plures læsi.

Profligato hoste extero, ad obsidionem Budæ reditum est. Ductis obsidionalibus viis continenti fossorum opera, & quinis tormentariis sedibus, potissimum adversus Vallensia munimenta erectis, verberationi initium datum, quinto calendas sextiles. Illico apparuit oppugnationem non diuturnam modo, sed cruentam quoque, & Nobilium jactura memorabilem fore. Nam præsidiarii numero valentes, statim in principio crebris eruptionibus Cæsareos vexare cœperunt, ligonique magis, quam ferro intentos, improvisa clade usque adeo obruerunt, ut cæso persæpe fossorum manipulo, fugatis stationariis, multi sudoris opera momento corruperint. Nec abstinebant hac erumpendi consuetudine, quidquid agerent Præfecti, ne imparati opprimerentur. Cum enim fere exercitum in urbe aleret Gubernator, procursiones non invitus concessit, imo author erat, ut quam frequentissime fierent; temperaturus suorum ardorem, ubi multitudo ad justum numerum defensorum redacta fuerit. Quo consilio duo se consecuturum speravit: levamentum rei cibariæ, & militis sui apud hostes existimationem. Unde vix una dies sine certamine abiit, Turcis plerumque victoribus; quæ res & Duci solicitudinem, & gregariis operi destinatis non mediocrem metum creavit.

Sed Vallensem aggressionem multa alia arduam reddidere. Muri alto, præcipitique loco positi machinarum vim eludebant: tum longissimo spatio porrecti, numerosis propugnatoribus tutam stationem præbebant, quibus collineatis ictibus appropinquantes Cæsareos impune configere, aut devolutis per montis crepidinem molaribus, una cum operibus certissima strage proterere ludus erat. Nec minor usus e mœnibus tormentorum fuit, ut adeo pila nulla in obsidentes frustra vibraretur. Tot simul incommodis fatigati Christiani, spem omnem subjugandæ urbis in cuniculis, in cæcis suffossionibus posuerunt. Spem intendit Cornarus, subterraneorum operum inventis, par clarissimo tota Europa Vernedæ, magistro suo, magnificis pollicitationibus artis suæ multo superior. Septima Augusti ad semilunam ductus cuniculus, ac ingenti fragore solutus, prægrandibus saxis, terræ fragminibus accessus nostros omnino obruit, illæsis hostium mænibus. Biduo post alter admoto igniario fomite incensus, effractusque, ob molliorem terram, omnem pestem innoxius in auras evomuit, deditque præsidiariis copiam eruptionem tentandi, qua cæsis, qui primi se obtulerant, stationariis cum Comite Nassaviæ, post acre certamen in urbem rejecti fuerunt. B) Ad portam Viennensem perinde nullo rerum successu desudatum erat. Procursiones in opera, & in fossores adeo pertinaces fiebant, ut aliquot castella terrea, plurium centuriarum capacia, & castrensibus machinis instructa contra vim ab obsessis ingruentem, poni debuerint: cumque tormenta in semilunam obversa solum cespitem, præstructosque aggeres raderent, atque Turcæ in temere congesta tellure latentes, certis ictibus subeuntes exciperent, ex utroque latere tormentarii suggestus ad declinanda hostium tela, bina receptacula, fossa, ac vallo præmunita, sunt erecta. Tum inferioris oppidi fossa novo aggere firmata, atque ad tuendos cuniculatores vallum oblique ductum. Hæc ipsa multiplex solicitudo muniendi accessus, Janicsaros ferociores effecit, existimantes TIMORI nulla munimenta satis esse, viresque tanto magis distrahi, quanto plura per urbis circuitum excitarentur.

Inter

A) Extant hæ literæ idiomate Germano Tom. II. Portæ Ottomanicæ pag. 265. quas Lectoris gratia hoc loco recitare visum fuit. B) Porta Ottom. T. II.

Inter has curas ſpes injecta eſt Lotharingo, poſſe urbem ad deditionem adigi interceptis flumentanis turribus, quod intelligeret e transfugis, inopia fontium obſeſſos laborare, nec diu reſtituros, ſi Danubio arcerentur. Igitur per ſubita armorum occupaturus turres, dum armatas cohortes e caſtris evocat, imperia dividit, ipſe aggreſſuros, ne ſe mutuo impediant, in ordines collocat, ſigillatim, quid agere oporteat, Præfectis exponit; audaciſſimi præſidiariorum in oppidum inferius decurrunt, ſexaginta, & amplius primo impetu obtruncant. Huc ſubito acti, qui aggreſſioni præparabantur, cum denſato gradu, nec ſatis compoſiti pugnantibus ſe miſcerent, multitudine ſua impliciti, occaſionem rei bene gerendæ corruperunt. Hoc certamine e Nobilioribus cecidere Baro Blumenthalius poſt acrem pugnam a pluribus circumventus, & Comes Ferdinandus Harrachius pila tormenti ſecundum latus graviter percuſſus. A) Sic everſum eſt conſilium invadendi ex improviſo turres. Per eosdem dies grandior ſemiluna, vi pulveris magnam partem labefactata, viam in urbem aperuiſſet, niſi ſolertia Gubernatoris terream munitionem vallo, & ſudibus circumdatam irrupturis oppoſuiſſet. In hanc poſtridie continenter fulminatum fuit: tum Volones, quive delectu Lotharingi ad occupandum locum procurrere ſunt juſſi, generoſo mortis contemptu per ſtragem murorum, furnulosque ſuccenſos in montem evadunt: pars ſecures expedire, pars in confertos pilarum tempeſtatem ſpargere. Turcæ contra glandium, lapidumque vim in primos ordines effundere; ignibus, aliaque urente materia ſubmovere, nudatis ferociter frameis fortiſſimos obtruncare, tantaque rabie locum tueri, ut Dux deſperato ſucceſſu, ſignum receptui dare coactus fuerit. At per montis declivitatem non ita regredi ordinate potuere, quin multi, ut in receſſu ſolet, Janicsarorum telis paterent; ut adeo pauci integri, reliqui immanibus plagis affecti, commiſerationi ſpectantibus in caſtris eſſent.

A. C. 1684.

Hæc minus proſpera invaſio, hoſtium animos altius extulit, Cæſareorum nimium depreſſit, præſertim effuſis immodice pluviis foſſionem impedientibus, ac peritiſſimis cuniculatorum vario fato interemptis; quorum opera crebrius uti ſtatuerat Lotharingus, quo militum paucitati conſuleret; neque novi, quod magnopere orabat Cæſarem, ſubmittebantur. Morbis inſuper per legiones gliſcentibus, omnia arctiora in dies fiebant. Dux ipſe violenta correptus febri decumbebat, oppugnationis cura in Rudigerum Starembergium, reliqui exercitus in Æneam Capraram B) tranſlata. Illius deſignatione adverſus caſtelli portam, unde frequentius eruptum eſt, vallum reductibus interſtinctum perducitur. Huc injecti ſunt dimachæ, quos Heislerus Tribunus paulo ante e proxima expeditione, in caſtra reduxerat victores (nam ad Albam Regalem ſeptingentos Turcarum cæciderant, grege pecorum præterea abacto) juſſi adeſſe foſſoribus, ſi illuc erumperent Budenſes. Horum pleroſque nimia ſecuritas perdidit. Namque itinere non tam longinquo, quam præpropero laſſati, atque loci munimentis confiſi, veluti vallum pro ipſis excubaret, & viri munimentis, non munimenta viris tuta forent, poſitis armis per ceſpitem ſtrati interquieſcebant. Id conſpicati ex alto Turcæ, tanta pernicitate, impetuque e caſtello erumpunt, ut conciſis dimachis, præaltos aggeres cum reductibus disjecerint, corruperintque. Badenſis, & Salmenſis Princeps, adductis ſuis legionibus hoſtem exultantem intra mænia compulerunt. Inſequenti die c) apud ſtationem equitum concurſum eſt. Saxonem Iſenacenſem ardentius pro vallo, quam cautius tela in barbaros emittentem, lethale vulnus pugnæ extraxit, ſubinde extinxit, elatum ingenti exercitus luctu, ac dolore inprimis haud modico Lotharingi, quem incenſa febris, & quotidianæ ſuorum clades miſere torquebant; præſertim poſtquam recenſito exercitu, quina legionariorum millia, primi nominis Centuriones quinquaginta, Legatos quadraginta præter plurimos inferiores Præfectos, Volones nobiliſſimos juxta, ac fortiſſimos interiiſſe,

A) Eadem Porta Ottoman. B) Deſcriptio Pannoniæ Rudolphum C. Rabattam oppugnationi præpoſitum fuiſſe meminit, quod erroneum exiſtimo. c) Nona Septembris.

A. C. teriisse, morbis divexari non paucos, atque omnium animos irriti toties la-
1684. boris dolore ægros intellexit.

Pertinaci morbo, multisque difficultatibus implicitum, Bavariæ Ducis in castra adventus magnopere recreavit. Advexerat is viginti millia spectatæ virtutis militum; Bavarorum dena, Francorum septena, Suevorum terna millia; quorum plerique anno præterlapso adversus Turcam in Austria, Hungaria secunda prælia fecerunt. Par his copiis apparatus. Centum octoginta variæ formæ navigia, Danubio innatantia in conspectu Budensium appulsa, quantas copias, quantamve rerum omnium supellectilem, obsidioni urbium pernecessariam, advexerint, se æstimanda præbuerunt: castrenses currus terra secuti majori numero: grandiores machinæ duæ, & triginta; minores quatuor plures. Raro unquam spe victoriæ alacrior miles ad Budam visus. Undecima Septembris expositus, Cæsareorum munimenta, prout res, & imperium vocaverat, defendenda accepit, erectoque adversus castellum tormentorum suggestu, vi summa everberare muros cœpit. Ne qua inter Duces honoris æmulatio oriretur, sapienter a Leopoldo Imperatore provisum est, ut nempe militaris tessera a Cæsare utique ederetur. Balthasar Hannius, illius ætatis perdiligens Scriptor, prodidit, oppugnationis, omniumque copiarum curam Bavaro commissam ea lege, ut in deliberationem, si quid majoris momenti occurrat, Cæsareos belli Consultores advocet, atque horum consiliis, operaque utatur. Quidquid sit hac de re, illud constat: Duces summe concordes communi animo, consilioque rem egisse; probe gnaros, NUNQUAM in præsentiori periculo exercitum versari, quam dum Duces sententiis, atque animo discordiam alunt.

Et perquam necessaria erat hæc animorum conjunctio. Nam Seraskerius reparatis celeriter viribus, Budæ suæ metuens festinatis diu, noctuque itineribus Esfzekino adventare nunciabatur. Bavaro antequam suppetiæ obsidentium animos firmarent, per decurionem Turcici sermonis peritum explorare placuit Gubernatoris mentem, velletne urbem Leopoldo Hungariæ Regi reddere, an belli eventum experiri? Ille perhumaniter acceptum nuncium, ac quindenis aureis nummis donatum, sine mora remisit in castra, addito: *sibi urbem traditam, ut eam tueatur, non prodat. Rebus integris locum cedere amentis esse. Agerent Christiani armis, atque victores conditiones victo ferrent.* Igitur in oppugnationem unice intentus Bavarus, ex altero suggestu in turris frontem, ex qua recte, & oblique in operas continenter fulminatum est, ignitas pilas contorqueri jussit.

Sed in Seraskerium castris non segniter imminentem, Ducum potior cura conversa est. Pavidi agrestes in stationarios incidentes, deinde in castra delati, militem ingenti terrore complevere: Turcarum copias Budam approperare, jamque equitatum cum Seraskerio in propinquo esse. Nec quanta manus agros popularetur, nec ubi locorum tenderent, satis gnari, omnia in majus metu augente accipiebant. Igitur primum terror, pavorque, postea mæstitia animos incessit: recentem exercitum trahere Seraskerium, cum ipsi ægre erumpentium ferociæ queant resistere; obsidentes quadraginta millibus pugnatorum (sic fama subinde percrebuit) facile obsideri, aut si Budenses, & Seraskerius eodem tempore vim castris inferrent, maxima clade affici posse. Hungari, & Lubomiriani equites, qui militares vias insederant, revocati, certiora nunciarunt: colluviem potius hominum, quam justum militem sub signis esse, neque numerum viginti millium excedere. Paucos ex iis Janicsaros, reliquos ex agris compulsos. Hunc rumorem ex composito latius sparserunt Duces, quo intempestivum metum Cæsarei, & Bavari (nam & istorum fiducia in solicitudinem versa est) ponerent, simulque castigando timidiores, universa castra ad spem victoriæ erexerunt. Tum muniendis castris, ne qua hostis aditum in ea, indeque in urbem reperiret, insudatum fuit, maxima militum defatigatione, quod longe, lateque extensa, insuper inæquali loco posita, laborem in fossa, & aggere circumducto geminarint. Lotharingus receptis jam corporis viribus,

bus; cum Electore Bavaro equitatum castris educit adversus Seraskerium; peditatum accinctum in armis stare jubet; accessus, furnulos, reductus conduplicatis vigiliis firmat; machinarum sedes novis præsidiis auget, atque præcipuis militum Præfectis admonitis, ut in hostium consilia expediti intendant, ubi majus periculum, suppetias ferant, omnem cladem a suis avertisse videbatur. Sed SÆPE iniquior fortuna Belliducis, quamtumvis cauti, consilia eludit, & quanto avertendæ cladis paratiora reperit, tanto accipiendæ propiora facit.

A. C. 1684.

Quippe dum Seraskerius uno, atque altero die castris propinquus, nunc stationarios carpit, nunc pabulatores intercipit, nunc explicata acie pugnam simulat, nihil tamen temerariæ spei committit, repente vigesima secunda Septembris stationes nostrorum invadit, & fundit; eodemque tempore, ut conventum erat, duabus simul portis equites peditibus immisti, ipso Gubernatore præeunte, subito erumpunt, intentosque in Seraskerii equestre prælium, atque primo impetu perculsos, miserabili strage concidunt, muralia tormenta defixis clavis corrumpunt, suggestus, aggeres demoliuntur, fascibus, palis ignem injiciunt, opera multo sudore, multoque sanguine fortium virorum fabricata dejiciunt, tumultu, cædibus omnia permiscent; ciebaturque pluribus in locis non tam anceps, quam sanguinarium certamen; Ducibus in hanc modo partem, modo in illam se vertentibus, & subita clade commilitonum perterritos ad pugnam animantibus. Infestum Spahiorum agmen per vallem evectum, fusis custodibus, levi impendio valla transcendit, quod ea parte infirmus agger foret, majoremque viribus suis inter calones, & lixas terrorem excivere. A Magnianis dimachis primum excepti, dein pilis pulvere pyrio animatis fortiter repressi, dum per eandem vallem, admissis habenis fugam moliuntur, in insidias præcipitant, ac multis suorum desideratis, colles vicinos trepide petunt. Hac equestri procella dissipata, Seraskerius suam aciem latius extendit, quasi pluribus locis castrorum valla tentaturus. Istud eo consilio egerit, ut ne ea parte prælii jam liberi Duces, omnibus viribus uterentur in obsessos, qui nullo obsistente, in vicina Cæsareorum castra terrorem sparserunt, & nisi Bavari in tempore se opposuissent, torrentis instar castra omnia vastassent. Hi e ripa Danubii tendentes, longo circuitu facto, per disjectos aggeres signa intulerunt, atque victorem, stragem late circumferentem, in urbem retruserunt. Seraskerius peditatu non perinde firmus, declinata universi certaminis alea, retrocessit.

Eum postridie aggredi Duces statuerunt; sed pluvium cœlum consilium turbavit. Nec ille tutum existimans in tanta propinquitate aperto in campo metari, Albam Regalem, tum Eszekinum iter relegit, quo aliquot legiones peditum in Bosnia scriptas convenire jussit. At obsessi morem suum secuti, longe ferocius, ac antea, opera, operumque custodes incursarunt, atque clades fere quotidie auxerunt. Memorabilis ea eruptio fuit, qua magnam partem iterum corruptis machinis, ac operibus, ter centum, & amplius gregarii cum suis Præfectis subito oppressi sunt. Nihilominus in tam operosa, cruentaque oppugnatione constantius, quam felicius perseverarunt Christiani; quin Bavariæ miles suggestibus geminis tertium, adversus castelli munitiones, magno contemptu hostium addidit, perpetuoque missilium ignium jactu, cuniculorum suffossione lacerata munimenta fatigavit. Quarta Octobris delectæ Bavarorum cohortes in ruinas procurrunt. Turcæ devolutis saxis, trabibus subeuntes sternunt; pro nudato mœnibus loco corpora opponunt; rem ferro strenue agunt. Bavari inter densam telorum tempestatem, in montem eluctati, majorem, quam pro numero, duarum horarum spatio pugnam edunt, & quo acrius, diutiusque, utrinque dimicatur, eo plures vulnerantur, nullo inter arma, corporaque vano intercidente telo. Cum anceps certamen in ruinis teneret, & Turcis, quia pedem non referrent, crevissent animi; Bavari quia non vicissent, pro victis essent; repente oppidani sublato clamore in obstinate pugnantes prosi-

A. C. 1685. liunt, atque per montis declivitatem impulsos in castra redigunt; quadringentis in ruinarum angustiis cæsis, multo pluribus sauciatis.

Interim Seraskerius receptis in castra peditum supplementis, Budam propius accedere nunciabatur. Speculatores Hungari, rati hostium agmen longius abesse, densa nebula conspectum præpediente, in quater mille eqnites improviso impingunt, celeriterque multitudine circumfusi ægre salutem fuga inveniunt. Obsessi suorum adventu cognito, sine mora erumpunt. Aspermontii legionem, & duas centurias Salmensis Principis circumveniunt. Pugna iniquissima exoritur. Christiani effusis large imbribus madidi, ac cæno hærentes, non ordines tenere, non pulvere nitrato uti poterant. Turcæ contra corporibus alacres, frameas circumagunt, nec cedere, nec repugnare valentes interficiunt. a) Equites in stationarios eodem tempore illati, a Dûnewaldo, & Mercyo pessime mulctati sunt; aliquot tamen centuriæ, velocitate equorum in urbem penetrarunt, ingenti Budensium gratulatione. Lotharingus, ne rursum elaberetur Seraskerius, refectum militem tertia vigilia arma sumere jubet, ac festinato itinere ad hostem contendit. Ille feliciores in campo, quam urbium oppugnatione, non ausus operiri, multo ante noctem copias Eszekinum retro, quibus venerat itineribus, rapit; tanta celeritate, ut Hungari, Polonique famam, & vestigia fugientium secuti, neminem unum ex agmine interceperint. Nostri exacto die, nocteque in hostium castris, re infecta, Budam redierunt.

Biduo post viginti signa Spahiorum in fronte castrorum apparuerunt. Ut ad arma impigre concursare vident Cæsareos, nihil ultra ausi, cursu fuga simili, in sexcentos Hungaros, qui pabulandi causa longius e castris progressi, inermes, & hostium securi in aperto campo procubuerant, feruntur. Pugna oritur, qualis esse solet inter aggredientes, animoque firmatos, atque inter inopinantes, ac perculsos. Cæsi plerique, & ducentis equis mulctati nimiam in medio bello socordiam luerunt. Hoc qualecunque infortunium gravioris mali principium fuit. Hungari, qui in castris substiterant, quive cædem evaserant, commilitonum adverso prælio commoti, missionem flagitant a Pro-Rege; questi insuper gravem, sibique damnosam militiam, quod ære suo in alterum annum militare cogerentur, utque æstate non levibus impensis inter quotidiana mortis discrimina, se, suosque equos in castris aluerunt, ita & hyeme pari impendio domi suæ, quemadmodum anno superiori, victitandum, imo exteros milites apud se Hybernaturos; etsi Comes Preunerus, & Baro Abelius, Cæsarei Quæstores, longe alia nomine Cæsaris, Hungaris polliceantur, quo videlicet nimium credulis imponant, novasque pedicas injiciant. Ne omnes ex composito discederent, Palatinus qua precibus, qua promissis (nam FRUSTRA obtendis imperium, ubi metus, & reverentia exuitur) evicit. Terna tamen millia conclamatis propalam vasis, frænatos equos insiliunt; neque pinguium stativorum promissis, neque Abelii minis revocari potuerunt.

Duces ad lentam oppugnationem reversi, conspecta operum jactura, strage fortissimorum militum, imminutione exercitus, extrema, qui supererant, omnium desperatione, prope erat, ut incepto desisterent. Erigi videbantur, quas Suevia dimidio Octobris miserat, suppetiis, atque cunicularioram pollicitationibus. Pars Suevorum ad oram Danubii, secundum Bavarorum castra, terreum propugnaculum excitavit; pars in Pesztinensem ripam traducta, alterum munimentum ex adverso objecit, illatisque majoribus tormentis, quibus inimicas naves procul arcerent, si quid auxilii obsessis inferre vellent, spem omnem commercii Danubium inter, & Budam præcisum iri existimarunt. Præter aggressiones apertas parum procedentes, geminis actis cuniculis ad murum, qui juxta hortos Reginæ, his surdis fossionibus subruendus Lotharingi judicio aptissimus censebatur, improbo labore perventum est. Vastiorem turrim a paucis admodum propugnato-

a) Quinta, & vicesima Septembris hanc eruptionem tentatam Porta Ottomanica prodidit.

gnatoribus infeſſam, aperta vi occupandi ſpes non modica fuit, jamque cohortes aſſiliendi ſignum expectarunt. Nihil uspiam ad votum ceſſit, ut adeo obſeſſis omnia ſecunda, adverſa obſidentibus, quemadmodum in principio, ita in exitu oppugnationis, evenirent. Nam obſeſſi veluti admoniti diſcriminis, in turrim armati multo numero clam evadunt, admotisque propere machinis clavis, & catenis refertis, tanto majorem ſtragem in oppugnatoribus faciunt, quanto ardentius, inconſultiusque provecti, armatæ turri appropinquarunt. Culpa cladis, ac fruſtrati aſſultus, Comitis Serenii cunctationi potiſſimum attributa eſt, qui turrim ſitu validam, ſua fortuna, & ſuorum militum, quibuscum in eam aſſilire quarta ab meridie hora juſſus erat, ſuperiorem exiſtimans, re ipſa fecit, dum dilato in veſperum aſſultu, hoſtibus tempus conceſſit, viris, & armis muniendi locum. Nimirum: IN BELLO vel brevis mora in perniciem vertit, ubi celeritate eſt opus. Nihilo feliciorem ſucceſſum cunicularii habuere, quorum ars ſive telluris ingenio, ſive foſſorum negligentia deluſa, nunquam alias minoris fieri cœpit.

A. C. 1684.

Multis adeo partibus languentem oppugnationem, ſubſidia urbi illata penitus afflixerunt. Agrienſium Præfectus armatis ſeptem navigiis Danubium percurrens, nunc excenſionem ad Peſzti, Budæque ripas oſtentare, nunc in Suevorum propugnacula, & navalem pontem aggreſſionem minari, atque ſtrepitum armorum, metumque pluribus diebus circumferre ſolebat. Oſtentata hac aggreſſione ſæpe deluſis, & ideo ſegnius accurentibus ad arma Chriſtianis, prima, & trigeſima Octobris evitatis tormentorum fulminibus, quæ e binis Suevorum propugnaculis ſine ceſſatione emittebantur, fulminis inſtar in ſtationem Bavarorum invectus, expoſitisque in terram copiis, aggerum cuſtodes ante opprimit, quam vel Saikarii ad pontem excubantes, vel vicini ſtationarii opem adferre poſſent. Poſt hanc militum ſtragem, eadem celeritate opera male cohærentia aggreſſus, momento peſſumdat. Hoc patrato facinore in conſpectu arcis, explicatis ſignis, tympanisque ſonantibus, in media veluti pace cum aliquot centuriis triumphanti ſimilis urbem intravit. A) Haud facile dictu eſt, quanta Budenſium gratulatione auxiliarii accepti, quod viderent navigaturæ annonæ, cæterisque ſubſidiis aditum per eos apertum; nec defore alios, qui illuſtri hoc facto incenſi, paria Reipublicæ cauſa ſint auſuri. MAGNITUDINE enim periculorum æmulationem creſcere; quodve primis e ſententia ceſſit, alteros minime deſperare.

At opus non erat ampliori auxilio, Ducibus de receptu magis, quam obſidione jam ſolicitis. Quippe idoneis nunciis perferebatur, Mahometis juſſu equites, peditesque e Bosnia Seraskerio miſſos, vicinis in provinciis delectibus, quidquid armis ferendis eſſet, excitum approperare; & jam obequitantes Spahii, e montibus ſitum licenter contemplabantur. Præter hunc minime vanum terrorem, multa incommoda enaſcebantur. Machinatorum quispiam, neſcio quibus umbris agitatus, ad obſeſſos defecit. B) Hic terreas ſubſtructiones, cuniculorum & numerum, & typum minutim deſcripſit, quove res loco Chriſtianorum ſint, enucleate, ac vere hoſtibus patefecit. Ubi transfugæ indicio, eo alacriores erumpunt, quo certiores de proſpero ſucceſſu. Ferro, igne tanto furore deſæviunt in militem, & opera, ut a principio oppugnationis, nulla major accepta ſit clades. Ad hanc acceſſit autumnus imbribus fœdus, quorum frequentia humus paluſtris, ac reſtagnans reddita, feſtinare non ſinebat opera tarde cohærentia, & ſtatim fluxa; & ubi profundiores cavernæ erutæ, ab erumpentibus aquarum venis, maximo damno cuniculariorum replebantur. Denique aperta deſperatio expugnandi loci, cui Danubius, pugnator fluvius, ad quantavis ſubſidia præſto erat.

Rebus ita ſitis, tamque liquidis, ſummo omnium conſenſu ſoluta eſt obſidio, in quintum menſem nullo ſucceſſu producta. Silentio noctis bellica

A) Deſcriptio Antiquæ, & Novæ Pannoniæ. B) Eadem Deſcriptio.

A. C. 1684. bellica penus, invalidus miles in naves comportatus, adverſo Danubio Viſſegradum, inde Strigonium eſt vectus. Legionarii armis accincti, nec itineri magis, quam prælio, ſi Budenſes more ſuo procurrerent, apti, lento gradu, ſervatis ordinibus caſtris educti, Albam Regalem verſus ad ſpeciem moverunt, tum converſis ſubito ſignis veterem Budam, dein Viſſegradum iter flexerunt. Crematis circum ædificiis, Lotharingi juſſu munimenta Peſztini, per cuniculos provide ante excavatos, evibrata ſunt. At Vacium ter centum peditibus, quingentis equitibus Hungaris, & duobus ſignis Germanorum firmatum eſt. Seraskerius ut primum ſenſit retrocedere Chriſtianos, immiſſis, levioris armaturæ militibus in poſtrema agmina, cum reliquo exercitu ad colles usque Strigonienſes ſequebatur, nullo, etſi maxime vellet, illato detrimento, quod fiſtulatores in pugnam intenti, ac probe inter ſe conſertis ordinibus incedentes, terga omnium clauderent. Ægri tamen, feſtinandi ſtudio in inſula Divi Andreæ relicti, cum duobus navigiis, & ſupellectili opulenta intercepti ſunt, ac crudeliter conciſi. Ad decimam tertiam Novembris multum imminutus exercitus Strigonii perſtitit, dum pons navigiis fieret. Eo recenſito compertum eſt, tria, & vicena millia partim eruptionibus validiſſimis, & repetitis cum Seraskerio præliis, partim aeris intemperie, vario morborum genere, annonæ, ac pabuli inopia interiiſſe; atque hos inter bellico aliquo munere præcipuos novem, & triginta ſupra ſexcentos; honorarios, ſeu Volones centum ſeptem, ac quadraginta; multos præterea vulneratos, vitæque dubios in ſtativa relatos; mire conſentiunt Scriptores. A) Hoſtium vero numerum prope parem fuiſſe, inde conjicias, quod præſidiariis ſolicite auxilia ſint miſſa, Seraskerius in campo ſemel, atque iterum fuſus, fugatusque. Sed fuerit par, aut minor cæſorum, læſorumque hoſtium numerus, clades Chriſtiani exercitus tanto major exiſtimabatur, quanto apertius, amiſſa bellicæ gloriæ fama, ſuperiori anno parta, fortuna retroceſſiſſe, ac ad hoſtes defeciſſe eſt viſa. FAMA etenim bella conſtant, multumque intereſt victor, an victus aggreſſurus ſis.

Buda obſidione liberata, eo effuſiore ubique lætitia Ottomani inceſſerunt, quo propiores erant periculo illius amittendæ. Seraskerius, quaſi unus præcipuas partes in tuenda urbe ſuſtinuiſſet, homo in gloriam intentior apud abſentes, quam ex præſentium offenſione timidus, ſibi ipſi triumphum decrevit, egitque ſubitario apparatu. Obviam effuſa militum, civiumque turba, ſublimis equo, inter feſtos tormentorum plauſus Budam intravit, non captis urbibus, non ſecundis præliis clarus. Circa ipſum vehebantur primores quique Baſſarum, Ordinum præcipui Ductores, prætorianis turmis ſtipati. Equites deinde, & pedites ordinibus diſtinctis ſequebantur; tum quadraginta currus re cibaria, & centum cameli partim caſtrenſi ſupellectili, partim hoſtium ſpoliis undique corraſis graves. Haud ſincera omnium lætitia, multorum certe invidia, maxime præſidiariorum ſpectata eſt pompa, qui tantum ſibi e bellica laude detractum querebantur, quantum gloriæ ſibi Seraskerius attribuit; audiebanturque voces: iret iſte per urbis compita victoriæ umbra ebrius, ſincerum triumphum Ibrahimum Gubernatorem, etſi pedes incedat, agere. Hujus cum manu, tum conſilio ſapiente Budam, poſt Byzantium Europæarum urbium principem, ſtetiſſe: Seraskerium ſpectatorem potius, quam defenſorem, iteratis profectionibus levitatem animi ſatis prodidiſſe. Sed hæc minime obturbarunt communem illius diei lætitiam, publico gaudio privatorum querelas vincente. Urbs ſub primas tenebras ignibus collucens, tum deſerta caſtra uno repente incendio hauſta, hilaria in ſeram noctem extraxere.

Perinde Adrianopoli, Byzantii, ſoluta obſidio argumentum lætandi erat, ea videlicet tempeſtate, qua victores Veneti expugnata Leucade, B) maris

A) Porta Ottomanica, Deſcriptio Pannoniæ, Hiſtoria Magni Leopoldi. Hæc tamen majorem numerum Præfectorum improſpera iſta oppugnatione conſumptum ponit, nempe 1663. B) Leucas, Leucadia, inſula, & urbs maris Jonii, nunc S. Maura appellata, varias viciſſitudines habuit. Mari, & terra oppugnari poteſt urbs. Leucate promontorium eſt inſulæ Leucadis. Sic Virg. Lib. VIII. Æneidos:

Fervere Leucaten, auroque effulgere fluctus.

maris Jonii non ignobili insula, in Peloponnesum vela facturi nunciabantur. A. C. 1684.
Iisdem fere diebus Verovitizia A) deditione accepta in Sclavonia, mærorem simul, & metum auxit; neque e Podolia lætiora perferebantur. Sed Buda in libertatem asserta, clades aliunde nunciatas multo minores reddidit, aulamque, & populum omni formidine, atque mæstitia solvit. SIC mortalium animi comparati sunt: adversis nec levibus, nec paucis jactati, ubi postremum prospere rem agi a suis intelligunt, damna sua non sentiunt, spondentque grandibus cœptis virtutem, comitem fortunam fore. Quod Turcis alioquin insolentibus apprime convenit. Nec segniter usi hac animorum concitatione Purpurati, Germanorum rerum militarium imperitiam, Ducum segnitiem tetris coloribus depingunt; populo persuadere nituntur, veteranas legiones inopia alimentorum, cœli inclementia, eruptionibus esse deletas; inconditam, disciplinæque bellicæ rudem superesse, nec ferre militis Ottomanici vultum. Ex adverso sui Imperii vires, Ductorum peritiam adeo magnifice extollunt, ut non dubitarint in Senatu bellico sermonem inferre, de retentanda totis viribus Vienna, quasi ad Budam omnis Germania debellata, a Seraskerio in triumphum rapta fuisset. B) Sed istud dictu, quam re, ut pleraque alia, facilius erat. Ejusmodi falsis rumoribus multum animata gens Turcarum, jam inde ab origine Monarchiæ reparandis, instaurandisque armis nata, comparatis per hyemem, quæ sustinendo, aut si Diis placet, inferendo bello, necessaria sunt, triplicis fœderis terrorem paulatim exuit.

In Sclavonia hoc anno, ductu Comitis Leslæi multa feliciter evenere Cæsareis. Cum mediocri exercitu provinciam ingressus, Verovitiziam ad Dravi ripam oppidum, saxea arce, profunda, palustrique fossa non immunitum, circumdat. Vix tormentis res geri cœpta est, Bosniæ Præfectus, jam antea admonitus, tria millia armatorum ad infestanda castra, agrosque vastandos expedivit, jusso Gradiscano Gubernatore mille, ac quingentos primo quoque tempore huic agmini addere. Horum conscius per exploratores Leslæus, opprimere ante statuit divisos, quam vires conjungerent. Comes Trautmanstorffius huic rei perficiendæ delectus, cum quatuor millibus Germanorum partim, partim Croatarum in Bosnenses contendit. Post leucæ unius spatium, in hostium ordines antesignani impingunt, subitoque coorto certamine, paucitate sua viribus præfidentes acrius in pugnam proliciunt. Sed Trautmanstorffio, veluti ex insidiis se objiciente, cum omni robore, Turcarum acies illico inclinavit. Pauci ex eo numero promiscuam necem vitarunt, equitatu Croatico in palantes celerrime immisso. Lectis spoliis, ne cladis nuncius præverteret, sine mora in Gradiscanos, alia via incedentes, signa obversa sunt. Haud procul Verovitizia inter arbusta illi consederant, Bosniæ militem aucturi. Repente conspicati Cæsareos, nullo tentato certamine, in arcta, & confragrosa loca fugiunt. In ea omnium perturbatione, duos Agas, triginta nobiliores Turcas cum duodecim militaribus signis, armis varii generis victores occuparunt. Paucorum sanguine utraque victoria stetit. Centurio unus, & quatuordecim gregarii cæsi, vulnerati triginta.

Adductis captivis in castra inter militares plausus, obsessi Verovitiziæ fortunam, in campo victam ingemuerunt, moxque desperata omni ope exterorum, deditionem arcis (nam oppidum primis statim diebus per missiles ignes combustum cesserunt) Leslæo faciunt. Sine supellectili, sine telis sexcenti gregarii, at Præfecti arma induti, cum imbelli fœminarum, puerorumque grege abire permissi, in itinere a Sclavoniæ accolis rebus omnibus spoliantur. Audax, indignumque Christiano nomine facinus, graviter, ut par erat, tulit Leslæus; castigassetque turpissimum factum, nisi prædantium manipuli latebras petiissent. Unde miseri publicam, privatamque suam sortem deplorantes, præter inania verborum nihil tulerunt. Fama

A) Verovitizia, aliis Veroviczia, munita urbs in Sclavonia. B) Plura ejusmodi reperies in Historia Magni Leopoldi Tom. I. Lib. IX. pag. 649.

A. C. 1684. deditæ Verovitiziæ plurima Sclavoniæ oppida nobis asseruit, viamque ad Eszekinum stravit. Hujus celeberrimos pontes, per quos Byzantini Imperatores tot jam annis armatas legiones peditum, equitumque in Hungariam, & Illyricum infundunt, Nicolai Zrinii exemplo stimulatus, exurere cupiebat Leslæus. Jamque ad Turonoviczam, Dravo injectus pons, atque pontis capita præsidio munita, spem certam fecerunt Duci incendia spargendi; cum ex Sauravio Comite, qui exploraturus regionem præcucurrerat, refertur: omnia intuta esse; Seraskerium Buda pulsum, & Bosniæ Præfectum in propinquo militem tenere; haud dubie alterutrum Sclavoniæ oppida incursurum. His intellectis Verovitiziam rediit, ac hyemante anno integras legiones in stativa dimisit.

Schulzio, qui Regias partes in superiori Hungaria tueri est jussus, hyems perinde, ac æstas inquieta fuit, Tököлii vaga potius, incerta, atque in omnem partem ancipiti concursatione, quam statariis pugnis, gravem Germanum militem fatigante. Coegerat is sub signa sedecim fere Hungarorum millia, opera potissimum Petroczii, atque Pethnehazii, quorum promissa, pœnæque non leves propositæ, multos a Regis obsequio abstraxere. Unde cum stipendia statis diebus non procederent, & Schulzius cum veterano milite immineret, non pauci Nobilium, ac infimæ sortis, per amicos alii, alii coram a Commissariis Regiis Neosolii veniam orant; seque authoramento novo, uti rogabantur, obstringunt. Imminutas hoc modo copias quatuor millia Tartarorum, tum bis mille ducenti Turcæ suppleverunt. Ne latius, inclinatis semel ad defectionem animis, serperent transfugia, nihil morati partium Duces, Regiorum fundis faces, fugam, vastitatem inferunt. Agri Comitum de Homonna furentium rabiem in primis senserunt. Tredecim oppida juris, ut vocant, Polonici, præsenti ære quinquaginta millium imperialium populationem redemere. Lubomirszkiani equites in hybernis oppressi, magnam partem concisi sunt. Leutschovia industria Schulzii nihil accepit detrimenti. At Unguarinum, Putnokium, Szatmarinum, aliaque oppida in superiori Hungaria, partim vi, partim deditione ad Tökölianos redierunt.

Ad Eperiesinum populatorium patriæ bellum conquievit. Huc celeriter evectus Schulzius, Cibinio A) urbe, haud procul Eperiesino sita, armis subacta, ac de Germanis, qui Szatmarinum prodiderant, supplicio sumpto, Bartffam, quo securiorem sui Tökölium redderet, iter simulat. Beneficio noctis per arduos calles, cum omnibus copiis Eperiesinum delatus, illucescente die ad valla castrorum improvisus constitit. Ut signa cecinerunt, ac clamor editus, Comes Veteranius cum legione Barkocziana, & Gambosiana, B) atque aliquot turmis dimacharum, in Pethnehazii stationarios irruit. Pertinacius repugnarunt, ac semisopiti solent, & si pari animo cæteri pugnam capessivissent, castra eo die defensa fuissent. Sed Schulzio acriter instante cum integris, Pethnehazius loco cessit; quo pulso, omnes veluti signo accepto, relictis castris, effuso cursu trans Torissam amnem, se cum Tökölio recipiunt. Major inde præda, quam cædes fuit. Capta sunt castrensia aliquot tormenta, papilio Tökölii auro dives cum castrensi ærario, & tabulario; præter complura militaria signa. Repertus est item ordo aciei e disciplina militari, quo in pugnam suos educere constituit; celeritate præventus de fuga unice cogitavit.

Post hoc tumultuarium prælium urbs Bartffa, Markusfalva, Sztraska, & alia minoris nominis castella, admoto machinarum terrore victorem acceperunt. Reductus exercitus summa vi Eperjesinum oppugnare cœpit. Eum locum cum duobus Hungarorum millibus, & octingentis Germanis transfugis Feldmeyerus pro Tökölio obtinebat. Nullo successu ad vicesimam septimam Decembris oppugnationi intentus, grassantibus insuper morbis, & frigore de stativis circumspexit Schulzius. In Scepusiensi provincia

A) Cibinium Provinciæ Sarosiensis urbs peramœno loco sita. B) Porta Ottomanica, & Descriptio Antiquæ, & Novæ Pannoniæ.

vincia quiescentes, auctus quadringentis Spahiis Tökölius, e latibulis suis rigida licet hyeme, erumpens, adoritur, populationem & caedes spargit. Iterum obrutus antelucanis horis, caesis quadringentis, captis centum, reliquum hyemis pacatus exegit. BIS suo malo expertus, praelii tempus, & modum ex arbitrio hostis plerumque expectandum esse. A. C. 1684.

Praesentis anni MDCLXXXV. principio & moles Turcici belli, & cura Caesari crescebat. Legiones ad Budae maenia adeo imminutae erant, ut si novis supplementis pro more instaurarentur, tyronum potius multitudo, quam usu, robore praevalidus, & Lotharingo Duce dignus exercitus, in campum proditura appareret. Itaque placuit mercede parari veteranas copias, haberique per provincias delectus militum, qui subinde veterano exercitui, ceu corpori ossibus, nervisque firmato tanquam carnis moles, innoxie adderentur. Et commodum evenit, ut ea tempestate Germanicum Imperium alta pace domi, forisque frueretur, atque vires suas & posset, & vellet Reipubl. Christianae commodare. E Luneburgicis dena millia pro quadringentis florenorum millibus Caesari permissa sunt. Hannoveranus certis conditionibus suum militem spopondit. Francones, & Suevi octona; Coloniensis sex; Bavarus octo; Hassus tria, Hungari octo millia praeter frumenti copiam addixere. Helveti vim pulverariam, Salisburgi Praesul varium belli apparatum; Austriae Ordines ingentem copiam frumenti obtulerunt. Innocentius XI. summus Pontifex, triplicis foederis praecipuus author, pro suo in rem Christianam ardenti studio, multis nummum aureorum millibus subvenit, potestatemque fecit, e sacris fundis certum tributi modum, in bellum Ottomanicum exigendi: utrumque subsidium eo profecto gratius erat, quo Caesari opportunius a justo exercitu, atque ab aere penitus destituto. Magni Pontificis munificentiam aemulatus est Georgius Szelepcsenius Metropolites Strigoniensis, hoc anno Letoviczae in Moravia vita functus, recreato magnopere aerario Regio suis opibus, quas amplissimas ultima voluntate in Leopoldum transtulit. Istorum partim praesenti pecunia, partim milite conflatus est exercitus sexaginta millium pugnatorum, supra numerum suum validus, & postea in tres partes divisus, sub totidem Ducibus magnis victoriis clarus. 1685.

Intentis in apparatus belli Christianis Principibus, nec ab Ottomanis cessabatur. Mahometem, quantum Buda fortiter defensa, res Venetorum in Dalmatia minus prosperae, Poloniae exercitus prope in fugam actus A) laxaverant animum, tanto magis solicitum nunc de universo eventu belli curae angebant: non hostes modo formidantem, qui terra, marique instabant, sed nunc Tunetanorum, & Algeriensium, nunc Cretensium, nunc etiam popularium animos, ne & illi armorum difficultate deterriti, bello absisterent, & Cretenses ad spem amicitiae Venetorum deficerent, & Ottomanos ipsos cupido novandi res caperet. Igitur & in Africam nuncios misit, simul qui vetera pacta utriusque gentis firmarent, simul qui praedatrices Respublicas commonefacerent, ut quantum possent navium numerum, hoc anno ad fauces Hellesponti adducerent, atque Venetis arctiorem navigationem pro viribus redderent. Et Africanos quidem Ottomanorum amicitiae, jam inde a Solymani II. imperio innexos, armorum socios in posterum habuit.

Cretensium animos, supplicio de Gubernatore insulae sumpto, sibi conciliavit. Nam cum is multa superbe, avare, crudeliterque in homines Graecae religionis fecisset, eorum Episcopum neque accusatum, nec convictum securi percuti jussisset, praeteritorum, & praesentium malis fessos, prope in arma ad evertendam tyrannidem perpulit, certe a societate Turcarum incensam multitudinem abstraxit. Ad componendos motus, Imperatoris jussu in tempore fidi aliquot aulici convenerunt primores Graecorum. Gubernatorem multis criminibus oneratum in vincula primum conjiciunt, deinde

A) Quid actum anno superiore a Venetis in Dalmatia, & Aegeo mari; atque in Podolia a Polonis suo loco referam, ne videlicet hic narrationem interrumpam.

A. C. 1685. deinde ad placandam gentem palam obtruncari jubent. Hac publica odiorum victima cæsa, insulani quieverunt, maxime posteaquam per præconem intellexere, quæ fecisset Gubernator, ea neque Purpuratorum, neque Imperatoris facta voluntate, quem scirent diuturnum a) bellum cum Venetis gessisse pro libertate Cretensium, non ut ejusmodi gravissima libero populo, a Magistratibus, sociis, atque amicis paterentur. Insuper sub hasta divenditis Præfecti bonis, primo quoque tempore, ut læsis satisfieret, decretum est. Novo Gubernatori, nomine Mahometis serio demandatum: ne vectigalium, tributorum acerbitate invidiam, atque odium insulanorum non tam sibi, quam Ottomanicæ genti conciat; nulla injuria lacessat Cretæ finitimos; amicitiam cum omnibus colat; intempestivum armorum consilium omittat. Denique caveat sua in insula belli civilis incendium, ubi circa sunt, qui illud alant, procul, qui extinguant. Sic Cretensium motus unius hominis libidine oborti, ingenti Byzantinorum gaudio prospere sunt compositi.

In delectibus faciendis, queis exercitus tum navales, tum terrestres supplerentur, multo maxima difficultas erat. Maritima bella admodum gravia, & immodicorum sumptuum, quatuorve exercitus anno superiore aliti, ærariam rem penitus afflixerunt. Grandem summam pecuniæ annonæ curatores poscebant, quique navales socios legebant. Civium vulgus quantum lætitiæ Buda servata nuper hausit, tantum molestiæ sensit, dum pictis nominibus nova tributa, nova vectigalia provinciis imposita fuerunt. Sed isthæc subsidia sero procedebant, neque spes erat, ut tanta pecunia, quantam ad usus multiplicis belli necessariam noverant, ab exhaustis civibus conferri possit. Igitur Imperator domesticas opes, sua, suorumque Majorum avaritia congestas, aggredi coactus, magnam earum partem in medium protulit. Auream, argenteamque supellectilem partim divendidit, partim signari jussit. In cudenda, recudendaque moneta, nihil industriæ prætermissum, quo res pecuniaria in iis angustiis melius haberet. Vezirius mille armatos impensis suis conscripsit, annuumque stipendium Quæstoribus numeravit; ratus opulentiores Purpuratorum, suo exemplo ad parem erga Patriam charitatem motum iri. Sed nemo omnium erat, qui privatis opibus publicam inopiam levaret. In Ægyptum, aliasque Asiæ regiones annonæ coemendæ causa navigia missa, non levem copiam omnis generis frumenti portubus Byzantinis invexerunt. In legendo milite diu, multumque desudatum fuit. Terrestres copiæ etsi horrerent militiam, tamen quod Imperatoris ductu, ut rumor erat, in Hungaria bellaturas se crederent, editis apud Præfectos provinciarum nominibus, ad signa statis diebus confluxerunt. Asiæ equitatus non perinde, ac priscis temporibus, armis, cæterisque rebus instructus, advenit. Nam plerique Timarotarum, qui suis impendiis castra more veteri alias sequebantur, apud Præfectos suos hanc molestam expeditionem pecunia redemerunt, suique in locum egentissimum quemque, & ad omnia belli munia ineptum suffecerunt. Unde hoc anno Asiatici equites per ludibrium spectaculo erant. Neque magistri rei militaris tantum spei polliceri audebant, ut homines disciplinæ impatientes servare ordines, signa sequi, ferire hostem, Præfectis subesse, nisi post multas clades, condiscant. Quanquam Turcarum equitatus, sive robore virium, sive rigore disciplinæ, nunquam parem se præstiterit peditatui superioribus annis, collatisque signis æquo campo, Janicsaris semper palmam cesserit, ut adeo præsentis anni equitatus ad fruges consumendas, non item prælia cienda, a peritis rerum convenisse æstimaretur.

Maritimam expeditionem quanto pluribus periculis objectam, tanto magis fugiebat miles. Sex, & decem naves bellicæ, mercatorum ære comparatæ, nautica turba, armis utcunque instructæ, in anchoris stabant ad Byzantium. At qui eas conscenderent, tuerenturque adversus Venetos, deerant

a) Quibus initiis cœptum Cretense bellum? quot annis utriusque gentis summis viribus gestum? diffuse jam narratum est supra.

tant milites. E singulis domibus Asiaticarum urbium, bini armati Imperatoris jussu evocabantur, partim his navigiis, partim veteri classi imponendi. Inutilis multitudo vi, terrore in unum coacta, paucis post diebus signis desertis diffluxit, ac veteranis quoque panicum metum incussit. In ea omnium consternatione, Mufftio suasore Alcoranum, sive institutum nugacissimi Mahometis, Imperator Constantinopoli proposuit, A) quod raro, & non nisi adversus ultimos Reipublicæ casus apud Turcas fieri solet. Habitæ sunt toto Imperio a sacerdotibus frequentes conciones, quibus populum ad aras, & focos tuendos, more Majorum arma capere hortabantur. Lex insuper lata, ut omnes Byzantino agro finitimi, quique Ægei maris insulas colunt, ferendis armis apti, summa industria arma, quæque alia bellum postulat, parent; absque mora, quo imperium vocaverit, proficiscantur; qui secus fecerit, egeritque, Mahometem, Imperatorem infestos sibi habeat; fortunis mulctatus, capite pervicaciam luat.

A. C. 1685.

Populus & religione, & terroribus actus, bellum jam & arma spectabat; numerumque classiariorum, atque navalium sociorum certatim augebat. Apparatis, quæ ad bellum maritimum necessaria videbantur, & præfectura classis Osmani attributa, omnis cura in Hungaricam expeditionem conversa est. Præfecti ex ultimis Asiæ urbibus, maximis itineribus celerare sunt jussi Byzantium. Multi eorum, quod pauciores, ac imperatum fuit, milites adduxerint, partim fortunis, partim vita privati, aliorum industriam in milite cogendo exacuerunt. Dena Janicsarorum millia Adrianopoli, in præsentia Mahometis lustrata, ut primum hyemis rigor remisit, Budam abierunt, equitatu per defectum pabuli tardius e stativis movente. His copiis, quasque Seraskerius ad Eszekinum, & Budam in hybernis tenuit, moderaturus ipse Imperator credebatur, bellumque Hungaricum suo ductu gesturus; id quod sæpius in corona Purpuratorum, quo ad plures perveniret rumor, testatus est. Jamque profectione indicta apparatum suum castrensem in currus conjici, familiam describi jusserat, tanta oris constantia, ut nemo aulicorum, ne ipse quidem Vezirius arcanorum conscius, de itinere dubitaret.

Sed longe alia mens Mahometi. Neque enim regnandi æque callidus, & cupidus ea tempestate, qua turbæ frequentiores ciebantur in provinciis, tutum fore existimavit, deserta rerum arce, Byzantio, aut Adrianopoli procul abesse, atque alterutri fratrum (vincti tenebantur in custodia) viam quodamodo sternere ad invadendum, occupandumque thronum. Levissima ingenia popularium uti probe perspecta habuit, ita assiduo metuebat: suo periculo non semel expertus, multitudinis animos rerum novarum avidos, ac inconstantes ad omnem auram, oceani instar agitari, imperantis tædio capi, atque illico sua suffragia, ac sceptrum in alterum quempiam transferre. Et monuerunt familiares peramice, ut ne rebus adeo angustis, perturbatisque, copiarum imperium suscipiat, neve manifesto periculo famæ, imperii, vitæ, nulla necessitate adactus, se temere objiciat. *Bellum in Hungaria multis difficultatibus impeditum fore,* ajebant, *neque decursurum felicius, ac annis præterlapsis. Temerarium esse, infirmis viribus de prævalido hoste victoriam sperare. Tökölii nomen jam consenuisse, nec, si amissa recuperet, fidem habendam homini ambitioso, ac vario, cui perpetuo nova consilia, vel fortuna sua, vel ingenium possit facere. Qui juratus fidem Principi suo infregit, non sanctius alienis præstiturum. Quantam vero spem rei bene gerendæ faciant copiæ in Hungariam missæ, haud obscure intellectum ex animorum ægrimonia, querelisque infinitis: nempe morem Seraskerii militis toties fusi, fugatique, in præliis haud dubie secuturas ominari licet. Jam si præsente Imperatore exercitus per fortuita belli, cladem accipiat, castris, ut sæpe factum meminimus, exuatur: urbes juris Ottomanici in Christianorum potestatem veniant, nihil denique e sententia cedat; tum enim vero Imperatoris nomen, etsi præclare munere suo perfuncti, apud popula-*

A) Descriptio Antiquæ, & Novæ Pannoniæ.

A. C. 1685. *populares diu vapulaturum, cladisque ignominiam cum capitis periculo uni exhauriendam. Itaque multo prudentius facturum, si bello Hungarico Seraskerium curis, & periculis sane non levibus implicito præficiat, seque domi adversus malevolorum civium tempestates obarmet. FACILE Principes, ni evigilent, perdere posse magnæ fortunæ possessionem; facere, & parare eam, difficile, atque arduum.*

Amicorum consilium non continuo probavit, aut potius non probasse credi voluit Mahometes. Qua ludificatione in plures menses extracta, & militum numerum in dies auxit, & acceptiorem se plebi reddidit, veluti Reipubl. causa otium, & aulæ delicias abjicere in animum induxisset. Posteaquam appetente vere non licuit scenam protrahere, deposita persona, armorum præfecturam in Vezirium transferre aggressus est, eo potissimum consilio, ut si is subterfugeret copiarum imperium, quod futurum utique prævidebat, minori invidia & ipse castrorum tædia declinare posset. In Purpuratorum concilio aperit demum Imperator, quid consilii ceperit. *Deliberatum jam pridem sibi fuisse in Hungariam proficisci, id tamen amplioris commodi causa omnino mutasse, ne videlicet tot bellis terra, & mari Imperium circumstantibus, Imperatore uni intento, cætera langueant, Respublica ingentia detrimenta capiat; se Adrianopoli, vel Byzantii mansurum, indeque veluti e specula navales, terrestresque copias ex æquo moderaturum, ut & Veneti, & Cæsarei, & Poloni sentiant, Mahometis consilio bellum ubique administrari. In sui locum substituere Vezirium, qui exercitui præsit in Hungaria; suaque præsentia terrorem hosti, suis animos addat.* Haud quaquam erecto animo has voces accepit homo imbellis, cui ad fortia consilia, & facta nunquam aures apertæ. E vultu illico metum, mæroremque legerunt præsentes. Mufftius, ut erat Vezirii intelligens, eique addictus, gravibus rationum momentis eo rem deduxit, ut non Imperator modo, qui ex composito omnia agebat, sed & Purpurati non minus periculoso, quam difficili munere eum exolverint. Abjecto consilio mittendi Vezirii, quod fortassis non inutiliter cogitatum, Seraskerio temerario magis, quam animoso Duci, summam rerum in Hungaria permittunt. Hæc ut ad populum emanarunt, tristi augurio cladem suorum præcinuerunt. Nihil tamen turbarum, ut superioribus annis, Byzantii in Imperatorem motum, quod domesticam pacem prævalidi foris hostes firmarent.

Dum terra, & mari impigre paratur bellum, in Hungaria & crebra, & digna dictu prælia, ad Uivarinum fiunt. Obsedit illud eminus priori æstate Pro-Rex Hungariæ cum milite provinciali, & commeatus arctiores fecit; verum quod Lotharingus omnes vires in unam Budam vertere decreverit, obsidio maxima hostium gratulatione soluta est. Consumpta ad Budam fama, & vigore Christiani exercitus, rursum obsideri cœperunt Uivarienses, copia armorum magis, quam annonæ instructi. Palffius, & Heislerus A) jussi militares vias insidere, ne quid frumenti, aut militis præsidio adveniret, suas partes non minus prospere, ac fortiter, quoad licuit per asperitatem hyemis, egere. Ad Novigradum ingentem vim annonæ comportatam habebant Turcæ, quam in vicina præsidia invehere adlaborabant. Octingenti equites farinæ saccis onerati, per anfractus viarum nocturno plerumque itinere Uivarinum contendunt. Suboluerat id Ducibus, eorumque jussu duo millia armatorum repente immissa, equites fugam capessere coegerunt; atque hoc primo conatu eluso famem Uivarinensium desperatione alimentorum frustrarunt. Quinque millia Janicsarorum, quæ post montes munito loco consederant, fugientibus saluti erant. Haud diu post nunciatum est: quingentos pedites, & aliquot Spahiorum turmas cum annonariis curribus aditum retentare. Circum Vacium structis insidiis Comes Czoborius, celebris ea tempestate Hungarorum Ductor, silenti agmine festinantes primus invadit; succedit in pugnam Heislerus cum gravioris arma-

turæ

A) Heislerum sæpe mihi memorandum lego in Porta Ottomanica, & Descriptione Pannoniæ; non vero Heisterum, ut vult Historia Magni Leopoldi. Crediderim vitio librarii mendum irrepsisse.

turæ milite, ac improvisa aggressione turbatos fundit. Capta sunt plaustra octoginta cum sexcentis bobus, & quindenis florenorum millibus. Lectis spoliis miles alacrior, Duce Czoborio populabundus excurrit; e vicino agro frumentum, pecora, & quidquid usui esse poterat, partim aufert, partim corrumpit; tum in ipsa suburbia celerrime illatus, omnia incendio, vastitate complet; oppidanos, ac famem intra mænia præsidii claudit. Hoc incendio clarus Czoborius multa deinceps & animose, & feliciter egit, agrumque Uivarinensem usque adeo infestum reddidit, ut præsidiarii vix tuto efferre pedem oppido auderent.

A. C. 1685.

Subinde astu plus quam militari in insidias pelliciuntur. Agrestes, dolum instruente Heiskero, Præfectum loci adeunt, docent: se in sylva proxima frumenti vim depositam habere; eam perlibenter præsenti ære vendituros, adderet modo militem frumenti tutelam; posse evitatis Hussarorum stationibus, & facto viarum compendio, se ducibus negotium tum celeriter, tum prospere confici. Præfectus fraudem & sermoni, & rei abesse ratus, UT facile credimus, quod optamus; ac similitudine veri captus, ducentos præsidiarios die composito cum agrestibus dimittit. Sed jam Heislerus cum expedita manu sylvam sepserat, utque Turcas clausos viderat, signum dat, ut pariter ab suis quisque latebris exorirentur. Ne dubia proditio esset, agrestes nullis vinculis coerciti, his se adjungunt. Interclusa ab omni parte via, cædes, non pugna fuit. Pauci cladis nuncii Uivarinum evaserunt. Re cibaria in dies magis, ac magis deficiente, ultimum exitium obsessis instabat. Hyems nivibus sæva, & omni tempestatum genere, Regiis in hyberna compulsis, obsidionem laxavit. Qua occasione non segniter usi Ottomani, Novigrado, atque ex aliis locis commeatus important; auctisque novis præsidiis contra Cæsareos, quos primo vere affuturos prævidebant, oppidum instruunt. Mox in Guttensem agrum effusi, ignibus in tecta, & homines sæviunt, egestisque opimis spoliis domum revertuntur incolumes. Sic hyems mutuis procursionibus transacta, quod fluvios, munimentum alias provinciarum, vel glacies straverit in pontes, vel tenuis nimium aqua faciles aditus præbuerit. Alterum quoque Danubii litus media hyeme incaluit. Provinciales equites, qui Veszprimium, Papam, Comaromium obtinebant, semel, atque iterum Budam solita celeritate excurrentes, Turcas novis operibus intentos obtruncant, quodve itineris molestias abstersit, multitudinem Christianorum, qui ad proruendos aggeres, cæteraque munimenta castrorum compulsi erant, in dulcem libertatem vindicant. Paria certamina Schulzius, cui superior Hungaria obvenit, propitio plerumque Marte contra Tököliun gessit.

Inter tot hostilia, ac belli apparatus mitiora de pace consilia apud Leopoldum Cæsarem agitare cœperunt Mahometes Imperator, Michael Apaffius Daciæ Princeps, & ipse Tökölius, quos imminens tempestas hoc tempore pronius multo inter se conjunxit. Mahometes etsi cum suis Purpuratis dies, noctesque insumeret reparando bello, tamen eo facilior ad petendam pacem erat, quo certius persuasum habuit, Christianos Principes occasione ineundæ concordiæ, segniores fore ad armorum paratus, aut Magnum Leopoldum a Confœderatorum societate abstractum iri, aut certe suspiciones inter Confœderatos enascituras, quasi Cæsar conficiendæ privatæ pacis desiderio teneatur; sicque triplo fœderi plagam lethalem posse imponi. Igitur Seraskerio, qui ad Budam hybernorum causa cum copiis substiterat, pacificationem negotiandam committit, mandatque: viam, ac modum reperiat, quo telam ordiatur. Pro hujus adeo grandis negotii instrumento adhibitus fuit Armenus, a) sed religione, & studio in Mahometem inter Turcas præcipuus, in aula Byzantina diu versatus, multo rerum usu, ac peritia linguarum vir. Hic ægre impetratis Vienna fiduciariis literis, a Seraskerio ad Cæsarem legatur. Et quoniam nulla est tanta cautio, quin de arcanissimis rebus effluat, vitabatur solicite omnis suspicio; ne exi-

a) Alii scribunt eum fuisse gente Moschum.

A. C. 1685. stimaretur Cæsar, desertis sociis, sibi clanculum consulere velle. Erat hoc tanto invidiosius, quod pro comperto habebatur, Ottomanorum Imperium, rebus ubique afflictis, pacem necessariam ducere, iniquas adeo conditiones amplexurum, modo Cæsarem Fœderatis eripiat. Armenus itaque Comaromii a) detentus, jussus est literas tradere, & si quæ mandata aulæ suæ habeat, exponere. Ille traditis literis, habere se nonnulla ipsi Cæsari exhibenda respondit: rogare etiam, atque etiam, ut sibi Viennam proficisci liceat, magnumque Cæsarem coram alloqui; sperare se non modo rem gratam ei, sed omnibus quoque Confœderatis salubrem allaturum.

Admissus nundinator intempestivus, dum in aulam ducitur, in concurrente undique populo ingens fremitus oboritur: speculatorem non Legatum venisse inconditis vocibus clamantium; exigendum protinus Austria, Atque Hungaria. Nisi Marchio Badensis, bellici consilii Præses & sua authoritate, & accito validiori præsidio incensæ multitudini obstitisset, lapidibus obruendum credebant. Nihil in speciem turbatus hoc plebis tumultu, posteaquam de Mahometis æquitate, candoreque prælocutus est coram Leopoldo, culpam omnem belli a publico consilio in Kara-Mustapham vertit: *hunc injussu Mahometis, non in Hungariam solum exercitus infudisse, sed ipsam Viennam privato consilio oppugnasse: illum faucibus elisis non tam ob stragem legionum, quam fœderis violationem pœnas dedisse. Pernicioso*, dicebat, *cive extincto, extinctum quoque bellum erat, ni Cæsar unius temerarium factum in tota gente castigasse maluisset. Anno abhinc uno Mahometem per Tökölii internuncios Lincii adlaborasse, quo tandem bello, Christianorum prius, quam nostris cladibus insigni, finis imponatur. Nihil pacati relatum. Quin imo nova fœdera terra, & mari adversus Ottomanos quæsita: novos exercitus in Hungariam, & Illyricum inductos, Budam circumsessam; Verovitiziam vi, & armis captam: Turcarum copias non semel fusas, fugatasque vidimus. Hæc sine dubio nunc quoque bellum potius, quam pacem Cæsari suadere possent. At meminisset: DECLINARE plerumque felicitatem, cum in summo videtur. Non leve documentum nos ipsi sumus. Ante biennium Austriam, Styriam ussimus, & propemodum jure belli cepimus. Hæc ipsa urbs non fremitus modo Ottomanorum audivit, sed eosdem victores mœnia scandentes expavit. Nunc cæsis exercitibus, amissis fortissimis Ducibus, non pro Austria, sed Buda, altero Byzantio, dimicamus. FORTUNAM belli variam, Martemque ancipitem vestris, nostrisque malis nimium experti sumus. Istis modum statuere, hodie tua in potestate est Cæsar; si bellum paci prætuleris, fortunæ. Hanc vero nec certam, nec constantem Principes Fœderati reddent, quos alioquin novimus privata utilitate, societatem inire, eandemque spe majoris emolumenti rescindere. Idem nempe usuvenit in fœderibus, quod in fornice, cui si vel unicum lapidem exemeris, alii sponte sua dissociantur, & corruunt. SUA quemque Fœderatorum utilitas movet: quod sibi commodum est, quærunt singuli; tametsi aliud prætexant omnes. Quod facturi sunt illi, non indecorum, si Cæsar prior occupet. Haud prætermittendum tempus, quo magis dari, quam accipi concordia possit. Sed suspecta est fides Turcica, quod missis in Hungariam copiis, primi postremum fœdus violasse videamur. Plurimum per quem petitum, ac transactum sit, ad fidem tuendi fœderis pertinet. Kiuperlis Junior petiit, transegit, & quoad vixit, fœdere stetit. Kara-Mustapha Vezirius infregit. Nunc Mahometes Imperator pacem petit, qui neque peteret, nisi Imperio suo necessariam crederet, & propter hanc necessitatem tuebitur.* Hæc elocutus seriem captorum Christianorum exhibuit, quos sive ære, sive permutatione Turcarum redimendi, nomine sui Imperatoris veniam fecit.

Armeno paucis responsum: *in unius Cæsaris potestate non esse ab armis discedere; & quoniam Turciæ pax gravis erat, bellum pararet, habitura eam pacem, quam exitus belli dederit.* Dimisso Legato Budam, inter

a) Porta Ottomanica.

ter armatos custodes, visum est Cæsari Fœderatos commonefacere quid negotiorum tractatum fuerit: nempe Mahometem pacem orasse; Legatum detegendo clades, denudandoque, Ottomanorum res nimium prolapsas inconsulte prodidisse; anxiam illam solicitudinem in emendicanda armorum cessatione, certissimum argumentum debilitatis esse, proinde omnibus nervis incumbendum Fœderatis, ut hostem Christiani nominis, publicæ libertatis insidiatorem, opprimant ante, quam justam defensionem adornet: se nec fortunis, nec militi parsurum; quo sanctitati fœderis, bonorum omnium votis respondeat. Uno, & dimidio mense nondum elapso, a) aderat e Transylvania Legatus. Hic Principis sui authoritatem (qua plurimum valuit apud Tökölium, & Mahometem) atque operam prolixe obtulit Leopoldo Cæsari ad pacificationem maturandam: pollicitus Principem suum adeo opimas conditiones Confœderatis ab Ottomano impetraturum, ut depositi belli neminem pœnitere possit. Perinde, ac anno proxime superiori res in principio adhæsit. Hæc quidem vulgo constabant. Cæterum per speciem procurandæ publicæ pacis rebus suis consulere satagebat Apaffius, jamque tunc de amicitia Austriaca, deque præsidio in Daciam accipiendo consilia clanculum cum Leopoldo conferebat. Ordiendo tam ancipiti operi peropportuna legatio fuit, quam e voluntate Mahometis (neque enim eo inconsulto Apaffius potestatem habuit, publicos nuncios ad Principes legare, potissimum Ottomanicæ aulæ hostes) instituit. Exeunte Julio rursum Orator Transylvani Viennam intravit obtentu fœderis Turcici; reipsa sui Principis collaturus consilia, firmaturusque. Sic ille sub manu de evertendo in Dacia Mahometis dominatu non minus caute, quam prospere desudavit, nulli Purpuratorum mutatæ fidei nomine suspectus; etsi jam anno priori milite suo in Transylvania retento, omni vi, belloque abstineret.

A. C. 1685.

Primis, uti dicere incepi, filis Austriacæ clientelæ feliciter ductis, alii, atque alii telam texere e Principis præscripto aggressi sunt, quam C. Joannes Haller summa omnium Ordinum gratulatione tandem pertexuit; majorene dicam Apaffii solertia, utentis publicis legationibus in Turcarum perniciem; an minore cura Ottomanicæ aulæ, cujus intererat, frequentiores nuncios, spe pacis alioquin intercisa, ultro, citroque commeantes subvereri. Sed hanc privata discrimina, quibus non mediocriter urgebatur, tunc averterunt ab observandis Apaffii tentamentis, quodve ante biennium profligato ad Viennam exercitu, pontes Arraboni fluvio impositos inviolata fide custodierit, eoque facto fugitivis præsenti auxilio fuerit, crediderunt eum inconcusse, atque perpetuæ erga Portam Ottomanicam amicitiæ testimonium edidisse. Hæc insita Turcis opinio Apaffium mente, & animo cum Leopoldo degentem, omni suspicione absolvit. Et tamen eo ipso tempore, quo hæc agitabantur, Tökölium, societati Ottomanorum ad insaniam addictum, sua nemesis illaqueavit, vinculisque oneratum a patronis suis, insigne exemplum mutationis rerum humanarum, Europæ spectandum præbuit. Sed de his postea. Illud hic non omisero: Tökölium apud Regem Poloniæ repetitis nunciis, literisque frustra institisse, quo pax inter Fœderatos, & Mahometem conficeret. Versus dein ad Leopoldi Cæsaris clementiam, dimidio Aprilis oravit, liceret sibi per Oratores agere de rebus suis, communique pace restituenda.

Cæsar, etsi quantum fidei habendum homini toties illudenti haud ignoraret, tamen ne quid intentatum relinqueret, Viennam veniendi, redeundique potestatem dedit Tökölianis, Schulzio interim mandat: ne spe pacificationis segnior sit in persequendo bello, neve armorum usu intermisso, cladem accipiat a vafro, volatilique hoste. Imo perculso, & deserto a suis nullum otium concedat, animum, viresque colligendi, quo serio, ut subditum addecet, justum Pricipis sui imperium pati discat. E postulatis Oratorum illico apparuit, nihil aliud quæri ea legatione, quam temporis moram. Namque illi instructi erant non inferiora petere, ac prioribus annis,

 disceptan-

a) Sexta Januarii Turcicus Legatus, octava Martii Transylvanicus Viennam advenerunt.

A. C. 1685. diſceptandoque tamdiu extrahere colloquium, dum admonerentur, ſubſidiarias Turcarum copias in ſuperiorem Hungariam adventaſſe. Verum cum nusquam illæ apparerent, & Schulzius campo victor præſidia infeſtus premeret, Tökölius eadem arte, qua ludere aſſuevit, deluſus; intutus domi, foris ſpretus, utrobique anxius, ultima fortunæ ludibria merito ſuo expertus eſt. In hunc modum ſpe pacificationis everſa, actaque hyeme inter minora certamina, cruentum theatrum majoribus præliis ver in Hungaria aperuit.

Et jam pleræque auxiliares copiæ in Hungariam defluxerant, ſeque Cæſareo militi Granum inter, & Ipolim A) fluvios metanti conjunxerant, diu ſuſpenſis Ottomanis, quamnam in partem, Budamne, ubi Seraskerius cum exercitu agebat, an Uivarinum, aut aliquam munitiorem Hungariæ urbem demiſſura ſe eſſet tempeſtas. Nec Lotharingo Duci promptum erat decernere; num tuto admoveret Uivarino exercitum, nondum expugnato Novigrado, quod multorum ſententia eo inclinaret, præſidium iſtud, tanquam caput rerum petendum, conficiendumque; id niſi fiat, expeditionis fructum nullum fore. Stante etenim Novigrado exiſtimarunt, Chriſtianorum ſtationes perpetuis incurſionibus patere, nec Uivarinum obvallari poſſe, ut omnes acceſſus hominum, rerumque auxiliis occludantur. His permotus Lotharingus, raptis tribus equitum millibus cum Soſa, Scherffenbergio, ac præcipuis quibusque machinatoribus, ipſe omni regione perluſtrata (ut minimum alienæ fidei, oculisve tribuere ſolebat) animadvertit Novigradum, & ingenio loci, & militum manu multo validius inſtructum, quam ut primo impetu, aut brevi temporis mora ſubjugari poſſet, nec multum officere Uivarinum obſidentibus, quod ea ex parte venturis auxiliis crebriores fluvii, iidemque imbribus aucti, ſuperandi forent. In redeuntem equites præſidiarii immiſſi, tumultum magis, quam prælium fecere. Voluntarii milites, Principes Ruchaſurio, Contius, Turenius, Crequius Galli, qui ex eadem Nobilitate complures ad Hungaricum bellum traxere, ſuo ardore longius proſecuti hoſtem, ſubito ab erumpentibus concluſi, ac in orbem pugnare coacti, eam expeditionem funeſtaſſent, ni Dux periculi admonitus, ſuppetias in tempore miſiſſet.

Igitur dilata Novigradi oppugnatione bellici Conſilii accedente ſuffragio, in Uivarinum omnis terror eſt verſus ſeptima Julii. Aſſidet hoc præſidium Nitræ fluvio, loco undique libero, ea tempeſtate ſex grandibus propugnaculis, ad artis regulam eductis, foſſa octo, & centum pedes lata, atque perennibus aquis in foſſam derivatis minax. Fundaverat illud Paulus Vardajus B) Archi-Præſul Strigonienſis capto a Turcis Strigonio, Metropolitæ alii ſuis impendiis proceſſu temporis inſtaurarunt, adverſus terrores Turcicos fidum propugnaculum Auſtriæ, Moraviæ, Sileſiæ; nunc, Leopoldopoli erecta, non belli injuriis, ſed juſſu Caroli VI. in ruinas actum. Venientes per paluſtria loca Cæſareos egreſſæ Uivarino delectæ aliquot turmæ, ſubitaria pugna excepere, ne caſtrorum ſtationes caperent obſiſtente nullo. Diſpulſis equitibus propius factos grandioribus machinis conſalutarunt. Acciditque tum temporis res levis momenti, quæ apud Turcas in religionem eſt verſa, ſpemque præſidii defendendi minuit. Una machinarum plus æquo fortaſſis pulvere pyrio farta, inque Chriſtianos e mænibus ſoluta diſſiliit, atque duos machinatores, pilis ferreis temperantes tormenta, ſubito eliſit. Infortunium iſthoc prodigii loco a plerisque accipiebatur, veluti ipſos arma in defenſionem comparata deſererent; quodve in pace forte, aut pulveris vi accidiſſe creditum fuiſſet, tunc fato, & ira Dei cladem oppidanorum prænunciantis factum eſſe triſtes canebant.

Omen porro infauſtum apud homines miſere ſuperſtitioſos metum auxit, quod pridie Gubernator barbam, caputque canus, ad extrema deductus,

A) Ipolis, ſive Ipolius, amnis Grano fluvio permixtus infra Strigonium in Danubium præcipitat.
B) Uivarinum a Paulo Vardajo Archi-Epiſcopo Strigon. fundatum, alii Metropolitæ Georgius Lippajus, Leopoldus Kollonichius longo poſt intervallo muniverunt. Maximilianus II, & Rudolphus II. Hungariæ Reges, tot provinciarum præſidium novis operibus armarunt.

ductus, futuras calamitates deplorarit, & postrema vox inter gemitus audita fuerit: *Turcis omnia adversa, Christianis prospera eventura.* Sed qui præfecturam militum consensu acceperat, vir militiæ impiger, atque in primis audens, præsagitione nihil commotus, ad defendendum præsidium animum, viresque applicuit. Dispositis castris, geminam aggressionem contra bina propugnacula molendino objecta instituit Lotharingus, dextram Croyo Duci, & Luneburgicorum Ductori Hannoverano Principi; lævam Comiti Serenio, Bavari Legato, & Scherffembergio commisit. Illis Sosam, Budewelsium, & Dumontium; his Starembergium, Steinavium, & Kümmelium addidit, alternis diebus operis præfuturos. Accessus obsidionales sinuato itinere ad declinanda hostium tela, tanta latitudine fieri sunt cœpti, ut commode tres armati ire, redireque possent. In extruendis suggestibus multo major difficultas, & periculum erat. Quippe Janicsari intra sepimentum palorum occulti, collineatis ictibus impune fossores, machinatores, ac operum Præfectos sternebant. Ea difficultate multorum cæde exhausta, viginti muralibus machinis, duodecim mortariis simul verberatur præsidium, simul ardet, adeo diffuso ob tecta flammis obnoxia incendio, ut perpaucis ædificiis furens elementum pepercerit.

A. C. 1685.

Hæc inter Durlacensi Marchione cum quaternis millibus Suevorum in castra recepto, terrores afferuntur; Seraskerium cum sexaginta millibus pugnatorum Buda profectum; Vissegradi oppidum intempesta nocte occupasse; arcem tormentis, cuniculis infestare; Tartarorum equitatum Hatvanino Vacium tendere; dubium non esse Strigonium, vel castra petituros, quo Ducem Uivarino abstrahant, aut si divideret copias, infirmiorem factum prælio aggrediantur. Lotharingus abscedi ab Uivarino, & circumagi ad nutus, ac comminationes Seraskerii flagitiosum duxerat, jamque tunc statuerat in obsidione perseverare, & partem exercitus in hostem ducere. Ea de causa ad Nitræ fluvii vada crebras stationes, ac castella locat; Scherffembergium ad custodiam pontium Comaromium expedit, duosque insuper, quos volantes appellant, suspensos e rudente pontones, extruere jubet. Heislerum cum Hungaris ad Granum amnem custodiendum dimittit. Urgendæ dein obsidioni vim omnem, ac celeritatem adhibet. Promotis ad fossæ labrum operibus, aqua avertenda fuit. Ad portam Strigoniensem, ubi tellus humilior, ducendis canalibus initium est factum, exustis prius Græcis ignibus palis, quibus defensi præsidiarii, in fossores assiduo tela mittebant, crebrius erumpebant. Is labor cum minime procederet, inter stragem humum molientium, bina navigia adversus glandium procellas crassioribus tabulis obmunita in fossam aguntur, distributis secundum fossæ marginem lorica tectis sclopetariis, qui defensores impeterent, dum ducenti Hungari obstructos canales aperirent, & navigia mœnibus appulsa cunicularios exponerent. Nihil uspiam e voto cessit; quod navigia incendio correpta fuerint, submotique continenti jaculatione sclopetarii. Nec felicius post aliquot dies eadem impressio tentata est, a) multis e Præfectis, & manipulo Volonum cæsis, vel sauciis.

Impedita hunc in modum derivatione aquæ, ramalium fascibus, terræ aggestu expleri cæpta est fossa. Quinque dierum spatio legionariis in opus incumbentibus, adeo moles excreverat, ut ad muros iter apertum esset. Portæ occidentem spectanti, quoniam inde cruentæ eruptiones fiebant, ex adverso munimentum terreum iisdem diebus Dux posuit, illudque tuendum quadringentis Suevis tradidit. Hi solutis vigiliis negligentiores, atque hostium propinquitas requirebat, passim per herbam somno indulgent, suaque socordia obsessos ad erumpendum stimulant. Nec deerant occasioni. Ipso meridie celerrime procurrunt, ac decussis centum viginti capitibus, ante se in præsidium recipiunt, quam clades vindicari posset. Capita oblongis palis more Turcarum præfixa tristi spectaculo, Suevis præsertim, fuerunt. Fœdior altera strages cum hominum, tum operum erat.

Expleta

a) Porta Ottomanica.

A. C. 1685. Expleta fossa fabricandis vineis, quo tutiores ab ictibus essent, machinatores insudarunt, jamque duæ propemodum ultimam manum exspectarunt, aliis faciendis multa materies comportata fuit, sed temere projecta. In hunc apparatum Turcæ malleolos, faces, pyrobolos, omneque genus ignium tanto successu conjiciunt, ut vineis ferali igne conflagratis, parum abfuerit, quin propagatum malum tormentorum sedem, ac nitrati pulveris dolia invaderet. Miles periculi magnitudine amens, desertis stationibus in fugam conjectus, ægerrime a Duce, qui armatus accurrerat, ad sopiendum incendium compelli potuit. Resarciendis damnis intentum, ac multiplici labore fessum, Janicsarorum promptissimi intra carectum latitantes, tanta rabie invadunt, ut quadringentis maximo tumultu occisis, canalium labra, quibus aqua palustris evehenda erat, obturarint. In hoc statu erat Uivarini obsidio, dum Maximilianus Emanuel Bavariæ Elector, peractis nuptiarum solennibus cum Antonia Leopoldi e Margarita Hispana filia, castra intravit. Ducis præsentia non erexit modo Bavarorum animos ob improspere gesta perculsos, sed etiam spe certa implevit omnem exercitum, non diu constiturum præsidium duobus Ducibus armis concordibus, & animis pugnaturis. Firmavit spem militum reparatio operum. Nam & vineæ Ducum adhortatione restitutæ sunt, & canalium labra aperta, & castellum erectum in medio fossæ adversus subitas invasiones, & cuniculi acti deductis jam aquis; frustra contranitentibus obsessis, quos semel, atque iterum ferociter erumpentes, utroque Duce in arenam advolante, intra muros compulerunt. Jussus Gubernator, interprete Aga captivo, deditionem facere, intempestivum colloquium machinarum fragore abrupit. Hos ei animos intendit defensorum pervicacia, ac ingens Seraskerii in campo exercitus, quem ad solvendam obsidionem propediem adfore existimavit.

Sed ille Strigonium oppugnandum sumpsit, ut scilicet eo capto Budam, Turcici Imperii alterum Byzantium, objecto scuto muniret. Jamque e Thomæo monte, ac colle S. Georgii mænia arcis adeo verberata erant, ut decusso principe propugnaculo, ea parte tormentorum usum nostris ademerit. Mox in insulam traductis copiis, flumentanam urbem impetiit. Unde ne Parkanense præsidium opprimeretur, silentio noctis excepti milites, cum bellica penu incolumes Strigonium transvecti sunt. Quatuor tentatis assultibus, cum nullam stationem in ruinis occupare posset, cuniculis aditum in arcem quæsivit. Cœptis intervenit Lotharingus. Nam etsi nihil metueret Strigonio virtuti præsidiariorum (erant hi partim Germani, partim Hungari) confisus, tamen ad famam Christiani exercitus pertinere existimans, si eodem tempore locum alterum obsideret, alterum obsidione liberaret, statuit clauso Uivarino, majorem copiarum partem in Seraskerium ducere. Igitur relicto Caprara ad obsidionem cum ter mille quingentis Cæsareis; octo peditum, equitum sociorum septem millibus; Hungaris bis mille, & quingentis ad Nitræ amnis custodiam, reliquus exercitus septimo Augusti Comaromium profectus, postero die trajecto Danubio ad Almasium vicum noctem exegit. Huc navigia postridie appulsa sunt cum Præfecto Vissegradensis arcis, a) & gregariis, quos Turcæ præsidii causa comitabantur. Hos non congiario modo donavit Lotharingus ob præstitam Germano fidem, sed per castra etiam qua vellent, circumduci jussit, omissoque metu omnia visere. Ex angustiis castrorum (impedimentis enim, & inutili turba in insula Csalloközia relictis, præter armatos, & annonaria plaustra nihil in castris aderat) numerum copiarum vicena duntaxat millia pugnatorum sub signis esse censuerunt. Error iste barbaros in prælium magis accendit, nostrisque occasio fuit rei bene gerendæ.

Nam Seraskerius audito Christianos appropinquare cum parte exercitus, omissa oppugnatione arcis duodecima Augusti, omnem exercitum ultra Strigonium promovit, tridui itinere, & vigiliis fessos aggressurus.

Suase-

a) Capta est anno priori a nostris die XIX. vel secundum Ephemerides Leopoldinas die XVII. Junii. Ut Buda, sic & hæc arx varia fortuna jactata est.

Suaserant istud plerique Præfectorum, quos temeritas Kara-Mustaphæ simul Viennam circumsidentis, simul in aciem procedentis cautiores fecit. Firmarunt horum sententiam reduces Turcæ e castris Lotharingi, ultra modum extenuantes Christianorum vires; & quia quo liberius traducebant paucitatem, eo spes gratiæ major erat, alii aliis iniquiores de subsidiario milite rumores inter pugnæ cupidos serebant, alebantque. His majorem in modum incitatus Seraskerius, castra castris conferre statuit, unice solicitus, ne hostium exercitum, cujus delendi fortunam sibi oblatam rebatur, e manibus elabi patiatur. Lotharingus ignarus, quo loco res Strigoniensium esset, eo militi iter edixit, præmissis centum quinquaginta dimachis, qui vias explorarent, sternerentque. Ut perventum est ad Uifalu, seu novum vicum haud procul Strigonio dissitum, non levis terror omnium animos pervasit, cum nihil jam resonantibus machinis, altum silentium in amissi præsidii triste augurium verterent. Auxit terrorem Mercyus, qui speculatoria saika rem certius explorare jussus, visa Hussarorum turma ripam Parkani percursante, quos pro Turcis agnovit (ut FACILE luduntur oculi, animis jam metu captis) illico sibi, sociisque persuasit, aut flumentanum oppidum; aut arcem in hostium potestatem venisse, idque in castris vulgavit. Diei insequentis primo diluculo paululum procedentes, Ottomanorum castra munitissimo loco sita conspiciunt. Dextrum latus castrorum fere ad Danubium protensum profundo aggere claudebatur; sinistrum densiori sylva, ac arborum cæsarum congerie inaccessum; frons palustre cænum, crebras voragines, & tum immodicis pluviis prætumidas pro vallo habebat; quaqua accessus esset hosti, sublatis tormentariis suggestibus, duplicatis alibi vallis, omnes aditus insigni solertia præstructi erant. Inspecto tam formidando Turcarum loco, etsi Ducum animi in pugnam inclinarent, trajectu, nempe periculis non vulgaribus obnoxio, abstinendum censuere. Nec Strigonio timebatur, quo, Gubernatore postulante, secundo Danubio quingenti pedites, & bellici apparatus sunt missi. Veritus præterea Gubernator, ne interpolata oppugnatio repetatur, arce egressus cum quinque vexillis Hungarorum, & quadringentis Germanis, opera hostium celeriter dejecit, ruinasque murorum pro facultate reparavit, ut adeo de integro oppugnationis labor, atque pericula subeunda forent Seraskerio, si quid deinceps in arcem tentaret.

A. C. 1685.

Sed ille Strigonium ultro sibi obventurum, veluti pretium victoriæ, nihil ambigens, si campo vinceret, ferox numeroso exercitu, acie decernere quamprimum optavit, suosque ad propinquum certamen, quod ipse facturus esset cessantibus Christianis, parari jussit. Miles Ducis sui ferocia lætus, prælium poscebat; cum spem magis ipsam, quam causam spei intueretur. Id posteaquam relatum est Lotharingo per quemdam Polonum, qui nuper exceptus inter pabulatores, felici astu eo die in castra Confœderatorum profugit, eo hostium cæco ardore in rem suam usurus, simulato metu inconsulto feroces trans paludem allicere constituit. Igitur vitatis procursionibus, militem quasi metu torpentem, castris in arctiorem locum contractis, tenet; solum majoribus tormentis in hostem agit. Denique decima quinta Augusti sub primis tenebris magno strepitu collectis vasis, castra moventur, fugæ species non omnino dubia a Christianis præbetur. Illustris luna, & castrorum propinquitas receptum prodidit. Continuo Turcæ instabile uligine solum arborum truncis, ramalium fascibus, quorum ingens aderat copia, consternunt: secunda vigilia expediti equites transmittunt, tum peditatus, quanta maxima potest celeritate sequitur. ADEO verum est, simulata trepidatione facile hostes in insidias, & ad audendum quidpiam præter ipsorum vires induci. Nostrorum postremi non intermisso itinere, sic impetum excipere sunt jussi, ut velitando potius, quam collatis signis, decretoriam pugnam sub auroram extrahant. Hæc spissis nebulis obsita, & mutuum conspectum ademit, & Lotharingo campum dedit opportune aciem struendi. In duas alas partiri placuit exercitum. Dextra, quam

A. C. 1685. Lotharingus regebat, in editiore, nullaque palude perfoſſo loco explicata, firmior ab equitatu, quam peditatu fuit. Præter Czoborianam, huc omnes Huſſarorum legiones accitæ. Mons ſaxeus machinis, & aliquot cohortibus munitus dextram alam, ne a latere impeti poſſet, defendit. Siniſtra ſub Bavariæ Duce uſque ad Danubii ripam protenſa, peditum robore præſtabat, ob tellurem ſtagnantibus aquis fallacem, atque adeo equitatui incommodam.

Seraskerius deprehenſo hoſte alacer, ut quosque traduxerat, ita in ordines componebat. Spahiorum turmas in duo agmina diviſas primo loco conſtituit; Janicsaros in ſecunda acie locat, Tartarorum equitatum incaleſcente pugna caſtra, atque latera invadere jubet. Sic aciem inſtruxit ignarus locorum, viriumque hoſtium. Nondum depulſa nebula, ſigna utrinque cecinerunt, ac diſploſis ingenti fragore tormentis in certamen ſe mutuo provocarunt. Clariore jam luce Spahii laxatis habenis, ut juſſi erant, in dextrum cornu illati ſolutis innoxie ſclopis, acinaces corripiunt, inter inconditos clamores, & tumultum nunc hos, nunc illos incompoſiti incurrunt, nusquam collato pede prælium committunt; rati eo genere pugnandi ordines perrumpi, aut turbari poſſe. Firmiores ſtabant Fœderati, quam ut ea equeſtri procella gradum referrent, aut quem ſemel occuparant, loco excederent. Hac æquabili, nullaque parte hiantium ordinum conſtantia, ac perpetua pilarum emiſſione, equitum vis confracta eſt. Janicsaros in primam aciem promotos, Seraskerius hortatur: in montem (unde globorum tempeſtas in confertos effundebatur) uno curſu eniterentur, pulſoque præſidio apertum latus foderent. Non alia via victoriam facilius confici poſſe. Nudatis ferociter frameis pars frontem impetit, pars celeriter in montem conniſa, paribus animis pugnam inſtaurant. In monte major, quam pro numero hominum, pugna exardeſcit; & dejeciſſent poſtremum Turcæ Tûngenium, qui locum minore glande jam humerum traiectus tutabatur, niſi Dûnewaldus e ſiniſtra ala, ubi minus periculi, ſuppetias tuliſſet. Tunc non modo æquata eſt pugna, ſed e monte etiam cum ſtrage fortiſſimorum peditum depulſi barbari. Ea paucorum trepidatio, in fronte utriuſque cornu dimicantes, in fugam ad paludem traxit.

Hic fœdior ſtrages mortalium, & jumentorum erat, quam in ipſa pugna. Nam multi cæcas voragines veriti, dum deliberant, qua fugam inſtituant, ab Huſſaris occupati ſternuntur. Terna millia ſic cæſa; quibus ſi addas, quos prælium, abſumpſit, facile ſeptena millia cenſebis. a) Multitudo fugientium caſtra ingreſſa, haud paulo ibi plus, quam quod ſecum attulerat, terroris facit. Spahii non expectatis Janicsaris, qua quemque aut conſilium, aut terror tulit, diſſipato curſu ſe effudere. Perinde pedites nocturno, diurnoque itinere multum laſſati, deſperata caſtrorum defenſione, antequam victor tergo hæreret, palantes caſtris exceſſerunt. Fama eſt tantam conſternationem inter Turcas fuiſſe, ut Janicsari, tardiores equites plumbeis glandibus confixerint, conſcenſisque equis profugerint. Inde certamen, mox etiam pugnam cum vulneribus, & cæde utriuſque ordinis peractam. In eo paventium, terrentiumque tumultu, Seraskerius pede altero ſaucius, nec ſine periculo inter poſtremos paludem ſuperans, obvios quosque ad defendenda caſtra hortatur. Qui ad impedimenta relicti erant, nondum fugerant. Hos prope paludem ſtatuit, ac tormentis agere in hoſtem jubet, ſi tranſitum tentaret. Præfectos admonet: fugitivos ſiſterent, ni impedimentis eo die exui vellent. Lentis adverſum imperia, & preces auribus, pauci ſalubriter monenti obtemperarunt; adeo metus omnium mentes, animosque confudit.

Alienus pavor Hungaros audaciores b) fecit. Qua Turcicus eques paluſtria loca eluctatus eſt, & iſti ſtrenue ſequuntur, nihil veriti hoſtiles machi-

a) Ephemerides Leopoldinæ die XVI. Auguſti anno 1685. ſic habent: narrantur occubuiſſe 5000. capti 200. 24. tormenta, 40. vexilla. b) Porta Ottomanica commemorat hos multa virtutis ſpecimina edidiſſe.

machinas, quas nulla arte in subeuntes disploserunt stationarii. Atque hic ultimus conatus fuit castra tuendi, arrepta ab omnibus in proximos saltus turpissima fuga. Lotharingus cum legionibus gravioris armaturæ, ter iter ingressus, subsidente uligine non sine jactura temporis regredi cogitur, ac aliis, atque aliis vadis exploratis, repertisque, tum in pluribus locis, ubi cænum profundius, præter cæteram materiam, & fascium complementa, Turcarum cadaveribus in modum pontis per iratos, festinantesque milites stratis, omnem exercitum in hostium castra induxit. Patuit e difficili trajectu, maximam cladem accipi potuisse, modo pauculæ cohortes pro castris stetissent. Hungari sive spoliis legendis diutius immorati, sive celeritate diffugientium elusi, ne postremum quidem equitum agmen assequi valuerunt. Pedites vagi, ac palantes per saltus, passim trucidati; quadringenti e fuga reducti. In castris omnis generis præda reperta. Tormenta bellica quinque, & viginti; majores pilæ ducentæ supra mille, ollæ igniariæ sex, & decem, signa militaria quadraginta, & amplius, dena millia papilionum; vestium, armorum vis magna. Quanquam non pauca ex hujusmodi prædandi irritamentis corrupta fuerint. Etenim Turcæ antequam fugerent, per tentoria ignes sparserant, cadisque pulverum incendiarios aliquot funes applicuerant, projectis circum ea loca vestibus, armis, veluti per incuriam, aut festinationem fugæ relictis, eo consilio, ut viso densiori fumo avidos spoliorum, in castra celerius pellicerent ad extinguenda incendia, atque doli ignaros inevitabili pernicie simul involverent. Sed omnis illa pulveraria pestis ante in auras evanuit, quam victores castra intrarent; multa tamen prædator ignis cum milite divisit. Exercitus lectis spoliis alacer, Strigonii necessaria quiete vires refecit.

A. C. 1685.

Hanc victoriam paucis post diebus secuta est Uivarini expugnatio, Caprara supremam manum imponente. Duobus propugnaculis partim suffossionibus, partim tormentorum ictibus stratis, undevicesima Augusti in summam oppugnationem miles educitur. Nec minus oppidani in suas stationes dispertiti, ad supremum certamen se comparant. Effusus imber partis utriusque ardorem temperavit, ac multorum neces in posterum diem distulit. Ne novos receptus molirentur Turcæ, aut aperta loca palis præstruerent, muralibus machinis, ignivomis pilis, nulla concessa hostibus quiete, assiduo fulminatum est. Nocte insequenti tria millia pugnatorum in fossam immittuntur, pars sub Scherffembergio dextra, pars Rummelio Bavarorum Ductore sinistra, ruinas dato signo petere jussi. Duo millia in subsidiis Dumontio Duce locata. Clara jam luce displosis circum machinis, quod signum erat aggressionis, Cæsarei, & Bavari cum sociorum cohortibus in ruinas contento cursu feruntur. Tum vero quidquid arma ferre posset, misti militibus oppidani, fœminæ viris, Gubernatoris ductu pro fortunis, pro patria, pro suis capessunt arma, ac se se assilientibus certatim objiciunt. In ruinis longe acerrimum prælium ciebant Janicsari, qui nuda pectora, mori jam certi, pro mænibus opponebant.

Princeps Comercyus, & Baro Astius; uterque spectatæ virtutis, ac noti roboris in exercitu, primi conscenso propugnaculo (alii hoc decus Vaudemontio tribuunt) speciem capti oppidi præbuerunt, mox contenta voce proclamantes: cæsum Gubernatorem, oppidum captum; reipsa ceperunt. Nam ea vox adeo vires, animosque addidit aggressoribus, ut novo impetu perciti, Janicsarorum cuneum perruperint, magnam ubique trepidationem hostibus intulerint. Viso Germano intra præsidium, deditionis signum tollunt oppidani, armis abjectis clementiam orant. Sed INVISUM est victori militi semper deditionis nomen, qui ægerrime patitur opulenta victoriæ præmia sibi e manibus eripi. Jamque trucidatis ferocioribus, ubique fuga, ac par fugientium strages. Janicsarorum reliquiæ in quoddam propugnaculum compulsæ, etsi ultimis viribus repugnarent, destinatis ictibus figebantur. Haud melior conditio eorum, qui se rapide e mænibus dimittentes,

A. C. 1685. quadringenti circiter fuiſſe A) dicuntur; partim a Germano, Hungaroque equitatu, qui præſidium corona cinxerant, partim a ſtationariis peditibus (nam ingreſſu oppidi prohibiti erant, dum debellatum foret) implacabiliter conficiebantur. Præter imbelles pueros, atque fœminas, a primariis Ordinum Ductoribus in Moſcheam abductas, pauci admodum viri, quos inter Mufftius, & Legatus Gubernatoris, ſe captivos tradiderunt.

Præda omnis generis non inferior expectatione militum fuit, quam pluribus continenter diebus diripuerunt; multosque adeo ſpoliis ditatos Uivarino abiiſſe ferunt, ut deinceps per omnem ætatem fructum victoriæ & ſenſerint, & maximis encomiis celebrarint. Iſtud apud exteros Scriptores (domeſticorum, qui iſtius ætatis hiſtoriam accurate contexuerit, neminem ſcio) vulgatiſſimum. Res annonariæ, tormentariæ, cæterique paratus bellici perinde ingentes. Varia, ſi quod præſidium in Hungaria, Uivarinum profecto jactatum eſt fortuna. A Stephano Bocskajo anno quinto ſupra milleſimum, ſexcenteſimum occupatum, poſtliminio ad Mathiam Regem transiit. Anno decimo nono ſeculi ejusdem, Gabrieli Betlenio traditur, dein Cæſari. Quibus viribus defenſum, ac expugnatum fuerit ab Ottomanis, ſupra narravi. Præſenti demum anno vi, & armis ſubactum ad Leopoldum Magnum redivit. Subinde a Rakoczianis inſeſſum, ſex admodum annis Auſtriam, Moraviam, & vicinas Hungariæ provincias cruentis procurſionibus divexavit. A magnis Ducibus obſeſſum, milleſimo ſeptingenteſimo decimo anno deditionem fecit. Secundum tot bellorum viciſſitudines caput e ruinis extulit; at in media pace ligone, & pala, ſurdis foſſorum inſtrumentis, ſolo æquatum eſt.

Infelix Strigonienſe prælium, & Uivarini caſum, qui Imperatori Mahometi aperiret, multum ambigebant Purpurati, memores, quam perturbato animo Viennenſem cladem acceperit. Sumit eas in ſe partes Nigrorum Eunuchorum Præfectus, B) facile concedentibus Purpuratis, ingreſſusque cubiculum prolixe narravit geminam Chriſtianorum victoriam. Imperator, ne nuncii majoris cladis occultarentur, atque perniciofa diſſimulatione remedia potius malorum, quam mala ipſa differrentur, ſacramento adegit Præfectum edicere, num Buda ſimul cecidiſſet? quam ubi ſtare adhucdum intellexit, reddi ſibi, ac in vitam redire eſt viſus. Inducti nuncii Seraskerii literas tradidere. Iis excuſata prius prælii neceſſitate, acceptam cladem non ſuo vitio, aut Turcici militis ignavia, ſed hoſtium multitudine, armorum apparatu, locorum iniquitate eſt faſſus. *Ducenta Germanorum, Hungarorum triginta millia in acie ſtetiſſe, ducentis tormentis in tenuem Turcarum exercitum fulminaſſe, liberali utique calamo perſcripſit. Prælium nihilominus diu extractum. In receptu plurimum nocuiſſe Spahiis paluſtres campos. Perturbatos nec precibus, nec minis in caſtris detineri potuiſſe. Nunc ſe juxta Budam cum omnibus copiis excubare, quæ animis ægræ in dies numero minuuntur. Poſtremum, qualemcunque pacem præ infelici bello a Cæſare petendam non obſcure ſuadebat. Tribus jam annis Ottomanos, violati fœderis reos, perpetuo vinci. E tot initis præliis nullum fuiſſe Turciæ ſecundum. Neque deinceps adverſus Cæſarem veterano exercitu, Ducibus præſtantibus, ac fœderibus validum, belli fortunam felicius caſuram. Ni Budam perditam velit, bellum pace componat. Haud eſſe indecorum illis amicitiam petere, qui primi infregerunt.* Hæc Seraskerius.

At Imperatori bellum perſequi tantiſper placuit. Decem illico Janicsarorum, ſex Spahiorum millium delectus Conſtantinopoli imperantur: novum tributum ab omnibus provinciis exigitur: Seraskerio mandatum, ut ſpeciem inferentis bellum præbeat: caſtra caſtris opponat: augendæ famæ venturi auxilii minime deſit: tum captata occaſione Lotharingum de pace

A) Porta Ottomanica. B) Hic Præfectus Gynæceo Imperatorio præpoſitus Eunuchorum præcipuus eſt; ut magnæ authoritatis, ita multarum divitiarum. Habet quoque ſupremam curam Moſchearum totius Imperii. Inde opes immenſæ. Ab Hiſtoricis diverſæ nationis diverſa nomina accipit: nunc Kislar, nunc Kuzlir, & Kizlir Aga legitur.

pace compellet. Ne populus tot præteritis, præsentibusque malis ac oneribus fessus, tumultum more suo excitaret, gravi edicto nocturni conventus, atque sermones de rebus bellicis per Byzantinam civitatem prohibiti, eoque plures serebantur, et si liceret, vera narraturi: quia vetabantur, atrociora vulgaverant. Seraskerius cognita Mahometis voluntate, & jam coalito vulnere, tanto promptior castra Buda promovit, quanto magis per eos dies inter peditum, equitumque legiones, metu videlicet hostium solutas, intestinæ discordiæ exarserunt. Janicsari ut ordine militiæ, ita virtute bellica præstantes, perpetuam Spahiorum fugam, & in primis nimium præcipitem e Strigoniensi pugna, amaris salibus traducebant, eorumque ignavia castra turpiter amissa, in os objectabant. Contumeliæ impatientes Spahii (ut PLERUMQUE miles a suis contemni, ac posthaberi fert ægrius, quam a quocunque hoste superari) multo pariter clamore, ac convitio extremam consternationem Janicsarorum in ultimo prælio proscindunt. Id non sine stomacho frequentius oggerunt, quod nonnullos Spahiorum neci dederint, equos aliis eripuerint ad maturandam fugam. A)

A. C. 1685.

Ex ejusmodi jurgiis adeo utriusque ordinis animi incaluere, ut raptis ferociter armis, omnibus castris tumultuarie concursum fuerit. Huic tantæ tempestati cum se obtulissent Præfecti, illico experti sunt, authoritatem sine viribus apud concitatos, armatosque sperni: nisi fortassis, ut erant inter se pridem discordes, ferociam militum clam aluerint, privatasque simultates publica clade ulturi, iratis facile cesserint. Præfectis in tentoria compulsis, gregarii iras, & arma miscent. Pugna conseritur in medio castrorum, non e præscripto militari, sed impetu furentium. Cædes longe maxima peracta fuisset, ni Budensis Præfectus machinas castrenses in confusa agmina solvi jussisset. Hoc improviso tonitru perculsi, iras subito posuerunt: & nacti necessitatem, cui discessum ab armis imputarent, in sua tentoria discesserunt, accusantes interea, quod tacite amabant, Budensis factum. Utrique (uti in tumultuario, ac æquato certamine usuvenit) sibi victoriam attribuere; si tamen victoria dicenda, qua QUIDQUID virium victis perit in civili certamine, victoribus ipsis adimitur. Balthasar Hannius, qui prælium hoc in suos annales Pannoniæ retulit, meminit aliquot centenos utriusque ordinis in loco certaminis trucidatos, plures vulneratos.

Tantam armorum licentiam graviter tulit Seraskerius. Principes tumultus, ac Præfectos, turbarum incentores, comprehendi, ac obstricto collo palam necari jussit. Eodem tempore, quos e Strigoniensi prælio B) primos fugam capessivisse constabat, partim suspendio addixit, partim securi percussit. Sic temeritatem, qua paludem transgressus necessitatem iniquissimæ pugnæ sibi imposuit, alieno sanguine castigavit; more scilicet dominantium, qui sua errata ministrorum pæna velare nituntur. Hac tragœdia peracta, exercitum triginta millium in alteram Danubii ripam traduxit, atque intra Vacium, & Pesztinum patenti campo metatus, veluti universo prælio summam rerum iterum commissurus, majori strepitu armorum, quam animo, Confœderatis frontem obvertit. Lotharingus, & Bavarus haud negligendam rati eam occasionem, citato agmine in Seraskerium movent. Festinantibus longe diversa nunciantur: Novigradi turrim pulverariam de cœlo percussam, immani strage munimenta fœdata, Seraskerii jussu militem cum machinis, & reliquo apparatu inde extractum: Præfectos Agriæ, Varadini, Temesiæ, suas copias domum abduxisse; castrensem supellectilem cum omnibus impedimentis Budam remissam, eo secuturum propediem exercitum. Alii contra narrabant: ruinas Novigradi reparari; Seraskerium pristinis cladibus nihil territum, a suis legionibus novum jusjurandum exegisse; milites hac religione, ac sui Ducis alacritate confirmatos, junctis dextris mutuam sibi opem, & fidem in prælio ad mortem usque vovisse. Castra in agro Vaciensi posita, nullo vallo, nullo præsidio militari

 esse

A) Descriptio Antiquæ, & Novæ Pannoniæ. B) Porta Ottomanica.

A. C. 1685. esse firmata; milites per oppida, & vicos passim vagari, incompositos pabulum, & ligna e longinquo petere. Haud dubie copiam pugnandi fore.

Dux Bavarus his intellectis, & sua sponte perquam cupidus praelii, nihil omisit, quo persuaderet Lotharingo, omissa Novigradi cura, ad castra Turcarum ut recta contendat, ac opportunitatem pugnae in ea planitie capessat. Lotharingus facile assensus est. Indicta profectione Vacium, gregarii perinde, ac Praefecti spe propinqui certaminis laeti, ad Ipolium amnem relictis impedimentis, maxima alacritate itineri insistunt. Ut ad Marosiam arcem tertia Septembris pervenerunt, conspiciunt omnem late regionem ferali incendio conflagrare, ipsum adeo Vacium tristibus flammis collucere. Retulerunt subinde exploratores: Seraskerium viribus suis diffisum Pesztinum recessisse; copias partim Budam, Eszekinum, partim in superiorem Hungariam abiisse; paucos cum Seraskerio in castris esse; Vacii munimenta pluribus cuniculis in auras evibrata; omnia circum loca cum demessis frugibus evastata. Haec non secus, ac maxima clades, ab exercitu congrediendi avidissimo percepta sunt, quod novae victoriae, quam prope manibus tenebant, materiem festinato receptu eripuerit hostis.

Dum deliberant Duces, quo arma vertenda? adest Achmetes Schelebis a Seraskerio missus, importunus pacis nundinator. Cultu, vultuque quam maxime ad praesentem fortunam comparato, tabernaculum Lotharingi ingressus, genibusque ejus advolutus, laciniam vestis osculo stringit; tum in hunc modum Ducem alloquitur: *Imperator tuus eam nominis famam, rerum magnitudinem tuo consilio, ac manu consecutus est, ut pacem non minus utilem, ac gloriosam prae bello incerti exitus optare jam possit. In meliori quamvis fortuna vestra, de ea agere cupit Seraskerius, sibique penitus persuasum habet, cum Christianae, tum Turcicae Reipublicae saluberrimum fore, si pax inter duos potentissimos Imperatores quamprimum stabiliatur. Haec princeps causa, cur te, maxime Heros, convenire sim jussus, quam e literis prolixius intelliges. Vindicabis regnum ab interitu,* A) *si, quam Seraskerius a maximo, invictissimoque* B) *Soltano amplissimam accepit; pari authoritate conficiendae pacis tuorum quempiam ornaveris.*

Literarum vero tenor hic erat. *Duci Lotharingo, amico nostro, supremo Germani Imperatoris copiarum Praefecto salutem. Te amicum certiorem facio, me repetito sermone Agae Achmetis Schelebis, qui in castris vestris captivitatem perpessus, ad nos rediit, permotum, ut prior desiderium pacis bona fide patefacerem; quove tu animo sis, penitius investigarem. Quod in praesentia datis ad te literis facio. Intelliges, me prohissima voluntate in omne studium concordiae ferri, quo miseri mortales, tot calamitatibus belli attriti, aliquando recreentur. Si commodum ad pacem aditum aperuerimus, si eam exhaustis provinciis integram reddiderimus, omni victoria nobiliores fructus cum immortali nominis gloria uterque referemus. Constabit orbi, nos non acervos cadaverum, non regionum excidia armis quaesivisse, sed popularium emolumenta. Haec eadem mens Mahometi Imperatori, toto orbe terrarum maximo, invictissimoque. Agemus ii de pace, quorum & maxime interest pacem esse, & qui quodcunque statuerimus, ratum Imperatores nostri habituri sunt. Si perinde tibi, ac mihi cordi est, noxium bellum pace utilissima componere, delige e tuorum numero aliquem, quocum negotium pacis pleno jure tractetur. Spero, primo congressu omnes obices sublatum iri, modo animum habeas non abhorrentem a quietis consiliis. Salutem tibi dico nomine illius, cujus unius voluntate, imperia universa gubernantur. Dabam in castris prope Pesztum. Ibrahimus Saitanes.* c)

Lotharingus increpita Achmetis confidentia, quod non petito commeatu hostilia castra intraverit, pauca reposuit: se Seraskerii literas ad Caesarem

A) Regnum utique Hungariae intelligit, sex non modicis exercitibus ea tempestate infessum. B) Ita in more Turcarum, honorum, & inanium nominum semper tenacium. Laboret quantumvis Luna, illis tamen perpetuo maxima, serenissimaque. c) Fere ad verbum reddidi. Exemplar earum Germanica scriptum lingua, lege sis T. II. Portae Ottomanicae pag. 314.

ſarem Magnum Leopoldum Viennam miſſurum: pacem fruſtra quæri apud armatum victorem: ſe magni Cæſaris miniſtrum eſſe, illiuſque juſſu Ottomanos pacis violatores ferro, & igne, terra, & aquis perſecuturum. Juſſo ſine mora caſtris excedere; Chriſtianorum exercitus Vacium proceſſit. Hic cognitum eſt, Seraskerium fugienti ſimilem cum reliqua copiarum parte ultra Budam contendiſſe. Itaque cum nulla ſpes appareret cum hoſte manus conſerendi, viſum eſt Lotharingo exercitum plures in partes partiri, & pluribus locis in Ottomanos, ac Tôkôlianos agere. Palffium cum quaternis millibus Bavaris, Hungaris, & Haſſis ad cuſtodiam Arrabonis fluvii dimittit; monetque, ſi res ferat, Leslæis legionibus auxilio ſit. Capraræ dena millia armatorum attribuit ad occupanda ſuperioris Hungariæ præſidia, quæ partim Tôkôliani, partim Turcæ inſederant. Schulzium Tôkôlio oppoſitum, ac cum Eperieſino, & Caſſovia luctantem, ſuppetiis firmat, cui ſe deinde Caprara conjunxit. Hi Duces minores (nam Bavarus, & Lotharingus Viennam abierunt) feliciter per autumnum egere non tam ſuis viribus, conſilioque, quam hoſtium inſigni ſtultitia; quod Seraskerius repoſito Eſzekini ponte in hyberna ſuos dimiſerit, neglectaque armorum cura, ad emendicandam pacem omnem induſtriam applicuerit; rapto etiam in vincula Tôkôlio, cujus captivitate, ſperavit a Cæſare eam facilius impetratum iri. Quo facto, lethalem plagam rebus ſuis imprudens impoſuit. Averſis enim partium Ducibus a ſocietate Ottomanorum, bellum longe gravius Turciæ conflavit, & Chriſtianis expeditam viam ſuametipſius temeritate fecit, pleraque oppida ſuperioris Hungariæ partim vi, partim deditione capiendi.

Cum Lotharingum opinione ſua conſtantiorem offendiſſet, ipſum Cæſarem de concordia interpellandum exiſtimavit. Verſabatur eo temporis Viennæ nobilis Medicus, & prædives mercator, ille gente Perſa, hic Græcus. Per hos primum obliquis viis aditum rimatus apud aulæ miniſtros, Achmetem ſubinde ad negotium accelerandum expedivit. Juſſus Comaromii ſubſiſtere, fruſtra oravit facultatem Viennam veniendi. Queſtus propterea peracerbe, quod ſpreta per Germanos Seraskerii, imo magni Mahometis majeſtate, contemptim habeant eorundem Legatum: neque ea, quæ ſibi commiſſa, fas ſit ad Cæſarem deferre, aut de iis cuipiam miniſtrorum colloqui: id quod miſerrimo cuivis etiam apud barbaras gentes licet. Reſponſum eſt homini: Ottomanos tribus ab hinc annis Cæſareis Oratoribus non unam injuriam intuliſſe. Capraram primi ordinis Legatum, contra jura gentium vinculis oneratum, inter gregem captivorum detinuiſſe, ac per ſummum ludibrium in Hungariam vinctum deduxiſſe. Leopoldum, æquiſſimum Principem, ejusmodi graviſſimas injurias in Turcarum Legatis, Oratoribus, minime vindicaſſe (etſi nullo commeatu inſtructi per provincias Hungariæ, Auſtriæ iter agerent, & hoſtium loco haberi poſſent) apud quem ſcilicet Jus gentium ſemper valuit, valebitque inpoſterum.

Hæc inficiari minime auſus Achmetes, miſſis querelis majorem in modum oravit, liceret ſibi legationis capita cum aliquo paris authoritatis conferre; ſperare ſe, concordiam fruſtra tentatam, cum maximo & decore, & emolumento Cæſaris coalituram. Hac ſuper re deliberans Cæſar, ſentiebat barbarum protinus remittendum, unde venerat; civilius tamen viſum, Miniskium Orientalium linguarum interpretem, Comaromium mittere, qui poſtulata audiret, referretque. Decima ſeptima Novembris Viennam redux, in frequenti Senatu præcipua legationis capita expoſuit; primum: *graviſſimi præſentis belli authores Tôkôlium, & Kara-Muſtapham extitiſſe: hujus cupiditate ſubſidiarias copias in Hungariam miſſas: mox grandi exercitu Viennam obſeſſam. Hæc privato conſilio Vezirii acta. Mahometi, & populo Turcico, ſi quis vera æſtimet, fœdus ad hunc diem inviolatum cum Cæſare fuiſſe.* Alterum: *Mahometem, Seraskerium ſinceriſſimo pacis deſiderio flagare: utrumque extra ſcenam agere. Bellum, belliquæ controverſias facile compoſitum iri, modo Cæſar pacem provinciis neceſſariam, ſerio cupiat;*

A. C. 1685. *cupiat; & cum de rebus summi momenti per literarum ambages, longasque missitationes haud commode tractari possit, deligeret Legatos, locumque colloquii, ac tempus designaret, ut libuerit, nihil recusaturum Mahometem, quo Confœderatis omnibus satisfiat.* Tertium: *Tökölium,* A) *præcipuum belli caput, jussu magni Domini captum, ac Belgradum deportatum. Hunc sine mora Cæsari dedendum, ut primum pacis negotium contrectatum fuerit.*

Hæc per celeres veredos Regem Poloniæ, Rempublicam Venetam, aliosque Principes Confœderatos edocere festinavit Cæsar. Venetorum Legatus non multo post adfuit Viennæ, significavitque: Archithalassum Turcicæ classis, medio licet armorum strepitu, apud Morosinum, B) classis universæ Præfectum, de pace quoque movisse. Rempublicam certissima indicia cepisse, Mahometem extra ludum, malumque dolum agere, ac serio cupere pacem suo Imperio, multis terra, & mari infelicibus prœliis succusso, restitutam. Non esse negligendum pacificationis negotium; propiusque accedendum eo, quo eundum aliquando; & ne sublata spe pacis, pertinacia armorum accendantur hostes. Interim magnopere cavendum, ut ne Constantinopoli, aut in quocunque Turcici juris oppido Legatorum conventus celebretur, & ante cessationem armorum sedulo investigandum, quam æquis conditionibus pacem emercari vellet Mahometes. Undecima Decembris Seraskerii literæ Viennam allatæ sunt, queis Cæsarem edocuit, Mahometem Imperatorem, quam primum Achmetes Aga redierit, primi ordinis Legatum, cum plena potestate pacta ineundi, firmandique missurum. His in Consilio Cæsareo perpensis, Achmeti responsum est: Cæsarem nec posse, nec velle sine armorum sociis de concordia agere; urgendæ pacificationi perinde insisteret Mahometes apud Confœderatos. Sed meminisset simul, Confœderatos adeo obfirmato animo esse, ut nisi spondeat se captas urbes, provincias cessurum Christianis Principibus, nisi præcipua pacis capita rebus ipsis præstaret ante, quam ad tractationem pacificationis venirent Legati, bellum multo acrioribus studiis anno insequenti prosecuturi sint. Proinde si congressum Legatorum ex animo cupiat, expediret primo quoque tempore per celeres cursores, ad omnes Confœderatos conditiones pacis, quæ si utiles, si decoræ Christianis visæ fuerint, tum demum apertam concordiæ januam sciret; secus bellum paret, quoniam pacem ferre non potuit. Paucis post diebus alius Aga ad Ducem Lotharingum advenit, missus a Budensi Gubernatore cum honestissimis, ut fama erat, conditionibus. Verum nihilo felicior Achmete, cum tristi responso Budam rediit.

Tam extrema solicitudo Mahometis in emendicanda pace, quantum animi Confœderatis addidit, tantum Ottomanis ademit. Et reipsa accisis ad Danubium viribus, fracto Uivarino, veluti fatali torpore correpti, complicatis manibus Cæsareorum in superiori Hungaria victorias otiosi aspexerunt. Quanquam Schulzio, quo Duce pleræque patratæ, initia armorum haud prospere cesserint. Obsederat is maturo jam vere c) Unguarini arcem, D) solitaque celeritate extimis operibus occupatis, ignivomis pilis interiora arcis dies, ac noctes infestaverat. Tökölii miles supra insitam ferociam loco fretus, ac spe celerioris auxilii animatus, non modo assilientes cum cæde nongentorum e mænibus repulit, sed ipsum Schulzium, veteranum Ducem, in tantas angustias conjecit, ut desperato successu reditum anxie circumspexerit. Composito agmine recedentem, Tartarorum equitatu auctus Tökölius, strenue insequitur, & ne elabi posset, tripartito divisas copias præcurrere jubet, ac diversas vias insidere. Undique clausus, ad oppidum Divi Michaelis trans amnem Latorczam ferro, atque audacia per confertos iter aperuit. In eo tumultuario certamine amissa sunt tria tormenta

A) Qua ratione Tökölius captus? infra narrabimus. B) Haud dubie Franciscum Morosinum de pace interpellatum, qui suprema potestate Venetæ classi præfuit. Hic Morosinus, Scriptoribus etiam Maurocenus, victoriis inclytus, occurret sæpius Lectori. c) Secunda Maji, ut habet Discriptio Antiquæ, & Novæ Pannoniæ pag. 702. D) In editiore loco montis constructa est arx Unguariensis, olim Comitum Drugethorum delicium, & sedes gratiarum.

menta cum quadraginta annonariis curribus, audacissimi quique cæsi, aut læsi. Comes Strasoldus brachium trajectus, prope erat, ut a Tartaris caperetur. A. C. 1685.

Hoc rerum successu lætus Tôkôlius, immanibus tributis provincias exhaurit, prædatrices copias ostensis Germanorum spoliis cogit. Fama est magnam vim æris missam ad conducenda Tartarorum, Turcarumque agmina, quæ si in tempore adfuissent, sævissima sane tempestas Moraviam (nam huic regioni calamitatem turbidus minabatur) corripuisset. Sed Schulzius arce Krasznahorkensi expugnata, damnum nuper acceptum, resarsit, & Tôkôlium ad sua potius defendenda, quam aliena rapienda excitavit. Onodinum præterea principio Junii a mille ducentis Hungaris repentina vi oppressum, ingentem ei solicitudinem causavit. At nihil æque, quam Eperiesini obsidium hominem perterruit. Cinxerat illud Schulzius undevicesima Julii cum octo millibus Germanorum, quibus se bina Hungarorum addiderunt. Gemina aggressione urbs infestata. Altera ad portam Cassoviensem Thimmio Tribuno, altera sub collem patibularium Georgio Friderico Duci Wirtenbergico est commissa.

Antequam muri impeterentur, peramice moniti obsessi, ut rebus integris se, urbemque legitimo Regi traderent. Rejecto de deditione colloquio, defensionem sedulo adornabant, confisi loco, quem novis operibus munierant, & anno superiore victores, sperabant nunc quoque se superiores fore. Spem intendit Tôkôlius, justi fere exercitus Ductor, qui haud procul Eperiesino metatus, obsidium depulsurus credebatur. Sed plurimum spei, opisque habuere in Feldmeyero urbis Gubernatore, veterano milite, rerumque bellicarum intelligente, qui deserta Leopoldi militia, ter centum transfugas Germanos, & septingentos pedites Hungaros regebat. Hic consumpta spe reditus, præcipuus author civibus erat, ut obsidionem perferre, quam deditionem facere mallent. Igitur rejecto, ut dictum, de deditione colloquio, Dux Wirtenbergicus tertia Augusti pedites ad vallum occupandum educit, spreto hoste, quem temere collectum rebatur, haud ita loco juvari, ut non plus suis in virtute foret. Post acre non minus, quam diuturnum certamen amissis ducentis a) gregariis, aliquot Centurionibus, vallo potitus est. Succusso minoribus machinis muro, sexto, & vicesimo Augusti strenue magis, quam feliciter aditum in urbem moliuntur Cæsarei. Nam cæsis quingentis aggressorum, reliqui in castra retruduntur. Nec minor strages ab erumpentibus illata, ut adeo Schulzio multa cura efficiendum fuerit, ne rursum rebus infectis obsidionem solvere cogeretur.

Fracti sunt tandem obsessorum animi, posteaquam aliunde acceptis grandioribus machinis & muri procubuissent, & Tôkôlius audito Strigoniensi prælio semet retraxisset, apud Turcam auxilia quæsiturus, & Capraram cum valida armatorum manu adventare nunciatum fuisset. Desperata defensione, Feldmeyerus petitis unius diei induciis, nec impetratis, cum post brevem moram atrocissime ignitis pilis civitas urgeretur, insequenti die ab oppidanis, suarum fortunarum populationem veritis, ad deditionem maturandam adigitur. Missis, qui paciscerentur cum Schulzio, in has leges conventum est. Gubernator ejuratis partibus, cum suo Germanorum manipulo (supererant ducenti quinquaginta) in militiam Leopoldi transcribatur. Schulzio curæ erit, ut is salvis fortunis, nullo dedecore affectus, oblata occasione, honestæ præfecturæ admoveatur; gregarii novo sacramento obligati, suis legionibus immisceantur. Quadringentis peditibus Hungaris (tot numerabantur undecima Septembris, qua transacta deditio) fas esto sive Regia, sive Tôkôliana castra sequi, accepto prius unius mensis integro stipendio. Oppidanis jura, religio, possessiones integra sunto. Præteritorum mutua oblivio esto.

a) Porta Ottomanica ter centum gregarios cæsos scribit. Descriptio Antiquæ, & Novæ Pannoniæ nihil de cæsis prodidit; solum ait, cum ter centum aggressoribus vallum occupatum.

A. C. 1685. Dum ſuper conditionibus diſceptatur, in urbe turbari cœptum, cauſa a præſidiariis orta. Inter obſidii quotidiana pericula parce admodum procedebant æra, debebanturque multis multa ſtipendia. Ne pecuniæ inanes, tolerata gravi militia, diſcedere cogerentur, ſtatuunt urbem dedere Schulzio, modo ſtipendia perſolverentur. Re intellecta Dux Wirtenbergicus ſtipendium unius menſis large pollicetur. Illi continuo obverſis in urbem machinis, ſtationem portæ Cæſareis concedunt, oppidanis cædem minantur, niſi deditionem ratam habeant. Cæteri milites, quaſi ſigno accepto, deſertis ſtationibus in forum convolant, commilitonum facinus ſua acceſſione firmant. Inde Thimmio occaſio facta, per murorum ruinas in mediam urbem penetrandi. Sic nondum ſignatis tabulis, præſidium occupatum eſt. Schulzii, integerrimi viri, modeſtia militem ab omni cæde, direptioneque cohibuit, ac cives quam molliſſime accepit. Præſidiarii accepto menſis unius ſtipendio in militiam Regiam transgreſſi ſunt, præter undenos gregarios, A) & Præfectum unum, qui Caſſoviam abierunt, non meliore conſilio, quam ſucceſſu uſi. Namque Caprara oram Tibiſci victoriis percurrens, captis, munitisque aliquot locis adverſus Tökölium, Caſſoviam citato agmine contendit, jam a Schulzio eminus obſeſſam; atque calendis Octobris B) cum omnibus copiis propius urbem acceſſit. Spe honeſtarum pactionum ad deditionem invitatus Gubernator, quos animos gereret, exploſis circum mœnia tormentis patefecit. Et profecto arduam feciſſet oppugnationem tum milite, tum rebus omnibus inſtructus, niſi ipſi hoſtes præcipiti facto validiſſimam urbem in præproperam deditionem impuliſſent. Id autem ſic habet: poſteaquam Tökölius Eperieſinum caſui proximum animadvertit, Turcarum exercitus in hyberna deductos; dilabi, aut redire in gratiam ſuum militem, ſibi uni & periculi, & invidiæ molem incumbere, Capraram novo cum exercitu feſtinare, non minus futurorum metu anxius, quam præſentium mærore conſternatus, ut Caſſoviam, arcem, caputque fortunarum ſuarum conſervaret, cives perinde, ac milites in ſua verba adigit; tum ab Agrienſi, & Varadinenſi Baſſis, ſummis precibus, ut alias, auxiliares copias orat.

Eæ prolixe in ſpeciem addictæ, cum coirent lentius, ac rerum anguſtiæ poſtulaverant, ipſe cum Petnehazio c) Varadinum ſe confert, trahens ſeptem millia pugnatorum. Aſſonantibus tormentis, a Baſſa Regium in modum cum ſuorum præcipuis accipitur. Convivio adhibitus, varietate epularum more gentis recreatur. Sublatis menſis, adeſt Aga cum globo Janiſſarorum, ac torve intuens Tökölium inquit: *Magni Domini captivus es, ejusque juſſu Adrianopolim* D) *vinctus aſportaberis.* Ille inopinata denunciatione confuſus, armatosque circum ſe complures aſpiciens, ne verbulo edito altum ingemuit. Sic citra tumultum capto, traductoque in carcerem Tökölio, Baſſa paucis factum apud Petnehazium excuſat, hominemque manu prehenſum hortatur, ut reliquias Tököliani exercitus ſuo imperio moderetur, ac fidem genti Ottomanicæ obſtrictam, integram ſervet; rediturum ſub novo Duce meliorem belli fortunam.

Is large pollicitus omnia, actisque pro ſplendida præfectura gratiis, celeriter ſe Varadino proripuit, atque ſuos in itinere conſecutus (nam ſuadente Baſſa Caſſoviam verſus proficiſci ſunt juſſi a Tökölio) rem, ut geſta erat, pro concione enarrat, ſimul acri oratione perfidiam barbarorum perſtringit: *non alia de cauſa*, ajebat, *Tökölium captum, quam quod perſuaſum habeant, unius ſupplicio pacem, Imperio neceſſariam, ſe obtenturos. Hoc eum proditorem partium, omnium malorum authorem facit. Si tam vile* Prin-

A) Adi Deſcriptionem Antiquæ, & Novæ Pannoniæ, ubi & conditiones tradendæ urbis, & penum bellicam in urbe repertam, prolixiore calamo exarata habes. B) Hiſtoria Magni Leopoldi die XIII. Octobr. Caſſoviam a Caprara circumſeſſam memorat. c) In plerisque Scriptoribus Petnehazium comitem itineris Tökölio fuiſſe lego; Deſcriptio tamen Pannoniæ, & Porta Ottomanica Stephanum Petroczium nominant. Erat iſte Tökölio ab epiſtolis, arcanorumque omnium conſcius; ille e nobilioribus aulicis unus. D) Belgradum avectum, ſat certum; an etiam Adrianopolim? non habeo dicere. Porta Ottomanica ait: nondum ſublatis menſis amaros inter ſales vinculis oneratum, ac Adrianopolim raptum. Alii aliter.

Principis caput, cui dextras dextræ jungentes toties fidem obstrinxerunt, cui Regiam dignitatem sponte contulerunt, quantum fidei, & præmiorum singuli nostrum sperare possimus considerate. Nempe barbari sua commoda unice præ oculis habent: horum causa pacta ineunt, rescinduntque: heri amicos, hodie ut hostes persequuntur, aut a fortuna desertos deserunt. Mihi certum est, istorum perniciosa amicitia ejurata, non modo Leopoldi Regis gratiam amplecti, sed & tantam perfidiam, quoad vixero, armis ulcisci. Si viri estis, probrosa servitute vosmet eximite, & me Duce, forti, ac memorabili facinore præteritæ vitæ culpam eluite, perfidiam Turcarum, ferro, & igne ulciscamini.

A. C. 1685.

His incensa multitudo ferociter conclamat: duceret illico Cassoviam ad Capraram, se lubentes, volentesque tradituros clementiæ Regiæ, & fidam in posterum operam navaturos. Erant castra Capraræ, duabus cruentis eruptionibus, & Ducis Wirtenbergici fatali casu vehementer consternata. Is dum ad sedem tormentorum operas, & machinatores urget, majori pila in gulam impacta, momento exanimis corruit. Luxit eum exercitus supra privati Ducis morem, & in illo communi luctu quisque privato mærori ob arduam oppugnationem liberius indulsit. Erexit jacentium animos Petnehazii adventus, qui Tökölii captivitate cursim recensita apud Capraram, sua, suorumque fide obligata, petiit veniam id ipsum Cassovienses edocendi, minime dubius, calamitate sui Ducis percepta, pervicaciam posituros. Capraræ permissu urbem ingressus, convocata concione, eadem, qua nuper, oratione est usus. Nec pluribus opus erat. Facti atrocitate commoti, non tam ut sibi consulerent, quam Turcis ægre facerent, urbem munitissimam quinta, & vicesima Octobris, a) iisdem fere conditionibus, quibus Eperiesinenses, dedunt.

Cassoviæ ad casum, concuti superior Hungaria propemodum omnis visa est. Multa oppida, tanquam ad ea victore cum exercitu properaret Caprara, non expectata vi, sponte desertis partibus, se Regi permiserunt. Eandem fortunam Nobiles secuti sunt. Mercyus, ac Heislerus, dum res ex sententia succedunt, ad Tibiscum progressi, Szolnokino manu, & natura non mediocriter munito suas copias admovent. Loci Præfectus Turca, quatuor, & viginti horis ad deliberandum impetratis, collectis propere vasis, cum omni præsidio in adversam Tibisci oram evadit. Injectus oppido ignis fugitivos prodidit. Pars victorum incendium restinguere, pars rates (nam pontem hostis dejecerat) adducere, quo fugientes cum præda interciperent. Ducenti pedites, ac omnis generis supellex in oppidum relata est. Mox Divi Nicolai munimentum trans amnem Tibisci situm, deditione captum cum fertilissimo agro; atque hic in opimis hybernis vires refecit miles. Felicibus armis applausit Princeps Apaffius, sive Turcarum mores jam exosus, sive adversam sui opinionem appropinquante Daciæ Cæsaris exercitu deleturus. Metu tamen Turcarum, qui nusquam ab ejus latere sejuncti, velut in propriis ædibus Claudiopoli, inque comitiis dominabantur, constrictus, simulata mente factioni adhæsit.

Ut minori cum invidia Ottomanicæ aulæ ad Leopoldi partes se applicaret, Caprara superiori Hungaria perdomita, cum denis armatorum millibus, in Transylvaniam proficisci jussit Caraffam, misso prius ad Apaffium Legato, qui venturis legionibus hyberna postulet. Caraffæ autem imperatum erat, ut pacato agmine provinciam ingrediatur, nulli colonorum injuriam faciat, si & ipsi hostilitate abstineant; secus ferro, & igne viam sibi aperiat. Ab hoc apparatu armorum abducere conatus est Princeps Capraram, quæ eo temporis nulli usui, nisi rebus iterum turbandis futura erant, ærisque quantum opus foret alendis legionibus extra provinciam, promptus obtulit, quod prævideret Transylvanis exteros milites graves fore, & non jam belli socios a suis considerari, verum uti Cæsaris, cujus

a) Ephemerides Leopoldinæ ad diem XXV, Octobris sic habent: „ Cassovia, quæ hactenus in potentia Turcica spem suam collocaverat, Cæsari post aliquot dierum obsidionem redditur. „

A. C. 1685. jus iram merito reformitabant, ultores timeri. Sed jam miles nemine repugnante Daciam ingreſſus, hyberna occupavit. Inde Apaffius neceſſitate compulſus, quod pridem optaverat, liberius egit cum Leopoldo Cæſare, de aſſerenda ſua provincia adverſus Ottomanorum vim, ac fraudes.

Exeunte Decembri, Varadini, & Temeſiæ Præfecti capto conſilio noſtros in hybernis opprimendi; rigente quantumvis hyeme, Aradinum convenerant cum quatuor millibus pugnatorum. Dum cunctantur, & inutili conſultatione, quam ſtationem invadant, tempus terunt, Mercyus, & Heislerus iteratis, fidisque nunciis edocti, quid hoſtis moliatur, evocatis e ſtativis aliquot ſignis Germanorum, & Petnehazio cum tribus millibus Hungarorum, improviſi ad Aradinum conſiſtunt. Turcæ neceſſitate magis, quam ſponte in pugnam ruunt. Effuſa pilarum procella, Germani addenſato gradu frontem urgent; Hungari in latera invecti agmen perrumpunt, eoque in plures partes diſciſſo, ordinem aciei perturbant. Poſt acre certamen (nam dimachæ dimiſſis equis pedites pugnare ſunt juſſi) Turcæ alii ad defendendum Aradinum, alii alio fugam arripiunt. Fugientibus immiſti victores, in oppidum ſimul penetrant. Cæſis in fuga, & prælio nongentis, ac tercentum A) captis ad divitem prædam vertuntur. Præter tria tympana, undecim vexilla equitum, tria peditum, equos, arma, merces omnis generis, tantum pecuniæ in officinis repertum, ut ſinguli fere gregarii ducentis aureis nummis ditati fuerint. Sed non tam amiſſis ſpoliis, quam cædi ſuorum ingemuere Præfecti: quippe plerique cæſorum e limitaneis erant, quos frequentiora certamina magis exercitatos fecerunt. Deleto oppido in hyberna diſceſſum eſt.

Petnehazii milites, qui paulo ante ad Leopoldum Regem tranſierant, animoſius, ac validius Turcam aggreſſos, plurimumque ad victoriam contuliſſe animadverſum eſt, quaſi eo in certamine oſtenſuros, quantum irarum conceperint in perfidos ſocios, quantumque momenti Regiis accreverit acceſſione ſui. Et movit Magnum Leopoldum hæc tanta Petnehazianorum fides, & fortitudo, ut omnibus gregariis trium menſium ſtipendia perſolvi juſſerit: Petnehazio, fidi agminis Ductori, roſam mirandæ artis gemmis ornatam, & faſciculum plumarum, quales Hungari more ſuo pileis inſigunt, duorum millium imperialium pretio æſtimatum, dono miſerit, teſtatus: rem ſibi gratiſſimam fuiſſe, ac ſalutarem ipſi, ſociisque futuram, quod ſua voluntate ſpretis partibus, ſe ad legitimum Principem cum laude tranſtulerint, arma in juratum Chriſtiani nominis hoſtem arripuerint; nec ſibi per hos annos aliud magis fuiſſe cordi, quam ut Hungaros Regi ſuo, ac priſtinæ tranquillitati reſtituat, hoſtem omnibus provinciis exigat. Addidit homini ingentem gloriam Bonviſius, e Purpuratorum collegio ſummi Pontificis Nuncius, qui poſt victoriam Aradinenſem torquem aureum Vienna transmiſit. Clarior poſtea & conſtantia, & militia, Leopoldi Regis partes perpetuo propugnavit, quamvis Tököluis libertati redditus, eum aureo hamo retrahere conatus fuerit, ut non abs re, hunc virum eorum e numero fuiſſe cenſeas, QUI poſteaquam imprudentes, armorum licentia aberrarunt a recto tramite, ita procedente tempore in viam redeunt, ita errorem melioribus factis purgant, ut pene tanti fuerit eos nonnihil aberraſſe. B)

Domita in hunc modum ſuperiore Hungaria, permoleſta adhuc ſpina hærebat arx Munkacſia, quam Caprara blanda, ſeveraque manu evellere incaſſum adlaboravit. Arcem non ſitu ſolum, ſed etiam opere munitam, inſedit Princeps junior Helena Veronica Rakoczia c) Tökölii uxor, militaris undique animi Heroina, odio in Germanos, & contumacia in Regem marito ſuppar. Promptior tamen fœminæ, quam validiſſimæ arcis expugna-

A) Sic Deſcriptio Antiquæ, & Novæ Pannoniæ. In alio tamen loco ait mille cæſos, & trecentos captos. Hiſtoria Magni Leopoldi numerum cæſorum auget; ſcribit enim mille ducentos hoſtium interfectos. B) Petroczius tamen in priſtinos fluctus revolutus, Tökölio adhæſit, ut narraturus ſum ad annum 1691. quocum Tökölius a Turcis in vincula conjicitur. c) De hac Principe revolve ea, quæ ad annum 1680. dedi.

A. C. 1685.

pugnatio fore videbatur Capraræ. Ablegat ad eam Petnehazium familiariter notum, qui referat Tôkôlium captivum Conſtantinopolim abreptum, ſtratas conjuratorum partes, pleraque oppida in fidem Leopoldi accepta: tum hortetur, ut cum arce ſe, pupillumque ſuum A) Regiæ clementiæ dedat potius, quam imprudenti contumacia crimen, & veniæ difficultatem augeat. Surdis auribus hæc talia accepit. Igitur Caprara terrore armorum agendum ratus, aſſumptis ternis millibus legionariorum, pluribus ſubſequi juſſis, Munkacsinum infeſtus abit. Salutata officioſe fæmina, ac ad deditionem rurſum invitata, nihil pacati admiſit; datis B) ad Capraram literis, quarum ſententia fuſe, variaque animi affectione pertractata, hæc demum erat: C)

Virum meum, ac Dominum Conſtantinopolim avectum, carcere detineri, atrox, isque falſus rumor ſparſerat. Mihi probe cognitum, eum non honorifice modo ab Ottomanis haberi, ſed propediem, nihil imminuta dignitate, reverſurum; cui fidem juratam, dum vixero, nunquam infringam. Cæſaris multiplices victoriæ mihi, meisque pupillis, ſola innocentia morum, fideque in Regem armatis, admodum graves accidunt, quibus noſtri juris oppida D) *ſuccubuere. Supereſt arx Munkacsia hæreditate ad nos devoluta, afflictis unicum aſylum. Hæc viribus intactis niſi jugum excipiat, ferrum, ignem, extrema belli mala minitaris; cum tamen jure dominii, & naturæ, compellar ad eam defendendam pro Principe meo pupillo, cujus ætas armorum ignara, injuriis obnoxia. Niſi in horas hujus lacrymis admonerer matris officii, mallem in otio fortunis meis frui, quam his publicis, privatisque turbis jactari, quarum incertos exitus animus formidat. Neque in Cæſarem contumaciam alo, generi meo indecoram. Vim vi repello. Ottomanicam aulam pacem afflictim petere, haud negaverim. Spero, maritus meus mihi, meisque conſulet ante, quam illa rata habeatur. Cæterum ſpe firmiſſima nitor, Cæſarem pro ſua innata clementia minime admiſſurum, ut armis compulſa, pupillorum cauſam prodam. Non abnuo præcipuos partium Duces a viro meo defeciſſe, inſigni humanæ levitatis documento; redituros utique, ubi melioribus auſpiciis bellum reparaverit.* PLERIQUE *mortalium cum fortuna mutabilem fidem gerunt. Poſtremum maximi facio, mitem, ac moderatum animum tuum, quem mihi in hac rerum perturbatione polliceris. Vide, ne per armorum licentiam nomini tuo notam inuras. Tua plurimum intereſt, quantum in nos licuerit, ſi id potius clementia, quam ſævitia teſtatum feceris. Nec victorias Cæſaris, nec tuam gloriam augebis, imbelli fæmina, & pupillis in triumphum abreptis.* Sic Tôkôlia ferro ſuccincta, acres, E) quibus agitabatur, animi affectiones prodidit; tametſi ſtylum fæminea arte temperarit, quo Capraram ab arcis obſidione avertat.

Ille quoniam admonendo, terrendoque ſe nihil profeciſſe videt, non ultra laturus unius fæminæ contumaciam, eam uti perduellem, & hoſtem Regis, & patriæ, omnibus caſtris ſub tympanorum pulſu proſcribit: mox magno, fidentique animo oppugnationem aggreditur, ratus imperito cum hoſte ſibi rem futuram, atque arci, ceu procero corpori, imbellem animum ineſſe. Miſſilibus quidem ignibus arx rupi præcelſæ impoſita infeſtari potuit, non item tormentis, quorum pilæ maxima vi excuſſæ, nullo ſaxis illato vitio, inanes reciderunt. Non facultas, non vires obſeſſis deerant Tôkôlia hortante, atque propugnatoribus immiſta; ut adeo Caprara meliore ſucceſſu deſperato retractis copiis oppugnationem in obſidium mutarit.

A) Franciſcus Rakoczius is erat, eadem in arce deinde obſeſſus. B) Die octavo, & viceſimo Novemb. 1685. C) Extant hæ literæ Germanico idiomate T. II. Portæ Ottomanicæ. D) Enumerat arces Makoviczam, Regecziam, Patakinum &c. & poſtea Caſſoviam, quæ tamen per fraudem ante aliquot annos Regi erepta a Tôkôlio. E) Eleganter more ſuo Tragœdus paucis verſibus eas complexus eſt:

Flammata facies ſpiritum ex alto citat.
Proclamat: oculos uberi fletu rigat.
Renidet: omnis ſpecimen adfectus capit;
Hæret, minatur, æſtuat, queritur, gemit. Seneca in Med. Act. III,

A. C. 1685. tarit. Sic quoque obsidentium conatus incredibili pervicacia, invicta rupes tres omnino annos elusit, a) donec Tököliam argentum, militem fides deficeret. Leviori impendio Unguarinum in potestatem Regiorum venit, adnitente C. Stephano Kohario, qui ergastuli incommodis diu vexatus, inconcussa fide, hortatus est Franciscum Galambosium, oppido præfectum, ut transfugii scelus pœnitentia redimat, ac Principis indignationi tradita urbe antevertat. Non profuturam contumaciam, ubi machinis munimenta labefactata fuerint. Is etsi filium obsidem, & non modicas opes in arce munkacsia haberet, Koharii tamen authoritate motus, ac copiarum adventu perculsus, se, urbemque cum præsidiario dedidit. Irata enimvero Tökölia, hominis levitate locum non immunitum sibi ereptum, continuo Galambosii supellectilem, atque pecuniam militibus diripiendam concessit, filio admodum adolescente in carcerem detruso, egregium facinus patris, multa calamitate illustraturo. Hæc in Hungaria gesta.

In illyrico hac æstate paucis legionibus multa secundis armis tentata sunt. Herbersteinius, Carolostadii Gubernator, rogatu Venetorum, in provincias Dalmatiæ finitimas, excursionem suscepit decima sexta Julii, quo Ottomanos maritima oppida, quæ Valierius Venetæ militiæ Ductor terra, & mari invasit, defendentes distraheret. Cum ter mille equitibus, & modico peditatu Likam, ac Corbaviam populabundus percurrit. Arcem Wuniczam prædonum receptaculum, deditione captam, e fundamentis eruit, præsidio Turcarum Bihacsium ducto. Uduinam progressus longe, lateque incendia spargens multo majore, quam pro numero copiarum, regionem fuga agrestium complevit. Turcæ populatoriam manum suo agro depulsuri, non segnes coiverunt armati. Herbersteinius non ausus in vasta, desertaque regione morari, militem spoliis onustum reduxit.

Per eosdem fere dies Leslæus, cui Illyricum commissum est, ab aula mandatum accepit, ut contractis celeriter copiis Eszekinum contendat, atque pontem illum famigeratum aut corrumpat, aut Turcarum suppetias in Hungariam festinantes retardet. Igitur delectis in hanc expeditionem quatuor circiter Germanorum, trium Croatarum millibus, relictis Turanovizæ gravioribus impedimentis, ac Verovitizia valido præsidio communita, itinere ob solis ardores, fontiumque penuriam difficillimo, ad Muslaronam, ignobilem vicum, decima Augusti pervenit. Casparo Balogho cum leviori equitatu suæ nationis præmisso, ad explorandam regionem, ac occupandos amnium pontes, Michaloviziæ arcis præsidiarii adventu Croatarum perterriti, se cum omnibus fortunis captivos tradiderunt. Leslæus, ne suorum paucitas hosti proderetur, omni velitatione ex composito abstinuit. Æstus tamen pugnandi aliquot Volones in vicinos Turcas abripuit, quos prima incursione, in arcem ad Crasnizæ fluvium sitam repulerunt.

Eam, quod gemina fossa, muroque instructa expugnatu difficilis appareret, nec adessent machinæ, prætergressi nostri, ita aciem extenderunt jussu Leslæi, ut hostis maximum exercitum se videre existimaret. Ad Eszekinum metati, papilionibus late defixis, factis crebrioribus ignibus, nocte inter fremitus militares acta, speciem copiarum auxerunt. Adjuvit calliditatem Ducis, legionum suarum numerum hoc modo ementientis rumor diditus, Christianorum exercitum prope triginta millia armatorum esse. Turcarum castra in propinquo erant. Decima tertia Augusti, eductis copiis in patentem campum, ad pugnam se primi comparaverunt hostes. Equitatu ita texerant peditum aciem, ut a nostris ne conspici quidem posset. Leslæus non detrectato certamine paucis cohortatus suos, edicit: primum impetum firmo gradu excipiant; nemo in hostem procurrat; telis utantur, dum e tribus colubrinis signum acceperint. Turma Spahiorum in primos ordines invecta, Croatas prælii avidos in subitam pugnam protraxit. Germani accepto signo promovent gradum, & emissa in equites densa pilarum tempestate, continuo hostilem aciem retrocedere cogunt. Tum Croatarum

a) Arx Munkacsia deditione accepta est anno 1688. decima septima Januarii.

rum equitatus in aperta latera impetum jussus facere, pudore magis, quam spe victoriae dimicantes in fugam conjicit. Spahii Belgradum, pedites Eszekini munimentum petierunt. Sexcenti hostium in pugna, & fuga interempti; nostrorum triginta gregarii cum duobus Centurionibus Comite Lodronio, & Justino desiderati sunt. a) Oppidum mercatura celebre (quingentae tabernae Asiaticis mercibus opulentae numerabantur) a milite per otium expilatum est. E domibus annonariis vis ingens frumenti, orizae, avecta in Croatiam. Incessit cupido victores ipsum munimentum, quo se armati receperant, invadendi, non ignari nobiliora spolia tutiore loco deposita. Sed nec murales machinae ad manum erant, & Leslaeus, cautus potius, quam timidus Dux, magnopere cavebat, ne in hostico diutius moratus, manifestata per transfugas, aut rusticos auro emptos, suorum paucitate, eatenus feliciter gesta corrumpat.

A. C. 1685.

Ergo ad perdendum pontem, dignum Solymani II. magnitudine opus, conversus, distributo inter milites multo sulphure, pice, aliaque materia flammis obnoxia, ac designatis Praefectis, qui moderarentur milites, mille, & centum passuum spatio molem illam lignorum, exsiccata praeter morem palude, funditus exussit. Tredecim molendina eadem vis flammae perdidit. Longe major strages secuta fuisset pontis, si in ulteriora transportari potuissent milites. Navigia hostes cum grege faeminarum, puerorumque jam pridie subduxerant. Hoc incendio clarus Leslaeus exercitum spoliis gravem reduxit. Non multo post restituit pontem Seraskerius, ut nuper memini, cum castellis, & turribus; tritamque illam viam tot equitum, peditumque legionibus, jam inde ab imperio Solymani, rursum patefecit. Eodem mense, eadem plane fortuna Nicolaus e Comitibus Erdődi, Dalmatiae, Sclavoniae, Croatiae Banus, cum quatuor millibus Croatarum, mille quingentis Germanis Dubiczam oppressit. Jacet hoc oppidum ad Unnam fluvium arce firmi operis ornatum. Adjuvit Ducis industriam & militum ardor, & fluvius, qui alias oppidi munimen, tunc adeo pertenui defluebat alveo, ut vado transiri posset, aditumque facile daret. Pauci in oppido armati occurrunt, quibus ab equitatu obtritis, caeteri in arcem cum inermi plebe concedunt, neque ausi res suas ferro tueri, domos suas diripi otiosa fronte ex alto conspiciunt. Abactis trans fluvium pecoribus, ac in tutum locata omnis generis supellectili, saevitum est igne in tecta: quo malo correpta arx ingentem trepidationem barbaris injecit. Eo in tempore oppresso, suarum aedium fumo stimulati, in ultionem exardescunt, & conclamatis propere armis abeuntium vestigiis haerent, existimantes Croatas promptiores fuisse ad spolia legenda, quam ad pugnam futuros. E finitimis locis, opportunum auxilium, sexcenti Turcarum advenere. Numero, & animis aucti, composito agmine non itineri magis apto, quam praelio, si res ita ferret, victores strenue insequuntur. Non fefellit Ducem, hostium adventus. Conjectis illico spoliis in cumulum, Turcas ordinata acie excipit. Nec sustinuerunt Croatarum impetum fessi, momentoque fusi totum illud spatium, quod modo emensi sunt, remetiri debuerunt. Ad Unnam, quo multitudo omnis consternata agebatur, plurima caedes peracta. Compertum est postea, hanc victoriam non nisi viginti gregariorum sanguine emptam, cum tamen hostium facile mille sint caesi, amissis septem signis.

Mense Novembri b) alteram expeditionem suscepit Erdődius majoribus copiis, spe nempe praedarum associantibus se Carolostadiensibus binis millibus, & ter centum. Visum est arcem Krupam, jam ab anno millesimo quingentesimo vicesimo quarto, jugo Ottomanico pressam, veteri libertati reddere. Fluvius Unna, qui nuper facilis ad victoriam, nunc insolita altitudine superfusus ripis, ceu hostium animos indutus, victoribus obstitit, ac imminentem Krupensium cervicibus tempestatem avertit. Sic intercluso transitu, cis Unnam jacentes agri, ferro, & flamma vastati sunt,

Billa-

a) Descriptio Antiquae, & Novae Pannoniae postremos hos in assultu Essekinensis castelli cecidisse memorat pag. 735. b) Undecima die.

A. C. 1685. Billaſtena, frequens oppidum, & caſtello ferox vim parabat. Præſidiarii oppido egreſſi, collem vicinum armati inſederant. Quadringenti Germani, totidem Croatæ in collem conniſi, poſt leve certamen eos in caſtellum compellunt. Direpto, exuſtoque oppido caſtellum impugnari eſt cœptum. Nec victoriam diſtulit. Poſtero die vix dum clara luce, juſſi edere ſua nomina apud Centuriones, qui in muros aſſilire vellent, duo millia aſſilientium poſt aliquantum ſe ſiſtunt. Curatis corporibus, Croatæ frameis armati ſine ſcalarum adminiculo partem humiliorem muri, mox duo propugnacula capiunt. Facta etenim teſtudine A) cum per nuda ſociorum dorſa ſuperſtantes ſubiiſſent, propugnatoribus muri faſtigio altitudinis æquabantur, conſertaque per murum pugna, ac dejectis iis, victores caſtellum obtinuerunt. Hanc victoriam altera excepit.

Tormentorum ſtrepitu exciti Unnæ accolæ, ut erant ad ſubitas irruptiones præparatis animis, ſerum auxilium Billaſtenanis advenerunt. Croatæ rerum ſucceſſu læti, ultro occurrunt hoſti, qui cognito caſtelli caſu, de ſua magis, quam aliorum ſalute ſolicitus, receptum anxie circumſpicit. Velitando extracto die, concubia nocte in ſua mapalia ſe ſubduxit, amiſſis quaternis Agis, & multis gregariis. Hac manu diſpulſa, cum nemo victoribus obſiſteret, omnem illam regionem late depopulati ſunt, incendio hauſtis plurimis vicis. Tandem tertio, & vigeſimo Decembris multiplici præda potiti, Caroloſtadium redierunt. Hac, atque aliis, quas ſecundo Marte confecit, expeditionibus, ingentem nominis exiſtimationem collegit Erdődius (id quod ei ſpoliorum loco erat) viris Principibus rei Chriſtianæ opportunas victorias maximo plauſu celebrantibus. Ipſe Innocentius XI. belli perſequendi hortator indefeſſus, bellicam ejus fortitudinem, invictumque animi robur literis commendavit, precatus ad extremum, ut hoſtibus religionis, pari & conſtantia, & felicitate incommodet. Nec Herberſteinius diu quieti indulſit. Sub autumnum rurſus in hoſticum excurſione facta, B) Grebenam, Likæ provinciæ oppidum, corona cinxit. Externis munimentis in poteſtatem redactis, verſis in arcem viribus, quo confugerant Ottomani, vitam potius, quam arcem deſerturi, acrem illam quidem, ſed irritam oppugnationem cœpit; donec comportatis ramalium faſcibus, ac copioſo ſtramine circum muros projecto, admotoque igne tecta arcis incenderentur. Hoc malo circumventi præſidiarii deditionem offerebant. Sed rejecta omni conditione a victore, iratoque milite, quod irrumpentium aliquot cæſi, permulti vulnerati fuerint in pertinaci quatuor horarum certamine, tantam ſtragem edidit in arce, ut nullo diſcrimine ætatis, aut ſexus, in omnes æque rabiem effuderit, torrentis inſtar, diu coercitus, ſubmotusque miles. Propugnatorum plerique in acie cæſi, aut e mænibus præcipites acti. Nec melior conditio fœminarum, ac puerorum, qui vires ſumente incendio, funibus per muros dimiſſi. Nam omnes ab equitatu Croatarum capti, paſſim occiſi ſunt, pauci ſervitute necem evaſerunt. Prædam omnem flamma abſumpſit.

Inde Præfectus Herberſteinius, Budacum, caput regionis, infeſtus petit. Oppidani cognito Chriſtianorum adventu, ipſi ſuos agros ſæva populatione hauriunt, vicina ædificia evertunt, tecta urbis, ne hoſtis exurat, demoliuntur, omnia ad ferendam oppugnationem comparant. Magni operis futura videbatur obſidio muniti loci. Herberſteinius tamen fortuita belli æſtimans, ſperabat præſidiarios ad deditionem celerem ignibus poſſe adigi. Jubet propterea pilis ignivomis diu, noctuque infeſtari urbem. Sed facile reſtinctis, ſi quæ oriebantur, incendiis, creverunt obſeſſis animi; maxime poſtquam viderunt, auxiliares copias e propinquis præſidiis adventare. Erant quingenti equites, ter centum pedites. In hos propere immiſſi cum ſex centuriis equitum Gallius, & Vainovicſius, nobiles, ſtrenuique Tribuni, bipar-

A) Hoc genus pugnandi admodum uſitatum apud Romanos, a ludicro circenſi ludo ad belli uſum eſt verſum, cujus deſcriptionem reperies apud T. Livium Patav. Lib. XLIV. qui refert, Heracleam urbem facta teſtudine a Romanis occupatam. B) Menſe Septembri die quarta decima.

bipartito impressione tentata, tanta vi equestres primum turmas impetierunt, dispersseruntque; mox in succedentes strenue quidem pedites, at equitatu destitutos, incubuerunt, ut unius horæ spatio non minus celerem, quam illustrem victoriam reportarint, cæsis hostibus ducentis, octoginta, pluribus in fuga captis, relatis sex insuper signis cum locuplete præda. Sed non ideo oppidani ferociam posuere, suarum virium, ac munitionum gnari. Igitur, ne autumni melior pars in obsidione unius urbis laberetur, quam etsi caperent, tamen quod longe dissita Carolostadio, adversus hostium vim tueri non possent, placuit obsidionem deserere, & divisis in plura agmina copiis, apertam regionem populari. Multa ergo oppida paucos intra dies urebantur, magnæque prædæ actæ, præcipue a levioris armaturæ equitatu, qui percursata provincia prope Likam amnem, fertilissimum tractum in solitudinem, squaloremque vertit; colonis partim contrucidatis, partim in servitutem abductis. Adjunxere se multæ familiæ Valachorum, A) pertæsæ barbarorum jugum, novas sedes in Leopoldi Cæsaris ditionibus quæsituræ. Exeunte Septembri Carolostadium reversus, omnem prædam in milites ex æquo divisit. Hoc modo in Illyrico triplici exercitu Turcarum vires impetitæ, distractæque fuerunt, ac Venetis opportunitas oblata, oppida Dalmatiæ mari proxima securius oppugnandi.

A. C. 1685.

Rebus Ottomanorum male procedentibus militiæ, domi in dies singulos tristiora oboriebantur, veluti Imperio, sua magnitudine laboranti, ultima pernicies instaret. Et erat hic annus, si quis alius, multiplici clade, ac periculo insignis, fame, pestilentia, seditionibus. Namque annona ex Ægypti horreis ad exercitus, & præsidia, quibus obsidium timebatur, deportata; eaque aut ab hoste occupata, aut incendio corrupta, rursum omnibus provinciis Quæstorum opera frumentum corrasum, in exteras regiones, ubi miles agebat, evectum est. Nec coloni eam operam, ut alias, agrorum cultui impenderunt, quod anno alioquin adverso segetibus, a Præfectis provinciarum, maxime in Asia, ad militiam amplectendam compellerentur. Unde desertis agris, toto Imperio ingens cum summa caritate frumenti penuria, & insolitæ famis quotidiano malo crebriores tumultus. Famem pestilentia secuta est. Tanta vis hujus mali fuerat, ut & Asiæ, & Europæ frequentissimas urbes pervagata, multa mortalium millia neci dederit. Ex quo in dies delectus fiebant difficiliores. Has publicas calamitates auxit oborta seditio in minori Asia. Occisi Kara-Mustaphæ Vezirii cognatus, homo opulentus, & rerum novarum avidus, in ea extrema penuria largitiones frumenti facere instituit, & egentissimum quemque hoc opportuno munere suas in partes attraxit, per speciem vindicandæ necis. Jam quatuor millium Ductor, ex Asia in Europam transire ausus, Byzantinum agrum, & Thraciæ vicos infesto agmine percursat, non secus ac atrocissimus hostis Ottomanici nominis, suam ipse patriam inter mutuas cædes pertinaciter urit. Hos funebres ludos portento humani generis apparavit. Turbarum authore oppresso, omnis multitudo in sua mapalia dilapsa est; haud tamen ideo Respublica e decumanis fluctibus erepta, etsi Mahometes cum impigris ministris omnes curas ad Imperii salutem converteret, crebris consultationibus Purpuratos, præcipua aulæ instrumenta, fatigaret.

Ante omnia in sanctiore consilio decretum, Solymanum e limitibus Poloniæ Adrianopolim B) citatis equis accersendum, quo cum bonam fortunam sibi reversuram sperabant. Erat is cum exercitu Joanni Regi, deinde Stanislao Jablonovio, & Andreæ Potoczio; C) summis copiarum Ducibus, oppositus, & quoniam non infeliciter rem gesserat, dum alii Ductores fœdas suorum clades, aut perditas urbes domum nunciarent, unus o-

A) Sic Porta Ottomanica eos appellat. Non videntur diversi isti a Morlachis, de quibus egi ad annum 1648. pag. 28. B) His annis Mahometes IV. Adrianopolim incoluit, Byzantinorum civium tumultus reformidans; more videlicet aliorum Imperatorum, quos legimus non raro Byzantio excessisse, populo in turbas exæstuante. C) Anno 1684. adversus Regem exercitum duxit; sed præsenti anno Jablonovio, & Potoczio oppositus. Lengnichium hic sequor, qui in Polonicis vocabulis studiose resecat postremam syllabam.

A. C. 1685

omnium habebatur, qui Rempublicam, tot malis circumventam, pristinæ felicitati restituere possit. Et instruxerat hominem benignior natura egregiis animi, corporisque dotibus, quas disciplina Achmetis Junioris Kiuperlis Vezirii, cujus obsequiis semet addixit, illustriores effecit; tum aula Mahometis, in quam juniore Kiuperle vita functo translatus, Imperatorii stabuli præfecturam obtinuit, A) plane perfecit. Ingenium ei promptum, ac præsens, interque deliberandum, aut agendum multiplicis consilii ferax. Urbanas, militaresque res pariter callebat. Animus nec importunus honoribus aucupandis, nec impar oblatis. Imo diligenter cavit, ut ne nobiliore præfectura auctus, in flore ætatis, fortunæque, potentiorum invidia opprimeretur; non ignarus, QUO quis altius in aula evehitur, eo plurium telis patere, tandemque confici. Ex quo fiebat, ut & Kara-Mustaphæ crudelitatem effugeret, & Purpuratorum gratiæ compos, specie modestiæ potentiam sibi in aula firmaret, & paulatim ad dominatum viam sterneret.

Ex aula in campum proficisci jussus, plurimum obfuit Polonorum successibus. Nam neque Rex, neque altero anno præstantissimi Duces Solymano pares fuere. Cladem non accepisse ea tempestate, maximæ instar victoriæ fuit apud Ottomanos. Unde Adrianopoli, ut est perlata fama geminæ expeditionis, dein literis non magis Solymani, quam vulgo militum affirmata, incredibili plausu Imperatorias viri laudes celebrare, pro se quisque Solymanum laudibus ad cœlum ferre. Sed Janicsari, qui ex Hungaria victi redierant, multo effusiore virtutum commemoratione ornarunt Ducem, quo nempe Seraskerius ex comparatione Solymani magis vapularet, & suam in prælio socordiam Ducis vituperatione apud cives obtegerent: FAMILIARI militum vitio, qui suum dedecus in Ductores amoliuntur.

Adrianopolim reversus, velut tutelaris quidam genius Imperii, a summis, imisque omni honore percolitur. Caimacanis muneri admotus, paucis post diebus omnium ordinum gratulatione Vezirius appellatur. Kara Ibrahimus reddito Imperii sigillo, omnibus fortunis eversus, in Rhodum insulam pellitur, breve admodum exilium habiturus: immissis enim percussoribus a Solymano, trucidatus est; B) Imperatore probante magis, quam jubente factum. Tanti viri casus apud Turcas admirationem concivit nullam, quod constaret omnibus, Vezirios raro suo fato fungi, etsi res quam bellissime procedant. Urbs tamen sermonibus implebatur. Existimatum aliis, mite hominis ingenium displicuisse Imperatori; aliis persuasum, rapacitate Purpuratorum ingentibus divitiis inhiantium præcipitem actum; simillimum vero est: a Solymano quemadmodum vita, ita quoque magistratu exutum.

Novo Vezirio in aula dominante, respirare videbatur Imperium. Primas curas eo convertit, ut Polonum a communi fœdere abstrahat: validior utique futurus adversus Cæsarem, & Venetum, si e Poloniæ finibus suum exercitum, cujus vires prope intactæ erant, in Hungariam, & Dalmatiam deportare posset. Hunc in finem suaserat Mahometi: dirueret Camenecum, perpetuum belli fomitem, & ruina unius urbis placaret Polonum. Sed Imperator seu desperaret hac offa deliniendum Regem, seu puderet a non victore pacem ultro postulare, seu denique nihil magnopere a Polonia metueret, aures occlusas habuit, jussitque Solymanum, omissa in præsens spe pacis cum Polono, bello, & armis Rempublicam attollere, sibi cætera curæ fore. Ille perspecta Principis mente, & de se Judicio lætus, summa celeritate multa feliciter exorsus est, & si par exitus principio fuisset, quidquid aliorum imprudentia amissum, hujus dexteritate recuperatum foret. Verum suprema illa regnorum arbitra mens, consiliis obstitit, & intentatas Christianæ Reipubl. clades in authores reflexit.

Primis

A) Kara-Mustaphas, qui Viennam oppugnavit anno 1683. hunc Solymanum præfecturæ stabuli Imperatorii admovit. Vide Portam Ottomanicam pag. 179. ad annum 1676. B) Hujus & alterius Ibrahimi cognomine Saitanis necem, uti & res gestas confundunt quidam Historicorum, non sine ingenti perturbatione Chronologiæ, quæ tamen anima Historiæ.

Primis statim diebus annonæ caritatem laxavit, præsenti ære coemto frumento a Navarchis Gallis, Anglis, & Hollandis, qui lucris intenti non levem copiam portubus invexerunt, eoque Byzantii, Adrianopoli in miseros distributo, dici haud potest, quantopere sibi vulgi animos devinxerit. Sed nihil æque fatigabat, quam pecuniarum conquisitio; eas esse belli nervos A) dictitans Solymanus, non Jus, aut verum in cognitionibus, sed solam magnitudinem opum spectabat. Plebem exhaustam irritare non ausus, potentiorum fortunis insidiabatur. Passim iniquissimæ delationes, & locupletissimus quisque in prædam correptus. Divitiæ crimen erant. Quatuor, & Quadraginta opulentioribus Præfectis supplicio affectis, inopiam æris utcunque levavit. Propriis quoque opibus (si fides Hannio quinquaginta millium aureorum) bellum juvit, largitus privatim, quod avidius cum fœnore de Republica sumeret. B) Tum e thesauro Imperatoris maximam vim argenti non signati forma, sed rudi pondere gemmas, munera miræ elegantiæ, quæ longa ætate avari Principes cumulaverant liberis, posterisque, egessit. Argentum signari, gemmas, cæterasque gazas sub hasta divendi jussit. Domestici emptores rari confluxerunt, metu, ut arbitror, ne pecuniam simul, & vitam in illo sanguinario foro amittant. Denique sumptuum inutilibus recisis; de peculatu habitis quæstionibus, ærarii cura sanctior, ut inposterum foret, sua severitate præstitit.

A. C. 1685.

Inter hæc Ibrahimus Saitanes, quem nuper Leslæus exusserat, ponte instaurato, Belgradi constitit, obtentu militiæ ordinandæ; reipsa primos congressus Vezirii, & Adrianopolim multorum Nobilium cruore fœdatam reformidans. Neque leves causæ timoris suberant. Deflorescente gratia, potentiaque apud Mahometem, vilior in dies fiebat Saitanes; nec sperare poterat Solymani benevolentiam, quocum ipsi pervetus, sed occulta erat in aula æmulatio; & delata ante biennium armorum administratione in Hungaria, supra modum privati elatus, æmulationi contemptum adjecit. Præter hæc: adversa fortuna, quam toties expertus est, angebat hominem, non nescium suo capite sinistram belli aleam expiandam. Sic Mustaphas, Ibrahimos, aliosque armorum Præfectos, inter ignea tormenta tutos, domi occubuisse. Scilicet exedendum est copiarum Ductori apud Turcas, quod Mars universæ genti adversus, intrivit. Cæterum Tökölii captivitas, cujus præcipuus author ferebatur, dubio gradu adhucdum stantem impulit, & fatum infelici maturavit.

Hanc machinam non lente admovit Solymanus. Non cessabat in Senatu Seraskerii imprudens factum tetris coloribus expingere: illius temeritate Tökölium e medio armorum apparatu in carcerem abreptum, quo Cæsarei latius explicarent victorias, superiorem Hungariam sibi assererent, iter apertum in Daciam haberent. Partium Duce ex arena subducto, Tökölianos Seraskerii dolo peroffensos, cum Cæsareis iras suas, & vires sociasse; ex armorum sociis acerbissimos Ottomanorum hostes jam factos; gentem pene omnem a Turcica societate aversam, absente tumultuum, turbarumque concitatore, Principi suo reconciliatam. Inde tantum roboris, tantum virium decessisse Ottomanico Imperio, ut dextrum brachium rescissum videatur. Addidit: e re facturum Imperatorem, si ad deliniendos Tökölianos, Ducem factionis pristinæ & libertati, & honori restitutum, ac copiis, pecunia adjutum ad serendas turbas quamprimum remittat; Seraskerium vero malorum omnium authorem, fortunis, & capite plecti jubeat. Sperare se unius libertate, alterius supplicio maximam rerum conversionem in Hungaria fore.

Hujusmodi sermonibus credulas Mahometis aures implevit, facileque pertractis in suam sententiam Purpuratis, utrumque evicit. Seraskerius

A) Dictum Lucinii Muciani, viri secundis, adversisque juxta famosi, apud C. Cornelium Tacitum Lib. II. Histor. pag. 433. dum T. Flavio Vespasiano belli civilis est author. B) A Solymano Vezirio in usus publicos pecuniam datam, Porta Ottomanica tradit, at summam tacet.

A. C. 1685. rius domi suæ repente oppressus A) sine tumultu jugulatur, omni pecunia in fiscum redacta. Nemo viri necem deflevit, quod Reipublicæ damnosus, & societatibus infidus, majore animo, & confidentia, quam viribus, peritiaque arma tractarit. At Tôkôlio, qui pacem suo capite sanciendam timebat, libertas, & Principis insignia Mahometis nomine redduntur. Somnio simillima hæc talia videbantur lictorem in horas opperienti. Postquam vinculis solutus, a præcipuis militum Præfectis Regium in modum acceptus est, ac turba famulorum circumdatus, sensit rem agi extra scenam. Vezirius, ut opportunissimum turbandæ Hungariæ instrumentum, Turciæ arctius devinciret, nihil humanitatis, nihil blandimentorum neglexit. Quidquid peccatum in ejus existimationem, id callide in Seraskerii imprudentiam, pessimasque artes conjecit. Etsi quantum fidei habendum Vezirio non ignorabat Tôkôlius, Turcicarum fraudum callentissimus, tamen, ne, si injuriam agnosceret, aut liberius quereretur actum fuisse secum contra, quam cum fœderato, & nomini Ottomanico addictissimo agi deceat, suspensos Turcarum animos a se averteret, eorumque gratia, & ope destitutus arcem Munkacsiam cum conjuge, & spem seu Regni, seu Principatus amitteret, forti stamacho concoxisse videri voluit (ut PLERUMQUE dissimulantur offensæ, quando graviori, quod timetur, malo obviandum est) quidquid dedecoris illatum. Et revera concoxit: neque enim deinceps vecordissimus mortalium, dum maxime potuit, alienam perfidiam est ultus; quin imo post vincula multo blandior in sævientes Turcas, in Regios, & populares suos, ferocior evasit; veluti grande beneficium acceperit, quod in sordidum vehiculum impositus, latronis instar vinctus, inter ludibria illudentis populi Belgradum deportatus fuerit. ITA animus cupiditatibus suis captus, nec adversis resipiscit; & quanto magis admoto obice retardatur, tanto vehementius eo convulso, per fas, & nefas in illas fertur.

Sic comparatus Tôkôlius, quo celerius superiorem Hungariam convelleret, ad legendum militem a Solymano pecunia, armis instruitur: mille equites, totidem pedites præsidii causa accipit; promissis ingentibus oneratur, ut sine mora expeditioni initium faciat. Addidit stimulos festinandi Varadinensis Præfectus, missis Belgradum B) nunciis, monuitque, ne cunctando suam fortunam corrumpat: celeritatem ipsis utilem, hosti noxiam futuram. Eadem significavit Bassa, Gyulæ C) Gubernator, & ut ad se quamprimum inviseret, hortatus est. Igitur in pristinos fluctus revolvendus, cum aliquot signis Turcarum Temesiam primum, dein Gyulam profectus ad Achmetem D) armorum Præfectum per Hungariam, ubique festo gratulantium murmure accipitur. Collatis, quæ per otium coxerant, consiliis de totius expeditionis modulo, paucis post diebus Varadinum intrat. Hic spe instaurandæ veteris fortunæ contumax substitit diutius; ac sparsis per provincias, quas hac æstate amiserat, sexto, & vicesimo Januarii insequentis anni literis, Nobiles perinde, ac plebem commonefecit: *se non libertatem modo cum Principis dignitate a magno Imperatore Ottomanorum obtinuisse, sed novum quoque ærarium, militem, arma sane quam liberaliter impetrasse ad vindicandam avitam libertatem Hungarorum. Eum in finem se maturasse reditum in patriam, & jam bonis avibus Varadinum venisse. Mitterent igitur primo quoque tempore e singulis urbibus, præsidiis, oppidis viros, quibus præclara sua consilia de patriæ felicitate, ejusque provehendis commodis pandat.* Petnehazium, Petroczium, aliosque veteres amicos suos, sigillatim literis admonuit: *ne communem patriæ causam sua levitate damnent, dumque alii prompto animorum obsequio, indictis veluti comitiis Varadinum convolant, ne ipsi consilia a vindicibus libertatis Hungaricæ separent; & ingentium commodorum, quæ Byzantina aula pollicetur, expertes*

A) Porta Ottomanica pag. 321. B) Ex literis ipsius Tôkôlii, quas complures legi. C) Arx Gyula in provincia Aradinensi quinque fere milliaribus Varadino distans. Clari olim nominis, multisque pugnis decertatum munimentum, ac variis obsidionibus nobile. D) In Tôkôlii literis, & Porta Ottomanica lego, hunc Achmetem fuisse Seraskerium, sive armorum Præfectum, per Hungariam tempore hyberno.

tes fiant, atque adeo a patrocinio potentissimi Imperatoris exclusi, Germanorum ambitioni expositi, atque impares, ignava patientia multam injuriam devorare cogantur. Si fortibus consiliis animum præbuerint, brevi superiorem Hungariam compedes posituram. Hæc, aliaque ad labefactandam eorum fidem Tökölius. A. C. 1685.

Solymanus Vezirius, acerrimo belli concitatore in Hungariam præmisso, curas omnes, cogitationesque, uti rei magnitudo postulavit, ad accelerandos reliquos apparatus impiger vertit. Sensit sagacissimus barbarorum statim in aditu præfecturæ, Transylvaniæ Principem dubia fide erga Portam Ottomanicam esse: id quod crebriores nuncii Viennam, quam Byzantium e Dacia missi, tum Cæsareorum in Transylvanicis stativis pacata commoratio, nihil populo, nihil Principe in novos hospites movente, confirmarunt. De fœdere item Polonorum cum Moscho callide conjecit. Hæc duo quantum fiduciæ Christianorum animis, tantum solicitudinis Vezirio addidere, reputanti hoc fatali bello sexcenta facile Turcarum millia A) terra, & mari variis casibus interiisse, robora exercitus cæsa, superstites languere, & ab exitiali bello horrere; & tamen graviorem operis molem Turciæ nasci, novos, recentesque hostes a Transylvania, a Moschovia ad evertendum Imperium parari, atque adeo magnas vires Confœderatis Christianis ex integro accedere, Ottomanis adimi. Unde & ipse multo intentiorem, quam alii Vezirii, faciundis delectibus operam dedit. Tartariæ Regulum per literas, nunciosque urget, ut gentem suam in arma conciat. Partem alteram armatorum suo ductu, auspiciisque in Hungariam infundat; alteram filio committat ad Poloniæ fines evastandos. Eidem præcipit: e Cosaccis quina millia equitum scribenda curet, quos in armis habeat paratos, seu in Polonos, seu Moschos opportune immittendos. Africana auxilia, momentum ingens ad maritimum bellum, festinatis nunciis anxie solicitat. Ex omni Asia, Ægypto copiæ, quas propinquæ pacis fiducia domum remiserat Seraskerius, duplici stipendio promisso evocantur: detrectantibus militiam irrogata supplicia. Nova classe in Moschos extructa, socios navales undique accersit. Mufftium hortatur, ut cum grege Sacerdotum veniam irarum cœlestium exposcat, populum more veteri ad placandum Mahometem, ad bellum religionis prosequendum extimulet. Apaffium per Chaulium orat magis, quam monet, ut ne præcipiti adeo consilio a veteribus sociis discedat. Si quid injuriarum illatum Daciæ, arbitratu Principis se satisfacturum esse. Si non milite, non stipendio, non frumento Cæsareos juverit; si neutrius partis pacatus egerit, non tributi modo partem remissurum, sed & amplissimas possessiones a Præfectis Varadini, Lippæ, Gyulæ quocunque jure occupatas, è vestigio Transylvanis cessurum. In Moschoviam quoque adversus Polonos opportunam, solertissimus homo curas porrexit. Ea ut in neutras pelliceretur partes, maximæ pro more pollicitationes plenis modiis sunt admensæ. Nihilo segnius in Gallia attrahenda elaboratum fuit. Oravit Ludovicum majorem in modum Mahometes, ut obsessæ prope Constantinopoli opem in tempore ferat. Aggrederetur a tergo Germaniam, & Imperii Principes, Cæsarem ad sua tuenda retrahat. Sed hæc machinationum fila nullo successu producta erant. Itaque Ottomano, aucto in immensum hostium numero, suis duntaxat viribus, socio Tökölio, pugnandum fuit: quo vero successu? jam nunc evolvam.

Primus Tökölius, obsessæ Munkacsiæ propinquum excidium instare, nec ex vano auguratus, initio anni MDCLXXXVI. Cæsareorum arma provocavit, deinde hostilia occepit; majore tamen tumultu, quam vi, fortunaque. Tumultuario coacto exercitu e Turcis, & Tartaris, justi Ducis speciem nactus, teterrima hyeme Varadino e stativis movet. B) Ultra Samusium amnem profectus, præsens Munkacsiæ periculum depulsurus, sensit 1686.

A) Author Descriptionis Antiquæ, & Novæ Pannoniæ pag. 776. hunc numerum ponit; usus haud liberali calculo. B) Descriptio laudata in exitu mensis Februarii ait Tökölium hostilia movisse pag. 760.

A. C. 1686. sit se, suaque consilia detecta. Namque inter Caraffam, Mercyum, & Heislerum, intellecta Tökölii libertate, convenerat, ut isti ad oram Tibisci militem collectum teneant, atque ad primos hostium motus opprimendos accurrant: ipse partem suarum copiarum e Dacicis hybernis educat. Et Mercyus quidem cum Heislero in omnem occasionem pervigil, exeunte Januario primos barbarorum conatus infregit. Res in hunc modum evenit: Achmetes, armorum per Hungariam Præfectus, multam annonam comparaverat Budam vehendam. Hoc autem subsidium, quoniam non sine hostium occursu processurum facile intelligebat, ipse cum valida manu armatorum carros deducendos suscepit, mox ad Tökölium rediturus. Haud procul Szegedino aberat, cum a Mercyo, Heislero, Petnehazio invaditur. Tartari ad conspectum Cæsareorum fuga sibi consulunt. Janicsari inter pugnæ, fugæque consilium passim cæduntur. Szegedinum pluribus saluti fuit. Præter quina minoris formæ tormenta bina tympana, papiliones, carri, grex pecorum victoribus cesserunt. A) Tökölium huic prælio non interfuisse verosimillimum est, etsi id Historia Magni Leopoldi asserat. Neque enim arx Munkacsia ad Szegedinum quærenda: & omne iter relegendum erat, quod paulo ante, metu amittendæ conjugis, liberorumque anxius, strenue confecit.

Et jam, ut memini, ultra Samusium profectus, non modicam spem præsidiariis fecerat solvendæ obsidionis, admonita prius conjuge, ut præsenti animo incommoda tantisper perferat, ac memor qua stirpe prognata, cui nupta foret, munia Ducis, quod eatenus supra viros constantia, dexteritateque præstitit, obeat, milites, atque operas suo exemplo confirmet. Brevi se adfore cum auxiliariis copiis, ac arcem ab injuria Cæsareorum vindicaturum. Illa Majorum recordatione ardens, & spe propinqui auxilii alacrior, hortata est suos milites, crebriores eruptiones in stationes obsidentium facerent; frigore prope enectos suo Martio calore in fugam animarent ante, quam decus servatæ Munkacsiæ cum Ottomanis, opem festinantibus, dividere cogantur. Illico sexcenti non tam dictis Tököliæ incensi, quam stationariorum negligentia provocati, ex arce occulto calle decurrunt, proximum vallum inobservabiles transcendunt, ac illati in imparatos post perbrevem pugnam octoginta e vestigio consecant, reliquos in fugam compellunt. Quin subruto fabrorum, fossorumque manu vallo, ac ligneis operibus, ausi in alias stationes insequi fugitantes, stragem late minabantur; cum Præfecti increpito per iram, & minas cæco suorum terrore, aggressores, victoriamque sistunt. Neque hæc postrema eruptio fuit. Plures nunc secunda, nunc adversa fortuna susceptæ erant; & si pari animo Tökölius rem egisset in campo, procul dubio Munkacsia lenta obsidione liberata fuisset.

Verum Tökölius audito Caraffam B) jam e Transylvania movere; Mercyum, Heislerum expeditioni accinctos stare, non explorato, quantus esset exercitus, sat validum ratus quemcunque Victor Caraffa duceret, mutata ratione itineris repente Hunyadinum, Daciæ oppidum, arce egregia communitum petiit; spe videlicet Hungaricas legiones, quæ eo loco, atque proximis vicis stativa habuerunt, suas in partes alliciendi; facilius subinde destinata executurus, si secessionem facerent a Cæsareis. Sed earum Præfecti æstimatis jam satis Tökölii consiliis, per speciem publicæ libertatis, utilitati demum propriæ, ac indomitæ ambitioni inservientibus, aversati Turcarum Ducem, non expectato ejus adventu, mature militem ex hybernis evocant, ac Lodronii, & Spinolæ legionibus conjunctum barbaris opponunt. Hac sua spe evolutus multo celerius, quam venerat, Varadinum rediit, multum querentibus Turcis, quod nullo operæ pretio, summa hyeme per

A) Eadem descriptio pag. 742. Prælii Szegedinensis meminit etiam pag. 766. Haud tamen secum ipsa narratio constat. Malui Historiam Magni Leopoldi in quibusdam sequi. B) Hujus Antonii Caraffæ S. R. I. Comitis, Aurei Velleris Equitis &c. mihi sæpius memorandi in hac Historia, res gestas quatuor libris typis Neapolitanis anno 1716. edidit Joannes Bapt. Vicus. Magnam lucem affundit Hungaricæ, & Turcicæ Historiæ hic Scriptor. Mihi contexta jam tela in manus venit, ope illustris viri literarum, & literatorum cultoris.

per invia loca ab infelici proditore raptarentur. Ipse quoque Tökölius, cum se ab infima plebe perinde, atque nobilitate desertum cerneret, non nisi pauculos, eosque ære, ac fide vacuos ad signa convenisse, commotus est adeo animo, ut insusitatam solicitudinem fronte (licet alias multa tegeret ejusmodi artium callentissimus) minime dissimularet. Erexit dejectum Varadinensis, spe validioris auxilii, ac misso imperio ad finitimas provincias; quo jubebantur universi, Emericum Tökölium, voluntate Magni Soltani superiori Hungariæ cum Turcarum exercitu redditum, benigne accipere; illi obsequium, copiis annonam, securumque iter præstare; secus qui fecerit, eum adversus Soltanum, & patriam facturum. Sed EX VANO jactantur minæ, & imperia; quæ nisi viribus firmentur, vix nata subito emoriuntur.

A. C. 1686.

Caraffa evitato Varadino, cum quatuor Germanorum, tribus Hungarorum millibus, fanum S. Jobi, a) celebre ea tempestate munimentum, obsidione cingit, non tam cupidus capiendi locum, quam manus cum hoste conferendi, quem Varadino, tribus duntaxat leucis dissito, obsessis auxilium laturum, eaque occasione copiam prælii facturum existimavit. Illo intra muros hærente, tanto alacrior cœptis institit, quanto per eosdem dies hyemis rigor magis invaluit, vento præter modum frigido paludes, quibus munimentum late ambitur, glacie adstringente. Hac usus opportunitate, admotis propius tormentis, nona Februarii muros verberari jussit, ac arcem pilis fervefactis impeti. Biduo post hujusmodi pila in turrim pulverariam illapsa, ingentem stragem tectis, & hominibus intulit, atque arcem cum oppido in cineres egit. Secundum hanc igneam tempestatem candida vexilla in mænibus apparuerunt. Facta deditione præsidiarii nongenti (alii quingentos scribunt) præter mulierum, puerorumque gregem Varadinum abierunt, ubi Præfectus præproperæ deditionis reus cum sedecim præcipuis strangulatur. E præsenti victoria multa commoda nobis fluxerunt. In arce inventa sunt octonæ machinæ, & plurima annona. Ducenti septuaginta Christiani ergastulo inclusi, libertatem acceperunt. Bihariensis, Szatmariensis provinciæ, quotidianis procursionibus attritæ, magnam partem recreatæ. Varadinum arctius clausum, & Munkacsiam versus iter obseptum; hostium debilitas nimium patefacta. Opportuno huic loco impositi sunt bis centum pedites Hungari, cum aliquot equitibus ejusdem nationis, una præterea Germanorum centuria. Nondum inde retractis castris, Barkoczius, expertæ fidei, roborisque in Regio exercitu Tribunus, Varadinum procurrit, exustoque celeriter exteriore oppido, sepimentisque, Tökölio, & Turcis intra muros torpentibus, & oppugnationem urbis veritis, terrorem auxit. At inclementia hyemis in stativa compulit victores. Debreczinum vastum, ac disjectum oppidum, Caraffa imminente, pervicaciam illico exuit, æreque repræsentato direptionem suarum villarum evitavit.

Hyeme inter has, aliasque levioris momenti expeditiones acta, mitiore anni parte, & fama gentium, & rerum magnitudine multo illustrius bellum exarsit ad Danubium, convolante Budam, illinc Asiæ, atque Africæ; hinc propemodum omnis Europæ armato populo, non otiosa fronte ludos Martios spectaturo, sed litem de principe Hungariæ urbe seculo uno, ac dimidio b) sævissime agitatam, inter ignea tormentorum ora, creberrimos terræ subsultantis, atque in sublime evibratæ motus, inter arma, tela omnis generis, infinitamque nunc pellentium, nunc pulsorum exercituum stragem decisuro. Jam etsi profiteri ausum, continenti narratione complexurum res Ottomanorum, in partibus singulis tanti operis minime conveniat fatigari, tamen ad oppugnationem longe omnium memorabilem dicendam, perinde timidus stylum converto, ac cauti ipsi obsidentes manum operi admoverunt; palamque profiteor, me mole tantarum rerum, quæ scribenti tam variam, tam operosam oppugnationem, cumulatius se offerunt,

a) Præsidium firmi operis, & scutum Varadinensium Turcarum, ad plagam septemtrionalem. b) Nempe ab anno 1526. quo secundum cladem Mohacsianam a Solymano II. occupata est Buda.

A. C. 1686. runt, perculsum, compendio usurum. Plerisque belli consultoribus visum erat, Albam Regalem præ Buda aggredi, quod existimarent ad hunc fatalem scopulum Cæsaris fortunam, ut ante biennium, adhæsuram, & tot victorias Fœderatorum, Marte propitio eatenus partas, ceu uno naufragio perituras. Magnus Leopoldus cum Lotharingo Duce totis animis in adversam partem propendebat. Bavarus tutiora præ speciosis amplexus, Albam Regalem præferebat, atque in hanc demum sententiam ipse Leopoldus concessit, seu ad fucum hosti faciendum, seu reipsa, si minor rerum apparatus adesset, hanc Trojam retentare abhorreret. Fama celeriter pervagata Hungariam, fidem Ottomanis fecit, Albam Regalem ad ictum destinari. Loci Præfectus, veluti immanis exercitus præ foribus esset, omnia ad defensionem instruit, suppetias solicitat, & accipit, suburbiis amplissimis adeo tumultuarie ignem immittit, ut magna vis frumenti simul ambusta fuerit. Unde novi commeatus eo deportandi erant. Discusso terriculamento, fortuito arsisse suburbia, aut incuria præsidiarii, qui in dies augebatur, Præfectus apud Vezirium evicit, culpamque omnem damnosi incendii a se avertit. A)

Recensitis legionibus numerata sunt centum, & amplius millia tum Cæsareorum, tum sociorum. Hungari, non accensis iis, qui Regio stipendio alebantur, facile viginti millium expleverunt numerum. Armaverant, contraxerantque eos partim provinciæ, partim opulentiores Dynastæ. Paulus Eszterhazius Pro-Rex de suo conscriptis legionibus equitum, atque peditum, supremo jure Hungaricis copiis moderabatur. Satis constabat, nunquam ullius Regis Hungariæ tantum, tamque florentem exercitum in Turcas armatum fuisse. Pro ratione belli tripartito divisus est. Scherffembergio Daciam componenti quina Germanorum, quaterna Hungarorum millia justi militis attributa sunt, qui subinde Budam revocatus cum suis legionibus, B) tum in Illyricum proficisci jussus præfecturam Schulzii cum septem millibus, & numeroso milite provinciali, Croatiam defendentis, sed in medio cursu rerum febribus extincti, accepit. Caraffæ ad tutelam superioris Hungariæ dena millia decreta. In hunc modum utroque latere munito, robur exercitus in medio constitit sub Lotharingo, & Bavaro Ducibus.

Illo febrium violentia subsistere coacto Neostadii, hic expeditionem aperuit. Jamque Parkanum profectus (huc convenire sunt jussæ copiæ appetente vere) lectissimum militem cum maxima penu bellica in perniciem Albæ coactum reperit; cum Lotharingus insecutus nova mandata affert: *Budam velle Cæsarem, in hanc edomandam, missis cæteris, vires omnes, omnem operam convertendam.* Facile cessit moderati animi Princeps. Indicta profectione Strigonium, inde, divisis bipartito copiis, Budam inoffenso itinere perventum est. Bavarus in ulteriore ripa progressus, Pesztinum a Turcis præcipitanter desertum, cum multa præda, & navigiis, pontem extremis duntaxat arcubus mutilatum occupavit. Duodevicesima Junii binis omnino, & sexaginta millibus armatorum circumsessam se vidit Buda, decumanis machinis sexaginta, minoribus triginta, quadragenis mortariis verberanda. Gubernator urbis Abdius, sive, ut alii appellant, Abdurachmanes, peritia armorum inter Ottomanos ea tempestate clarissimus, non modo muros ante biennium dejectos instauravit, sed nova etiam opera, ut metus, atque usus docuerant, adjecit; omnia adversus longum obsidium homo impiger curavit. Sed in delectis duodecim Janicsarorum, trium Spahiorum millibus spem omnem servandæ urbis positam habuit. Hos gravi cohortatus est oratione, ad fortiter aut vincendum, aut moriendum pro aris, & focis; Quæstori uncos, & palos minatur, ni statis diebus stipendia numerarit; simul viritim novem florenos largitur. Ingenti clamore edito vitam, sangui-

A) Descriptio Antiquæ, & Novæ Pannoniæ pag. 768. B) In Porta Ottomanica reperio Scherffembergium cum sua, & Piccolominea legione rediisse Budam e Dacia; at in Ephemeridibus Budæ oppugnatæ pag. 36. cum novem millibus eum in auxilium venisse obsidentibus undetrigesima Augusti lego; quod verosimillimum existimo. Unde accelerata fuit suprema oppugnatio urbis, Hungariæ carthaginis.

ſanguinem ſe impenſuros pollicentur, atque alacres ad deſignatas ſtationes digrediuntur. Dicti ferociam toto obſidionis tempore omnium virtus æquavit. A. C. 1686.

E Ducum conſilio gemina aggreſſio eſt cœpta, Bavaro ad montem Gerardi caſtello, Lotharingo portæ Viennenſi imminente. a) Oppidum inferius cumprimis expugnandum fuit. Quinto die poſt, quam vis admota eſt, in noſtrorum poteſtatem venit quinguaginta gregariorum impendio, Turcis intendentibus ſe tenebris in ſuperiorem urbem dilapſis; quo jam multi, oppidi cladem nempe veriti, pretioſa quæque præmiſere; plures & oppidi, & urbis jacturam præſentientes, in inſulam D. Margaretæ cum conjugibus, liberis devehenda tradidere: fortius, quidquid accideret, laturi, ſi cariſſimam ſui partem extra communis periculi ſortem habuiſſent. Sed hæc quantacunque cautio plurimum nocuiſſe, ac cladem maturaſſe videri poteſt. Namque Adamus Battyanius, præſidiariis Ertſinenſibus, quos Abdurachmanes ſerius evocarat, in conſpectu Budæ conciſis, tribus demptis, intellectoque ab his, in inſula, dena navigia divite ſupellectili onuſta latitare, accitis celerrime Saikariis, cum pedite Hungaro prædam invadit. Cuſtodes, partim mulierum, puerorumque ejulatu, partim militum clamore perterriti, in veſtigio profligantur, & præda ducentorum millium florenorum diripitur. Nobiles captivæ, in cuſtodiam juſſu Battyanii datæ, pretio a ſuis non minore, paucis poſt diebus ſunt redemptæ.

Hæc gemina clades ut Turcarum animos magnopere confudit, ita noſtrorum militum alacritatem mirifice exacuit. Adverſus decurrentes præſidiarios triplici vallo objecto, calendis Auguſti e quatuor mortariis urbs, duodecim prægrandibus machinis mœnia primum infeſtata ſunt. Sub hæc acceptis in caſtra octo millibus Boruſſorum lectiſſimi militis, latus urbis ab aggreſſione Cæſarea lævum, Dux Lotharingus impugnandum commiſit, qui feſtinatis diu, noctuque operibus, ſtationes ſuas perinde firmarunt, ac Cæſarei; inſuper ſiniſtrum latus colubrinis, dextrum valida octo tormentorum ſede contra muros extructa præmuniverunt. In caſtelli aggreſſione & periculi, & laboris plurimum Bavaro incubuit. Multa foſſione fatigatum, adulta jam nocte cæcidiſſent erumpentes quingenti Spahii, totidem Janicsari, ni maturatis auxiliis uterque Dux accurriſſet. Illi ſine pugna trepidi in urbem refugiunt. Iſti a Bavaro Spahiorum fuga animato, accurrentibusque aliis adeo male accipiuntur, ut cum quindecim Præfectis plerique in receptu perierint. Promotis auſpicato operibus, acerrima verberatione plurium dierum, præcipuus obſeſſorum ſuggeſtus in fronte caſtelli, unde in caſtra Bavarorum immanes machinæ late dominabantur inter ſtragem hominum, jumentorumque, exarmatur.

Duodecim dierum ſpatio, Cæſarei continenti jaculatione tantum muri dejecerant, ut pyrobolarii ſpectatum miſſi retulerint, facilem per ruinas jam editas aſcenſum fore, modo comminutis lapidum acervis per montis declivia, vallum, quod Turcæ firmiſſimum aſcenſuris objecerunt, diſcerperetur. Præfectus rei tormentariæ Lotharingo pollicebatur, ſe quatuor, & viginti horarum verberatione viam planiorem facturum. Accidit inſequenti die, ut ſuus hoſtem cuniculus falleret, eoque ſuccuſſu, major pars turris ſterneretur, & vicinus murus labefactatus, primis machinarum ictibus omnino procumberet. Dux in rem ſuam uſurus hac opportunitate, circa ſextam veſpertinam aggreſſuris cohortibus, e tribus tormentis ſignum dari juſſit. Qui cortinam adverſam habuere uno curſu in ruinas enituntur, & ſumma contentione intra petrarum fragmina, ſtationem figere adlaborant. At ſociis ad latera invadenda deſtinatis, difficillima quæque exhaurienda erant. Per immanes lapidum acervos reptandum potius, quam currendum fuit, Turcis collineatis ex alto ictibus fortiſſimum quemque impu-

a) Budenſis urbis, & caſtelli munimenta ſat prolixe dederam ad annum 1684. Caſtellum, quod ſciam, antehac nunquam attentatum eſt. Bavaro, ardentis animi Principi, in illud aggreſſionem molienti feliciter ceſſit.

A. C. 1686. ne sternentibus. Ad hæc nitratorum pulverum devoluti sacci, malleorum perpetua grando, cuniculi soluti, continenti incendio ruinis appropinquantes attriverunt. Cum hoc voracissimo hoste occupatos, Janicsari strictis acinacibus aggrediuntur, cruenta pugna mænibus submovent Cæsareos. Tum potestate a Lotharingo impetrata, nobilissimorum Volonum manipulus per strata cadavera advolavit. Horum incredibili virtute Janicsaris retrusis, lorica recuperata est. Mox Starembergio authore, & Duce ad mediocres duas turres occupandas, quæ ruinis proximæ erant, præsentissimæ necis contemptu itur. Jam in medio ruinarum e lapidum strue vallum fiebat, jam per saxeam molem promptissimi Volonum in summa eluctabantur, cum omnis illa saxorum strues scandentium, pugnantiumque ponderi impar, repente dissolvitur, & fortissimos bellatores suo vallo exutos, apertis hostium telis exponit. Patuit undique iniquissima pugnandi ratio. Nam nec scalæ aderant, quæ turribus admoverentur; nec ligone opus procedebat; & festinandi studio devolutis lapidibus, ipsi aggressores sua auxilia partim obruebant, partim morabantur. Duces posteaquam nihil cedere e sententia vident, summaque vi turres defendi, militem suo, hostiumque sanguine respersum, a cruenta oppugnatione revocarunt. Cæsos eo die de aggressorum numero mille quadringentos, interque hos nobilissimos Volonum diversæ nationis, totidem fere vulneratos; ex Ottomanis quingentos trucidatos, centum plures saucios fuisse, qui hujus aggressionis authores sunt, tradunt. Eodem tempore Bavari simulato assultu castellanæ fossæ marginem occuparunt, multis hostium interfectis. Borussi explicatis signis, erumpentium agmen opperientes, una fistularum displosione procellam discussere.

Quindecim subinde dies succutiendis mænibus, spargendis per urbem incendiis, evibratis grandioribus pilis sunt dati. Ex his una, artene machinatoris, an fortuito? incertum, in cellam pulverariam impulsa, eversis ingenti fragore ædificiis, & convulso inde ab castello sexaginta passuum spatio muro, discerptis mille præsidiariis, urbem, & castra inaudita concussione exterruit. Ut deſæviit atrocissima tempestas, Lotharingus C. Königseggium allegavit ad Gubernatorem, qui suaderet, ut dederet urbem, oblatis admodum opimis conditionibus. A) Ille superbe multa internuncio reposuit. Ad ultimum edixit: *se vitam potius, quam fortissimum præsidium Ottomanici Imperii dediturum; sperare autem, Deum, Mahometem Prophetam obsessis adfore, & temerarios aggressorum conatus cum maxima jactura hominum, & famæ elusuros.* Igitur rursum ad oppugnationem est reditum. Præter continuum tormentorum usum, & obsessores, & obsessi, quasi ex condicto, cuniculis struendis vires, ingeniumque fatigarunt, etsi plerumque multorum dierum labor, & spes contra, atque machinatores sibi, aliisque persuadebant, caderet, & non raro fossorem cum operibus, multo sanguine exædificatis, momento temporis sepeliret. Placuit tamen Lotharingo ejusmodi cæcis suffossionibus aditum in urbem aperire, Gubernatori præstruere. Sed non propterea apertis armis abstinuerunt. Turcæ nunc Cæsareos, Bavaros, nunc Borussos, Saxones, ac Hungaros, quibus postremis pars flumentana præsidii impugnanda erat, assiduis procursionibus divexarunt, majori tamen tumultu, quam damno, quod obsidentes nunquam non expediti ad pugnam vigilias obirent, & ubi ad arma conclamaretur, accelerato gradu sociis opem ferrent. His levioribus præliis mutuo iras accenderunt ad memorabile, utrique parti cruentum, certamen.

Exarsit istud septimo, & vicesimo Julii quinta ab meridie hora, B) intra ipsas murorum ruinas, quo duodena hominum millia, ex omni natione delecta, eluctari sunt jussa. Græcorum ignium vi exustis sudibus, quas tormentorum globis decussas, semel, atque iterum ruinis prætenderant obsessi, solutis ad Pesztinum machinis, signum datur aggressoribus. Cæsareis pyrobolariis immisti audacissimi pedites Hungari frameis armati, inter

A) Oblatas conditiones legere licet in Porta Ottomanica, & Gubernatoris militare responsum. B) Porta Ottomanica; Ephemerides Budæ oppugnatæ.

inter densissimum omnis generis telorum imbrem ad ruinas contendunt; repulsi, bis instauratis ordinibus locum repetunt, ac post acerrimam pugnam pulsis hostibus obmunire se occipiunt. Sed tellus cuniculis late suffossa, pestemque, & igneos quosdam rivos evomens, plerosque victorum momento absumpsit, ut adeo sæpius recenti milite submisso, statio fœdissime discerpta, recuperanda fuerit. Cuniculorum discrimine liberos sævius multo malum exercuit. Turcæ pyriorum pulverum saccis, malleolis, fascibus, pice, bitumine, ac alia materia flammis obnoxia illitis, quibus murorum ambitus constratus erat, ignem admovent, atque tam vastum incendium excitant, ut non pauci toto corpore ambusti misere perirent, cæteri vero igniaria peste undique erumpente exanimati, receptum circumspicerent, nihil fere pro imperio gererent. Ducum adhortatione, & novis subsidiis animati, contumacius in ignem ruunt, superatis uno impetu ruinis, duas turres attonito hoste occupant; in tertiam e Jaurinensi præsidio Hungarus evadit, depactoque vexillo, capti extimi muri post trium horarum certamen signum extulit.

A. C. 1686.

Borussi eodem tempore, ut conventum erat, juxta Cæsareos aggressione facta, minoribus periculis defuncti, partem murorum hosti eripuere. At Bavaris cum fortissimo hoste, & igne, omni hoste truculentiore, uti Cæsareis, luctandum fuit, donec innumeris difficultatibus superiores, grandem semilunam castelli obtinerent. Hungari ad latus flumentanum applicatis duodenis navigiis, etsi per devoluta maximo impetu fragmenta turris nuper emotæ, per solutos cuniculos proreperent, & consertis manibus rem fortissime gererent, tamen quod inter rudera firmo gradu neque consistere, neque obvallare se possent, & insuper mænia ad Danubianas turres scalis insuperabilia forent, præter distentas hostium vires, vix operæ pretium tulerunt. In hujus diei cruenta sane invasione commemorantur occubuisse legionariorum diversæ nationis ter mille, octingenti. Habita vero eorum ratione, qui aut aciei structores, aut Tribuni, aut Centuriones, aut honorarii milites nobilissima familia nati essent, ducenti, præter saucios, membrisque captos perplurimos in tentoria vitæ dubios relatos. E Turcis cecidisse mille quingentos Janicsaros, florem præsidii cum eorum Aga, & Novigradiensi Præfecto, transfugæ prodiderunt. Clades profecto non minor, ac Christianorum, si undique clausorum conditionem attendas, quos utique vincit, quisquis imminuit.

Inter hæc nuncii de exercitu appropinquantis Vezirii, ad maturandam expugnationem nostrorum animos incitarunt. Cuniculi succensi, etsi machinatorum promissis non semper responderent, tamen adeo nudarunt secundarium murum, ut interiores hostium munitiones conspici possent. De deditione compellatus Gubernator, ferociter abnuit. Subinde convulsis latiore spatio muris conterritus, missis in castra duobus primi nominis Ductoribus petiit, ut sibi colloqui liceret. Baro Creuzius in urbem legatur. Gubernator in Senatu multa de Tököli0, multa de Kara-Mustapha conquestus, postremum ajebat: *suæ potestatis non esse Budam tradere; at si oppugnatione desisterent, si pacem darent Confœderati, pluribus præsidiis decessurum Mahometem.* Hoc responso accepto intellexerunt Duces, arctiora jam esse omnia apud obsessos, spiritusque multum imminutos. Vehementius itaque institere cœptis, maxime Elector Bavarus præliari ingenio ardens, nec militum parcus, cui Vezirii ad Budam festinatio stimulus fuit, accelerandæ aggressionis, qua castellum premebat; non sine spe loci potiundi, quod subterraneorum operum magistri maximas mænium ruinas sponderent. Sed falso. Quippe cuniculus illæsis mænibus in auras evanuit.

Nihilominus Elector terna suorum millia assilire jubet. Illi non minore audacia, quam Dux imperaverat, munitiones hostium aggrediuntur, aperta, quocunque arma obverterunt, via, in castelli interiora fugatis, aut cæsis stationariis irrumpunt; inde a furentibus Janicsaris cum clade rejecti, rursum constantissimis animis arenam suo cruore tinctam repetunt; duabus

A. C. horis nunc victores, nunc victi, in castello non uno pugnæ genere pertina-
1686. citer certant, stragem strage ulciscuntur. Lotharingus non tam victoriæ spe, quam Electoris studio Germanos quoque, & Hungaros A) ad vallos revellendos immisit. Inter pugnandum vox audita: *Bavaros in capto castello signa fixisse.* Tum enimvero sociorum virtute omnes accensi, auctis certatim viribus, in confertos propugnatores ruunt, & collato pede nudatis gladiis rem cominus gerunt. Sed postquam Lotharingus Bavaros, post consumptas incassum vires, captis stationibus cum ingenti pugnacissimorum clade dejectos, & suorum cædem increbrescere, Bischoffshausenium, Herbersteinium, assilientium Ductores, cecidisse intellexit, a cruenta oppugnatione fessos revocavit. In receptu tanto plures trucidantur, quanto inconsultius immaturo victoriæ æstu, se abripi sunt passi.

Hoc defuncti periculo Budenses, læto vocum, tympanorumque concentu, quos animos gererent, ostendunt: Borussis turrim eripiunt; procursione facta fossores, stationarios concidunt, novos suggestus attollunt. Augebantur ipsorum animi conspectis agminibus, quæ Solymanus Vezirius Eszekino Budam præmisit, monuitque per literas Gubernatorem: se propediem grandem exercitum in fessos, ac multum imminutos moturum. Et revera numerosas copias ex Asia, & Europa coegerat inclytus nempe fama, qua bellum Polonicum administravit, multorumque tantus ardor in Hungariam eo Duce proficiscendi fuerat, ut non ad bellum, sed ad certa victoriæ præmia duci viderentur. Severissimi præterea vir imperii minacibus edictis, pœnis imperatos milites a Præfectis provinciarum curate exegit, laqueo suspensis aliquot, B) qui in delectibus faciundis negligentiores comperti. Denique rumor Budæ obsessæ e Bosnia, Albania barbaros excivit, augebantque horum numerum subitarii quotidie milites prædandi licentia, ut adeo ad Eszekinum sexaginta armatorum millia censa fuerint. Tam validus hostis non modica solicitudine Duces affecit. Cum gravibus momentis decretum foret, Vezirium intra valla expectandum, castra ingenti ambitu procurrentia, nova vallatione, suggestibus, loricis, sparsis per intervalla castellis, turribus communiuntur: equitatus, pabulandi causa in plura agmina divisus, in castra contrahitur. Hungarorum pars cum Croatis ad veterem Budam, pars cum Bavarico equitatu ad Pesztum (nam & inde hostis venturus nunciabatur) excubare jussa. Joannes Eszterhazius, Jaurini Pro-Gubernator, suum peditatum in inferiori oppido egregie circumvallavit. Ne quid auxilii adverso flumine obsessi acciperent, infra castellum, majoris molis navigiis Danubius est frænatus; additæ duodecim saikæ, quæ vicinas insulas quotidie circumnavigarent, ac hostium molitiones in tempore detegerent. Conventum quoque inter Duces: alter alteri auxilio esset; si Bavaros adorirentur hostes, laborantibus intra valla, Cæsarei suppetias ferrent; contra si Cæsareis vis hostilis incumberet, Bavari castris educti, obliquum Turcarum latus foderent.

Illud futurum cum videretur, Vezirii exercitu Bavarorum castris imminente, Lotharingus decima tertia Augusti vallo egressus, explicata acie in armis stetit. Eo die, præter leviores velitationes nihil tentatum, lacessente plerumque Vezirio; postridie justo prælio concursum. Haud procul valle D. Pauli quatuor circiter Spahiorum, totidem Janicsarorum millia conspecta erant. Heislerus, qui collem insedit, auxilia flagitat. Continuo Palffius quatuor equitum legionibus adductis, Hungaros, & Croatas jam cum hoste congressos firmat, mox hostilem equitatum disjicit; Janicsaros, sociorum fuga turbatos cædit. Ex his tria circiter millia occubuisse feruntur, centum septuaginta capti cum octonis minoribus machinis, ac signis triginta. Multum prædæ in castra miles retulit, quod pridie Vezirius, divisis viritim quinque aureis nummis, hos invasores animarat ad quærendum aditum

A) Ephemerides Budæ oppugnatæ. B) Descriptio Antiquæ, & Novæ Pannoniæ pag. 773. recenset tres Asiæ Præfectos Adrianopoli securi percussos, quod pauciores, ac jussi erant, milites duxerint in bellum Hungaricum.

aditum in urbem. Secundum hanc pugnam ipse Vezirius validiores copias admovit. Elector cupiditate prælii accensus, contra ac conventum fuit, proruto vallo suas legiones juxta ripam Danubii in hostem rapit; Lotharingo provido consilio ad latus collium incedente, ne universus Turcarum exercitus Bavaros obrueret. At Vezirio animus non erat, certaminis aleam tentare, utrorumque virtutem præ quam numerum timens; nec se inferiorem hoste habendum existimans, quamdiu ipse virium periculum non fecisset. Retractis itaque copiis, fugienti similis Ertsinum rediit, facile quinque hominum millibus amissis. E nostris centum circiter gregarios desideratos, & duos Centuriones cum Tribuno Lodronio Croatarum Ductore proditum est, quem Magni Leopoldi Historia calcibus equorum in fuga obtritum meminit. Porta Ottomanica, Ephemerides publicæ, militaris viri necem commemorant; de fuga ne verbulum. A)

A. C. 1686.

Undevicesima Augusti tribus Turcarum, sex Valachorum millibus auctus, rursum castris appropinquavit Vezirius, nullaque re tentata convulsis subito signis dilapsus, occultæ molitionis suspicionem Ducibus movit; idcirco omnibus castris conclamatum ad arma, quasi pro vallis assideret. Hæc non vulgaris solicitudo, hostium conatus elusit. Nam equestre Turcarum agmen multis ambagibus circumvectum, in D. Pauli collem emersit: tum in plures manipulos divisi, quo latius terrorem spargerent, rapidissimo cursu vallis affunduntur. Improviso oppressis perpaucis stationariis, nec animi satis ad resistendum, nec virium fuit. Jam aliquot turmæ Spahiorum (duo millia fuisse dicuntur) in media castra perruperant, non spoliis, non cædibus intentæ, sed celerrimo cursu urbem versus festinantes. Caprara undique accitas cohortes progredientibus objicit; repetita glandium procella alios sternit, alios, unde venerant, repellit. Quingenti lymphatis similes, per media tela accelerant, adeo male mulctati, ut vix centum Budam penetrarint. Vulgatior fama est: B) equites Turcarum, qui plerique Janicsari erant, ad hoc facinus a Vezirio empti, more Hungarorum vestitos, ac fortassis militarem tesseram illius diei edoctos, aditum pertentasse, transmissisque intrepide Borussorum excubiis, tanta securitate castra intrasse, ut non ante intellecti sint hostes, quam fossæ urbis appropinquarent. Tum Capraram cum suis iter præclusisse; centurias tamen aliquot in urbem evasisse. Gubernator hoc qualicunque auxilio accepto, multum recreatus, quaterna vexilla rubei coloris per mænia defigi jussit, ac majores, minoresque machinas explodi.

Abeunte Vezirio oppugnandi curæ resumptæ sunt. Ter mille Hungarorum opera, in explenda urbis fossa multum desudavit; adversus hostium missilia terrea munimenta ad fossæ marginem statuta; suffossionibus, verberatione ruinæ ampliatæ; accessus nocturno, diurnoque labore promoti; assultibus fatigati obsessi, maxime a Bavaro, cujus præfervido ardori lentum obsidium grave accidit; omnia denique ad supremam aggressionem maturabantur. At nondum aderant e Dacia Scherffembergiani, quos opperiri Lotharingus statuerat. Et Vezirius more suo Ertsino advolans, Fœderatorum vires sæpenumero distraxerat, etsi re nulla tentata, e conspectu semet quam celerrime in vetera castra proriperet. Hæc ipsa præter modum inquieta hostium concursio prodidit, in ultimis Budæ angustiis Vezirium aut universis viribus in prælium ruiturum, aut manu validiore, quam nuper, aditum ad obsessos quæsiturum. Hoc postremum cum enixe oraret Gubernator, modumque doceret penetrandi in urbem, ut ex interceptis literis Lotharingus didicit, juxta Danubii oram ad Vetero-Budam; quod murorum fiducia rari stationarii ibi excubarent, & classiarii Hungari insulas magis, quam turres flumentanas, aut inferius oppidum, infesta redderent; e Ducum consilio mille ducenti fistulatores Germani Hungaris sunt additi, ad eam viam auxiliaribus Turcis, quos transfugæ propediem adfore nuncia-

A) Porta Ottomanica Tom. II. pag. 349. Ephemerides Budæ oppugnatæ ad decimum quartum diem Augusti. B) Porta Ottomanica pag. 350.

A. C. 1686. nunciabant, usquequaque claudendam; tum litorale vadum geminato vallorum ordine præstructum; tormenta in vicinam insulam deportata; saikarii ad suas stationes revocati; aucta per ripam Danubii præsidia; Lotharingo in hostium consilia intendente, ac stationes perlustrante.

Provide isthæc, & salubriter. Vezirius enim crebris nunciis Gubernatoris excitus, undetrigesima Augusti cum omnibus copiis, Fœderatorum castra turbidus accessit, tripartitoque diviso milite, velut tribus simul locis invasuri speciem præbuit, nostris, explicatis vexillis, promptis telis ubique emicantibus. Ter mille ex omni numero delecti Janicsari, cum mille quingentis Tartaris, e monte decurrentes, in insulam trajecturi videbantur: tormentis cohibiti, uno cursu oppidum inferius petunt, oppressisque, aut elusis stationariis, septis vallorum partim securibus interscissis, partim lacertorum robore, incredibili celeritate erutis, pone Danubium circuitu facto, muros oppidi superare contendunt. Astius Baro, qui illic curabat, cum suis cohortibus, ac saikis armatis, impetum ultra nitentium non sustinuit modo, sed repetita jaculatione sclopetariorum, ut erant omnes inter teli jactum, tanta strage temere scandentes muros afficit, ut socii furente undique majorum, minorumque glandium procella attoniti, ad turmas Tartarorum, quæ haud procul præsidii causa constiterant, reditum solicite adornarint, commodiore loco impressionem retentaturi. Recedentes Mercyus patentiori in campo adoritur. Octingenti circiter Vetero Budam fuga elabuntur. Cæteri mori jam certi, cæca rabie animos, viresque augente, proruto carrorum sepimento, valla transiliunt spe urbis obtinendæ. Hic ab dimachis circumfusis in orbem coacti, ne inulti caderent, memorabilem pugnam edunt, multis gregariis, aliquot Præfectis trucidatis; Mercyum lethale vulnus certamini extraxit, superante dein curationem malo, Viennæ mors oppressit; elatum non minore exercitus luctu, quam Cæsaris dolore, amittentis summum Ducem, & militem. Præfectorum strages ad ultionem accendit militem. Nemo Janicsarorum in urbem, aut ad equites fuga evasit; præter eos, quos primus terror abstulit. Pauci capti, iique omnes male vulneribus toto corpore mulctati. Victores in arena spolia legerunt, ultra spem opulenta. Apud singulos Turcas deni aurei nummi reperti. Hac nempe mercede audacissimi militum animos locarunt Vezirio, ut intra castrorum valla exagitati, velut feræ theatro conclusæ ludos facerent Christianis. Tartari conspecta clade Janicsarorum ad exercitum, qui in acie ostentationis potius, quam prælii causa interim stetit, se recipiunt, ac cum Vezirio Ertsinum abeunt, Buda suis fatis relicta.

Ea ut celerius victas manus traderet, Scherffembergii Dacicæ copiæ recenter explicatis late ordinibus castra ingressæ spem, animosque fecere. Universa urbis, arcisque aggressio in calendas Septembres decernitur. Festinatione militum, machinatorum ingenio tanto molimini pares apparatus fiunt. Intercessit Bavarus, unum diem verberationi deposcens. Altero itaque Septembris die, invadentium ordine rite constituto, post quartam ab meridie horam in monte Suevorum solutis sex machinis, signum aggrediendi est datum. Exiliere ante alios in utrumque ruinarum latus nobilissimi Volones cum Barone Astio periculorum avido; hos sequebantur Oetingius Comes sexcentorum peditum cohortem, & Spinola mille bellatorum trahentes. Pro ruinis, quo Spinola ferebatur, Gubernator ipse cum robore Janicsarorum dimicat, confertis ordinibus subeuntes collineatis ictibus sternit, bis inferentes signa repellit, cæso inter primos Astio. Oetingius proniore aditu eluctatus ad hostes, ruinis potitur; ac per viciniores ædes in aream illatus, hostium vires in se avertit, Spinolæque spatium facit integro milite impressionem retentandi. Impetu resumpto in medio pilarum, lapidumque nimbo intrepidus enititur, ferroque dispulsis propugnatoribus se Oetingianis aggregat, ac conjunctis jam agminibus, ceu duorum torrentium auctu, ruptis aggeribus, in Janicsaros violentius fertur, validis subsidiis a tergo insequentibus. Jam per cædes, & vulnera in princeps forum

per-

perventum erat, tum primum candida vexilla fulserunt, fuga ubique arre-pta. Unus Gubernator fugæ immemor, nunc precando, nunc castigando pugnam accendit, captamque urbem prope eripuit. Postremo Janicsaris in arcem dilapsis, cum non dubiam Christianorum fortunam sentiret, ne superesset casui florentissimæ urbis, se concitat in medios hostes, ac circumducto per latam stragem ferro, ut dignum erat Budæ Gubernatore, fortiter pugnans cecidit.

A. C. 1686.

Castellum deinde impetitur, luctantium etiamnum Bavarorum commodo. Electori serius aggressionem ordinanti, quanto latius Cæsarei victoriam in urbe explicaverant, tanto magis arduum erat eam incipere ad castellum, huc armatorum cohortibus aliis, aliisque e captivis stationibus certatim affluentibus, veluti ultimam arcem cadentis patriæ, suarum fortunarum extremis viribus propugnaturi. Perruptis tamen non levibus obstaculis, Bavari in ardua montis connisi, obsistentes in hortorum angulum compellunt, pugnamque restituere ausos, tanto furore, ac cædis aviditate invadunt, ut una impressione turbatos, in aream gemino muro circumdatam retruserint, armisque exutos, simul cum arce in suam potestatem redegerint. Urbis, & arcis expugnatæ testis, ipse Vezirius aderat, veluti ad spectaculum late explicata acie per vicinos tumulos, haustoque oculis celeberrimi præsidii excidio, indecora fuga se subduxit. Postero die lustrata sacra æde, persolutisque Deo gratiis, captivorum census est initus. Numerabantur tum apud Cæsareos, tum Bavaros terna millia. Inter hos visebantur Pro-Gubernator, Csonka-Begus ab Hungaris appellatus: Aga Janicsarorum, aliique Præfecti vulneribus deformes, & Mufftius. Prior vultu interrito permansit, & ferocius, quam pro fortuna disseruisse apud Bavarum Ducem fertur, elataque vox ejus in vulgum hisce verbis: *vinculis me constringite, aut vita private, ne aliquando cladem commilitonum ulciscar. Quæ fortuna Christianorum rem in præsenti evexit, eadem fastidio capta deprimet, ad Turcas migratura.* A) In Ephemeridibus contra reperio: eum nihil ferociæ B) prætulisse, orasseque Ducem: *moderate uteretur victoria; nec in se, suosque militum partibus ad extremum non timide functos, durius quid statueret.* Addito: *fortunam hodie Turcis inimicam, cras amicam fieri posse.* Perhumaniter exceptus a Duce admiratione militaris industriæ, in custodia sinceram libertatem reperit, dum exuto Mahomete sacro fonte ablutus c) Leopoldi nomen assumpsit, ab susceptore Cæsare ad militarium honorum gradus evectus, legionis equestris Hungaricæ Tribunum egit; quod munus in ejusdem filium militia clarum translatum fuit.

Cæsorum in postrema aggressione non minor numerus repertus est, ac captorum; non accensis iis, qui ad flumentanum oppidum fuga abrepti (plerique Judæi, & Rasciani erant) a nostris in Danubium sunt acti. Multi in subterraneis locis, multi in officinis, apothecis a prædabundo milite confossi, nec pauci fumo, flammaque suffocati, aut absumpti. Nam sub primam irruptionem incendium cœpit, multumque prædæ militi præripuit, Armamentario principi flamma pepercit. In eo omnis generis apparatus reperti, ducentæ machinæ, quinque, & octoginta mortaria, præter ea, quorum usus pro mænibus fuit: pulveris pyrii multi cadi; annona in plures menses. Spolia ingentis pretii a gregariis eruta. Memoriæ proditum est, D) bina, ternave millia aureorum nummum quosdam, unum aliquem ter plura abstulisse; nisi forte ære, fideque vacui, credulo Scriptori imponere voluerint, mendaci fama, qua multi se alunt, contenti. Populatione finita, captivorum opera humatis cadaveribus, urbs perpurgari cœpit; subitariisque munitionibus factis Thingenius cum quaternis peditum, sex milli-

A) Porta Ottomanica pag. 353. hoc dictum Janicsarorum Agæ attribuit. B) Cum victor arma posuit, & victum decet deponere odia. Sen. Herc. Fur. A. II. c) Hic Csonka-Begus a mutilata turri Budensi, quam tuebatur, nomen sortitus, post Neostadiensem custodiam Christiana sacra amplexus est Viennæ 1696. ut habet Porta Ottomanica pag. 761. Vulgo Zungenberg dictus. D) Ephemerides Budæ oppugnatæ.

A. C. 1686. millibus equitum partim Germanorum, partim Hungarorum pro præsidio interim datur.

Tanta victoria ut multarum gentium viribus est parta, ita victoriæ nuncius maxima omnium gentium Europæ gratulatione est acceptus. Cæsar certe Leopoldus, & Innocentius XI. Pontifex, uterque promovendæ rei Christianæ ardentissimus, ad literas captæ Budæ insolitis lætitiis incessere, exercituumque Domino pro hoc tali beneficio in Basilicis suarum urbium, cum circumfuso populo solennes gratias reddidere. Et quoniam piissimus A) Imperator secundum DEUM, DEIque Matrem hanc grandem victoriam a D. Stephano, primo Hungarorum Rege, sibi concessam non uno argumento senserat, cujus nempe instinctu, ductuque expeditionem suscepit, ac feliciter absolvit, egit apud Innocentium Pontificem, ut magnum illum Budæ vindicem, quem ad ea tempora sola Hungaria, Hungariæque annexa regna pro aris, & templis colebant, deinceps gentibus universis omni veneratione prosequendum pro sua authoritate juberet. Ratam habuit justissimam petitionem. Sanctissimum Regem in comunes toti Ecclesiæ codices transfert; tam illos, quorum usus in conficienda re Divina, quam qui statutas Sacerdotum precationes complectuntur. Dies honoris secundus Septembris est, qui videlicet captæ Budæ, eritque perpetuo apud posteros non sine aliqua peculiaris in Divum Stephanum significatione pietatis, dum videlicet Romanis sacris honos habebitur.

At vero Ottomanos urbis occasus immani terrore, luctuque concussit, veluti capto Imperii antemurali, Byzantium, atque Asiæ urbes victor exercitus propediem invasurus foret. Et invaluit toto Imperio tristis rumor: Vezirium semel, atque iterum ad Budam profligatum; internecione cæsas auxiliares copias. Id cum alii, atque alii, qui desertis castris Belgradum, ac Adrianopolim trepide petierunt, falsa veris miscendo confirmarent, quo fugæ dedecus velarent; adderentque insuper: Christianorum exercitum terra, & aquis appropinquare, adeo trepidatum est his in urbibus, ut multi civium desperata, comploratаque Republica, de fortunis alio transferendis consilium arriperent. Sed posteaquam Vezirium incolumem cum integris copiis in campo esse, Confœderatos oppugnandis Hungariæ præsidiis reliquum autumni facile impensuros acceperunt, tumultu utcunque sedato, unius Budæ jacturam sinceris lacrymis deploraverunt, & quasi per singulas domos privatæ clades evulgatæ forent, nulla mæroris, luctusque expers fuit. Sed cumprimis Mahometi Imperatori doluit, se rerum potiente, Ottomanicam gentem diuturna possessione nobilissimæ urbis dejectam, pro qua recuperanda tot Ecclesiæ Pontifices, Imperatores Romani, Hungariæ Reges, Christiani nominis Principes, centum ipsis, & quadraginta quinque B) annis, summis viribus decertarunt. Occupaverat eam dolo Solymanus II. anno quadragesimo primo supra millesimum quingentesimum, secunda Septembris, atque longam sibi tyrannidem in Hungaria fundaverat. Insequente anno grandi exercitu armatus Joachimus Brandeburgus, timidus magis, quam cautus Dux, eminus Budam impetiit, nullaque re gesta, inglorius rediit. C) Mathias Archidux, armorum gloria illustris Princeps, urbem erepturus erat anno millesimo quingentesimo nono, nisi tempestas, omni hoste atrocior, pro Buda dimicasset. Eadem quadriennio post, præclaros Mathiæ conatus infregit, ac victoriam propemodum e manibus extorsit. D) Quo successu duobus ab hinc annis a Lotharingo, ac Bavaro Ducibus oppugnata fuerit, profusa enarratione supra prosecutus sum.

Jam

A) Hinc secula discant
indomitum nihil esse pio. Claud. de IV. Cons. Honor.

B) Ducto scilicet calculo a diuturna Solymani II. tyrannide. Fuit quidem Buda ab isto urbium domitore occupata anno 1526. at post quinque, & decem dies deserta. Eam intravit Joannes Zapolius; anno sequente Ferdinandus Rex. Mox Solymanus biennio post eandem subigit, traditque Zapolio. Altero anno oppugnatur a Ferdinandeis frustra, uti & post decennium, & rursum anno insequenti. C) Ad annum 1541. D) Ad annum 1602. Vide Tom. I. pag. 274.

Jam si quis ad calculum revocarit omnes, qui per occasionem istius urbis, aut obsidendæ, aut liberandæ occisi, vel capti sunt, magnum professo numerum reperiet; neque a vero aberraverit, si decies centena millia hominum, partim in servitutem abrepta, partim vario mortis genere confecta dixerit. Sic uno seculo, & fere dimidio infensis armis pugnabatur ad Budæ mœnia, quasi victoriæ præmium Europæ Imperium esset. Tanti est orbi terrarum Buda. A)

A. C. 1686.

Interim Vezirius ad Albam Regalem se continuit, per fidos agrestes explorans, quid victores molirentur? quo arma verterent. Intellecto, militi profectionem indictam, & jam sexta Septembris partem exercitus Ertsinum movisse, e re fore existimans, si victori, viribusque præpotenti hosti cederet, nusquam sui copiam faceret, conclamatis illico vasis, Eszekinum prævolat, dimisso prius Tartarorum equitatu ad urendam regionem juxta Danubium frugum ubertate lætam, qua Christianorum copiis iter erat. Ipse quoque sævissimus populator terræ, quam a populationibus vindicare debuerat, ubique crudelitatis vestigia reliquit. Arserant tunc pleraque oppida earum provinciarum, quæ infra Budam Danubio, & Dravo clauduntur, cum non modica parte Sclavoniæ, abductis incolis in durissimam servitutem, aut interfectis. Unde per evastatam regionem lenta admodum, ac difficilis profectio fuit, crebroque commeatuum causa, qui a tergo subvehendi erant, magna utilissimi temporis jactura adhæsum. Földvarino B) plurium dierum frumento accepto, ad amnem Sarviziam perventum est. Restitutis pontibus, quos hostis exusserat, nuncii referunt: Vezirium Eszekino Belgradum abiisse, nec facile manus conserturum, sive Imperatoriis mandatis constrictum, sive potius sinistrum prælii exitum metuentem. Igitur Duces spe congrediendi frustrati, bipartito exercitu urbes invadendas decernunt, quod consilium Leopoldus Cæsar iisdem diebus per Celeres probavit. Ludovicus Badensis jubetur cum Scherffembergiano milite, præterea tribus, & decem legionibus Quinque-Ecclesias, urbem sat validam, extemplo aggredi; Caraffa cum reliquis copiis, quæ superiorem Hungariam pro stativis habituræ, Szegedinum, incassum hac hyeme tentatum, petere. Lotharingus novem duntaxat legionibus moderabatur. Bavari, Borussi, aliique milites auxiliares, non invito Cæsare, in hyberna abiere; atque ut Vezirio persuaderetur; Cæsareos ingravescente autumno, hyberna quoque petituros, totus exercitus Coloczam C) reductus est. Hic Lotharingus validum e navibus pontem Danubio imponit, geminisque castellis claudit, ne eo per hostem interscisso, auxiliis iter præcluderetur. Duces utriusque expeditionis cum omnia tuta renunciassent, tertia decima Octobris Viennam abscessit.

Badensis, antequam se a metu colligerent hostes, adeo præter opinionem celeriter Simon Tornyam, vallo incinctum oppidum, aggressus est, ut illico certis conditionibus se dediderit, præsidio quingentorum peditum cum armis abire permisso. At Quinque-Ecclesiæ, urbs munitione, & milite firma, vim parabat. Incenso oppido, ingenti numero in urbem confugiunt, ac depactis sex rubescentis, uno atri coloris vexillis, animosius, quam constantius obsidionis incommoda perferre decernunt. Præmissi equites, qui flammas restinguerent, insigni pugna ante oppidum, seu Palankam, commissa cum Turcis, multum frumenti, & spoliorum voraci elemento præripuere. Positis circa urbem castris decima quarta Octobris, Scherffembergio cum Croatarum manu opportune adveniente, obsessorum pervicacia paucis post diebus est fracta. Nam cum Badensis animadverteret, fontes tantæ multitudini hominum, & pecorum haud quaquam suffecturos, inciso aquarum ductu, siti, improviso malo, cives confecit, ac minima

A) Vide de his R. P. Ladislaum Turoczium e. Soc. Jes. in sua Hungaria. B) Földvarinum oppidum vastum, olim terreo munimento validum, provinciæ Tolnensis. C) Colocza vetus Romanorum municipium in provincia Bacsiensi, quod barbarorum furor prope in solitudinem redegit.

A. C. 1686. nima Regis impensa, nulla militum jactura, urbem subegit. Præsidiarii, quive arma temere sumpserunt, omnes captivi abducti sunt, multiplex præda militi concessa. A) Interposita tridui quiete, Siklosiam arcem monti insidentem accessit. Verberatis muris, ubi assilientium paratus videre Turcæ, se, arcemque arbitrio victoris dediderunt. Hoc modo Quinque-Ecclesiæ, Siklosia, pluraque ad Dravum loca, quæ ante centum, & quadraginta tres annos B) Solymanus II. victor occupaverat, potestatis Regis Hungariæ sunt facta. Restabat in eo tractu ad Dravi confluentem Darda, Eszekinensis pontis firmum munimentum; quippe terreo opere, ac palis egregie circumvallatum, ad pontis custodiam a Solymano erectum, & procedentibus annis a variis copiarum Ductoribus auctum. Verum post trepidam Vezirii fugam præsidiarii non modo excesserunt loco, sed ipsum munimentum funditus everterunt, ut adeo levior equitatus eo jussus præcurrere, præter disjectam molem nihil operis repererit. Pontem quoque metu appropinquantis exercitus, spatio quingentorum passuum inflammaverant, nihil veriti tot suorum millia contra, ac Darius olim senserat, in adversa parte hosti relinquere. C) Necdum consumpta militum alacritate, Kaposvarinum obsideri cœpit. Oppidum arci subjectum illico victores admisit. Arx multum negotii factura erat, ni Præfectus summa vecordia deditionem festinasset. Eo Szigethum deducto, Scherffembergiani in Croatia, reliquæ legiones in captis modo provinciis hyemem egerunt.

In superiore Hungaria Caraffianum agmen binis felicibus præliis, & vindicato Szegedino expeditionem absolvit. Quinta Octobris, ut Szegedinum perventum est, sine mora obsidionales paratus fiunt. Lavergnia Marchio, cui pro Caraffa morbo impedito obsidendi cura tradita fuit, dum intrepidus situm loci speculatur, pila majore exanimis sternitur. Alii commemorant, Lavergniam cum manipulo equitum inconsulto irruisse in oppidum, atque a barbaris, e præsidio haud cunctanter erumpentibus, post cruentum certamen multis vulneribus confossum; equites Ducis casu turbatos fugam certamini prætulisse, ac plerosque cæsos. Delatum copiarum imperium accepit Vallisius, multorum stipendiorum impiger Tribunus. Hic infra Szegedinum, Tibiscum fluvium firmissimo ponte claudit, & parte equitatus in ulteriorem ripam deportata, spem accipiendæ externæ opis undique occlusis imminuit: deinde eodem ardore dispositis tormentis, præsidium profunda fossa, turribus, murisque permunitum acerrima verberatione fatigat. Fervente oppugnatione, globus Tartarorum pabulatores, sine ullo præsidio per agros vagantes, improviso aggressus, non paucos obtruncat, sexaginta e Croyana pedestri legione cum vehiculis capit. Barkocziani Hussari vicem reddidere, cæsis his centum, relatis aliquot signis. Non multo post amplior occasio se obtulit priorem cladem vindicandi. Sex Tartarorum millia ad Tibiscum se collegerant, his accessura dicebantur plura Janicsarorum ad solvendam obsidionem a Vezirio destinata. Id posteaquam relatum est Vallisio, Veteranium Comitem ad eam procellam dissipandam cum sex Germanorum, & Hungarorum millibus propere immittit. Is raptim actis legionibus, nocturno itinere in hostes movet, sui tamen adventus famam prævenire haud potuit. Cum enim per cæcam, intempestamque noctem, in duo agmina divisus miles incederet, & ne pars una aberret, aut celerius prælium conserat, sibi signa mutuo darent, non fefellere excubitores, qui in castra effuso cursu delati, hostem adesse nunciarunt. Prima luce collatæ in medium sarcinæ, & prout locus patiebatur, instructa acies. Nec Tartari certamen detrectaverunt peditum, equitumque Turcarum legionibus aucti, & numero longe superiores, quam Cæsarei.

Sed vix concurri cœptum est, sinistrum cornu, quod Tartari faciebant, continuo inclinavit. Janicsari, & Spahii ad Zentham non intermisso prælio

A) Porta Ottomanica. Paulo aliter Historia Magni Leopoldi. B) Vide Tom. I. pag. 156. C) Darius intacto ponte maluit iter dare, quam auferre fugientibus. Q. Curtius Ruffus L. IV. C. XVI.

prælio signa referunt; defensionem objectis carris, & trabibus parant, fistulis invasores arcent. Dimachæ more suo equis desilientes, revulsis impedimentis, post acre magis, quam longum certamen, vicum obtinent. Spahii in fuga ab Hungaris, Janicsari a Germano ad satietatem cæduntur. Præda omni potiti Cæsarei, re bene gesta Szegedinum revertuntur. Paulum progressi incomposito agmine, conspiciunt Tartarorum turmas iter obsidere, ac eminus densissimam pulverum nubem attolli, haud dubie hostilium copiarum indicium. Igitur Veteranius ad novam pugnam, victoriamque incenso milite, in patenti campo acie composita, hostem quantumcunque numero validum opperiri statuit. Audax Ducis consilium, militis virtus omni temeritate absolvit. Dena & amplius Turcarum millia præter Tartaros, Vezirii jussu ad opem ferendam Tibiscanæ regioni Belgrado adfuerunt, cognitaque paucitate Cæsareorum, in spem venerunt, posse eos opprimi in itinere spoliis graves, & pugnæ securos, simulque castra ad Szegedinum exscindi. Neque diu morati, ubi aperto loco tenuem aciem in conspectu habuere, Spahii effusis habenis suo impetu magis, quam cujusquam ductu, aut imperio pugnam capessunt. Incompositos non excipiunt modo Cæsarei firmo gradu, sed sparsa pilarum grandine in confertos, adeo primos pessime mulctant, ut etiam integri, intactique inconsultum suum ardorem damnarent. Meliorum hortatu rursum omnes in pugnam redeunt, & quoniam multitudine præstabant, Cæsareos circumdant, atque ex omni parte ferociter impetum retentant. Hungari non minus, ac Germani irruentibus frontem obvertunt, audacissimum quemque destinatis ictibus conficiunt, servatis ordinibus, ut cœperant, constanter in orbem pugnant. Cum densam aciem perrumpere haud possent, fugam composite, & ex meditato captant ad vicinum collem, quem sex, & viginti colubrinis, tum sex centum peditum manu muniverant. Hic suam armorum sedem hostis fixerat.

Nec ideo cesserunt animis Cæsarei. Novo ardore insequuntur fugientes; pars in Tartaros, pars in Janicsaros fertur. Singulare fuit, & certæ victoriæ prodromus, quod nusquam hiantes ordines, arcte inter se conserti in collem eniterentur. Solutis colubrinis cum modica jactura, Cæsarei prolato gradu cominus pugnam conserunt, ac perpetuis ignibus nutantem undique defensorem proturbant. Dejectis Janicsaris, omnis equitatus in fugam effunditur. Occidione occidi potuisset, nisi Veteranius insidias suspicatus, militem ab insequendo hoste cohibuisset. Fugatis in hunc modum, ac cæsis auxiliaribus copiis, Szegedinum quinta decima oppugnationis die deditionis leges accepit. Nam Veteranius cum multiplici præda in castra redux, per interpretem obsessos monuit, ut ne auxilia a Vezirio sperarent, quæ magnam partem cæsa Belgradum abscesserint, nec adultiore autumno reditura. Celeri deditione direptionem, & cædem averterent. Illi suorum infortunio perculsi, duos primarii nominis Præfectos ad Vallisium ablegant, qui paciscantur. Facile in has conditiones conventum. Præsidiariis, & civibus Turcis fas esto migrare Temesiam cum liberis, uxoribus, & fortunis. Annona, paratus bellici sine fraude Cæsareis reddantur. Hisce pactis Szegedinum a Solymano illo Hungariæ terrore subactum, jugum multorum annorum exuit. Urbs Csanadinum, A) & arx ejusdem nominis, Regum Hungariæ deliciæ ad amnem Marusium, cœli salubritate, quam bellicis aggressionibus nobilior, non expectata vi, Vallisio se sponte tradidit.

Hæc porro præsidia nullo fere impendio subacta, quemadmodum explicandis copiis opportuna, lætissima stativa Cæsareis præbuerunt, ita contra Ottomanum, & Tôkôlium magnis in dies conflictatos angustiis, ingentibus commodis everterunt. Quippe asserto Szegedino, Tibisci fertilissimus ager, usque ad Danubium amœnissimo tractu protensus, hacque æstate intactus, in nostrorum potestatem venit, simulque iter Szolnokinum apertum, ubi valida statio Cæsareorum. Urbs vero Csanadinum, quæ provinciæ fecisse nomen fertur, in libertatem vindicata, ingens momentum attulit,

A) Csanadinum urbs Episcopalis. Arx ad ripam Marusii exædificata in ruinas abiit.

A. C. 1686. attulit, quod per Marusium minime impeditus esset cum Szegedino commeatus; atque Gyula, Varadinum, Turcici juris præsidia, omni e latere occlusa tenerentur. Præsenserat ista Tôkôlius, ideoque non cessabat per literas, per nuncios admonere Mahometem, & Vezirium, A) ut sibi validiores copiæ submittantur, quibus oram Tibisci non tueri modo, sed Transylvanum quoque Principem a Turcica societate aversum, & proxime ad Leopoldum Regem transiturum, armis coercitum in Turcarum obsequio retinere posset. Nec dissimulavit dolorem, quem e periculo Munkacsiæ hausit, oravitque extremis Mahometem precibus, ut conjugem cum liberis diuturna obsidione laborantem, ne præda Germano fieret, in suam fidem, patrociniumque suscipiat, ac milite, & pecunia pro sua potentia, omissis aliis, serio adjuvet: veluti in illius arcis libertate totius Imperii Turcici salus versaretur. Hæc, & alia nunc Mahometi, & Vezirio, nunc suo Oratori Adrianopolim nunciavit, addiditque: obsessis annonam anno integro abunde suffecturam; contra vim autem, & aggressionem satis a loco, atque munimentis cautum; sed præsidiariis non perinde constantiam duraturam, ac conjugi suæ, cui mors deditione levior. Hujus fortitudine rupes invicta multis jam mensibus stetit, stabitque in posterum, modo toties implorata auxilia accelerentur.

Mahometes Imperator, ubi Tôkôlii multo minores, quam spoponderat, progressus, Munkacsiæque periculum e frequentibus nunciis intellexit; Regios vero arma, & victoriam ad Tibiscum circumferre; increpita Varadini Præfecti mora, festinare illum, solvendæque obsidioni vim omnem, ac celeritatem adhibere jussit. Sed Præfectus excusata paucitate militum, quos sub signis habuit, Vezirio significavit; B) Varadinum, & Gyulam exitio proxima fore, si inde extracti præsidiarii ad Munkacsiam obsidione eximendam agerentur. Ipsos quoque milites ingenti periculo, multis certaminibus objici. Sex dierum iter non paucis amnibus, ac vernis pluviis supra modum auctis abruptum, ac fortassis a Germanis insessum, per hostium terram conficiendum. Sine manifesta clade hanc longinquam expeditionem suscipi non posse. Tôkôlium (quem Principis C) appellatione sua in Epistola ornat) primis statim a suo adventu mensibus ad Munkacsiam oculos adjecisse; ultra Samusium amnem cum aliquot millibus armatorum profectum: & quamvis hostium, locorumque, qua eundum, ingenia unus omnium quam optime nosset, tamen ad famam Cæsarei militis, re infecta trepide rediisse. Nunc difficultates vehementer auctas; nec tanti faciendam Munkacsiam, ut ejus causa cuncta præsidia superioris Hungariæ pessumeant, quibus alioquin pernicies impendet, nisi exercitus magnis rebus gerendis par, ad Tibiscum hac æstate consistat. Hæc Varadinensis.

Vezirius de Danubio magis, quam Tibisco solicitus, utrumque spe auxilii ducere constituit; Tôkôlio tamen, ut conventum erat Belgradi, ad contrahendum, alendumque militem vicena millia D) Imperalium e Mahometis ærario numerari jussit, pollicitus, non omissurum (uti ad eam diem non omisit) pecuniario subsidio, & milite partes Hungarorum in eo tractu tueri, non minore cura, quam si ipse suo ductu bellum ad Tibiscum gerere deberet, modo cœptæ expeditioni fidus, strenuusque Dux insistat. Sed quemadmodum Vezirius splendidis promissis non stetit, ita plane Tôkôlius totam æstatem sine operæ pretio in campo exegit, etsi in omnem partem impi-

A) Plerasque epistolas ad suum Oratorem, aut Alexandrum Maurocordatum, præcipuum linguarum orientalium interpretem apud Mahometem, Adrianopolim, aut Byzantium dedit Tôkôlius. B) Octava Aprilis hujus anni; ut lego in epistola Varadinensis Præfecti ad Vezirium scripta. C) Imo ab ipso Vezirio, præcipuisque Purpuratis Principis appellationem perquam liberaliter accepit Tôkôlius; & anno 1680. in Divano a Vezirio, Daciæ Principatum obtinuit, sed quem armis suum efficiat. Anno vero 1682. a Mahomete IV. superioris Hungariæ Princeps renunciatus est dato Diplomate, quod subinde in capta Munkacsia repertum, & vulgatum Tom. II. Portæ Ottom. pag. 428. D) Epistolæ Tôkôlianæ referunt XX. bursas, sive crumenas nummis aureis oppletas, in usum belli suppeditatas. Cæterum Bursæ singulæ apud Turcas, argentea moneta graves, efficiunt quingentos imperiales nummos, ut Ricautius locuples author pag. 37. aliique rerum Ottomanicarum Scriptores affirmant.

impiger se verteret, modo Hungariæ, modo Daciæ infestus. Et consenuisse visa est hominis fama, fortunaque, adeo nihil e sententia cessit. Neque enim veterem suam militiam Leopoldo Regi jam authoratam (de cujus secessione minime dubitavit, scripsitque ad Vezirium: primarios Ductores occasionem circumspectare animo, quo Turcicis partibus relictis magis, quam damnatis, se reddant) ab obsequio retrahere potuit, demptis perpaucis, qui specie libertatis, aut religionis illecti, aut verius prædandi licentia capti, arma junxerunt.

A. C. 1686.

Cum his, atque Tartarorum turmis ancipiti potius concursatione, quam justo bello ditiones Regias infestavit, gravi Germano velitarem equitum celeritatem nunquam assequente. Tum si premeretur, evitata prælii necessitate, Temesiam, aliasque urbes Ottomanici juris, aut Transylvaniam contento cursu petere, inde rursum non aliis, ac in novam fugam se servandi, animis erumpere, & Munkacsiæ causa nullis impendiis, nulli labori parcere. Ubi videt aperta vi parum procedere sua tentamenta, pacatior Daciam intrat. Procerum animos sibi in primis conciliare studet, ipsum Apaffium occultis cuniculis subruere, suasque in partes pertrahere summa cura adlaborat. Ostentat aureos montes, si in Munkacsia liberanda operam accommodaret suam: id est, si hostem se Leopoldi Regis profiteretur, & onere difficillimi belli suscepto, se, provinciamque in decumanos fluctus præcipitem ageret; ipse naufragum e portu eminus aspecturus, mox Principatum, cui insidiabatur, Turcarum favore tumidus invasurus. At non is erat Apaffius, qui corrivalis gratia perniciem sibi, interitumque cum jactura nobilis provinciæ quæreret. Imo ludificato sat diu Tőkőlio, clam primum Proceribus, cœptum pacificationis negotium cum Leopoldo Rege, maximo commodo Transylvanorum octava, & vicesima Junii Viennæ absolvit, internuncio potissimum, ac præcipuo instrumento Joanne Hallero. A) Cavebatur autem inprimis solicite, quod Apaffius oraverat, ut non nisi paucissimi, iique perspectæ fidei aulæ ministri in conscientiam hujus fœderis venirent, ne nondum maturis rebus, vel tenuis rumor ad Ottomanos effluat, qui profecto inductis exercitibus, ab inermi provincia graves pœnas exigerent, & saluberrima cœpta in ipso limine suffocarent. Ad Tőkőlium nihilominus, rumorum percupidum emptorem, B) quidquid in secretiori Senatu Cæsaris tam prudentis, & circumspecti agitatum fuit, nescio quo canale, emanavit.

Is eadem fere tempestate, qua sub manu fervebat de pace colloquium, superiori, & præsenti anno obortas lites, cum Apaffio Principe, & Transylvaniæ Ordinibus sine strepitu armorum componere satagebat, missis per legatum suum Claudiopolim (nam tunc Tőkőlius Temesiæ agebat) conditionum capitibus, quorum hæc summa fuit: Tőkőlius perinde, ac Apaffius, titulum Principis, Mahometis authoritate repetitis vicibus stabilitum, retineat, ac tali appellatione a Transylvanis salutetur. Ad publicos Daciæ conventus, ut alii Proceres, evocetur; publicis consiliis intersit, quoties de rebus majoris momenti agetur. Ejus Legatis, cursoribus, tabellariis, sive ad Ottomanorum Imperatorem, sive ad Reges Galliæ, Poloniæ, aliosve Principes Christiani nominis expeditis, per omnem provinciam liber commeatus detur, neve Transylvanorum opera, vel incuria hujusmodi administris itinera intuta sint. Libellorum autographa, epistolæ, pactiones, aliaque instrumenta literaria quocunque jure ad Tőkőlium pertinentia primo quoque tempore reddantur. Apaffius duo millia armatorum Tőkőlianis adjungat, suoque ære, quamdiu bellum protrahetur, alat. Vim frumenti, pecorum, vini, singulis annis in castra Tőkőliana mittet, hocque gratuito subsidio populationes suarum ditionum redimet. Reconciliationis capita interposita fide trium virum, Telekii, Csakii, Betlenii Transylvaniæ Comitum, firmentur, & in limitibus Daciæ, Principes mu-

 tuo

A) Annales Hungariæ pag. 47. ad annum 1686. B) Ejusmodi rumores quam plurimos ad Vezirium perscripsit Tőkőlius, ut MS. testantur.

A. C. 1686. tuo datis, acceptisque obsidibus veterem amicitiam jurejurando instaurent.

Hæc talia prodiverunt ex officina aulæ Byzantinæ, A) consilio Solymani Vezirii. Num vero vel in speciem postulatis subscripserit Apaffius, non habeo dicere. Illud certum, eum a Tököliо perfidiæ, ac proditionis insimulatum apud Ottomanos, tamque atris coloribus depictum, ut nisi omnes vires ad Danubium conversæ essent, haud dubie bello impetendum credebant. Sed Budæ defendendæ cura, mox amissio, dein gravior per Hungariam armorum moles vindictam distulit, non avertit, omnisque ira in filium, Michaelem II. Apaffium, paternis vestigiis insistentem, effusa est, ut ad annum nonagesimum supra millesimum sexcentesimum dicturus sum. Cæterum Transylvania a Turcarum amicitia avulsa, Leopoldus Cæsar spes longius, nimirum in Valachiam, & Moldaviam jecit. Ad istarum regionum Principes Ottomanicæ societati, injuria temporum magis, quam sponte sua innexos, Comitem Csakium, B) aciei structorem, claritate natalium, & armorum fama insignem legavit, ac utrumque, ut fœderi quamprimum accederent, peramice invitavit.

Illi conditionem haud aspernari sunt visi, læti occasionem ultro oblatam, plurium annorum tyrannidem a cervicibus suis amoliendi. Sed mox periculi magnitudine ambigui, nutantesque, quod Turcarum agminibus septi, omnibus belli injuriis paterent, si quid pro re Christiana palam susciperent, nondum occupata per Cæsaris militem vicina Transylvania, suspense negotium cum Csakio transegerunt; ita in omnem fortunam consiliis dispositis, ut si Ottomanorum vires penitus frangerentur per Confœderatos, ipsi quoque arma corriperent in superbos Dominos, atque Valachiæ, Moldaviæque provincias jure belli captas in se, suosque posteros trasferrent; si apud Ottomanos victoria futura esset, suas etiam in eodem statu mansuras res, neque ultro quidquam movendum. Sic futurorum metu anxii, ac in eventum belli intenti, matura deliberatione rebus suis consultum ibant, haud ignari: FACILE reperiri portam, qua bellum ineas, difficile, qua exeas, teque, jacta semel alea, impendentibus belli incommodis subducas. Valachiæ Princeps, quod unum facere tuto licuit, Leopoldum Cæsarem commonefecit literis: *Vezirium Solymanum, rudem, inconditam barbarorum turbam sub signis habere, atque in numeroso quamvis exercitu pauca admodum millia justi militis censere. Tartarorum Chamum ægre inductum, ut hoc anno in Hungariam suas turmas expediret, offensus crudo, severoque Vezirii imperio, ac novo onere Tartaris imposito. Si Cæsar, si Fœderati Principes, conjuratis viribus belli reliquias persecuti fuerint, Valachiæ, & Moldaviæ populos expectatæ ultionis socios futuros. Ita suam gentem a Majoribus institutam, ut illuc se demum deferat, unde spes potentiæ amplior affulserit. Sed ante omnia eo connitendum Cæsari, ut Michaele Apaffio suas in partes attracto, Transylvaniæ præsidia Germano milite insideat, ac ostenso armorum paratu, finitimos Valachos, Maldavosque, spe propinqui auxilii, ad fortia consilia excitet, Munkacsiam pro sua magnitudine virium prius evertat. Hoc obice semel sublato, superiorem Hungariam pacatum iri, & Tökölio amissa conjuge, in publico, privatoque vulnere & animum, & vires defore rebellandi.*

Hæc Valachus Cæsari maxumopere commendasse dicitur, ut Tökölius ad Vezirium perscripsit: nisi fortassis de industria talia finxerit, quo Valachi fidem suspectam redderet, eique odium conflaret apud Ottomanos, atque suæ Munkacsiæ, cujus in libertate Hungariæ superioris, & Turcarum fortuna, hostium etiam judicio propemodum sita esset, repetitis precibus imploratam opem extorqueret. Sed nihil profecit hac machina Tökölius: sive

A) Ita colligo ex literis ad Tökölium datis Byzantio. B) Huic Csákio Ladislai nomen erat, ut didici ex literis Tökölii, quive captus Constantinopoli fuisse in iisdem narratur. De hac legatione Csakiana meminit quoque Descriptio Antiquæ, & Novæ Pannoniæ pag. 750. cujus author Balthasar Hannius, præsenti anno scribere desiit.

sive Vezirius ejus animum jam tum introspexerit, avidum Principatus Valachiæ, quem biennio post vi invadere tentabat, sive e re Turcarum minime existimarit, ejusmodi criminationibus credulas aures præbere, ac nutantem, dubiumque socium admotis armis in castra hostium propellere, & partes firmare; sive denique Valachus remittente paulatim, quem ceperat, ultionis impetu, æque fidum, atque annis superioribus se Turcis exhibuerit. Illud constat: Dacia Leopoldi fidei commissa, evanescente conspiratione nihil Valachos palam molitos, & non nisi duobus a Csakii legatione annis, adversus Tökölium auxilia poposcisse ab Austrica Domo. Nec pro Munkacsia felicius laboravit, quæ nullo loco jam fuerat apud Vezirium perdita Buda: ut adeo facile sentire potuisset Tökölius, Turcas res suas unice curare, aliorum fronte otiosa negligere, nisi cæca dominandi libido omnem sensum extinxisset. Ita miser præsentium, futurorumque malorum imagine confusus, ceu naufragus, multiplices vias quæsivit, at non reperit, semet in pacatum portum ejiciendi, luctaturus, dum vivet, cum fluctibus, in quos se sponte conjecit.

A. C. 1686.

In Croatia, ut & huc digrediar, non quidem magnarum urbium obsidiones, aut cruentæ pugnæ patratæ, arma tamen non impigre circumferebantur. Makarius Pro-Centurio, militia clarus, cum suis popularibus Orakoviczium, Turcarum oppidum, primo impetu obtinuit, præsidiariis (erant circiter quingenti) partim cæsis, partim captis. Locum, cum a cæteris stativis remotior, & hostium procursionibus expositus esset, egestis prius spoliis, ignibus delet, agrum illius regionis celeriter percurrit, ac omni clade evastat. Fuedukes Bassa revocato a consternatione animo, delectus instituit, seque ad delendam labem sua incuria acceptam egregie comparat. Contractis aliquot millibus apud Dravizam metatus, Verovitiziam per insidias opprimere volebat. Makarius evocatis Carolostadio aliquot signis legionariorum, occultis callibus in hostem ducit, tectusque tenebris, adeo improvisus castris affunditur, ut eodem tempore & hostem adesse, & castra capta Ottomani sentirent. Itaque cum nec numerum Croatarum cognitum haberent, & nox simul formidinem augeret, simul fugæ pudorem imminueret, una omnes aversam castrorum partem trepidi petunt, ac ne stricto quidem acinace, opulenta spolia victoribus concedunt. Pauci in eo nocturno tumultu occisi, plures somno graves in tentoriis occupati. Postridie levior equitatus ad retrahendos e fuga dimissus, raros admodum captivos in castra pertraxit, quod spatium fugiendi nacti, in profundos saltus, montesque inaccessos se plerique contulerint. Hac hostium trepidatione cognita, visum est Makario, huc atque illuc arma, & victoriam in celeritate positam circumferre potius, quam militum alacritatem obsidionis mora consumere. Præda in tutiorem locum convecta, divisis agminibus provinciæ hostiles sine metu invaduntur, populationes, & incendia latissime fiunt, A) Fueduke tristes flammas eminus aspiciente, neque auso huic eluvioni pectus objicere. Posteaquam nemo hostium se commovit, collectis amplissimis spoliis, ac multis mortalium millibus pristinæ libertati restitutis, stativa repetiit Makarius. Quid Schulzius? quid Erdödius Banus cum nervo exercitus in Illyrico egerint? ego etsi diu, multumque, quos præ manibus habui, Authores tererem, ne leve quidem vestigium reperi. Id unum Porta Ottomanica prodidit, B) Schulzium hac æstate febrili æstu extinctum, provinciam Illyrici reliquisse Comiti Scherffembergio; hunc non nisi expugnata Buda eo delatum, Badensi perutilem operam suis cum copiis præstitisse.

Solymanus Vezirius Belgradi moratus, cum alia super aliam clades annunciaretur, de animo Imperatoris sui multum solicitus, sinistrum expeditionis eventum, in multitudinem hostium, & violati fœderis ultorem Deum conjecit, datamque Constantinopolim epistolam non dubitavit impudenti mendacio aspergere, Confœderatorum exercitum centum sexaginta millium repertum, ut adeo singulis Turcis cum denis fere Christianis ad

Budam

A) Annales Hungariæ pag. 46. enumerant loca quæpiam. B) Tom. II. pag. 361.

A. C. 1686. Budam dimicandum fuerit. Id quod captivi metu pœnarum, aut ſpe libertatis impulſi, jurejurando poſtea affirmarunt. Se vero præſtantiſſimi Ducis partes ſuſtinuiſſe, ſive dum per media caſtra auxiliares copias obſeſſis miſit, ſeu dum acie conflixit ante caſtrorum valla, ſeu dum maturo receptu Eſzekinum ſine detrimento evaſit, primarii nominis Præfectos teſtes citavit, qui non ſecus, ac rogati erant, mendacia novis mendaciis cumularunt, miſſo ad Imperatorem peramplo teſtimonio. Is tanto ſe præbuit Vezirio faciliorem, favore militum alioquin anxius, cæterisque Ductoribus, quanto per eos dies graviorum motuum indicia pluribus locis eruperunt, quos non aliter putavit ſedari poſſe, quam ſummi Vezirii authoritate, ac militum præſidio. Byzantinos duarum clariſſimarum urbium, Budæ, & Epidauri A) amiſſione ægros, prope in ſeditionem egit unius Sacerdotis inconſultus dicendi æſtus, quo homo fanaticus abreptus, Imperatorem in principe Moſchea (ubi cum infinita hominum multitudine, in tam arctis Imperii rebus, exquiſitis religionibus Mahometem Prophetam ſibi, ſuisque placabilem reddere fruſtra deſudavit) ſermone criminum pleno, audaciſſime perſtrinxit. Inter cætera, omiſſo diſcrimine verane, an falſa forent? criminabatur: *Imperatorem pecuniam publicam militi deſtinatam avertiſſe, ac voluptatum dulcia conſectando, inter greges pellicum turpiter abliguriiſſe; vaſtiſſimi Imperii mole, bellorum curis in miniſtros aulæ rejectis, abditum umbraculis hortorum, aut ſaltuum, ut ignavum animal, cui ſi cibum ſuggeras, jacet, torpetque; blanda, ac ſuavia otia effuſius quærere, quam fortiſſimi populi rectorem condeceat; omni vigore animi extincto tot clades præteritas, inſtantes, futuras ignaviſſimum mortalium pari oblivione dimiſiſſe. Alios Imperatores pro ſalute civium perpetuo in armis ſtetiſſe, ſuo ductu difficilima bella confeciſſe, hunc luxu marcere, & in excidio nobiliſſimarum urbium prodigis epulis, ganeaque ſuas libidines ſatiare.* Hæc talia in os Imperatoris non verebatur objicere, circumſtantis populi gratia metum vincente.

Libertate dicentis etſi vehementer commoveretur, tamen cum non unius, ſed multorum civium, eadem frementium, vocem percipere videretur, & quædam non falſo ſibi objici pernegare haud poſſet, ne accenſos multitudinis animos magis incitaret, ferocientem adhuc, & plura dicere parantem comiter accepit. In aulam redux, compendia impenſarum facere inſtituit, dimiſſo venatorum grege, quos populus diris omnibus devovebat. Et quoniam nunciatum erat, pecuniam in ſtipendium, & veſtimenta exercitibus deeſſe, maximaque nomina per Quæſtores in caſtris contracta, tantum æris e ſuo ſuppeditavit, quantum præſens neceſſitas poſtulabat; nec quidquam deſideratum apud exercitus, ac ſi ex opulento ærario, ut quondam, omnia adminiſtrarentur. Hoc opportuno beneficio non militum modo animos ſibi arctius devinxit, ſed plebem quoque irritatam, & graviora onera in dies metuentem, placavit. At brevi ſe ad ingenium ſuum retulit, & veluti beneficii memoriam in ſummis Reipub. anguſtiis præſtiti, vellet extinguere, multo turpius, ac unquam alias, opes corraſit, deinde intervertit. B) Et promptum fuit homini alieni appetenti, ſui nimium profuſo, pictis nominibus nova tributa imperare, quod ea bono provinciarum ceſſura ſponderet, neque bellum geri poſſet ſine hoc nervo, exhauſto alioquin Imperii ærario. Cœpta eſt autem nova tributi ratio Byzantii, initio ſumpto a primis aulæ ſyderibus, quo licentius in minorum gentium Purpuratorum, & ignobilis vulgi poſſeſſiones ſæviret. Soltana Kaſachis C) plures per annos

A) Epidaurus, Italis Napoli di Malvaſia, urbs validiſſima Peloponneſi, ſive Moreæ hoc anno expugnata a Venetis.

B) Ac velut exhauſta redivivus pullulet arca
Nummus, & e pleno ſemper tollatur acervo
Non unquam reputat, quanti ſibi gaudia conſtent. Juven. Sat. VI.

C) Kaſachis Soltana tum floruit in aula Byzantina, non Valide Imperatrix, ut erronee putat Porta Ottomanica pag. 266. quippe hæc fato ſuo defuncta jam erat anno 1682. ut eadem Porta pag. 225. refert, & ego ſupra retuli, niſi fortaſſis idem vocabulum cunctis Imperatricibus tribuatur, ut apud Græcos olim Irene.

annos immensam auri vim, multam quoque supellectilem convasaverat, sæpe a domesticis, ab exterorum Principum Legatis opulentis muneribus empta, ad molliores in aulam aditus faciendos, aut negotia cum Imperatore ex animi sententia transigenda; neque enim prosperum tuarum rerum exitum speraveris, nisi hoc Byzantinæ aulæ oraculum multo auro propitium tibi feceris ante, quam legationis summam exponas, aut responsa urgeas. Tanta gratia, authoritateque plerumque florent Soltanæ, ut belli, & pacis potentes, ceu Imperii socias, se ambitiose venditent apud Legatos; atque domesticis non raro persuadeant, e suis manibus aulicas, militares, provincialesque dignitates pendere, & fluere. Hæc ditissima opum vena. Altera non inferior. Bulgarorum gens a Turcis subjugata, Soltanæ, seu primariæ Imperatoris conjugi tributaria est facta, singulisque annis statum vectigal pendit. E perenni hoc fonte ingentes divitiæ in Seraglium derivantur. A)

A. C. 1686.

Et tametsi Kasachis ab Imperii administratione remotior, ac aliæ Soltanæ, tamen pecuniarum cupida, occasionumque haud negligens, quibus solitos in aula quæstus exerceret, ingentes thesauros coacervavit; recepto jam more, ut perinde Soltanæ, ac Imperatores, exquisitis muneribus colantur, quoties Legati Byzantium adeunt. In hos dudum oculos conjecit Mahometes, nunc ære vacuus, obtenta publica necessitate manus immisit, maximamque eorum partem asportavit, læta in speciem Soltana, quod difficillimis temporibus inopiam Imperii, ex quo crevisset, privatis suis opibus sublevare posset, unde legiones Ottomanicæ insequenti anno alerentur, novis supplementis augerentur, commeatu, & instrumento bellico instruerentur; quasi pecunias ad tempus Reipublicæ commodaret, receptura eas cum fœnore, ut primum absoluto bello pacatiores res Imperii fuerint. Supremi Præfecti Seraglii B) divitiæ prope pares erant, certe privati hominis fortunam vicerunt. Sed ille humana reputans, ita amplissimas suas opes divisit, ut partem alteram conservaret Byzantii, alteram Memphi, quam diligentissime occuleret, ea cogitatione utique impulsus (quemadmodum futurorum non improvidus erat) ut si opibus exuto aula cedendum esset, haberet Memphi, unde sibi, suisque servitiis, vitæ alimenta peteret. Nec procul aberat a casu, quem sibi instare animo providebat. Nam cum altero ab hinc anno Mahomete pulso, Solymanus III. Imperator proclamaretur, ministris aliis in exilium actis, aliis in carcerem contrusis, aliis e vestigio cæsis (ut FERE par fatum, aut pejus servos, & dominos habet mutata Reipub. forma) Seraglii Præfectus, de quo loquimur, ægre vita obtenta, omnibus fortunis Byzantii repertis exutus est, quas Mahometes Imperator jam antea vehementer imminuit.

Purpurati, ut alii aliis opulentiores habebantur, ita pro rata parte tributum conferebant. Sic viam sibi stravit ad civium vulgus expilandum. Descriptis pecuniis, toto Imperio acerbissimæ exactiones fiebant, nullo hominum genere omisso, cui non tributi aliquid impositum. Sed cum exhaustæ provinciæ nunc tributum deprecarentur, nunc malorum magnitudine victi, minas jacerent, & protracto odioso certamine, non multum accresceret ærarium, in fertiliorem messem falcem immisit. Moscheæ apud Turcicum populum florentissimæ sunt, a suis conditoribus, vel aliis bene nummatis, amplissimis vectigalibus instructæ, queis pauperes, peregrini, quorum ingens numerus, aluntur. Ad hæc cum animadverterent ditiores, rapacitatem Imperatorum inexplebilem esse, multisque divitias crimen fuisse, elusuri tantam rapiendi, aut criminandi licentiam, suas possessiones Moscheis ea lege contulerunt, ut ipsorum hæredes, quos instituerent, facultatum partem aliquando recipiant. Hoc modo immensas opes longa ætate cumulaverant liberis, posterisque, ut arbitrabantur, quas una propemodum hora in avari Principis manus intulit. Namque Mahometes adhuc exhaustus, & egens (ut AVARITIA semper infinita, & insatiabilis est, ne-

A) Istud accepi a viro rerum Bulgaricarum perito. B) Nempe Eunuchorum Præfecti Kislar &c. de quo supra.

A. C. 1686. que copia, neque inopia minuitur) accito ſanctiore conſilio, negabat tantam auri, argentique vim jure collatam Moſcheis paucorum hominum gratia; injuriam Majoribus ſuis, ſibi, & Reipubl. factam, pecuniis, Imperii nervo, derivatis alio, quam in publicum ærarium. Arguebat & perperam egiſſe Moſchearum conditores, quod tantis fortunis eas domus locupletarint; conficiebatque, in præſenti rei argentariæ inopia, omnes opes in ærarium ſuum redigendas, quo re Imperii nimium afflicta ſecuritati Moſchearum provideatur; ſecus cum ſuis facultatibus in hoſtium manus venturas. INERMES eſſe divitias, niſi in armatos ſpargantur. Applauſerunt Purpurati tam diviti auri venæ. Facto, prolatoque decreto multorum teſtamenta ut Reipubl. noxia, ingrata, & vana reſcinduntur; Moſchearum theſauri in publicum rediguntur.

Eodem tempore in Effendios (hoc nomine legum periti apud Turcas vocantur) qui a primis conditi Imperii annis, cunctis oneribus, & collationibus exempti erant, edictum fertur, quo jubebantur multiplici bello attritæ patriæ ære ſuccurrere. Nobilis Effendius, qui conſilio intererat, non dubitavit ſua, ſuorumque ſodalium jura defendere, ac calore certaminis longius provectus, Imperatoris cupiditates acriter increpuit. Sed nihil effecit apud propoſiti tenacem, deportatusque in exilium, poſſeſſiones inſuper amiſit; cæteri perterriti tributum ſolvere conſenſerunt, eo faciliores obſequii, quo tenuior miles tum temporis Byzantii agebat, cui ſuam a publicis vectigalibus immunitatem id genus hominum ad eum diem debuit. Gravibus profecto turbis concuſſum fuiſſet Imperium, ſi cives nullo ab hoſte ſolliciti, aut patrio milite, ut ſæpe alias, adjuti fuiſſent. Verum terra, & mari mole armorum immenſum aucta, e re ſua duxerunt, omni domeſtico bello in præſens abſtinere; non ignari: CIVES ſecum ipſis diſcordes armis quidem dimicare, & ſuas vires mutuo atterere; at inſtantem exterum hoſtem revera victoriam, victoriæque fructus legere. Unde in Aſiæ provinciis, ubi tributum inclementius exactum, etſi frequentes ſeditiones obortæ, tamen fidorum civium opera, opinione celerius oppreſſæ ſunt.

Solymanus interim Vezirius omni ope enitendum ſibi putavit, ut pacem quamprimum reconciliet. Ad Hermannum Marchionem Badenſem, bellici conſilii præſidem, Maurocordatum A) primarium in aula Byzantina interpretem, mittit, qui ea, quæ ad pacem maxime pertinere viderentur, ageret, addito libello latina lingua conſcripto, cujus hæc fere ſententia fuit. *Ante triennium veſtri Oratores ad amicitiam petendam Byzantii aderant. Ea impetrata non eſt per Purpuratorum ambitionem, qui res Imperii ſummo jure moderabantur; belli, quam pacis cupidiores. Funeſtiſſimi belli authores, quo multa mortalium millia miſere ſunt hauſta, graves pœnas capite luerunt. Hujus anni principio in me tranſlata armorum poteſtate, id potiſſimum in animum induxi, ut bellum pace veſtris æque, ac noſtris provinciis perneceſſaria componam. Ea de cauſa Belgradum acceſſi adulta jam æſtate. Sed cum Budam terra, & aquis circumſeſſam intelligerem, irrita ſpe concordiæ, invitus ad arma proſilii; ne videlicet arcem, & ſedem armorum noſtri Imperii, complicatis manibus diripi ſpectarem. Nunc quoniam ab armis otium foret, & per hyemem de conditionibus tranſigi poſſet, Maurocordatum Viennam fiduciariis literis acceptis legavi, qui ſincerum pacis deſiderium uberius referet.* Hæc ſumma epiſtolæ.

Alii plura legerunt in illa, nempe: *Vezirium* B) *ſpopondiſſe: Tökölium, belli impulſorem, ad quodvis ſupplicium deditum iri: illius ſocios junctis armis radicitus exſcindendos: damnis illatis juſta æſtimatione ſatisfactum iri.* Horum ego nullum veſtigium reperi; niſi fortaſſis Maurocordatus, quo facilius pacem redimeret, hæc liberaliter addixerit. Cæterum legatio detexit

A) Alexander Maurocordatus Panagiotto linguarum interpreti ſucceſſit. Ad Ducem Badenſem legatum crediderim, cum a Lotharingo nihil pacati nuper retulerint. B) Hujus pollicitationis meminit Porta Ottomanica pag. 385. Sed refert ad ſequentem annum; & tum quidem Achmetes Aga pacis nundinator, miſſus erat ad Caraffam Debreczini agentem.

texit Ottomanorum vires vehementer accisas, & Solymanum Vezirium a suamet fortuna nimis quam cito desertum, omni spe melioris successus dejectum. Re in consilium relata, Badensis significavit ei: *Cæsarem, etsi in medio victoriarum cursu consistat, pacem non abnuere, ut omnes gentes intelligant, eum & suscipere juste bella, & finire; modo Confœderati in eandem sententiam concedant, & Ottomani hujusmodi conditionibus se adstringant, nihil ut deinceps, vel si velint, in Confœderatos Principes movere possint. Primum sine ambagibus rescíscere posse Vezirium, ablegatis ad Polonos, Venetamque Rempubl. nunciis, qui cognoscant, ad pacem, bellumne inclinent animi? alterum quantum colligimus e belli paratibus, vix futurum arbitramur. NEQUE enim pacem velle existimandi sunt, qui belli Ducem pecunia, milite alunt. Vos Tökölium, Regi, patriæ suæ infestissimum hostem exercitu, ære firmatis; illius contumaciam, turbulentorum spes, insanas molitiones fovetis. Quæ utique produnt vos repetitis legationibus amicitiam in speciem quærere (ut nempe verborum fuco illecti, lentiores fiamus ad apparatus faciendos) reipsa bellum omni ope persequi.*

A. C. 1686.

Cum his literis dimissus Maurocordatus, quantum spei coeundæ pacis Byzantinis attulit, tantum nuncii Venetiis reduces ademere. Namque Respub. rebus in Peloponneso feliciter gestis, in novas victorias exæstuans, Moschorum insuper viribus, qui ea tempestate fœderi accesserunt, animata, Vezirio nunciavit: concordiæ spem nullam fore, ni Ottomani Venetis pleno jure remiserint, quidquid Reipub. sive in Peloponneso, sive in insula Cretæ, sive in Ægeo mari, annis præterlapsis vi, armisque eripuerunt. Ut vero sine fraude Principes Christiani nominis tractandæ paci operam accommodent, & dein pacis capita ad unguem impleantur, jam nunc obsidum loco, ea præsidia tradant, quæ Veneti designaverint. Hæc postulata adeo insolentia visa sunt Mahometi, ut, tametsi certis indiciis haberet, Moschum veterano, integroque milite accinctum, hostem sibi parari, indeque Confœderatorum exercitus nova potentia firmari; rem vero Turcicam nunquam tam desidem fuisse, atque imbellem, ac his temporibus, tamen arma retinere satius duxerit, quam iis positis, pacem, omni belli clade iniquiorem, accipere. Eadem mens erat Purpuratis, quorum auribus gravissimum accidit, repeti a Venetis eas urbes, eas provincias, quas maximis impendiis, multo suorum sanguine plurium annorum spatio, bellicosi Imperatores obtinuerunt; hortatique sunt populum, ut ne monstrosæ pacis turpitudinem admittant, id est: ne sinistra dexteram sibi resecent, semet jugulandos superbissimo hosti præbeant, sed Majorum suorum in adversis rebus constantiæ exemplo, bellis insistant, exercitus reparent. Unum prælium rerum conversionem magnam afferre posse non opinantibus. His animis omissa pacis nundinatione, bellum omnibus placuit, paratumque est diligenter per hyemem.

1687

Annum, quem ingredior, septimum, & octogesimum supra millesimum, sexcentesimum, multis cladibus, intestinis seditionibus, turbis memorabilem, atque sui regiminis postremum habuit Mahometes IV. Imperii summa in Solymanum III. translata; cujus res gestas ne perturbato ordine cum fastidio legentium tradam, Venetæ, & Polonæ gentis, tum Moschorum bella in Mahometem suscepta, post commemoratam hujus anni Hungariæ fortunam pro virili parte contexam. In stativa deductæ Cæsareæ legiones, perpetuo illo, statoque procursionum ludo, identidem fatigabantur, maxime in Tibiscano agro, quem Tökölius hybernæ tempestatis frigore minime retardatus, furtivis incursionibus cum suis equestribus turmis divexavit. Heislerus, qui Tibiscanæ Hungariæ cum Caraffa præfuit, in hostium consilia, ac motus omnes intentus, opportune se ubique objecit. Convexerant Turcæ Varadinum omne genus frumenti, in obsessam eminus Agriam subsidium annonæ inducturi. Quippe ea urbs omni ex parte clausa, adeo laborabat fame, ut præsidiarii se excessuros arce minaciter nunciarent Varadinensi Præfecto, ni commeatuum inopia ante arctiorem obsidionem leva-

A. C. 1687. rentur. Eo nuncio non leviter perculſus, oneratos frumento carros ſupra ter centum Agriam advehendos deſtinat, attributa equitum, & peditum manu. Ut vero excubitores ad oram Tibiſci falleret, nunc Temeſia, nunc Varadino, & Gyula cum Tôkôlianis ſe erupturum in provincias Leopoldi minatur. Sed Heislerum minime fefellit. Jam vehicula Tibiſcum ſuperarunt, cum ſubito Heislero agmen ex inſidiis educente pugna conſeritur. Turcis plauſtra pro vallo erant, donec emiſſis magno numero minoribus pilis pulvere pyrio armatis, jumenta in terrorem, & fugam agerentur. Tum irruente victore, Spahii qua data porta effugiunt, Janicsaris exitio relictis. Major tamen præda, quam cædes fuit, eoque utilior, quo magis in exeſa regione caritatem annonæ Cæſarei ſentire cœperunt.

Subinde ingenti commodo rei Chriſtianæ, gemina proditio in ipſo ortu feliciter oppreſſa eſt. Res erat hujusmodi. Tôkôlius, ut prolapſam factionem nova potentia erigeret, circummiſſis clandeſtino fidis ſibi hominibus per Hungariam, ſpe libertatis, & religionis potentiores quosdam cives, quibus Leopoldi Imp. victorias graves accidiſſe non ignorabat, ad defectionem ſolicitat, Turcarum opibus, legionibus velut e ſinu affuſis, callide ſuas in partes allicit. Duplici hoc libertatis, & religionis telo centum circiter turbarum cupidiores confixi, conjuratione ſemet obſtringunt, & urbes primi nominis Caſſoviam, Eperjeſſinum, pluresque alias ſua temeritate in ſummum diſcrimen adducunt. Conjuratorum Principibus iſthoc erat propoſitum: ſtato die diverſis in locis populum ad arma concitare; exterum militem in ſtativis ſui ſecurum uno calore exſcindere; præſidia ſuperioris Hungariæ cum Turcarum auxiliis ad deditionem cogere; avitam libertatem, novitiam religionem extremis viribus tueri. Hanc animorum conſpirationem Tôkôlius conjugi ſuæ per literas ſignificare feſtinavit, quæ interceptæ ab obſidentibus Munkacsiam, totius machinationis ſeriem prodidere. Caraffa triſti vir ingenio, inſtituto de conſpiratione permoleſto judicio, quinta Martii ex conjuratis quatuor perduellionis damnatos, in foro urbis Eperjeſinenſis, præciſa prius dextera, capite plecti jubet; paucis poſt diebus eodem in loco, eodemque ſupplicio quinque A) damnat. Haud negaverim, Caraffam magnum ſui terrorem, majus odium apud Hungaros (ut memoriæ prodidit Leopoldinæ Hiſtoriæ Scriptor) auxiſſe, quod non conſulta mitiſſimi Principis clementia, velut alter Fulvius, B) ſupplicium properaverit; id tamen abnuo, ad poſteros, atque ad noſtram ætatem propagatum odium, invidiamque militaris viri, atque inter puerorum plorantium terriculamenta, Caraffam nominari; id quod patriæ linguæ gnaris alioquin conſtat; ignaris affine vocabulum Caraffæ imponit.

Alterius multo atrocioris proditionis, quæ in Budam cudebatur, hic ordo fuit. Conradus Finkius Procenturio Salmiæ legionis, genere Boruſſus, ſpecie commutandorum captivorum multam familiaritatem cum Alba Regalenſi Baſſa contraxit, captusque promiſſis duorum millium aureorum nummum, de reddenda Ottomanis urbe conſilia agitavit, atque eo rem nefarius homo adduxit, ut fide data ſpoponderit; ſe decreto, quo ſtationum vices ad ipſum redirent, die, milites ſuos præbito largius mero in crapulam, & ſomnum daturum: adeſſent ſilenti itinere, tenebrisque tecti Turcæ, cæſisque ſtationariis grandi ſemilunæ nondum e ruinis eductæ inferrent ſigna, ac prolata ſive in caſtellum, ſive urbem victoria, perculſum nocturna aggreſſione præſidium conficerent. Hæc poſteaquam e literis Finkii didicit Alba Regalenſis, inſolita lætitia perfuſus, ne pulcherrimæ occaſioni deforet, e finitimis locis militem confeſtim arceſſit, omnia ad nobile furtum inſtruit. Schulzianus Dimacha, captivo cum Turca permutatus, dum Alba Regali diſceſſum parat, intelligit clam ex Chriſtiano adoleſcente, quo interprete Præfectus uſus erat: Hero ſuo literas veniſſe a quodam Centurione (atque hic error aliquot Centuriones incorruptæ fidei ſuſpicione aſperſit, cum

A) Porta Ottomanica pag. 374. ubi eorum nomina recitantur. B) C. Fulvius lictorem lege agere in reos Campanos juſſit, ſuppliciumque feſtinavit. Vide T. Livium Patav. Lib. XXVI. §. XV.

cum Finkius Procenturionis munus gesserit) Budensi, queis ille perlectis gaudio amens exilierit, liberalique manu remuneratus internuncium, sine mora ad vicina oppida mandata dederit. Videri rem magni momenti agitari. Centurionis nomen sibi ignotum, cæterum ei duas captivas, nobiles Turcas virgines esse. Dimacha libertatem consecutus, Piseskio supremo vigiliarum Præfecto aperit, quæ ex adolescente compererat: hic sine cunctatione Consilio bellico. De his commonefactus Bekius Gubernator, Finkium, cujus in domo captivæ detinebantur, in quæstionem vocat; scelus pernegantem propositis cruciatuum instrumentis adeo exterret, ut proditionem, quo texuerat ordine, confessus fuerit. Aderant non multo post Alba-Regalensis literæ, clarum indicium meditati sceleris. Non unam necem commeritus miser, octava Aprilis securi percutitur, corpore quadrifariam secto. Internuncius agrestis bis centum plagis primum oneratus, tametsi constanter inficiaretur se conscium fuisse proditionis, per medium nihilominus corpus adacto præacuto palo postremum finiit.

A. C. 1687.

Hoc furto evolutus Turca, sepositis dolis aperta arma induit. Ad Danubii oram maximam belli tempestatem fore prævidebat animo Vezirius, & facti apparatus Cæsaris idipsum confirmarunt; idcirco præsidia Danubio adsita per menses hybernos annona, milite, armis communivit. Belgrado primas curas impendit, totisque conatibus ad apparandam hujus urbis defensionem incubuit, ratus Lotharingum omissis minoris nominis munimentis, ad hanc arcem Turcicæ Hungariæ frangendam omnes vires expromptuπrum. Huc præter delectas Janicsarorum cohortes machinatorum præcipuos injicit, mænia reparat, palorum septum externis operibus addit. Copiis mitescente hyeme Belgradum confluentibus, cum Asiæ equitatus defectu pabuli mense primum Junio Hungariam tenuisset, decem millibus festinare jussis Eszekinum, ipse cum omni exercitu, lento itinere secutus est. Ut Petrovaradinum venit, navali ponte extructo, cujus hoc loco patiens est Danubius, aliquot millia Tartarorum, Turcarumque ad solvendam Agriæ obsidionem propere misit.

Namque Caraffa, cui obsidionem mandaverat Lotharingus, Hungarorum legionibus auctior, primo vere oppidum propius accessit, spemque annonæ invehendæ obsessis intercidit. Illi, ne ignavarum pecudum ritu intra præsidii muros fame enecarentur, validam eruptionem ad prædam agendam in finitimos vicos fecere. Spoliis graves, & re annonaria, dum reditum solicite circumspiciunt, a Semseio, Hungaricæ legionis Tribuno, prope Agriam obruuntur. Præda intercepta, tantus ardor Turcas cædendi fuit, ut Hungari ad muros oppidi evecti, fugitivos in conspectu Agriensium frustatim conciderint, nullo vivere permisso. Hac suorum clade, & periculo Agriæ audito, vindictæ appetens Vezirius, Tartaros, & Turcas, ut dicere occepi, ad ferendam opem excitavit. In superiorem Hungariam infusi pavidis nunciis admonentur: ad Tibiscum Bavariæ Ducem excubare cum validissimo exercitu, itinera omnia Agriam versus a Cæsareo insessa milite obtineri. Nec ideo mutato consilio, subeundam sibi aleam duxerunt, si qua vi possent auxilium afferre obsessæ urbi. Immergentibus se altius in regionem, præcursores, qui conspectis procul aliquot vexillis Caraffiani agminis, rati Bavarum cum suis legionibus appropinquare (ut METUS pericula propiora sibi fingit) trepide referunt: Bavarum instructa acie in propinquo esse; ni fugam propere capessant, internecinam cladem evitari haud posse. Ad famam Bavari calor Martius subito refrixit, versisque signis ad Vezirium properarunt, quem Lotharingus cum majori parte exercitus ad Eszekinum urgebat.

Habuerat sub signis Lotharingus in principio expeditionis quatuor, & triginta millia pugnatorum, Bavarus quatuordecim millibus pauciora. Hic Agriæ edomandæ percupidus in superiorem Hungariam duxit. Verum cum alioquin urbem lenta fame confectum iri crederet, & Solymanus totius Imperii vires Lotharingo objiceret, ut inter Duces conventum erat, omis-

A. C. 1687. sa Agriæ oppugnatione, trajecto ad Fôldvarinum Danubio, hujus copiis suas non diu post adjunxit. Lotharingus exeunte fere Junio Dardam pervenerat, viarum difficultate magis, quam barbarorum incursu fatigatus. Castellum istud quemadmodum priore anno a Turcis desertum, ita quoque in præsens omni præsidio vacuum repertum. Nam ad primum rumorem adventantis exercitus, tanta celeritate Dravum petiere Janicsari cum fabris, atque fossoribus, ut pontem integerrimum, sive extructam viam nostris reliquerint. Porro aliam a superiorum annorum forma, dedere ponti. Cum enim persæpe funditus exustus nova identidem impendia, novasque curas augeret, subtracturus pabulum voraci elemento, moli ligneæ cæmentitiam viam substituit Vezirius, a Dravo flumine ad castellum usque pertinentem, tanta latitudine, ut viceni armati una serie commode possent procedere. Quam maxima multarum millium operarum festinatione pariter, & successu opus surrexit, manumque postremam accepit, dum Cæsarei Dardam accederent, ut adeo videantur barbari, suo impendio iter illis expeditum ad Dravum fecisse. In hujus fluminis ripa, trajectuque non leves difficultates obortæ. Habebant hostes prævalidum pontem Dravo impositum, quem tutum ab incursionibus præstiterunt tormenta Eszekinensium. Forma illius hæc erat. Apud utramque ripam grandibus tignis in flumen defixis, ac superjectis trabibus, ut fieri solet, molitionem exorsi sunt, continuaruntque per fluminis latitudinem eousque, dum alvei altitudine, aut potius aquarum vehementia omnem industriam eludente prohibiti, adductis navibus partem fluvii mediam, ubi multo violentior invehebatur, occupare cogerentur. Naves vero singulis noctibus solutas, adversæ ripæ admoverunt eo consilio, ne exploratoribus, qui nunquam desunt in tanta propinquitate castrorum, commeandi facultas pateret, vel ipsi hostes noctis beneficio transitum attentarent. Porro ad pontis custodiam terrea castella in utraque ripa excitarunt, gemino palorum ordine depacto, ac positis circum varii generis tormentis. Ut præsidium castelli cis Dravum erecti sine clade semet recipere posset, si nocturna aggressione invaderetur; navigia, turbaque nautica aderant.

Hæc cum speculatores minutatim referrent, Lotharingus adducto in conspectum Eszekini exercitu, Guidonem Starembergium, & Souchium cum duobus millibus peditum ad exscindendum pontem immittit. Janicsari extra munimentum progressi, solutis fistulis pedem retrahunt, atque e castello, & urbe invasores creberrimis ictibus machinarum sternunt, auctique aliquot signis præsidiariorum difficile, & cruentum certamen faciunt. Ubi vero vallum procumbere, & molendina jussu Lotharingi incensa contra pontem impelli vident, præsenti periculo consternati, amissis circiter ducentis, Eszekinum se conjiciunt. Sparso latius incendio pars concrematur, & quod nostris rebus pernecessarium erat; is trajectus barbaris adimitur. At multo molestissimum fuit, in tanta propinquitate hostium trajectum moliri. Dravus eo mense partim imbribus large effusis, partim nivibus in Styriæ, & Carinthiæ montibus solutis, præter modum intumescens, ac propterea incitatior, vicinos campos insolita alluvione contexit. Neque navigia nostris aderant, quibus uti possent.

Lotharingus regionis situm contemplatus, reperit Otovarinum tribus leucis dissitum vicum præ cæteris commodiorem, ubi pons sterneretur. Caprara, cui hoc negotium est datum, duodecim dierum spatio luctatus cum rapidissimo fluvio, ægerrime opus absolvit, etsi dies, noctesque totis conatibus insudaret. Ad præcavendas hostium insidias, & subitas invasiones (nam naves e Dravo, & Danubio in hos usus Turcæ contraxerant) juxta fluvium terrea munimenta, Ducis jussu per intervalla addidit. Tantis molitionibus vix miles suffecit, Bavaris per inopiam commeatuum, & viarum difficultatem, post Fôldvarinum subsistere coactis. Adamus Battyanius, Croatiæ Banus, inter eas angustias provincialem militem castris opportune induxit, quem paucis post diebus secutus est Dunewaldus suis cum legionibus.

nibus. Medio menſe Julio bis centum pedites Dravum transgreſſi, deinde Croatæ, & Dunewaldiani arbuſtorum denſa ſecuribus exſcindunt, inſtabile uligine ſolum, ac paludibus perfoſſum faſcibus ramalium firmant, atque multo labore locum caſtris accommodant. Jam omnis peditatus in alteram ripam traductus erat, cum pons rapiditate aquarum, & impulſu immanium arborum, quas Kaniſienſes Turcæ Dravo immiſerant, intempeſta nocte non modica ſtrage dejicitur.

A. C. 1687.

Summo in periculo verſabatur peditatus, & deleri potuiſſet, niſi Vezirius ſoluto curis, quietoque animo ad Eſzekinum ſediſſet. Igitur quoniam licebat per ignaviam hoſtis, omnium conſpiratione, præeunte Lotharingo, atque adeo nullo militum, Ducumque diſcrimine, reparando ponti admotæ ſunt manus, tanta feſtinatione, ut die altero omnibus numeris abſolutum opus ſteterit, nemine Turcarum auſo procurrere. Sine mora trajecto equitatu Cæſareo, cum bellico apparatu Bavari conſecuti ſunt. Mille equites Germani, & turmæ aliquot Hungarorum, Franconum quoque, & Svevorum auxilia, Ductore Orlichio Barone, ad cuſtodiam Mochacsienſis Danubiani pontis tantiſper relicti. Superato in hunc modum Dravo, Valpone, A) Turcico præſidio præ feſtinatione neglecto, univerſus exercitus Eſzekinum proficiſcitur. Heislerus cum ſexcentis velitibus Croatis, iter explorare juſſus, in terna millia Turcarum incidit. Hos acceptis a Lotharingo auxiliis diſpulit quidem cum clade, mox tamen in pugnam redeuntes, Heislerum plumbea glande ſauciant, numero prævalentes ſtragem circumferunt. Appropinquante exercitu Cæſarei animis aucti, inſiſtentium ferociam reprimunt, ac in ſylvarum latebras actos promiſcua cæde trucidant. Diſcuſſa hac procella, iter reliquum ab hoſtibus tutum fuit, quorum inſigni ſtultitia, an militari fraude? neſcio, copiæ noſtræ impune per anguſtiſſimas fauces ad ſolis occaſum in conſpectum caſtrorum pervenere.

Erant illa ad muros Eſzekini ſita, duplici vallo circumducto, ac centum tormentis per circuitum diſpoſitis validiſſime munita. A tergo Danubium habebant, advehendæ annonæ opportunum, hoſtibus inacceſſum. Circum denſiſſima arbuſta, crebras paludes. Hunc locum caſtris delegit Janicsarorum Aga Muſtaphas; Sciauſius B) vero Hierapoleos Præfectus, ingenio, judicioque Marchionis de Perſaan Galli, qui e Gallia exulare juſſus, Mahometis deliria amplexus eſt, ſecundum diſciplinam militarem firmavit. Hic Vezirius ſedem armorum fixit, octoginta millibus pugnatorum ſuccinctus. Nec ideo ceſſere animis Cæſarei. Nocte in armis exacta, poſtridie complanatis viis, Chriſtianorum exercitus ſuos in ordines diſtributus, prælii copiam Ottomanis facit. Illi caſtrorum munitionibus defenſi, ſylvisque interſepti, e ſuperiore aggeris loco, in ſubjectos tormentis fulminant, viciniores minoribus fiſtulis adeo dextre configunt, ut die uno duo millia partim vulneraverint, partim interfecerint, atque hos inter C. Franciſcum Palffium Protribunum, & C. Rödernum.

Statuit Vezirius, hoſtium ſecurus, atque adeo contemptor, inpoſterum quoque militem caſtris continere, univerſæ pugnæ aleam omnino vitare; interim Tartarorum turmis ad pabulatores, frumentatoresque Cæſareos infeſtandos crebrius uti, annonæ ſubvectionem arctiorem reddere. Demum reſtituto ponte, quem moliebatur ad Eſzekinum, reditu noſtros prohibere, aut certo reliquum æſtatis iisdem in caſtris agere. Id cum animadverteret Lotharingus, contra ac aliis Ductoribus viſum erat, receptum decernit; ut videlicet hoſtem æquiorem in campum proliceret, aut aliunde legeret operæ pretium; memor: NON minus cedendo, quam obſiſtendo ſæpenumero victoriam parari. Itaque viceſimo Julii in duo agmina diviſus exercitus, eodem, quo venerat itinere, ad Dravum, & ſapienter, & provide reducitur. Princeps Picolomineus cum duobus, & viginti ſignis equitum,

A) Valpo præſidium trans Dravum, quod Solymanus II. trium omnino menſium ſpatio verberatum cepit, propugnante Amazone Hungara Petri Perenyi conjuge. B) Sciauſius iſte a diverſis Hiſtoricis alio, atque alio modo ſcribitur.

A. C. 1687. tum, cum Hungarorum, & Croatarum legionibus castrensem supellectilem tueri est jussus. Elector Bavarus cum Badensi ultimum agmen depoposcit e peditatu fere compositum. Recedentibus Cæsareis, dicitur Vezirius celebrato consilio, duos Bassas multo auro solicitasse, ut omnibus viribus postremo agmini insistant, atque Electorem more suo ardenter in certamen ruiturum circumveniant, circumventumque missis aliis abducant. Hoc nobili captivo interprete, sperabat se pacem obtenturum. Illi operam suam ferociter polliciti, nihil præstitere. Etenim servatis, ut per viarum angustias licuit, ordinibus, secunda acies primam strenue sequebatur nunquam profectione, & pugna intermissa, quam Tartarorum equitatus perpetuam fecit. Ad Dravum centum, & amplius pabulatores, sine præsidio per agrum Valponensem vagi, a Tartaris concisi sunt. Cæterum tridui labore totus exercitus cum machinis in alteram ripam salvus evasit. Is receptus maximæ instar victoriæ fuit, & Lotharingo omni Europa ingentem nominis celebritatem peperit.

Vezirius aptam tegendis insidiis regionem veritus, in castris tantisper substitit. Quaterna tamen millia equitum ad pontem Danubianum, & frumentarias naves occupandas celeriter expedivit. Orlichius ponti custodiendo præpositus, cum sexcentis equitibus audacter in Spahios invectus, facile centum suorum in primo æstu certaminis amisit. Postea cautior, quam timidior, intra munimenta se continuit, ac subinde Picolominei legionibus firmatus, fusis, fugatisque Spahiis pontem, & naves ab omni injuria vindicavit. Eodem tempore C. Stephanus Koharius, Peszthi Gubernator, cum bis mille equitibus Hungaris, Marchioni Doriæ subsidio est missus ad Agriam arctius claudendam. Inter hæc Lotharingus, dejecto Dravi ponte, Siklosium præsidium ad ferendam quantumvis longam obsidionem necessariis rebus quam diligentissime instruxit, translatisque castris Mohacsium, in patenti, & explicandis copiis opportuno campo, hostem opperiri constituit. Aderat ille post biduum cum omnibus copiis, ad arcem Baranyiam A) intra paludes metatus. Namque Vezirius celeberrimum receptum fugam interpretatus (id quod alii primores præcipue Marchio de Persaan, Christiani nominis probrum, confirmarunt) fugientibus insistere, atque itineri accinctos, ad certamen cogere decrevit. Dedit quoque ad Præfectos præsidiorum literas, queis significavit, Christianos maximo incommodo ad castra Turcarum contendisse; æstimatis eorum munitionibus trepide refugisse; ad abluendam ignominiam haud dubie præsidium aliquod Turcici juris oppugnaturos. At se persecuturum hostes, & vel invitos in pugnam protracturum. Is rumor longe, lateque diffusus, ac creditus, magnam apud Turcas B) lætitiam excitavit, & quasi grandis victoriæ nuncios accepissent, solutis machinis ingentis gaudii signa edidere. Biduo intra castrorum ambitum delituit Vezirius, contentus velitationibus, quæ inter equites pabulandi causa fiebant; adjectis porro novis munitionibus a pugna prorsus abhorrere est visus.

Spe certaminis rursum præcisa, ne nullum ex florentissimo exercitu fructum facerent Duces, placuit Albam-Regalem obsidione cingere. Indicta profectione præter opinionem evenit, quod miles prælii avidissimus tot molestiis frustra quæsivit. Quippe Vezirius ratus Confœderatos fuga velle elabi, Sciausio, & Jegheno propere mandat, ut cum sex millibus equitum extremum hostis abeuntis agmen subinde carpendo, morentur, dum reliqua acies accedat, cujus partem Janicsarorum Agæ attribuit, partem ipse e castris rapit. Sub hunc tumultum, adolescens Græcus Retimo c) oriundus, transfuga quanto maximo cursu potuit, ad Lotharingum pervenit, nuncians, Vezirium e Marchionis de Persaan consilio, pugnam suis edixisse: Hierapolitanum Præfectum cum equitum manu præcedere, reliquam aciem celeriter sequi. Verum Hierapolitano lentius intra arbusta progresso, nec auso

A) Hac ab arce provincia Baranyensis nomen accepit. B) Porta Ottomanica. c) Retimus, vulgo Retimo, urbs in insula Creta, sive Candia.

auſo ultimum agmen acrius laceſſere, Lotharingus continuato itinere ad radicem montis Harſanii dextram alam promovit, Electore cum ſiniſtra clauſis ordinibus ſequente. Noctem miles aperto in campo, barbarorum fremitu inquietam egit.

Pridie idus Auguſtas imperata profectione Siklosium, ſub primam auroram, ut heſterno die, in duo agmina diviſus exercitus movit, jamque per anguſtas collis fauces multo labore emerſus Lotharingus, machinarum fragore admonetur, Bavarum ultimum aciei Ductorem a Turcis impetitum ad manus veniſſe. Etenim Sciauſius Baſſa, ſex millibus Janicsarorum, mille equitibus auctus, & vicinitate ſuorum confidentior, Electorem anguſtiis appropinquantem, ac a primo agmine abjunctum, maxima vi aggreſſus, in certamen vel obtorto collo adigere contendit. Lotharingus revolans, cum videret omnem exercitum Ottomanorum partim jam dimicare, partim pugnæ accinctum, explicatis ordinibus advenire, alacerrimum militem & ipſe in aciem educit, quamvis iniquiſſimo loco. Confeſtim jubetur Piccolomineus, accerſitis e dextro cornu Lodronia, Commercya, & Svevorum legionibus, auxilio pugnantibus accurrere, & Janicsaros e vicinis collibus deſcenſum molientes ſuſtinere. Dunewaldus cum attributo ſibi delectorum peditum, equitumque agmine, aperta per ſylvas via, in Turcarum latus impetum facere.

Piccolomineus ardori ſuo nimium indulgens, non ſuſtinuit modo ferocientes Janicsaros, ſed loco etiam ſubmotos, tanta cupiditate cædendi inſecutus eſt, ut aſpectum præripiente pulveris nube in medios hoſtes cum ſuis procurrerit. Miſerrimam cædem perpeſſi fuiſſent, niſi quatuor cohortes ab Electore feſtinatæ, circumventos periculo ſubduxiſſent. His ita comparatis, tertia ab meridie hora concinentibus ſignis, utraque acies in hoſtem fertur, lentiore paſſu ob frequentes hiatus, & arbuſtorum denſa. Ad arcem Baronyiam Vezirius robur exercitus in acie tenuit, nativo tumulo, ſylva, & extemporaneo vallo tormentis horrido utcunque munitum, ſed hiante per intervalla, & patente. Poſt tumulum dena circiter Janicsarorum millia ſtabant, ab horum tergo equitatus. Ut inter pugnam perventum eſt in caſtrorum conſpectum, machinis ſe mutuo ad certamen provocant. Janicsari, quo certiori clade, ſua tela in Chriſtianos effunderent, primos ignes obfirmato animo excipiunt. Verum poſteaquam denſam aciem, vallo imminere conſpexere, panico terrore omnium animos percurrente, leviſſima aggredientium jactura ſclopos ſolvunt. Ea hoſtium trepidatio nec Duces, nec militem noſtrum fefellit. Itaque multo alacriores, veluti victoria jam parta, ſepimenta caſtrorum Duces perinde, ac milites invadunt, loricam momento ſuperant, atque obverſis in fluctuantes machinis, propiorem metum, & cædem caſtris inferunt. Spahii viſis Chriſtianorum ſignis intra valla, nullo certamine tentato, equorum beneficio ſe ex arena, effuſo curſu in altera caſtra proripiunt. Janicsari equeſtri præſidio deſtituti, & ſuo metu jam victi, inter ſtragem palantes, abjectis armis latebras petunt, quos inſecutus victor magnam partem interemit.

Caprara, qui militem Lotharingi juſſu a præda ſevere cohibuit, præcipite in occaſum ſole, veris hoſtium caſtris, duobus inde paſſuum millibus locatis, aciem admovet. Ingens multitudo fugitivorum, non expectata impreſſione, fugam init. Vezirius cum flore Præfectorum, & omni equitatu eadem adhuc nocte Eſzekinum intravit. Pedites rurſum lanienæ relicti. Pons nuper tumultuario amni impoſitus, feſtinantium multitudine ruptus multos demerſit, pluribus fugiendi viam abſtulit. Tenebræ victorem a cæde revocarunt. Poſtero die Gondola cum equitatu levioris armaturæ, ad ripam Dravi profectus, ſine ſignis, ſine Duce errantes, cruento venatu conſectabatur. Multos inconſultus pavor nando fugam capeſſere impulit, quorum plerique deficientibus animi, corporiſque viribus hauſti ſunt gurgitibus, aut pilis confixi. In hunc modum geminis caſtris eodem die captis, hoſte ad internecionem cæſo, per otium omnis præda recenſita eſt.

A. C. 1687. Reperiebantur tormenta variæ formæ octo, & sexaginta, mortaria decem, undena millia majorum pilarum, minorum, vulgo granatarum, totidem. Pulveris, annonæ vis ingens. Septena boum, sena equorum millia. Cameli mille quingenti, multa suppellectile onerati. Ovium, quales Asia suppeditat, aliquot greges, plaustrorum tantus numerus, ut non exigua pars concremata fuerit. Vezirii tentorium cum tabulario, castrensi ærario opulento, Bavaro cessit. Tanta victoria quingentorum circiter hominum jactura, quod mireris, patrata est. De Cæsorum hostium numero, infinite variant authores. Porta Ottomanica septem millia Janicsarorum in campo cecidisse, duo millia capta commemorat. Magni Leopoldi Historia, octo fere cadaverum millia numerata meminit, de captis tacet. Vezirius vicena millia sibi desiderari testatus est, id quod Annalium Hungariæ Scriptor literis consignavit. Sed minuerint, auxerintque funera; victoria certe inde ab liberata Vienna clarissima, utilissimaque fuit, redditaque clades prope eodem in campo, in quo Ludovicus Rex cum exercitu, flore Nobilitatis, id est, totius regni robore cecidit. Rei lætissimæ nuncium Eugenius Sabaudus, non minores & ipse victorias suo ductu de eodem hoste reportaturus, ad Cæsarem Leopoldum attulit. Fama rei ad Mohacsium infeliciter gestæ, &, ut fit, in majus aucta, per omnes vicinas provincias, celerrime didita, Serviam non minus, ac Sclavoniam majorem in modum perturbavit, bellique consilia vehementer confudit. Duces, quod & vincere nossent, & victoria A) uti, antequam hostes se colligerent a metu, fructus pulcherrimæ victoriæ lecturi dividendas copias censuerunt. Bavaro, cui Dunewaldus pro Legato esset, ad recuperanda Sclavoniæ præsidia quatuordecim legiones, præter duo Hungarorum millia, quos Adamus Battyanius ductavit, attributæ. Nicolao Erdődio cum provinciali milite Croatia defendenda est commissa. Lotharingus cun reliquo exercitu, difficillimo itinere in Transylvaniam eluctatus, cum Principe Apaffio, & Ordinibus de accipiendo præsidio tribus, & triginta capitibus B) transegit, & provinciam in fidem Magni Leopoldi, quod obliquis viis, occultis legationibus dudum agebatur, accepit.

Ex avulsa Dacia gravissimum vulnus debilitatæ Ottomanorum potentiæ accessit. Nam præterquam quod annonam, stativa, tributum annuum hæc provincia Turcis præbuerit, persæpe Principes Byzantinis fœdere conjuncti, maximos exercitus in Hungariam effuderunt, atque bellum suis legionibus adversus Hungariæ Reges gesserunt, ut adeo Turciæ bono suam ipsi patriam omni belli clade deformare nihil pensi habuerint. Firmata Transylvania Cæsareo præsidio, Valachiæ, & Moldaviæ Principes, nuper a C. Csakio conventi, ut fœderi accedant, per Lotharingum amice invitati sunt; aut si immaturum existimarent, vi aperta veteres injurias ulcisci, finitimos urbium, & præsidiorum Gubernatores fidis nunciis commonefaciant, ut primum hostes finibus propinquaverint. His rebus sapienter constitutis, mense Novembri Posonium C) abiit Lotharingus ad Leopoldum Regem, inde Oenipontum.

Iisdem fere diebus Agria fame, domestico malo, diu vexata, deditionem fecit Marchioni Doriæ, sive Auriæ, qui insessis ubique itineribus adeo arcta obsidione locum presserat, ut oppidani nihil non experti fuerint in fame. Absumpto omni frumento, eo jam inopiæ perventum est, ut omne herbarum, radicumque genus pro mensæ deliciis haberent, equina vulgo vescerentur, & postremo fœda animalia, pelles, lora in cibum verterent. Rara profecto Turcici militis pertinacia, & par Casilinensium, D) qui ad obscena quæque devoranda adacti Hannibalem diu fatigarunt. Sed Rusteinis Guber-

A) Et vincere, & scire victoria uti, præstantissimi Ducis est. Hannibali post Cannense prælium Romanis cruentum Maharbal Præfectus equitum objecit: vincere scis Hannibal, victoria uti nescis. T. Livius Patav. L. XXII. §. LI. B) Extant Tom. II. Portæ Ottomanicæ pag. 425. C) Comitia Regni eo temporis habebantur Posonii, quibus Magnus Leopoldus moderabatur, cincto subinde diademate Josepho filio. D) Inspice T. Livium Patav. Lib. XXIII. §. XIX.

Gubernatoris obſtinatio multo ſuperior fuit. Cum enim quatuor Janicſari captivi in laxiore cuſtodia habiti, diſſimulante Doria in oppidum ſemet conjeciſſent, ac Eſzekinenſis infelicem prælii exitum enarraſſent, obſeſſorum pertinacia, vana ſpe auxilii, & annonæ in eum diem ſuſtentata, repente fracta eſt, apparuitque illico oppidanorum multitudinem non diutius extrema obſidionis mala toleraturam. Ruſteines non conſumptis adhuc, quas apprime callebat, artibus plebis tractandæ, e propugnaculo arcis quanta maxima potuit, contentione vocis oppidanos hortatur: ut ne fidem haberent inaniſſimo rumori, qui a circumſidente hoſte, caſtrorum tædio, cœli injuriis fatigato, ex compoſito vulgari cœpit, quo fortiſſimis viris poſt diuturnam obſidionem ſervatæ urbis decus eripiat. Revocarent in memoriam, præſidium Agriæ a Mahomete III. Imperatore expugnatum, A) uno, & amplius ſeculo Ottomanis ſubjectum tributa dependiſſe: ſimul vero metuerent, ne de ipſis ultio atrocis perfidiæ repetatur, qua contra fidem ipſius Imperatoris diplomate firmatam, propugnatores crudeliſſime interempti ſunt. CULPAM Majorum ſæpe luere poſteros. Proinde viderent, ne brevis moræ intolerantia, & rem omnem domeſticam, uxores, liberos, & vitam ſimul amittant; perferrent potius diebus paucis obſidionis incommoda, dum Vezirius cum victore exercitu (nam & hæc fama ſpargebatur in vulgus, Cæſareum exercitum fuſum, fugatumque) Eſzekino advolet, & fortiſſimorum civium tota Europa notam patientiam, condignis præmiis afficiat. Poſtremo pollicitus eſt, miſſurum ſe, qui a Vezirio opem flagitent, nuncios.

A. C. 1687.

Iſthoc artificio oppidanos utcunque placavit. At nuncii ab Hungaris B) intercepti, atque in oppidum remiſſi, omni ſpe auxiliorum evaneſcente, deditionem feſtinarunt. Præſidiarii, quos fames oppidanis conjunxit, Ruſteinem tergiverſantem armis correptis circumſiſtunt, inconditis vociferationibus panem, & pacem poſtulant: minantur, principem urbis ſtationem obſidentibus ſe ceſſuros, niſi quamprimum de deditione tranſegerit. Ille petito, ac impetrato ad conſultandum ſpatio; ut erat præferocis ingenii, præparatis cuniculis, cadis pulverum igniarium fomitem admovet, nobili ruina ſe, præſidiarios, & arcem oppreſſurus. Id ſubodorati milites, furore amentem ſtrictis acinacibus coercent, miſſisque ad Caraffam, qui ad urgendam obſidionem venerat, & Doriam, Hatvanienſi Bego, Janicsarorum Præfecto, & duobus Kihais ad deditionem adigunt. Pactorum ſumma hæc fere fuit. Arx, & oppidum cum omni penu bellica, ære campano Leopoldo Regi reddantur, cuniculis, ſubterraneis meatibus, aliisque operibus ſumma fide prius detectis. Oppidani demigrandi, aut manendi poteſtatem habeant. Abituris ducenta, & quinquaginta vehicula præbeantur. Fas præterea eſto Ottomanis, ſuo ære comparare currus ad deportandam ſupellectilem. Turcæ captivos omnes libertate donent. Quini Præfecti obſidum loco detineantur Debrecini, dum currus, jumenta ſine malo dolo Varadino (huc enim poſtea deducti ſunt dedititii) redeant. Has conditiones Janicsarorum Aga Poſonium pertulit ad Leopoldum, quibus ſubſcriptis Agria exceſſere quatuor Turcarum millia. Ruſteines a Caraffa humaniter acceptus in caſtris, nullum fracti animi indicium dedit, victorique magis, quam victo ſimilis, præſente fortuna altior videri voluit. Adeo & barbari dulcedine gloriæ capiuntur.

Sclavonica expeditio multo jucundiſſima fuit. Bavaro Viennam abeunte, cura belli gerendi in Dunewaldum, ejus Legatum, translata eſt. Is trajecto Dravo arcem Butſinum C) rupi impoſitam, tridui verberatione in deditionem egit. Præter ter centum præſidiarios, & octo tormenta nihil repertum, præda omni paucos ante dies ſubducta, quam Cæſarei venirent. Valponem, non immunitum locum Eſzekini caſus perdidit. Nam

A) Recole ea, quæ memoravi Tom. I. pag. 258. B) C. Stephanus Kohari, & Franciſcus Barkoczi cum ſuis obſidioni aderant. C) Butſinum, ſive Buzin arx Sclavoniæ, Turcis admodum opportuna, juris Comitum Keglevichiorum.

A. C. oborta inter Turcas seditione, quam mox narrabo, tantus metus invasit
1687. Eszekinenses, ut non precibus, non minis Gubernatoris a meditata fuga cohiberi potuerint præsidiarii perinde, & cives. Neque occlusis portis terrorem intra viscera receptum Præfecti eximere valuerunt. Alii occultis viis, alii funium adminiculo se e mænibus demittentes, alii alio modo in tutum evaserunt, gliscebatque in dies fugientium numerus. Tandem ipse Gubernator cum paucis comitibus se e præsidio ejecit, adeo trepide, ut ne ignem quidem tectis, quod constituerat, immiserit, neque pluribus, quos effoderat, cuniculis fomitem admoverit.

Turcarum fuga per agrestem hominem Dunewaldo enunciata, quoniam causa ignorabatur, vix fidem habuit. Indice retento minoris nominis Præfectum cum duobus equitum millibus simul exploratum, simul ad occupandum præsidium, si ab hoste desertum foret, expedit. Is patentibus portis nona, & vicesima septembris oppidum ingressus, ne qua fraus hostilis vagos exciperet, militem a signis vetat discedere, tum solitudine arcis cognita, eam quoque cum aliquot vexillis intrat, distributo statim milite per præcipuas stationes ad subitos hostium motus. Et redierunt meliorum suasu, aliquot Spahiorum signa, verum visis Cæsareis, multo celerius se e conspectu capti præsidii proripuere. Dunewaldus ut incruentæ victoriæ gaudium oculis ipsis usurparet, lætus advolat: æstimataque victoriæ magnitudine, egit militari pompa Deo Imperatori grates, cujus beneficio celeberrima Hungariæ, & Sclavoniæ arce, quæ sine diuturna obsidione, & multorum, meliorumque, uti assolet, militum jactura in deditionem minime concessisset, immisso hostibus panico terrore, potitus esset. Nempe & hic notissima toto orbe Magni Leopoldi in Superos pietas pro milite, pro Duce pugnavit, facile, incruenterque vicit. Festo scloporum, tormentorumque tonitru procul exaudito, Sclavoniæ oppida pleraque se sponte dediderunt.

Valponenses jussi deditionem facere, licet initio recusarint, nondum credita suorum fuga, ubi tamen prægrandes machinas Eszekino advehi vident, ac in muros obverti, vicinorum infortunio admoniti, victoris arbitrio se, præsidiumque permittunt. Sexcenti armorum capaces vinculis onerantur, reliqua turba sub hasta vendita. Ampliora hic spolia, quam Eszekini reperta; sed quinquaginta Eszekinensium tormenta, annona in decem hominum millia comparata, arma omnis generis, locus ipse natura, & arte firmissimus sine impendio, sine sanguine emptus, militi spoliorum loco fuerunt. Secundum hanc nobilem victoriam, pronum erat Dunewaldo, arces juxta Danubium sitas Valkovariam, Illokiam, Petrovaradinum, Carlovicium cum Sirmii agro, vitium feracissimo Leopoldo Regi asserere, atque præsidio munire. Tum reducto exercitu, Posegam profectus est, Sclavoniæ principem, & mercatu nobilem urbem. Loci Præfectus sive suamet ipsius stultitia occæcatus, sive civium fraude impulsus, relictis in urbe perpaucis, mille præsidiarios foras educit, ac viarum angustias, per quas Dunewaldum venturum speravit, insidet, ratus incautum posse excipi. Ille agrestium ductu evitatis insidiis, per callium anfractus ad urbem festinans, adeo armatos perculit, ut Posegam incomposito agmine reversi, desperata loci defensione, mercatorum officinas diripuerint, factoque incendio trepide aufugerint. Incolis Christiani nominis multo tempore jugum Ottomanorum perpessis, pergratus erat Cæsareorum adventus. Visum fuit propterea Dunewaldo, injuriis expositos, præsidio militum, & terreis munitionibus tueri.

Supererat Gradisca ad Savum amnem, quo se ex omni Sclavonia reliquiæ Turcarum receperant. C. Hoffkirchius jussus æstimare locum, munitiorem reperit, quam ut a paucis, atque autumno obsidentibus incommodo, tuto oppugnari possit; accepto insuper non levi vulnere ab erumpentibus, vires hostium suo dolore metiebatur. Re collata cum primariis Præfectis, plerique latius existimarunt, integra fama victoris exercitus, periculosa

riculosa aggressione abstinere, cadente donec hyeme, & refectis copiis validior ad obsidionem, pugnamque vernis diebus emittatur. Cum præterea Bosniæ Gubernatorem, cum maximo numero armatorum, Gradiscanis opem laturum non vani authores in castris narrarent, & major fere militum pars devictis præsidiis imposita foret, reliqui novæ expeditioni impares censerentur, communi consilio in hyberna discessum est. Hoc modo nondum circumacto mense nobiles duæ provinciæ, Dacia, & Sclavonia accesserunt Hungariæ, fructus nimirum Mohacsiensis victoriæ, aut potius, pietatis Leopoldinæ, ut vel inde plane cognoscas, ESSE moderatricem humanarum rerum, & arbitram, non fortunæ vim, aut fati legem ineluctabilem, ut profana sensit antiquitas, sed veri Numinis providentiam, cui mortalia sint curæ, quæ victorias, pacem, regnorum vices varias præpotenti nutu moderetur, ac temperet.

A. C. 1687.

Dum hæc geruntur in Transylvania, & Sclavonia, C. Erdôdius Croatiæ Banus, Unnam amnem transgressus, Kosztaniczam oppidum diripuit, cæsis quadringentis Turcis, omnemque illam regionem incendio vastavit. Ad eum terrorem dissipandum, Bihacsii Præfectus armatorum multitudinem concivit, sed Erdôdius una celeritate cunctantem hostem ubique prævertens, aperta oppida, vicosque incendit ante, quam adessent, qui vim arcere auderent, ut adeo insequentes, fœda vestigia, & solitudinem reperirent. Improvisa tempestas, Bosniæ præferocem populum cohibuit, ut ne in Sclavoniam translatis armis, Dunewaldi victoriarum cursum abrumperet, suas negligeret, sociorum fortunas tueretur. Tot felices præsentis anni expeditionum progressiones coronarunt C. Joannes Eszterhazius, & Baro Areizaga capta Palota prima, & vicesima Novembris; qui cum pauco milite, eoque levioris armaturæ instructi, speciem obsidentium præbuerunt, tantumque terroris sua audacia incusserunt præsidiariis, ut paucis post diebus salvis vita, & fortunis loco excesserint. Adeo verum est, PLUS fiduciæ in belli causa, quam in apparatus robore ponendum esse.

Jam mihi turbæ dicendæ sunt, quarum a commemoratione de industria hactenus supersedi, ut earum principium, progressusque una continenti narratione complecterer, Lectorum utique gratia, quod & alias observavi, queis injucundum, ne dicam permolestum accidit, res sparsim jacentes, ac annis interstinctas conciliare. Obortæ sunt illæ ad Eszekinum concitatore Jegheno a) Bassa, & veluti tradito sibi filo Byzantium usque propagatæ, ingenti fragore Imperium concussere. Erat Jeghenus vir calliditatis acerrimæ, qui ex latrone subito Dux, atque Imperator magni nominis, minorem Asiam, patriam suam igne, & ferro populatus, quanto latius terrorem circumtulit, tanto validior in dies evasit, auctus subitariis militibus prædandi licentia. Mahometes Imperator domestico, externoque auxilio destitutus, sensit se imparem vi, & potentia huic turbini componendo. Igitur ad leniora versus remedia, omni artificiorum genere, quibus humanæ voluntates ægre resistunt, hominem sibi, Imperioque devincire studet. Missa honorifica legatione, eum Bassam appellat, tradito acinace, & ornatu vestium non vulgaris pretii. Hujusmodi munera apud Ottomanos indicium sunt, singularis benevolentiæ Imperatoriæ. Pecuniæ præterea vim pollicetur, cum suis copiis si in militiam Imperatoris trangressus, adversus hostem Ottomanicæ gentis arma verterit. Nec omisit ejus familiares, quorum in potestate erat, promissis ducere, muneribus ornare, quo a bello, consiliisque patriæ perniciosis abstraheretur. Ille partim honorum insignibus, partim suorum opera in verba Mahometis adactus, & in Christianos usque incitatior, cum tribus equitum millibus Constantinopolim intravit, refertis infinita multitudine hominum, viis, tectisque. Ipsum Imperatorem ad Bosphorum Thracium spectatorem habuit, id quod tanquam magnum honoris argumentum interpretabantur Turcæ, & magnifice

a) Apud Antonium Forestum S. J. Tom. VI. Lib. II. hic Præfectus appellatur Osmanes. Alii eum nominant Jeyenum, Inkinum, & Jeghenum.

A. C. 1687. fice prædicabant. Nec minor erat fama, rebusque gestis habitus corporis, humanæ magnitudinis propemodum excedentis, & vestium ornatus, e quibus vulgo barbaræ gentes animi fortitudinem metiuntur. Cidari utebatur seu domi, seu belli, candidi coloris, atris fasciolis in humeros defluentibus interstincta. Cætera vestis more Asiatico laxa, ac promissa auro nitebat. Imperator comiter acceptum, quoniam in Hungaria belli moles crescebat, persoluto ære Eszekinum propere dimisit.

Primo statim adventu omnem exercitum in se convertit, adeo præliare viri ingenium se prodidit. Otii omnis, quietis acerrimus osor, raro diem sine velitatione, aut incursione hostilium agrorum transmisit, retinens morem, quo per Asiam inclaruit. Summa pericula in præliis, in stationibus ultro sibi poscebat. Nec miles alio Duce alacrior. Refrixit tamen hic ardor, posteaquam Vezirii dolo, prope in hostium manus pervenit, desertus ex composito a milite, quo cum stationem hostium impetiit. Istud seu Imperatoris jussu (nam & hunc injuriarum dolore, & vindictæ libidine necem Jegheno machinatum fuisse populus credebat) seu malis artibus Vezirii, nimiam gratiam in novo homine non æquis oculis aspicientis, factum fuerit, tantopere commovit Jeghenum, ut illico ad res novandas animum adjecerit, quo privatum dolorem publica clade ulcisci, aut certe Vezirium, vitæ suæ insidiatorem, e medio sufferre posset.

Vindictæ occasionem maturavit infelix pugna ad Mohacsium. Turcicus miles cæde commilitonum, & castrorum amissione æger, Vezirio, atque Janicsarorum Agæ, quidquid in prælio peccatum, suo more attribuit, nec posse expiari tantum dedecus, ac cladem, nisi his ignavissimis mortalium trucidatis, uno ore conclamat. Addit furenti stimulos Jeghenus; plenior jam animorum, irarumque, quam antea quod Sciausius nobilissimus Bassarum, turbas ex obliquo foveret, Solymano peroffensus. Non pigebit viri originem, & vitæ cursum hoc loco referre. Natus est Sciausius in Iberia, Georgiæ A) provincia, obscuris parentibus, sed Christiana sacra professis. Adolescens tributi nomine, aut alia fortuna, Byzantium delatus, inque aula Junioris Kiuperlis, Mahometis secta imbutus inter aurigas, & lixas, infimum hominum B) genus, numerum fecit. Vilissimis muniis multum exercitus, præstantis ingenii, & ad summa quæque pertractanda apti, specimina edidit. Kiuperlis, disciplinæ domesticæ severus exactor, adolescentis indole captus, eum sibi ab obsequiis esse jussit, mox publicis negotiis admovit. Et quoniam apud Turcas nemini officit nascendi conditio, modo egregiis dotibus sit præditus, paucis post annis Kiuperle suffragante, Bassæ dignitate donatur, multum adversantibus Kara-Mustapha, & Solymano, qui jam tum exteri hominis potentia suam inumbrari, & imminui querulabantur: quasi QUIDQUID splendoris alteris accedat, invidis decedat.

Sed non propterea Sciausium, in intimam familiaritatem admissum, destitit ornare Kiuperlis, deditque hujus rei hoc quoque argumentum, quod tradita ei in conjugem filia sua, quam unice diligebat, Hierapolitanam præfecturam contulerit; plaudentibus æmulis amotum esse ab aula, cujus gratiam unus occupasse est visus. Elato Kiuperle apud duumviros eo major invidia, ac odium creverat, quia aliquando honore, & gratia inferiores erant Sciausio. Neque tamen in apertas inimicitias proruperant externis bellis distenti. Kara-Mustapha strangulato, quantum Solymanus destitutus socio remisit a veteri contentione, tantum animorum Sciausius sumpsit par jam uni; repertoque ad Eszekinum aditu, e militum odio, concitatæ multitudini suam operam promptus addixit, privatam interea, ultionem adornans. Inter Jeghenum & Sciausium, illum recenti, hunc veteri injuria exulceratum, facile convenit. Uterque viri sordes, extremamque belli

A) Georgia sita est intra mare nigrum, & Caspium in duas provincias Colchidem, & Iberiam divisa. Nunc Geographis Gurgistan.

B) Quales ex humili magna ad fastigia rerum
Extollit, quoties voluit fortuna jocari. Juv. Satyra III.

belli inscitiam apud iratos, & ad quodvis audendum comparatos criminantur; seditiosis concionibus dubios, restitantesque extimulant. Post insanos clamores, perpauci primum Praefecti militum, qui vetere vocabulo Zurba, A) compellantur, strictis mucronibus Vezirii tentorium circumdant. His se adjunxit e numero Spahiorum quidam Mehemetes, tumultuum cupidus, promptus lingua, manuque, quive in Asia superioribus annis turbas fovit. Hi commilitonum societate feroces, stipendium sibi, sociisque actutum numerari postulant. Necem minantur Vezirio, si more suo verba dederit. Consultantibus belli Senatoribus, placuit militaris obsequii admoneri pr[illegible]ntes, nec per ipsum Vezirium, cujus integra auctoritas majoribus remediis servabatur. Mustaphas Janicsarorum Aga vixdum egressus, exaudito fremitu crebrescentis seditionis, sensit implacabiles exercitus iras, reddensque se trepido concilio, oravit universos, subducerent se quamprimum, atque gravidam cruore tempestatem, a seditiosis impendentem singulorum capitibus, ne opperirentur.

A. C. 1687.

Id ipsum praesagiens animo Vezirius, praeparaverat ante navigium ad fugam. Ergo silenti nocte cum primariis Praefectis, qui consultationi interfuerant, ad Danubium festinato progressus, conscenso navigio Belgradum, deinde Nicopolim petit, dato prius praetorianis mandato, ut Savi pontes sine mora dejicerent, ne videlicet seditiosi fugientem terra persequi possent. Reliquum itineris tribus duntaxat comitibus stipatus (nam caeteros Belgrado ad exercitum remisit) Adrianopolim equo perfecit. Habebat Vezirius veterem, fidumque sibi amicum, cui nomen Regepo, Caimacanis munere fungentem. Huic sinistrum praelium, exercitus seditionem, suam fugam dedecore plenam aperuit, petiitque, preces ut suas apud Mahometem interponat, ne adversa fortuna, tantaque calamitas pro more in crimen vertat. Regepus seu frigide egerit patroni causam, principem praefecturam ambiens, seu frustra rogarit Imperatorem, tot malis exacerbatum, paulo post feralem magni Domini sententiam misero patefecit: *Solymanus jam nunc supremi Vezirii dignitate, & muniis omnibus ademptis, aula, & urbe in perpetuum abstineto; omissa rerum publicarum cura, privatus obscuro in loco agito.*

Rara animi aequabilitate, quod fortis viri est, hoc fulmen excepit. Tradito sigillo Imperii Effendio; ac lautiore famulorum numero dimisso, amicos suos, qui perpauci aderant, supremum visurus arcte complexus, ad Bosphorum Thracium abscessit. Hic in amaeniore horto inter densas cupressos, queis Turcae Majorum sepulchra ornare consueverant, suprema fata animo volvebat. Interea seditiosi cognita fuga Vezirii, & Dunewaldi in Sclavoniam irruptione, collatis inter se capitibus, Sciausium supremum armorum Praefectum, seu Seraskerium creant, Jeghenum huic proximum militari honore jubent, partitique non sine delectu fortium virorum belli munia, conclamatis propere vasis, ac signis motis, Constantinopolim proficiscuntur. Haec universi exercitus manifesta seditio, Byzantinos suarum fortunarum direptionem veritos, & stragem civium, quam maximo terrore concussit. Fervebat Divanum dies, noctesque consultationibus, audiebanturque consilia plerumque, quorum tempus, & opportunitas elapsum fuit; quodve in ejusmodi rebus accidit, multi multa suaserunt, periculum pauci sumpsere. Nihil est visum Mahometi ad sedandos tumultus promptius, atque si Sciausius, princeps rebellionis, oblata Vezirii dignitate ad obsequium traduceretur.

Honoris insignia Selictar Aga detulit cum literis, quibus, ne tum quidem immemor dignitatis suae, admonuit Imperator novum Vezirium, ut exercitum Belgradi contineat, Albae Regali, & Agriae (nondum se urbs ista dediderat) quamprimum annonam, militem submittat. Jam exercitus nullo satis consilio minitabundus Adrianopolim pervenit; trepidis circa urbibus,

A) Zurba genus militum ab origine Turcarum institutum; at temporis lapsu neglectum, a Solymano I. rursus pristinum vigorem accepit. Sic Porta Ottom. pag. 430.

A. C. 1687.

bibus, ſuſpenſisque, in quam videlicet partem ea tempeſtas incubitura ſit. Recenti honore ferox Vezirius, vetuit ultra militem progredi, juſſitque prope Adrianopolim caſtra fieri, veritus opinor, ne irritati milites, non populo, non Purpuratis, ne Moſcheis quidem conſulerent. Nam de exauthorando Mahomete alioquin conſilia agitavit. Sed nuper precario imperantis authoritas vilior erat, quam ut oblitos militaris diſciplinæ a cœpto itinere revocare poſſet. Regepus Caimacanes percepto legionum adventu, author eſt Mahometi, ut integra majeſtate, vitaque, publico abſtineat; aula Imperii arce deſerta, quo tutior tantiſper lateat, in novum Seraglium ſe conferat, dum miles poſita pervicacia, obſequio Principem agnoſcat. Hac ſuper re infinitæ delibera[illegible]nes ſuſceptæ nullo exitu. Auxit curas, timoresque Kislar Aga Eunuchorum præcipuus, inſimulato proditionis Regepo, cujus nullum indicium deprehenderat. Præceps ad deteriora credenda Mahometes, Boſtangi A) Baſſæ, ſive Olitorum Præfecto mandat, ut citra tumultum vinctum Regepum in aulam aſportet. Iſte latentis periculi ignarus, domi ſuæ, quantum per publicas calamitates licuit, hilarior agebat. Intellecto Mahometis imperio, nihil in ſpeciem reluctatus, orat apparitores, concederent ſibi poteſtatem, arcana tabularia ex interiore ædium parte depromendi, quæ plurimum facerent ad Mahometis, & Imperii ſalutem. Fraus omnis abeſſe videbatur, ita verba, vultumque finxerat. Facta poteſtate, ingreſſus conclave, per occultum exitum ſe celerrime proripit, conſcenſoque, qui ad fugam, aut alios caſus præſto erat, ſonipede, effuſo curſu Byzantio excedit, ubique magno clamore cives admonens: *occluderent quamprimum officinas, ni rebus omnibus everti vellent; agi enim de novo Imperatore deligendo.* Ad eam vocem, mercatores inprimis communem populationem metuentes, ſeſe certatim occludere, ac firmare domorum aditus; expedire tela, ſervitia armare, pro fortunis animos ad certamen præparare; urbs denique univerſa, metu alioquin diu ſuſpenſa, diſſonos clamores edere, veluti infenſiſſimus hoſtis præ foribus eſſet. Sub hoc tumultu elapſus, cum neminem veſtigiis hærentem videret, mutata veſte paſtorem induit. Sed gliſcente exploratorum numero, paucis poſt diebus e latebris protractus, Conſtantinopolim abripitur. Infeſto ſermone, vultuque exceptus, in palatio Mahometis, honoris, an ſecuritatis cauſa? catenis oneratur.

Apud exercitum poſt turbas, cædes fiebant. Selictar Aga, per quem Sciauſio Vezirii inſignia transmiſſa, ægre vitam obtinuit. Defftendar, Kihaja, aliique Præfecti, Solymano Vezirio fortuna, aut intima familiaritate conjuncti, per ludibrium fruſtatim conciſi. Horum cæde Byzantii vulgata, enimvero exhorruit Imperator, non ignarus, hoc malum vetere de more in aulam uſque ſerpere, & non niſi ingenti Reipub. mutatione, aut Imperatoris ſanguine, ſiſti poſſe. Kislar Aga, præcipuum aulæ inſtrumentum, & cujus fidei plurimum tribuebatur, facile perſuaſit Mahometi, ut Solymano cæſo, quaſi publici odii victima, militem placare nitatur. Sine mora immiſſo percuſſore ſub umbra cupreſſi ſternitur. Caput a cervicibus revulſum, per Hajaki Agam B) ad Sciauſium miſſum eſt. Hic exitus Solymani Vezirii fuit, militiæ, domique, ſi poſtremos vitæ annos demas, clariſſimi viri. Nemo Ducum felicior bello. Acer conſilio, manu promptus, unus omnium judicio par habebatur inſtaurando Imperio. Vezirius renunciatus nihil feliciter in Hungaria geſſit, ut adeo quantum dignitate ſuperior, tantum adverſis caſibus notior orbi fuerit.

Cum primoribus Ducum conſultabat Sciauſius, dum Hajaki Aga in caſtra pervenit. Protinus in tabernaculum introductus, caput Solymani, Mahometis nomine porrexit. Confuderat oris exanguis notas nimius pallor, noſcebatur tamen in tanta deformitate. Sciauſius ſeu invidiam conflare

re

A) Boſtangi Baſſa, ſupremus Olitorum Præfectus, magni nominis in aula Imperatoria. Facile bis mille viros ſua ſub poteſtate habet, quibus hortos Imperatorios colendos pro ſuo imperio attribuit. B) Hajaki genus Olitorum; raro tamen culturæ manus commodant, ſed nuncios magni Domini, uti Chiauſii agunt. Ricautius pag. 21.

re vellet Mahometi, quasi sponte properata nece, multorum criminum reum interemisset, seu in tam calamitoso infortunio insigne mutationis rerum humanarum exemplum legeret, a tristi spectaculo oculos avertit. Praesentes adulandi studio corrupti, caede inimici, & aemuli palam laetari jus, fasque crediderunt. Non inde placabilior miles, Byzantium infestis signis properavit, nova factione Kiuperlis (filius hic erat Junioris Kiuperlis, patre nihil inferior, & cum Sciausio affinitate adstrictus) ad iter accelerandum invitatus, quem nuper suo malo Mahometes Caimacanis praefectura insignivit. Cum enim is intelligeret omnium fere animos a Mahomete aversos, plerosque Purpuratorum cum exercitu in hujus exitium conspirasse, venit in opinionem: civilis belli opprimendi rationem aliam superesse nullam, nisi exauthorato Mahomete.

A. C. 1687.

Plenum periculi facinus, ut quam minima caede Purpuratorum conficeretur, Sciausium, & Jeghenum occultis nunciis hortatur: ad Byzantium castra figant, militum suffragiis consilium Imperio saluberrimum maturent. Mufftium quoque, Effendium, Cadileskeros, A) aliosque cum authoritate, tum opibus florentes suam in opinionem adducit. Tanti moliminis ne quam suspicionem praeberet, aut rem ipsam proderent conjurati, ut vulgo levissimi animi habentur Turcae, nusquam a latere Imperatoris recedit, consultationibus tempus trahit, amica praefert omnia. Interim quoties sine arbitris erat, Eunuchorum, & Olitorum Praefectos, quos desperaverat suas in partes pertrahi posse, modo avaritiae, interdum etiam defectionis arguit. Mahometes credulus non minus, quam trepidus inter eas turbas, utrumque munere privatum carceri mancipat. Eodem infortunio Seimenes, Musur Bassa, pluresque integra fide erga Imperatorem corripiuntur. Regepum, quo nemo Ottomanorum fidelior, inconsulta fuga supplicio addixit. Mufftius provectae aetatis vir, belli Hungarici dissuasor, veneno, minore invidia necatur. Tot fidissimis ministris aula ejectis, aut festinata morte sublatis, conspiratos in amicitiam, in Imperii curas imprudens admisit, sibique ipsi viam ad interitum stravit.

Sed nihil aeque solicitum Mahometem reddebat per eos dies, ac Solymanus frater, quadraginta annos carcere detentus, tum primum agnitus Imperii aemulus. Hujus retinendi cupiditate in caedem praeceps, arrepto ferro provolat e palatio, jugulaturus miserum. Cohibuit furentem praetorianorum cohors, & Kiuperlis amica fronte disserens: *nihil profici occiso uno invalido, ac aerumnis prope enecto. Placatis jam legionibus, neminem praerepturum Imperium.* Cessit propere monenti, ne Mahomete invito vivere Solymanus vulgaretur; argumentum utique imminutae potentiae, & in urbe rumorum avida consenescentis authoritatis periculosa materies. Fracto furore, nobiles captivos sponte sua non liberos modo e custodia dimisit, sed & dignitate auxit, seu malo dolo delatos senserit, seu mitem in speciem animum apud Byzantinos commendare vellet, quo populi favorem in se accenderet. Olitorum Praefectus, Mitilenes Gubernator nominatur: Seimenes Macedoniae praeficitur. Musur Bassa in Cretae insula, illustri praefecturae admovetur. Kislarem Agam fortuna destituit. Namque vinculis solutus, ac Memphim, quo opes suas olim praemiserat, navigare permissus, procelloso mari in portum Scutaris compellitur, & paulo post, ut multorum odia malis artibus sibi conflavit, elisis faucibus jugulatur, ingenti gratulatione Purpuratorum. Haec in civitate discordi, & ob crebras mutationes Praefectorum, inter metum, & spem incerta, magnis motibus agebantur.

Secundum has turbas adfuit Sciausius cum exercitu, propeque urbem metatus, & Mahometis, & Byzantinorum studia in se avocavit. Sed neque sui, neque militum satis potens erat, Ducem magis raptantium, quam sequentium.

A) Kadileskeri sunt Judices militum. Tres toto Imperio Turcico, hoc munere funguntur. Unus in Europa, alter in Asia, tertius in Africa. Postremus primas tenet, Memphique domicilium habet. Leunclavius c. 39.

A. C. 1687. quentium. In exauthorando tamen Mahomete mire concordes. Exercitus nomine, ad Caimacanem Kiuperlem legantur Janicsarorum Aga, & Mahometes Spahiorum Ductor, qui omnium postulata edant. Primum erat: Mahometem Imperatoria dignitate sine mora exuendum; alterum: ejus fratrem Solymanum ea decorandum. Kiuperlis collaudatis militum æquissimis postulatis, suam operam prompte addicit; simul orat, ac monet, ne in discordiam acti improborum consiliis, arma adversus hostes Ottomanici nominis tradita, cruore civium fœdent, nervos ipsi suos incidant. Plus cladis uno die accipi posse ad Byzantium, quam superioribus annis in Hungaria, & Peloponneso. Dimissis cum honore Legatis, octava Novembris, prima luce, præcipuos aulæ ministros evocat in principem urbis Moscheam, ubi novo Mufftio præeunte verba, conjurationem sacramento sanciunt. In hunc modum animati, alacresque ad palatium recta progressi, in Solymani carcerem perrumpunt. Ille, quid ageretur ignarus, ad insolitum tumultum supremas curas animo cœpit volvere, nihil ambigens, fratris in se charitatem, temporum diuturnitate victam. At Purpurati læta vociferatione eum Imperatorem, magnum Dominum Ottomanorum, more gentis proclamare, sua in eum studia, suam fidem meditatis verbis testari, & jam tum navatæ operæ præmia poscere. Tot illustrium virorum testimonio eadem asserentium confirmatus, ab ultima trepidatione animum recepit. Cura deinde Purpuratorum fuit, Mahometem exauthoratum ita omni præsidio exuere, ut si maxime vellet, vindictæ locum inposterum reperiret nullum; in cædem etiam consensuri, si innueret Solymanus. Rogatus, quid fratre fieri vellet? eodem, quem ipse quadraginta annos habitaverat, carcere mulctandum reposuit; pacato animo, voce, & vultu, avidos, minacesque Purpuratos temperans. A)

Dum hæc in altera ædium parte aguntur, Mahometes in suo palatio potionem e fabis Arabicis confectam sorbebat. Clamore, & libertate Solymani per aulam vulgata, dilapsis prætorianis, & infimis etiam servitiorum, fraude Kiuperlis se circumductum, & amicis ad unum omnibus exutum animadvertit. Tum miser suam credulitatem damnare, suam sortem seris lacrymis deflere, ac versa mente furere. Kislar Aga, & Olitorum Præfectus palatium ingressi, triste decretum proferunt. *Mahometem Turcarum principatu jure excidisse. Militum, Purpuratorum votis Solymanum novum Imperatorem delectum. Proinde prosperis, & adversis satiatus, cederet necessitati, & clementia fratris reliquum vitæ in vinculis agat.* Hac dira denunciatione, velut fulmine afflatus, hæsit attonitus. B) Erant illi duo filii ætate florentes Mustaphas, & Achmetes; ille vicesimum, hic quartum decimum annum nondum egressi, meliore fortuna, patreque digni; & conjux Kasachis, ex insula Creta Sacerdotis Græci filia, ingenii non minus, ac corporis venustate celebrata. Horum cura, miserationeque obrutus, oravit, ut vivere permissi, eodem secum carcere concluderentur; voce, lacrymis misericordiam ciens, largus promissis, &, quæ natura trepidantium est, immodicus. Mustapham exporrectæ indolis principem, ærumnarum socium, non item levamen, quod sperabat, impetravit. Ferunt enim in ipso limine carceris a Mustapha patrem multo convicio laceratum fuisse, quod sua ignavia hanc sibi, suisque calamitatem accersiverit; quam ille & adolescentis, & filii immodicam libertatem nunquam concoxit. Achmetes a patris amplexu avulsus, traductus est in carcerem, quo Solymani frater Achmetes detinebatur. Kasachis mariti ruina oppressa, ingenio suo fortunam reparavit, caputque altius extulit, cum Mustapham filium, Imperii moderatorem, seque in partem curarum adscitam læta conspexit. Sed

hæc

A) Pulchre L. Æmilius Paulus, moderati vir animi apud T. Livium Patav. Lib. XLV. §. VIII. capto potentissimo Macedoniæ Rege Perseo, circumstantes admonuit: „ Exemplum insigne cernitis mutationis rerum humanarum. - - Ideo in secundis rebus nihil in quemquam superbe, ac violenter consulere decet, nec præsenti credere fortunæ, cum quid vesper ferat, incertum sit. Is demum vir erit, cujus animum nec prospera flatu suo efferet, nec adversa infringet. „ B) In servitutem cadere de regno, grave est. Sen. Theb. A. I.

hæc ſuo loco dabimus. A) Nunc bellum Venetum, ac aliarum gentium B) ſub Mahomete IV. Imperatore ortum narremus.

A. C. 1687.

Poſt bellum Cretenſe c) majoribus odiis, quam viribus geſtum, quippe in quintum, & viceſimum annum pertinaciter extractum, tranquilla pace gens utraque fruebatur decem, & amplius annis; eamque omni mercium genere nunc Venetias, nunc Conſtantinopolim, nunc in Aſiæ urbes aperto mari deportato, intensiore cura fovebat. Ita uterque populus mercaturæ addictus, damna plurium annorum reſarcire, viresque reparare feſtinavit, non IGNARUS inveterata odia nunquam extingui penitus, & eruptura in ferale bellum, ſi circa ſint, qui ea inflamment, alantque. Et Morlachi quidem in Dalmatia juris Veneti, quos pax a Cretenſi bello in ordinem, & anguſtos limites redegit, Venetos in arma concitare nitebantur; tum anno milleſimo ſexcenteſimo octogeſimo ſecundo, irritati vehementer, quod Cuſaines Begus Zemonicum D) arcem per leges concordiæ dirutam, vi inſtauraret, ac coloniam ſua authoritate in eum agrum deduceret, Begum cum viginti nobilioribus Turcis, & ducentis quinquaginta colonis interficiunt. Morlachorum hoc factum ægerrime tulit Reſpublica. At Conſtantinopoli tanta miniſtrorum oborta eſt indignatio, ut omnes cenſuerint, graviſſimam injuriam Ottomanicæ genti illatam igne, & ferro vindicandam, exſcindendosque radicitus prædones, juris humani, divinique oblitos. Kara-Muſtapha bellum Hungaricum animo volvens, avide Morlachorum facinus arripuit, Oratorique Veneto minacibus verbis ſignificavit, ni grandi ære ſatisfiat Turciæ, rupta jam pace, Dalmatiam bello arſuram. Veneti, ne ſibi hoſtem concirent Vezirium, ſumma moderatione frangendum, omnibusque officiis avocandum ab extremis putarunt. Mittitur Byzantium Laurentius Donatus Dalmatiæ Præfectus, qui cum Oratore exulceratos demulceat, litem componat. Anxia iſtorum concurſatio Vezirii ſpiritus adeo intendit, ut Oratorem immanem pecuniæ ſummam deprecari auſum, in carcerem ſeptem turrium abripi juſſerit. Poſt multa tædia, ducentis millibus imperialium transactum eſt, e quibus quinque, & viginti millia Vezirio ceſſere, reliquum pecuniæ Quæſtoribus Mahometis attributum.

Pulſo, fugatoque ad Viennam Turca, E) Morlachi aliena felicitate animati, continuo ad arma proſiliunt. Ampliſſimam regionem Jaderam inter, & Duaram jacentem, ac multis arcibus defenſam, ſed ea tempeſtate præſidio nudatis, nullo labore occupant. Uranam, Obrovazam, Scardonam, valida munimenta, inducto milite, reque cibaria aliquot menſibus ſuffectura ſedulo firmant. Haud facile dictu eſt, quantum Ottomanorum præſidiis metum, & Mahometi de Dalmatia ſolicito, Morlachorum improviſa tempeſtas curas intenderit. Auxit vero terrorem Duara, excitatis circum turribus præmunitum caſtellum, a Spalatri, Cliſſæque militibus, levi impendio ſubactum. F) Ingens ſolicitudo Venetos habuit, ut ne fortaſſis Leopoldus Imperator, & Joannes Rex Poloniæ, nobiliſſima contenti victoria, pacem amplecterentur, atque unis Venetis Morlachorum cauſa, graviſſima belli moles in poſterum incumberet. Fœderatorum voluntate explorata, cum intelligeret Reſpub. & Imperatorem, & Regem ſummis viribus velle perſequi bellum adverſus fœderis violatores, non una Patrum ſententia erat. Michael Foſcarinus, & Aloyſius Juſtinianus pacis artibus clariores, quam belli, magnopere contenderunt in Senatu: *ne feſtinarent decernere, quo decreto florentis Reipubl. ditiones novo bello illigaturi eſſent. CONSILIA raptim præcipitata raro corrigi, nunquam in integrum reſtitui poſ-*

 ſe.

A) Nempe ad annum 1695. quo hic Muſtaphas Imperium moderari cœpit. B) Nempe Polonorum, & Moſchorum. Nam Dalmaticum bellum Venetorum viribus eſt geſtum. Perſia vero his annis maxima fortuna Turcarum quievit; fruſtra adhortante Regem Perſarum Joanne Sobieſzkio Poloniæ Rege, ut arma capeſſat in veterem hoſtem. Vide Joan. Chriſt. Lünigii Literas Procerum Europæ P. III. pag. 17. c) Ita viſum eſt nominare bellum, quod pace compoſitum eſt anno 1671. D) Zemonicum, aliis Xemonicum arx rupi præcelſæ impoſita haud procul Jadera, ſive Zara, Dalmatiæ urbe. E) Anno 1683. F) Michael Foſcarinus rerum Venetarum Scriptor Lib. IV.

A. C. *fe.* 1687.

Aiebant: *vulnera vixdum coalita, quæ proximo bello ſane non levia Venetis inflicta, nunc rurſum, ni pacem præferant, rumpenda, cum nova jactura provinciarum, urbium, quas in Aſia, Peloponneſo, Dalmatia, favore potius Turcarum, quam armis ſuis obtinent. Cives omni ære, omni mercatura interverti, occluſis Aſiæ litoribus. UT commercia ſecuritate aluntur, ſic terrore armorum peſſumdari. Nec fœderibus Principum tantum tribuendum, quantum prima fronte pollicentur. Sanciuntur ea propria cujusvis utilitate, & hujus cauſa abrumpuntur. Non leve documentum Cretenſi bello experti ſumus. SCILICET nec ira, nec amicitia inter mortales æterna eſt. At ultro inferentur nobis arma, Morlachorum temeritate provocata? ſæpenumero iſti Turcicum agrum infeſti urebant, nunquam tamen quod ſciamus, ejusmodi latrocinia juſto bello punita ſunt. Paucorum ſupplicio omnis ira deflagravit. Neque nunc gravius malum Reipublicæ pertimeſcendum.*

Verum Petro Valierio, Friderico Marcello, & majori parti Senatorum, bellum præplacuit, inclinatisque in arma omnium jam animis, ac creato Reipub. Duce Antonio Juſtiniano, maxima gratulatione Chriſtiani orbis fœdus contra barbaros percuſſum eſt anno MDCLXXXIV. Illico apparandæ claſſi Venetiis inſudatur. Quatuor, & viginti bellicis, militum, machinarum præſidio inſtructis, octo, & viginti triremes, & longiores naves adduntur. Suprema claſſis præfectura Franciſco Moroſino, primæ inter Venetos authoritatis, victoriisque maritimis claro, omnium ſuffragiis traditur. Huic proximi erant imperio Jacobus Cornarus, & Alexander Molinus; ille longiorum navium, hic bellicarum Præfectus. Præter hos e flore Nobilitatis Venetæ illuſtres viri veluti Legati claſſis delecti ſunt: Petrus Baſadonus, Marcus Piſanus, Joannes Moroſinus, quorum opera in re navali Franciſcus Moroſinus, prudens ipſe, & conſiliantibus paratus, uti poſſet. Georgius Emus, Curatoris A) cibariæ rei, ac navalis apparatus nomen, & munus obtinuit, in quo homine infinitam induſtriam, & fidem præclare conjuncta cerneres. Imperium terreſtrium copiarum Comiti Nicolao Straſoldo, multorum ſtipendiorum militi, & Duci in Hungaria commendatum fuit. Dalmatiam autem, ſedem fere perpetuam armorum, eoque cladibus ſuis, quam opibus clariorem, Aloyſius Paſqvaligus, & Dominicus Mocenicus adminiſtrandam accepere. Huc legionarii cum multa annona miſſi. His celeriter conſtitutis Joannes Capellus, Donato B) ab epiſtolis, arcanisque, Byzantio revocatur, juſſus belli cauſas edere. Palmaris illa: *Turcas per fraudem poſtremam pacificationem confeciſſe, atque Venetis fertiliſſimum agrum in Dalmatia eripuiſſe.* Maioris momenti aliæ erant. *A piratis, impulſione haud dubie Ottomanorum, Venetas naves, Aſiaticis onuſtas mercibus captas, inque portus, inſulas Turcici juris abductas, ac vectores in miſeram ſervitutem abreptos. Mathæum Quirinum, militari munere conſpicuum e Cythera inſula redeuntem, cum omni famulitio ad Aulonem* c) *interceptum, atque Algerii* D) *inſtar viliſſimi mancipii haſtæ ſubjectum veniſſe. Oratores Moroſinum, Donatum infra dignitatem habitos, multo ære miniſtrorum avaritia emunctos. Vezirium arma minatum Reipub. & prope denunciaſſe, niſi cuncta ex ejus arbitrio agantur. His timoribus, indignitatibus Rempub. ſe velle ſemel liberare, ne perpetuo iis vexetur.*

Præceps, ac clandeſtinus Capelli diſceſſus, Byzantinos atrociter perculit, veluti jam ad fauces Helleſponti inimicas naves volitare conſpicerent. A re maritima male comparati erant, ſive poſt Cretenſe bellum nihil ſibi metuerent a Venetis, ſive ſumptuum parciores, unice terreſtres expeditiones curarent, ſive Africanæ claſſis fiducia negligentiores. Unde cum perpaucæ naves in portubus eſſent, juſſu Vezirii decem bellicæ, totidem triremes fabricari ſunt cœptæ. Lente admodum opus proceſſit, quod vigor animorum

A) Vulgo Commiſſarius Generalis. B) A quo nuper pecunia extorta. c) Cythera, nunc Cerigo, intra Poloponneſum, & Cretam inſula. D) Quid de Algerio ſingulare, paucis expoſui Tom. I. pag. 134. ad principium anni 1534. nam tædet eandem cramben repetere; quod & de aliis urbibus, & provinciis velim intelligas, quarum ſitum, poſitionem, aut celebritatem per decurſum Hiſtoriæ jam explanavimus.

morum tot cladibus auditis obtorpuerit, timerentque maritimum bellum, quo per avaritiam, ambitionemque Vezirii implicatos ſe videbant. In Africam nuncii expediti ad Begos, a) ut quantum numerum navium poſſent, contrahant, ac in tempore claſſi Ottomanicæ ſemet conjungant. Quidquid navigiorum variis in inſulis repertum, partim ad cuſtodiendas Helleſponti anguſtias, priore bello multum infeſtatas, partim Cretæ inſulæ præſidio eſt miſſum. Triremes ad Byzantium hæſerunt, dum ex Africa auxiliares naves advenirent. Ut primum tempus navigabile mare præbuit, Moroſinus Architalaſſus claſſem triginta aliquot navium variæ formæ, in portum Corcyræ advertit, quo jam Melitenſes, Pontificiæ, Magni Ducis Hetruriæ naves convenerant. Viſum eſt urbem S. Mauræ, b) quam veteres Leucadem dixere, aggredi. Spem capiendi præcipui piratarum receptaculi faciebant Græcæ religionis homines, quibuscum Hieronymus Cornarus, rei maritimæ Curator, aut ſi mavis, claſſis Prætor, colluſerat. Sed omnis machinatio per exploratores ad urbis Præfectum delata evanuit; Græcis, quive pro Venetis audacius, quam cautius loquebantur, in cuſtodiam datis. Moroſinus propemodum inſulam tenens, cum detectæ conſpirationis indicium foras evolaret, continuo portum Corcyræ repetiit, non ſine periculo naufragii.

A. C. 1687.

Hic receſſus ſegniores effecit Turcas, ac perdidit. Exiſtimarunt enim, Venetos ad aliam urbem impugnandam vela, & conſilia flexiſſe; unde metu ſoluti, portuum cuſtodias laxaverant. Paucis poſt diebus Moroſinus, improviſo claſſem quadraginta navium inſulæ applicuit, nulloque repugnante caſtra fixit ad S. Mauræ. Sub ſignis Venetis ſex millia peditum, centum quinquaginta equites cenſebantur. Melitenſium aderant mille armati, quos inter nobiliores Equites centum numerabantur. Pontificii ter centum, Florentini ſexcentos efficiebant. His opportune acceſſere tria millia quingenti e Cephaleniæ incolis, qui ſponte arma induerunt, ad quotidianas injurias (nam iſtorum inſulam aſſiduo incurſarunt Leucadii) vindicandas. Urbs terra, & mari, acri potius, quam diutina verberatione concuſſa, paucorum dierum intervallo, deditionem ſexta Auguſti obtulit. Exceſſere præſidiarii ſexcenti, & tria millia oppidanorum cum omnibus fortunis; relictis centum, viginti quinque tormentis, & non modica vi pulveris, frumenti. Chriſtiani nominis captivi, plerique e Neapolitano regno, triginta ſupra centum libertati reſtituti, victoriam dulciorem reddidere. Nec pervicacius urbs Nicopolis, c) ſeu Preveſa, apud Actium ſita, obſtitit. Comes Straſoldus depopulatus finitimum agrum, ingenti præda ad claſſem deportata, mirum quantum terroris illius provinciæ populo incuſſerit. Nicopolim impetitum iri nemo dubitaverat; jamque duo millia quingenti pedites, equitesque ad eam tuendam convolaverant, portumque, ac litora ſtationariis ſepſerant, exſcenſione prohibituri Venetos.

Moroſinus eorum conatum aſtu eluſit. Aliquot navigia in conſpectu urbis milite armat, fingit aggreſſionem ubi crebriores ſtationarii litus tenebant, omnia ſolicite ad vim apertam comparat, oculos defenſorum in ſe unum rapit. Interim undenæ longiores, juſſæ obliquo curſu pertentare partem ab hoſtium conſpectu remotam, adeo ſecundo vento urbem acceſſere, ut prius intra tormentorum ictus ſteterint, quam Turcæ ſentirent. Pro capta ſtatione certamen exarſit. At Moroſino arma inferente, Turcæ propinquitate urbis invitati, omiſſa ſubito pugna muros præ campo elegerunt. Neque pro his fortius dimicarunt. Nam vallo exuti, etſi mænia firmiſſimi operis quinquaginta tormentis pulſata, vitium feciſſent nullum, & tolerandæ obſidioni paratus neceſſarios haberent, tamen deſperata externa ope,

a) Videlicet ad Tripolitanum, Tunetanum, & Algerienſem, quos Regulos, Principes, Hiſtorici paſſim appellant. b) S. Maura peninſula, & urbs hujus nominis in mari Jonio. c) Nicopolis, hodie Preveſa, apud promontorium Actii ab Octavio Cæſare Auguſto poſita, navali prælio Antonio & Cleopatra devictis. Unde ludi Actiaci, quos Cæſar Caligula, Auguſti inſectator, celebrari vetuit. Vide C. Suetonium Tranquillum Lib. IV. §. 23. Eundem locum nobilitavit inſigni victoria Joannes Auſtriacus. Evolve res illius geſtas Tom. I. pag. 204.

A. C. aut in ſociis victi, iisdem conditionibus, quibus Leucadii, urbem dedide-
1687. runt. Bis mille præſidiariis, & mille quingentis civibus venia facta eſt, rebus ſuis compoſitis, cum uxoribus, liberis quoquo liberet, demigrandi. His ſat proſpere actis, ſociorum naves domum abierunt. Moroſinus poſtquam e vicinis inſulis plurimas Græcæ nationis familias ad fertiliſſimum Leucadis agrum abduxiſſet, autumno ventis, & pluvia tempeſtate fœdo, Corcyram renavigavit.

Dum Leucas, & Nicopolis Venetis ſubduntur, Alexander Molinus, & Daniel Delphinus cum parte navigiorum mare Ægæum infeſtum reddiderunt. Princeps iſtorum cura, annonarias Turcarum naves ex Ægypto, aliisque frumentariis provinciis venientes navigatione arcere, aut in alto deprehenſas oppugnare, inſulas minus munitas ſubita incurſione terrere, incendiis, ſui terrorem late ſpargere. Caritatem annonæ ſenſerunt Byzantini, quorum frumentum ad exercitus deportatum fuit. Plebs alioquin irritata, perpulit claſſis Præfectum, ut tandem excuſſo torpore e portu ſolvat, ac frumentariis viam præmuniat. Ille cum triginta triremibus non admodum validis per fauces Helleſponti erumpens, inſulis Tenedo, Chio, Mitilene novum præſidium injicit, Cretenſibus quatuor bellicas auxilio mittit. Tum maritima oppida, inſulas defenſioni incommodas ſævum in modum depopulatur, frumentum, cui in herba pepercerant Veneti, demeti, ac Conſtantinopolim ad ſedandam plebem expediri jubet, triſtibus ubique veſtigiis itinera ſignat. Veneta adverſo vento diu conflictata in anchoris hæſit. Simul ac tempeſtas remiſit, Chium, quo ſe Turcica claſſis abdiderat, Molinus oppugnatum venit. Hic rurſum fortuna Ottomanis favit. Nam reflante vento, in altum rejectus Molinus, fruſtra e longinquo hoſtium navigia majoribus machinis impetiit, ac non poſt multo Helleſpontum auſa repetere, dum plenis velis inſequitur, exaſperato fluctibus mari duas bellicas amiſit.

In Dalmatia hoc anno plus concurſationis, quam belli fuit. Revocato Mocenico, cujus lentitudinem in adminiſtrando bello ſummi, & infimi Venetiis ſugillabant, Petrus Valierius ſucceſſit, ſpe civium, ſuisque promiſſis multo inferior. Conſilium huic erat, ab aggreſſione nobilis prælidii exordiri, omnemque ſolicitudinem eo conferebat, ut felix armorum pincipium haberet; non ignarus a PRIMA expeditione Ducis æſtimationem pendere. Sex millibus Morlachorum præter opinionem in caſtra confluentibus, victoriæ jam ſecurus cuicunque demum loco copias admoveret, munitiſſimum Dalmatiæ præſidium Sfingam A) oppugnandum ſumpſit. Aſſidet Sfinga fluvio Cetinæ, quinque, & decem leucis Cliſſa diſſita, præcelſis cautibus circumdata, & tum præſidiario milite, omnique paratus copia inſtructa. Morlachi pertæſi, ut ajebant, ignobile otium, nihilque profuturas moras, deſertis caſtris ad diripienda oppida diſcedunt. Id conſpicati Turcæ, in Venetos, ſociorum diſceſſu proditos, impetum faciunt, atque obſidione depellunt. Plus tamen dedecoris, quam cladis illatum. Nihilo fractior Valierius, Caſtrum novum ad Catarenſem ſinum prævalidam urbem, & arce obfirmatam, cum ſuis legionibus circumſidet, Morlachis caſtrorum tædia ſtudioſe vitantibus. Sed cum nihil cederet e ſententia, deſperato ſucceſſu Narentam petiit. Hic vallo firmiſſimi operis ducto, adverſus Turcarum procurſiones in Venetum agrum, expeditionem non ſane quæſtuoſam abſolvit. Anno inſequenti B) rurſum fortuna ad Sfingam, veterem ſcopulum, adhæſit. Clauſerat eam menſe Martio Valierius cum Venetis, & Morlachis. Boſniæ Præfectus in Hungariam proficiſci juſſus, ad famam obſeſſi præſidii exercitum ſuum in Dalmatiam duxit. Morlachi, ne Venetos, prælii, & ſpoliorum ſocios haberent, confuſis ordinibus Cetinam flumen transgreſſi, acrius primo impetu, quam perſeverantius, Turcam militiæ veterem undique invadunt. E veſtigio pulſi, dum amnem maxima trepi-

A) Sfinga, aliter Sing, & Scin, munimentum validiſſimum Dalmatiæ ob cornutum opus, & aſperrimas cautes, quibus cingitur. B) Anno 1685.

trepidatione superant, Venetos una confusis clamoribus percellunt, ac jam hoste recedentium tergo instante, in apertam fugam abripiunt. Præter ter centum Venetos, machinæ ad unam omnes, cum castrensi penu obvenere ludibundo victori, qui non tam ad prælium, quam prædam venit. Multi e primariis militum Ductoribus, generosam necem fugæ præferentes, in castris pugnam ausi, pulchris vulneribus ceciderunt.

A. C. 1687.

Fuit eo tristior hæc strages, quod nulla jactura debilitati hostes, ad cæterum Dalmatiæ bellum lacertos integros, nihilque debilitatas vires afferre sint visi. Verum ad Tragurium urbem, cui Bosniæ Præfectus post recentem victoriam excidium minabatur, male mulctati, in obsidione dein Duaræ non absimilem calamitatem jacturæ Venetorum experti sunt. Circumvallarat Duaram, quam Augustinus Tartaglia defendendam sumpsit, idem Bosniæ Præfectus; Hungariam, quo arcessebatur suis cum copiis, callide declinans. Aquæ penuria increbescente, prope erat, ut urbs perutilis magis, quam munita, hosti dederetur. Valierius Duaram quidem accurrit, at veritus ne Morlachi cœpto certamine aut fugam caperent, aut spoliis unice intenti Venetos destituerent, consultando tempus trivit. Josephus Usius Tartagliæ, amici sui, periculo commotus, e cohortibus Morlachorum sexcentos deligit, oneratosque ingentibus promissis, per ignotos calles ad infestandas Turcarum stationes rapit. Pauci pabulatores, & stationarii extra castrorum ambitum, territi Morlachorum adventu, ingenti tumultu cum in castra trepide se recepissent, haud paulo ibi plus, quam quod secum ipsi attulerant, terroris fecerunt. Pauci armati, major pars inermes, qua cuique via fugiendi tutissima videbatur, e castris semet ejiciunt. Raro alias majori hostium ignavia castra amissa. Sic Duara obsidione exempta est, & Morlachi ingentibus spoliis potiti. Vallum subinde ad amnem Narentam immenso labore perductum est a Venetis, quo velut extimo progugnaculo, oppida Veneti juris in tuto ponerentur. A) Nec aliud memoratu dignum in Dalmatia hoc anno MDCLXXXV. gestum, Bosniæ Præfecto severo imperio in Hungariam accito, & Valierio in ordinem redacto. Inter hunc, & Marinum Michielium Generalem (ut vocamus) Commissarium, perquam atrox discordia exarsit. Respub. ne publica odia privata clade, quod vulgo apud Duces discordia flagrantes fieri amat, alerent, utrumque exauthoravit; in eorum locum Hieronymo Cornaro, & Antonio Molino suffectis. B)

Meliore successu Venetorum Franciscus Morosinus in Peloponneso (hic potissimum sedes armorum erat) bellum gubernavit. Cimariotæ, & Mainotæ; c) illi Epiri, hi Peloponnesi veteres coloni, initium fecere. Cimariotæ, montanus populus, confragosa, præruptaque loca Epiri habitant, & modico ære libertatem quot annis a Turcis redimunt. Hanc divitiis præferunt. Vicinus Præfectus sua magis avaritia, quam Mahometis imperio, pacate agentes, nullique graves, cum duobus millibus armatorum invadit, oppidis excidium, agris vastitatem minatur, ni imperata stipendia quamprimum repræsentent. Illi spatio petito, impetratoque greges pecorum nocturnis horis ad maritima loca depellunt, tum ipsi cum cætera supellectili secuti, vacuam regionem hosti relinquunt. Morosinus jam antea auxilium rogatus, duas bellicas, totidemque longiores naves in Epirum opportune submisit, omnemque gentem Cimariotarum, in fidem Venetorum accepit, majori utique gloria Reipubl. quam damno Turcarum, qui re infecta sterilem provinciam deseruerunt. Mainotæ rem fortius gessere. Gens hæc avitam religionem, & libertatem mira constantia retinet, reliquis Græcis in minori Asia, & Peloponneso, jugo Ottomanorum oppressis. Profundos saltus, horridam, & ad insidias factam regionem incolit, quam facile tuetur adversus quoslibet grandes exercitus. Civili bello, quo

*4 Græco-

A) Hoc vallum ductum videtur esse anno 1684. a Valierio; biennio post ab ipsis Venetis prorutum. B) Foscarinus Lib. V. c) Cimariotæ, sive Chimariotæ ab urbe Chimæra, uti Mainotæ a Maina, olim Leuctrum appellata, dicti.

A. C. Græcorum Imperium in Peloponneso eversum est, omnino abstinuit, dein-
1687. ceps domesticis turbis agitata, suas ipsa vires enervavit, ut adeo præter originem, & levitatem animi nihil accepisse a Græcis videatur. Rempubl. administrat communi consilio; nullum nobilem ferre potest. Post Cretense bellum, tributi nomine aliquid pecuniæ Turcis dependit. Cæterum suis legibus vivit, & nostra quoque tempestate Respub. floret. Morosinus in Peloponnesum bellum deportaturus, primas curas eo vertendas duxit, ut Mainotarum populum Venetorum in partes adducat. Istud missa honorifica legatione, facile impetravit a libertatis, & religionis antiquæ perquam retinentibus, quanquam subinde a primo ardore multum remiserint, neque armatam juventutem tanto numero, quanto spoponderant, in castra Veneta transtulerint.

Gubernator Peloponnesi Ismael, simul ac Mainotarum cum Venetis conspirationem accepit, cum denis millibus saltum ingredi constituit. Mainotæ locorum scientia præsidentes summum jugum, quo Ismaeli iter erat, obsident, incauteque altius progressos glandibus, saxis impetunt. Cum nullus virtuti locus esset in iis angustiis, & promptissimi quique caderent, signo dato receptui per eandem viam retrocessit. Dissimulavit cladem Ismael, & quorum corpora domare desperavit, eorum animos blanditiis devincire Turciæ contendit. Amicis verbis hortatur, ut salutis, quam finium proferendorum solicitiores, neutras partes sequantur. Spectarent velut ex orchestra pacati Venetos, & Turcas pro Peloponneso, pro maris imperio dimicantes: aut si armorum gloria tangantur, sponteque bellum quærant, sociarent se Ottomanicis legionibus, & publicæ pacis perturbatores ferro, & igne Peloponneso arcerent. Ad hæc pollicetur, Reipubl. religionis statum minime immutatum iri, si tutissimo alterutro consiliorum, dum licet, utantur; secus depulsis mari Venetis, & Peloponneso, Mainotarum populum extrema belli incommoda, longa ætate toleraturum; complures denique large profusis muneribus ab amicitia Venetorum abduxit. Hisce blandimentis, ac terroribus terna fere millia armatorum, tot enim se missuros liberaliter promiserant, Morosino detraxit Ismael, docuitque, SAPIENTI Duci ex armamentario non sola arma, quibus hostium corpora sternantur, depromenda esse, sed & clementiam, liberalitatem, aliasque artes vincendi, devinciendique animos sedulo, curateque adhibendas. Mainotarum promissis alacrior Morosinus cum sua, sociorumque classe in Peloponnesum trajicit, factaque excensione ad sinum Messeniacum. A) Habet Corone magna sane contra hostium injurias munimenta. Portum, cui naves applicantur, tormenta per muros disposita satis tuentur. Urbem vallo, mœnibus per se haud invalidam, castellum editiore in loco exædificatum defendit, istud vero præcelsa turris saxea, antiqui quidem operis, sed una firmamentum aderat a præsidiario milite, atque exercitu, qui in campo pro Coronensibus pervigil, magnopere obturbabat. Vicit tamen Christianorum ardor hæc omnia.

Quinta, & vigesima Junii e tribus suggestibus mænia verberari sunt cœpta. Fragore tormentorum exciti Turcæ, ad solvendam obsidionem magno numero conveniunt, ac Ductore Mustapha juxta castra Venetorum metati, divisis in tria agmina copiis, obsidentes pabulatione jam prohibitos, arctius premere nituntur. Res admodum angusta fuit, ingensque solicitudo Morosinum incessit, ne Turcica classis ad tergum ducta, apertum eatenus mare claudat, simulque terra, & mari obsideatur. Sed classis e portu Byzantino serius solvit, & Mustaphæ præfervidus ardor pugnandi, Venetis saluti fuit. Cum enim cerneret vastam circumvallationem a raris stationariis propugnari, neque tormentariis suggestibus communiri, multitudine suorum fretus (novem millia censebat) castra exscindendi consilium cepit. Et perfecisset destinata, si aut omnibus copiis valla aggressus fuisset ipse, quod plurimum intereat; aut integros fessis submittendo, aggressores adjuvis-

A) Sinus, sive promontorium Messeniacum nunc ab urbe Corone appellationem obtinuit.

adjuvisset. Jam duodeviginti signa in vallis defixerant Turcæ, jam læto clamore victoriam ingeminabant, Venetis, Dalmatisque partim cæsis, partim fugatis; cum Tourius Melitensium copiarum Ductor, A) ex dimacharum, ac peditum cohortibus compositam aciem in victores movet, atque post acre, cruentumque prælium qua cæsis, qua pulsis hostibus aggeres recuperat. Funestavit victoriam Tourius. Quippe multis vulneribus saucius, dum certamini extractus paulisper respirat, accensis fortuito aliquot cadis pulverum per missiles ignes, cum quatuor equitibus ejusdem Ordinis fœde discerpitur. Ceciderunt e Venetis facile ter centum, totidem vulneratis. Ottomanorum non pauciores trucidatos, ac læsos Historici tradunt. Altera impressione paucis post diebus a Mustapha tentata, non absimilem priori cladem accepere Turcæ, Venetis octoginta intra vallorum munimenta glandibus perfossis.

A. C. 1687.

Bis repulso Mustapha Byzantini veriti, ne Corones jactura multarum urbium discrimen secum traheret, timidum magis, quam cautum classis Præfectum perpulerunt, ad opem obsessæ urbi celeriter ferendam. Ille assumptis tribus, & sexaginta navibus, Hellesponto superato, ac Tenedo, Mitilene, Chio insulis, novis operibus firmatis, in Rhodum navigat, elusis Molino, & Delphino, quos Morosinus dimiserat ad annonarias hostium divexandas. His, dum multa navigatione hostium classem persequuntur, duodecim navigia Algeriensium piratarum apparuerunt. Obversis illico proris, magno animo signum pugnæ proposuit Molinus. At piratæ seu jussi, seu metu impulsi, evitato omni certamine, trepide fugam capessunt, Venetosque ad sequendum proliciunt. Aliquamdiu secuti sunt, sed frustra, Algeriensibus celeritate navium elapsis. Ottomanus liberum mare hac occasione nactus, e Syria (id horreum Byzantinis, eoque omnes onerariæ cursum dirigebant) omnis generis commeatus in Chium celeriter convexit, indeque Byzantium. Eadem celeritate in Peloponnesum profectus, ad Naupliam urbem in continente tetendit, e propinquo explorans, quid hostes ad Coronen agerent. Morosinus oppressurus hostem, relictis, qui oppugnationem urgerent, cæteros duo in agmina partitus, silenti, nocturnoque itinere Naupliam abit. Mille, & quingentos pedites Magnavinio Protribuno tradit cum mandato, ut non ante e maritimis locis in castra irrumpat, quam signum acceperit. Septima Augusti dubia adhuc luce, succedentes castris Magnaviniani prius, atque imperatum fuit, fistulas in hostem temere solvunt. Haud secus, quam captis castris Ottomani ad unum omnes, pars in naves, pars in maritimos vicos diffugiunt. Ni Morosinum, alterius agminis Ducem, asperitas, & ignoratio viarum retardasset, cum immani Turcarum cæde, victoria patrata fuisset. In potestatem venerunt tentoria omnia, sex majoris formæ machinæ, arma varia, annona multa.

Redux in castra Morosinus, tanto acrius tormentis, cuniculis mænia verberari jussit, quanto certior erat Florentinos propediem in patriam vela facturos, & Turcicam classem auxilio obsessis venturam. Repetito eodem die assultu, solutisque cuniculis cum strage mænium, præsidiarii deditionis signum efferunt. Dum super conditionibus disceptatur in castris, duorum militum manticæ multo pulvere refertæ, decidente, nescio unde, scintilla, momento accenduntur non sine ingenti fragore, tumultuque concursantium. Turcæ rati inducias abruptas, vim magnam pilarum in castra effundunt, multosque sauciant. Enim vero ira succensi Veneti, conclamatis ferociter armis, nec alio, quam furoris sui ductu, in mænia provolant, disjectisque, qui accurrerant, defensoribus, in urbem penetrant; obvios quosque implacabiliter concidunt. Tria cadaverum millia postero die reperta sunt. Tum ad prædas, & spolia prædivitis emporii discurrunt, non segniores ad rapinas, quam cædes. Corone capta, Melitenses, Pontificii Florentinos in Italiam secuti sunt. At Morosinus tribus millibus Saxonum, quos Respublica

 merce-

A) Classis Melitensis Gubernator erat Joannes Bapt. Brancaccio, cui Pontificiæ quoque naves paruerunt. Florentinas rexit Camillus Guido.

A. C. 1687. mercede conduxit, opportune auctus, Mainotarum provinciam propius accessit. Horum opera statim Zarnata, A) Ottomanicum præsidium, se tradidit. Ad Calamatam urbem dena, & amplius millia Turcarum, victoriæ cursum sistere ardebant, jamque explicata acie certamen offerebant. Morosinus non dubitavit cum hoste congredi nuper devicto. Saxones, & Mainotæ, primum impetum adeo firmi excipiunt, ut loco minime moveri possent. Ea constantia fracti equites pugna excedunt. Nec peditatus, collectitius miles, diutius dimicavit. Calamatæ cives visa suorum fuga (nam in conspectu urbis prælium commissum est) incensa bellica penu, pariter fugam arripiunt. Placuit Calamatam munimentis omnibus spoliare. Ab hoc prælio, cum nemo hostium obturbaret, multa oppida ad deditionem compulsa sunt, agerque Mainotarum vindicatus. Provectiore autumno classis in insulas Zacynthum, Leucadem, Corcyram hybernatum abiit. B)

Nondum depulsa hyeme, C) in Peloponneso Ismael Turcicæ militiæ moderator (Seraskerius) fines Mainotarum ingressus, oppidum Chialapham obsedit cum octo millibus pugnatorum. Morosinus nihil cunctatus, mense Martio anni MDCLXXXVI. in Peloponnesum trajicit quatuor circiter millia, & quingentos Venetos; his duo millia Mainotarum se addunt. E Ducum omnium consensione primo quoque tempore prælio decernendum statuitur, etsi hostem multo superiorem esse omnibus constaret Itaque Chialapham recta contendunt, ubi Turcæ obvallati, rebusque necessariis affluentes ab certandi consilio plane alieni censebantur. Verum Seraskerius, audito adesse Morosinum, non modo pugna abstinuit, sed & celeriter semet in tutiora recepit, amissis in itinere festinandi ergo sex tormentis, ac vehiculis non paucis, quæ Mainotarum equitatus, pernicitate equorum haud impar Ottomanico, cum cæde fugientium occupavit. Hæc qualiscunque victoria, majorum erat prodromus cum in Peloponneso, tum in Dalmatia. Posteaquam Melitenses C. Josepho Herbersteinio Ductore, quem Priorem D) appellant, & Pontificiæ auxiliares naves in portum Corcyræ convenere, satius existimarunt belli Senatores, in Peloponnesum, quam Cretæ insulam transmittere, atque vel Navarinum, vel Methonen aggredi, firma quidem præsidia, sed ob tot clades suorum non diu obsidentibus restitura. Ne vero Turcica classis in Peloponnesum nova supplementa militum, paratus belli, libera navigatione inferre posset, tres, & decem bellicæ cum duabus incendiariis navibus ad insulas maris Ægei, faucesque Hellesponti divexandas proficisci sunt jussæ. Morosinus Ducum consensu alacrior, Navarinum arma destinat. Novem mille pedites, mille equites, justum, integrumque militem suo imperio regebat, præter remiges, & turbam navalem. Comes Otto Vilhelmus Kônigsmarkius, quem Respubl. a Rege Sueciæ terrestrium copiarum Ductorem impetravit, mille quingentis aureis nummis in singulos menses persolutis, expositas terræ copias illico Navarinum movit. Acies omnis latissime expansa, majorem, quam pro numero pugnatorum, speciem præbuit, tantumque formidinis veteris Navarini civibus incussit, ut jam tum de deditione consilia agitarent.

Navarinum, veteribus Pylus Messenia, mari assidet, tuto, & tranquillo portu instructum, unde institorum, merciumque omnis generis frequentia eo navigat; neque tota Peloponneso emporium reperias, quod plures una provincias, & provinciarum opes negotiorum communione jungat, ac misceat. Portui altissimæ rupes, & undique abscissæ imminent, e quibus oppidani inimicas naves portu, litorumque appulsu arcere possunt; tunc subita invasione perterriti, nullo emisso telo, firmissimum scutum veteris, & novi Navarini deseruere. Urbem novam ad meridiem positam, mænia,

A) Aliis Xarnata. Neutrum vocabulum reperi in tabulis regionum, quas quidem consului. B) Hæc pleraque e Foscarino Lib. V. ad annum 1685. quo etiam usus Portæ Ottomanicæ Scriptor. C) Anno 1686. D) Melitenses Equites octo Priores numerant diversis nationibus, sive idiomatis præpositi. Herbersteinius Prior Germaniæ fuerit, quo sub titulo Hungaria, Bohemia, Polonia, Dania, Suecia, Croatia, & Dalmatia veniebant.

mœnia, & arx hexagoni forma extructa, propugnaculis ad singula latera ad- A. C. modum arcte projectis, contra aggredientium vim communiunt; atque hæc 1687. diutius restitit. Haud tamen omnibus probata est arx, quod angustis limitibus conclusa paucos defensores admittat. Vetus Navarinum ut primum in rupe Venetum conspexit, deditionem obtulit, modo præsidiarii, & cives salvis fortunis Alexandriam deportarentur. Isthæc conditio indulta est eo promptius, quod sub ipsum hunc temporis articulum mille pedites Florentini advenerunt, quorum opera speravit Morosinus, munitiora Peloponnesi præsidia hac æstate expugnari posse. Nec spe sua est falsus. Cum nihil esset, quod in veteri civitate de munimentis reficeret, cum omnibus copiis, & eadem, quam ceperat, armorum penu, altero die ad novam constitit. Non leves hic difficultates obortæ. Nam saxeo, scopulosoque in loco moliri humum sive ad aggeres, sive ad cuniculos non poterat miles; nec corbes terra, & saxis oppleti, oppositique aggerum loco, machinatores ab injuria hostilium tormentorum prohibuere. Insuper nunciabatur Ismael Seraskerius propediem cum exercitu adventurus. Motonius, machinatorum princeps, compendium temporis, atque operum facturus, ex edita rupe undeviginti mortariis dies, noctesque urbem impetiit, haud tamen sperato successu. Translatis vero in alium locum mortariis, ac multo labore tormentaria sede erecta, tantam pilarum vim in domos effudit, ut paucæ illæsæ, aut non ustulatæ fuerint. Neque obsessi sub acri, impigroque Gubernatore Sefare partibus suis deerant, & memorabili fortitudine urbem defendissent, nisi Seraskerius in conspectu obsessorum fusus, fugatusque spem omnis auxilii ademisset.

Consederat ille haud procul Venetorum castris. Kônigsmarkius relicto ad obsidionem Alexandro Alcenago, nobili ordinum Ductore, nulla interposita mora, in hostem vadit. Erant ei peditum millia ferme septem, & septingenti equites, veterani milites plerique. Ex his tamen aliquot signa detraxit, atque iter Methonen versus insidere jussit, ne quid inde suppetiarum acciperet Ismael, quæ magnis passibus imminere falso ferebantur. Marchio de Carbon primus suam dimacharum legionem in Turcas egit. Æstu certaminis abreptus, contra ac jussum fuerat, toto impetu in castra ruit, atque circumventus in orbem pugnare cogitur. Accurrunt auxilio Viscontius, Andrius, aliique militum Præfecti suis cum cohortibus; Marchioni respirandi copiam faciunt. Mox integratur atrocius certamen, & quoniam hostes loco, & numero præstabant (dena millia numerabantur) neutro inclinatum duabus horis stetit. Vicit postremum virtus. Fugientes Spahios pedites confusis ordinibus sequuntur. Kônigsmarkius sive insidias veritus, sive nollet paucum, prælioque fessum militem ultra fatigare, collectis propere spoliis, ad oppugnationem prope affectam redit, ac Sefarem deditionis admonet. Ille non tam profligatis auxiliis, quam civium trepidatione motus, postquam urbem insigni constantia juxta, ac providentia est tuitus, quarta decima Junii, iisdem, quibus vetus Navarinum, conditionibus novum tradidit. Demigraturis quatriduum, & navigia, queis aveherent domesticam supellectilem, conceduntur: & ne miles sarcinarum parte miseros dispoliet, jussu Kônigsmarkii in classe noctem agere debebat. Tertia A) vigilia nondum circumacta, immanis fragor, quo Peloponnesi urbes nutantibus ædificiis trepidarunt, omnium quietem abrupit; mox feralis crepitantium flammarum fulgor Navarini reluxit, secuto barbarorum incondito clamore. Tenebræ additamentum malorum omnia in majus auxere. Perculsus horrifica concussione, incendioque Morosinus, hostium fraudem facile suspicatus, extemplo anchoras præcidi, ac classem in altum propelli jubet. Hic enim vero magnitudo cladis apparuit. Constratum erat mare convulsarum domuum tignis, atque cadaveribus partim ambustis, par-

A) Hora secunda noctis. Nam noctes apud Romanos in quatuor vigilias dividebantur, singulæque vigiliæ tribus constabant horis. Tertia itaque vigilia sub medium noctis initium duxerit. Vide I. Lipsium de Militia Romana pag. 275.

A. C. 1687. partim discerptis, quæ nempe succensa pulveraria vis in sublime rapuit, inque mare vehementissimo impetu præcipitavit.

Fortene, an dolo? strages acciderit, varia civium opinio erat. Alii in apothecam pulverariam ignem fortuito injectum ajebant. Alii Sefarem, urbis Præfectum, tantæ cladis reum fecere, quem scilicet properatæ deditionis pudor, ac Venetorum recessus ad novam urbis defensionem impulit; cum vero nemini probaretur consilium, furore amentem cados pulverum, quasi feralem pyram suo ipsum funeri succendisse, seque cum centum quinquaginta armatorum, ac magna parte ædificiorum in auras ejecisse. Hac confessione sive apto tempori mendacio, invidiam, crimenque oppidani in Sefarem, qui nusquam repertus, amoliti sunt. Insequenti die Navarino fœde convulso excessere ter mille oppidani, Alexandriam navibus profecturi. Ruina Navarini Methonen traxit. Eam vigesima secunda Junii Kônigsmarkius terra, Morosinus mari obsedere. Gubernator de deditione per tubicinem compellatus, superbe admodum, aut generose respondit: *Coronen, & Navarinum fœminas propugnasse, ad Methonen cum fortibus viris rem fore. Desinerent proinde rebus integris deditionem imperare.* Ferocibus dictis nequaquam par animorum constantia fuit. Nam tormentis, ollisque igniariis, diebus non multis infestati, candidum vexillum pro mænibus extulerunt, solum pacti, liberis corporibus, & fortunis ut discedere liceret. Relictis muralibus tormentis nonaginta, & uno, quatuor millia hominum in diversa Peloponnesi oppida abierunt. Ismael recepta clade cautior, non ausus castris castra conferre, percursata late Peloponneso, oppida Græcæ religionis avare, crudeliterque habuit. Existimavit enim homo suspicax, nulloque placabilis obsequio, Græcos, Christiani nominis reliquias, cum Venetis clanculum pepigisse, & Mainotarum exemplo, eas quoque partes amplexos, ad quas avita libertas, majores utilitates vocabant. His suspicionibus turbidus, nobiles colonias, veluti in bello captas, hostilem in modum vastavit. Multi apud Venetos, multi extra Peloponnesum pereunti patriæ præsidium quæsivere. Absentium direptæ opes; præsentibus aurum, & argentum ablatum. Ad hæc conjuges, liberi, obsidum loco futuri, in minorem Asiam avecti; multa oppida eversa. Sic Ismael vires rebellandi Græcanico populo subtraxit, RATUS providi Gubernatoris plurimum interesse, efficere, ut quod vires immaturæ non poterant, aut nolebant, nunquam possint.

Post Methonen majore labore Nauplia urbs vindicata est. Tuebatur eam Mustaphas quidam, cum quinque fratribus illius provinciæ Dominis, & bis mille præsidiariis. Veneti secunda navigatione usi, ineunte Augusto universam classem ad Naupliam stiterunt. Occupato monte Palamidæ, qui urbi incumbit, terrestris, maritimaque oppugnatio eodem tempore cœpit. Ismael Græcorum spoliis animatum militem, terrestri itinere Argos deduxit. Hic metatus quieti indulsit, dum Epidauri Præfectus suis cum copiis adveniret; interim ter centum pedites minoribus navigiis noctu impositos, sive indulgentia Venetorum, sive ignoratione viarum, Naupliam injicit; quæ res Kônigsmarkium movit, ut jusserit omnem oram maritimam speculatoriis navibus per solertes navarchos in posterum explorari; & quoniam obsessi in dies singulos ferociores evadebant, conspectis e Naupliæ mænibus Ismaelis castris; statuit hac quoque spe quam primum illos evertere. Igitur assumptis aliquot legionibus, terra Argos profectus, ac acie prope littus explicata, Ismaelem in certamen protraxit. Fervente pugna, bis mille classiarii Morosino Duce Turcarum latera tormentis, ac fistulis invadunt. Inopinatus hic casus, inclinantem aciem perdidit. Equitatus hostilis ut primus in certamen ruit, ita primus quoque, solutis ordinibus prælio excessit, transmisso in pedites metu. Ismael vinci assvetus, profligato exercitu, Corinthum aufugit. Castra Venetis cesserunt. Monetur Mustaphas per Fecialem: *nisi ante dediderit se, quam assultus fiat, nullas conditiones fore.* Reposuit ille: *se qualemcunque fortunam forti, promptoque animo*

animo laturum. Deum merito Turcarum criminibus iratum; in hujus poteſtate ſe, ſuosque futuros. A) A. C. 1687.

Obfirmatum Gubernatorem Veneti adeo omni armorum genere urgent, ut ſingulis diebus quingentas igniarias ollas tectis, hominibusque ſævam peſtem ferentes, in urbem injecerint. Sed & Venetis immodici calores, & obſeſſi graves erant. Multi Præfectorum, Carolus Königſmarkius, Viſcontius, Bragadinus variis morbis extincti, Alcenagus glande confixus; B) gregarii intemperie aëris, vigiliisque confecti. Attenuatum exercitum ſupplementa ex Italia miſſa integrarunt opportuno tempore. Quippe Iſmael ternis millibus auctior, per occultos calles Naupliam evectus, tanto furore caſtra Venetorum oppugnavit, ut prope ea ceperit. Tribus horis ancipiti Marte dimicatum. Königſmarkius in altiora loca concedentem inſecutus, cæſis mille quadringentis gemina victoria potitus eſt. Oppidani etenim viſo Iſmaelis ſiniſtro prælio, ad conditiones deſcenderunt. Libertatem pacti, abierunt cum armis, & opibus quatuor millia Turcarum. Quadringenti captivi diverſæ nationis ex ergaſtulis educti. Machinæ murales, & caſtrenſes octo, & ſeptuaginta captæ. Muſtaphas, & ejus frater Haſſanes, C) qui nuper ſupremo jure Peloponneſum moderabatur, veriti, ne properatæ deditionis rei Byzantii agerentur, cum omni ſervitio, opibus, liberis Venetias navigarunt. Hic aliquot menſes morati, ſive quod VICTI raro victores ament, ſive quod deſiderio ſuæ religionis flagrarent, in Africam ad ſuos Mahometanos diſceſſerunt.

Intra paucos dies Argos, aliaque circum oppida in poteſtatem Reipubl. venere. Auxiliariis in Italiam redeuntibus, Moroſinus minorem claſſem in Ægei maris inſulas agere conſtituit. Medio in curſu gravi tempeſtate jactatus, ægre in vicinum portum decurrit, ubi in conſpectu Chalcidis, viginti quinque diebus non ſine jactura temporis ſubſiſtere debebat. Sic feliciſſimum Imperatorem fortuna deſtituit. Eodem tempore Königſmarkius ſua cum conjuge morbo oppreſſus, Zacynthum deportatur, quo hyemante jam anno omnis claſſis ad ſtativa capienda convenit. Idem ſibi faciendum exiſtimavit Iſmael fuga magis, quam præliis laſſus. Anguſtias ſinus Corinthiaci duobus Baſſis attribuit; Patras urbem D) militum præſidio, dato Gubernatore Mehemete, ſepſit; ipſe cum majori exercitus parte in oppidis, quæ Corinthum inter, & Patras jacent, hybernavit. Maritima hæc expeditio, qua Turcis nobiliſſimæ urbes in Peloponneſo ereptæ, ingentem tumultum Byzantii concivit. Mahometi Imperatori conſultius nihil viſum ad ſedandam plebem, atque ſi ſpem propinquæ pacis oſtenderet. Sed quemadmodum Cæſari bellum præplacuit, ita & Venetis proſpero rerum curſu, inprimis hac æſtate, uſis.

Dalmatia præſenti anno MDCLXXXVI. non juſtos exercitus, non pugnas ſtatarias, ſed prædabunda agmina, populationes, incendia ſuarum villarum vidit. Primi Ottomani præaltos aggeres ad fluvium Narentam a Valierio nuper eductos incurſarunt. Veneti pro virili omnem illam procellam pluribus diebus ſuſtinuere. Cornarus animadvertens paucum, quem ſub ſignis habebat, militem aſſiduis vigiliis hauriri, neque tuendis aggeribus procedente tempore parem fore, disjectis aggeribus, ut Reſpubl. imperaverat, vires in unum contraxit, aperto in campo regionem defenſurus. Turcæ omiſſis Venetis, in Morlachos ad Salonam in prædam effuſos ſubito movent; & cæcidiſſent incompoſitos, niſi Cornarus in omnem partem vigil, ac providens, duas bellicas in tempore Salonam miſiſſet. Adventu claſſiariorum admoniti Morlachi aciem ſubito componunt, ac cum ter mille quingentis Turcis manus conſerunt. Primo impetu adeo languide reſtiterunt hoſtes, ut non tam prælii, quam fugæ conſilia agitaſſe viderentur. In fuga

A) Porta Ottomanica pag. 358. B) Hujus Alcenagi militaria facta quo loco fuerint apud Sereniſſimam Rempub. inde colligas, quod Nepoti illius ſingulos in annos ſex centum aurei nummi ſepoſiti ſint. C) Crediderim Haſſanem ante hoc bellum Venetum præfuiſſe Peloponneſo, ac ſubinde Iſmaelem ſucceſſorem habuiſſe in adminiſtranda provincia. D) Patræ, Italis Patraſſo, urbs Peloponneſi prope ſinum cognominem, inſigni caſtello communita.

A. C. 1687. ga multi cæsi, plures capti. Utraque pars post hanc velitationem Dalmatiæ oppida miserum in modum populationibus, & incendiis deformavit. Morlachi, ut spoliis mire capiuntur, ita in plura agmina divisi, ingentes hominum, pecudumque prædas egerunt. Quotquot Ottomanici coloni in manus venere, aut e vestigio cæsi, aut vinculis impediti, & in servitutem cum omni familia tracti. In vicos perinde subditis flammis sævitum, ut adeo paucos intra menses provinciæ hostiles bustum, & solitudo fuerint. Complures familiæ Christiani nominis, sive belli fortuna, sive spe commodioris domicilii, in Turcarum oppida pertractæ, ne simul pessumirent, maturata fuga, in ditionem, fidemque Venetorum concesserunt, quibus Respubl. frumentum e publicis horreis dari jussit, etsi tunc temporis mare, fluviique præter modum intumescentes, atque aggeres suos supra hominum memoriam subito egressi, incomparabilem stragem rei frumentariæ cum Venetiis, tum aliis in locis intulerint, & prope universas Venetorum provincias gravissime afflixerint. A) Ita Respub. foris victorias, domi cladem invenit; DEO res humanas nunc lætis, nunc tristibus temperante, ne mortales nimia felicitate elati, suæ conditionis, variæ mutabilitati obnoxiæ, immemores agant.

Et vero exeunte hyeme insequentis anni, B) in Peloponneso quoque calamitatem subiit Respubl. Ceperat navim Jacobus Cornarus in insula Paro, Byzantinis mercibus onustam, eamque Naupliam lætus abduxit. Dum spolia partim sub hasta divendit, partim cum militibus partitur, simul pestilentiam vulgavit. Serpebat vis morbi pluribus diebus per classiarios, tum præsidium Nauplíæ, aliarumque urbium corripuit. Equidem Cornarus infectas legiones ab integris summa cura secreverat; verum non propterea seu grassantes morbos, seu atrocem rumorem, qui Italiæ provincias brevi pervasit, extinxit. Nusquam tamen plura funera, atque Naupliæ conspecta. Melitenses, & Pontificiæ naves metu contagionis, bello tantisper abstinuerunt in Peloponneso, velaque, & vires maximo emolumento in Dalmatiam verterunt. Sed vis mali non tam diuturnitate temporis, quam multitudine funerum desæviit. Duorum fere mensium spatio, omnis morbus, pestilentiaque ex agro Peloponnesi emota est, rediitque salubrioris cæli temperies.

Königsmarkius interim ex ægritudine confirmatus, posteaqum omnia tuta in Peloponneso esse intellexit, veteranas copias Christianorum Principum, inprimis Hannoverani, Hasso-Cassellani, Brandeburgi, Waldekii, Brunsvicensis, quas Veneti multa mercede conduxerant, in Peloponnesum trajicit vicesima Julii. Classi centum sexaginta duarum navium præfuit Franciscus Morosinus, notum maritimis expeditionibus nomen. Transportata sunt peditum novem millia, equitum mille, ter centum. Ad hæc nautarum, navaliumque sociorum magnus numerus, atque e nobilissimis Italis Volonum manipulus. Validissima classis velis, remisque impulsa, videndam, æstimandamque se præbuit Ottomanis, qui ad sinum Corinthiacum in Achaja gemina castra locaverant. Ismaele exauthorato, Seraskerii munus obibat Mehemetes, Patrarum nuper Gubernator, nihilo felicior Dux. In Ætolia prope castellum Molicreum tertia castra visebantur in sinum usque Corinthiacum ingenti ambitu porrecta. Hæc moderabatur Mustaphas, Epiri Præfectus. Quod si vires suas junxissent Turcæ in tempore, cladem sine dubio vitassent. Sed Mehemetes, audito Melitensium, ac summi Pontificis navigia in Italia adhæsisse, existimavit se Venetorum exercitui pestilentia attenuato, non parem modo, verum etiam superiorem. Quippe sex mille Janicsaros, bis mille Spahios, & totidem Saimenos (genus est equitum) exuviis ferarum horridos, in utrisque castris habuit, quos visa Venetorum numerosa classe, illico miscuit, Mustaphamque per Celeres admonuit, ut sibi quamprimum aliquot cohortes legionariorum auxilio submittat. Trepida concursatio consilium prodidit. Morosinus suspicatus id, quod erat, jubet

A) Hæc Foscarinus Lib. V. ad annum 1686. B) Scilicet 1687. anni.

jubet Benedictum Sanudum, intempesta nocte in sinum Corinthiacum cum duodecim navigiis irrumpere, atque viam auxiliaribus copiis intercipere. Plus quam imperatum erat, non minus generose, quam feliciter Sanudus effecit. Nam & angustias maris gemino castello (Dardanellas appellant) permunitas superavit, & quindecim hostium navigia extra portum Naupacti in anchoris hærentia cepit; desideratis nonnisi duodecim remigibus, etsi utriusque castelli præsidiarii, majorum, minorumve pilarum tempestatem in eas angustias effunderent.

A. C. 1687.

Jam classis Venetorum Achajæ promontorium tenuit, Dalmatæque primi in terram egressi, locum castris ceperunt. In hos ter centum equites laxatis frænis invecti, post breve certamen in castra sua repulsi sunt. Kônigsmarkius aggrediendi Ottomanos certus, legiones sine mora magnis passibus, plena acie in hostem movit. Mehemetes ut ne simul mari, simul terra obsideretur (nam Sanudus Corinthiacum sinum infestus obtinuit, atque a mari, unde se inaccessum rebatur hostis, irruptionem paravit) castris excessit, ac inter densiora arbusta, ut locus patiebatur, non inscite aciem struxit. Equitum aliquot Turmæ magna vi, & vociferatione Dalmatas, qui primi in conspectum venere, invadunt. Quibus una displosione fistularum disjectis, rursum aliæ, atque aliæ Janicsaris immixtæ se se effundunt; parthico more nunc a fronte, a tergo, a lateribus plurimum negotii faciunt. Aucti Dalmatæ Brunsvicensis Ducis legionariis rem fortiter gerunt. Jam prima Janicsarorum acies in pugnam educta, pluribus locis prælium accendit. Spahii, & Saimeni numero superiores, Venetum equitatum claudere connisi, a dimachis una incursione profligantur, neque deinceps in pugnam perpelli potuere. Equitibus pulsis, iidem dimachæ in primores peditum cædem, in postremos metum inferunt. Secunda acies, ne glande quidem emissa, turpissimam fugam init, seque in profundos saltus celerrime abdit. Id conspicati, qui eatenus restiterunt, & ipsi latebras petunt. Nihil propius erat, quam ut Mehemetes cum præcipuis Ductorum caperetur, ac triumphum illustraret. Sed ad ignominiam, & nobilitandam cladem satis fuit, quod sex centum in prælio, mille in fuga, impedimentis, omnique bellico apparatu exutus amiserit. Christiani maritima jactatione, & pugna fessi, in arena noctem egerunt. Recensito milite compertum est, quinquaginta duntaxat gregarios occubuisse; vulneratos vero Marchionem Corbon, Petrum Ceilinam Dalmatarum Tribunum, præter non paucos dimachas.

Summa inde rerum omnium in Peloponneso perturbatio. Patrarum præsidiarii cognita Mehemetis fuga pulveraria penu accensa, urbis munimenta magnam partem evertunt, ac deserunt. Gemina pariter castella, queis angustiæ maris, sive Corinthiacus sinus frænatur, uti & urbs Naupactus, natura, & arte, supra quam credi potest, permunita; pari vecordia victori permittuntur. Mustaphas adeo trepide fugam arripuit, ut festinandi studio & machinas, & tentoria, & omne genus spoliorum direptioni reliquerit. At Mehemetis extrema formido, an stultitia? lethali plaga rem Ottomanicam afflixit. Græcos non habitu solum, lingua, moribus, ingenio, sed religione ut quam maxime disjunctos, & fortassis hoc felicissimo rerum cursu æquiores Venetis, quam Turcis, omni clade belli vastandos putavit, ignarus quantum odii sibi, suisque posteris conciret. Itaque regionem, quam indecora fuga emensus est, incredibili furore populatur, veluti Græcum nomen radicitus extirpaturus. Arserunt plurima oppida cum nobilissima urbe Corintho. Cadavera passim in agris, vicis inhumata longe, lateque tetrum odorem spirarunt. Qui supererant in Attica, aliisque provinciis Græci, metu malorum, quam adhuc tulissent sub tyrannide, majorum, Kônigsmarkii, & Morosini opem implorant: adessent quantocyus cum exercitu, Græcos, ne Turcam in posterum rigidum, nulloque obsequio, beneficio placabilem Dominum perpetiantur, ante tentaturos, perpessurosque omnia. Cupere se, ut hanc mentem suam quamprimum re-

bus

A. C. 1687.

bus ſuis comprobandi copia fiat. Sed Kônigſmarkio loco Atticæ Peloponneſum ſub jugum mittendi conſilium fuit, ſedem deinceps armorum futuram; ex qua provincia bellum facile importari poſſet ſive in Ægei maris inſulas, & minorem Græciam, ſive in Atticam, Ætoliam, Bæotiam, ſive denique in Cretæ inſulam. A)

Fugato Mehemete, urbs Corinthus incendio fœdata in deditionem venit. Arx Acrocorinthus, in immanem altitudinem edita, nullo obſiſtente, eandem fortunam ſubiit. Spartani, B) & loco, & numero freti, rejecto de deditione colloquio vim parabant. Ubi exercitum ſuis mænibus affulſum conſpexerunt, omnium animi in pacem inclinarunt. Octo primarii Præfecti, & triginta nobiliores in caſtra profecti, mora deditionis excuſata, in poteſtatem Venetorum urbem, rebus omnibus abundantem, permittunt. Kônigſmarkius omiſſa intempeſtiva benignitate, & oppidanos & præſidiarios captivos pronunciat. Neque illi repugnare auſi, vincula ultro induunt. Sine diſcrimine ſexus, ætatis, in anguſtum locum compinguntur, ac paucis poſt diebus graſſantibus morbis correpti, & rerum inopia, & ægritudine animi plerique occubuerunt. At Epidaurus urbs, inclyta olim Æſculapii nobili templo, nunc vitium fama orbe toto celebris, curſum victoriarum ſtitit. Claſſis Moroſini circumvecta Peloponneſum, dein in Saronicum C) ſinum appulſa maritimam, Kônigſmarkius terreſtrem oppugnationem, acrem quidem illam, ſed irritam inſtituit. Murorum etenim non minor, quam hominum contumacia, quatuor pilarum millia, etſi plurimæ domus in cineres abierint, eluſit.

Relictis ad obſidionem Mainotis, ac Græcis, provinciam Atticam propius acceſſit claſſis Septembri menſe. Athenæ D) tormentis verberatæ, præter opinionem celerius Kônigſmarkium victorem admiſerunt. Grandior pila in templum Victoriæ E) incidens, ubi maxima vis ſulphurei pulveris aſſervabatur, omnem penum armorum, pulveris cum immani ſtrage ædificiorum momento abſumpſit, oppidaniſque repugnandi copiam ademit. Turcarum præſidio Smyrnam navigare permiſſo cum modica ſupellectili, Græcæ nationis cives incredibili voluptate Chriſtianos accepere. Mehemetes interim Thebas fuga delatus, more ſuo cædes, & incendia ſparſit per Græcorum oppida. Niſi rigidior autumnus obſtitiſſet, ſpes haud dubia erat, Thebas quoque cum omni Bæotia tot victoriarum fructus facile acceſſuras fuiſſe. Sed jam October ventis, imbribuſque gravis, in hyberna claſſiarios compulit. Reſpubl. Veneta Kônigſmarkium, & Moroſinum (uterque pari prudentia, ſagacitateque, & quod caput rei eſt, mira animorum concordia expeditionem gubernavit) ſummis laudibus in Senatu, & literis ad Regem Sueciæ datis extulit, ac muneribus magnifice coluit. Peloponneſi tamen libertas propemodum in integrum reſtituta, multo maximum ambobus voluptatis, & gloriæ argumentum fuit. Græcorum, e ſervili tot annorum jugo reſpirantium, accurſus undique fiebant ad victores, quos Chriſtiani nominis vindices, Græcanicæ libertatis aſſertores, aliiſque dignationum titulis compellarunt. Illud lætitiæ quidpiam decerpere potuit, quod Athenæ, Sparta, Corinthus, Argi, urbes famæ vetuſtate inclytæ, non modo veteribus ornamentis ſpoliatæ, ſed flammis quoque combuſtæ clades, vaſtitas, buſtum ea tempeſtate fuerint. Quanqnam locorum opportunitate frequentiam revocante non multo poſt e ruinis ſurrexerunt, haud tamen pristi-

A) Conſule chartas Geographicas maxime Chriſtophori Weigelii, aut aliorum, qui veteres provincias veteribus quoque nominibus exprimunt. Nam novi nova nomina plerumque imponunt. Notum enim illud: ut provinciæ, & urbes Dominos, ita & nomina ſua, & poſitum perſæpe mutant. Hæc ſemel monuiſſe ſufficiat, ne me continuo errore lapſum arguas, ſi in recentioribus, ac heri in publicum emiſſis regionum tabulis, locorumque indicibus non reperias, quod dico. B) Sparta urbs, appellatur etiam Miniſtra, Lacedæmon. C) Saronicus ſinus, nunc Geographis Golfo d' Engia. D) Intellige arcem, ſive Acropolim. Namque urbs Athenarum muris jam olim nudata fuit. E) Templum Victoriæ nomen ſuum retinuerit a veteribus Græcis impoſitum. Cæterum fervente oppugnatione ſulphurei pulveris apotheca fuerit.

pristinæ celebritati redditæ, aut L. Æmilii Pauli A) lustratione dignæ. Denique millesimo septingesimo decimo quinto, literarum omnium parenti Græciæ, post brevem libertatem jugum rursum impositum est. A. C. 1687.

In Dalmatia præsenti anno MDCLXXXVII. unius urbis expugnatio, uti multum laboris, & sanguinis hausit, ita Venetiis, Romæ ingentem lætitiam peperit. Erat Innocentius XI. summus Pontifex obfirmatus in proposito, oppugnandi Novi castri, B) principis fere præsidii Dalmatiæ, quo integro neque mare tutum, neque provincia satis defensa videbatur, quidquid alibi urbium caperetur. Huc ergo Herbersteinio Ductore Melitenses, & Pontificii, Cornaro classis Præfecto Veneti, centum triginta navibus advecti, septem, & viginti dierum spatio acerrima oppugnatione præsidium fatigant. Primus labor obsidentium erat, editiora loca circum præsidium occupare, ab Ottomanis insessa, quibus postea quam depulsi sunt non sine Melitensium jactura, vias omnes, ne quid exteræ opis acciperent, equitum turmæ percursare jubentur. Non multis diebus mænium verberatione, mutuoque ignium missilium conjectu, opera strenue promoventur, etsi Turcæ sæpius erumperent, fossoresque, & stationarios nudatis frameis, ferreis fistulis sternerent. Hæc inter terni Præfecti, sive Bassæ, cum quater mille peditibus ad Ragusam consederant, auxilium laturi obsessis, ut primum Scodræ c) Præfectus cum sua armatorum manu advenerit. Pastrovichius unus Bassarum, sociorum inutilem moram increpuit, seque, si ipsi cessarent, cum suis cohortibus per media castrorum in urbem aditum quæsiturum confidenter edixit. Uterque cautus, ac providus alias, hominis ferocia permotus, nulla mora interposita itineri, & prælio semet accingunt. Placuit tamen, prius Gubernatorem appropinquantis auxilii commonefacere, ut eodem tempore hostium vires distrahat. Traduntur literæ Ragusanæ mulieri Gubernatori perferendæ. Hæc a stationariis detecta, an ipsa exuta fide se prodidit? molitioni Pastrovichii plurimum obfuit. Nam Cornarus illico Dalmatarum cohortes insidere itinera, & Venetos in castris arma capere jussit.

Sed Pastrovichius occultis callibus, adeo improvisus castra adortus est, ut stationarii suo cum Tribuno Perinio, abjectis, quæ morari possent, armis, & signis, in effusam fugam raperentur. Tumultu excitus Cornarus, aliique Præfecti, hortati suos, ut magno animo capesserent pugnam; invasores firmo gradu excipiunt, & post cruentum certamen versa fortuna extra vallum repellunt, recuperatis vexillis, armisque. Turcarum septingenti cæsi, postero die in loco pugnæ reperti sunt, quorum capita a cervicibus revulsa triste spectaculum obsessis dedere. Cæteris nox, ac viarum peritia saluti fuit. Pastrovichius suasor, actorque consilii, reste vitam finiit. Resumptis oppugnandi curis machinatorum ars in cuniculis perficiendis dies, noctesque desudavit, nullo fere successu, quod operæ in saxeo, scopulosoque loco ægre molirentur humum. Plus profectum est machinis. Quippe & mænia magna strage decusserant, & grandior pila in arcem illapsa, perfracto subterraneo specu in receptaculum pulveris penetravit, unaque ruina nobilissimas fæminarum cum turba puerorum oppressit. Nihil inde fractior Gubernator, omni vi præsidium, ut cœpit, tueri perseveravit, quamvis Cornarus opimas conditiones offerret. Decreto assultu ingens æmulatio diversarum nationum exarsit. Veneti, Florentini, superatis ruinis immaturo æstu nimium provecti, in ipsam urbem infunduntur, ubi a Turcis, veluti ex insidiis consurgentibus, denso pilarum imbre subito sistuntur, trucidatis duobus Centurionibus Santanino, & Canagetto. Melitenses lentius procedentes per ruderum iniquitatem, perinde omni telorum genere impetuntur, ipsis fæminis ferventi aqua, lapidibus pro ruinis murorum dimi-

A) L. Æmilius Paulus easdem prorsus civitates adire statuit ad visenda, quæ nobilitata fama, magis auribus accepta sunt, quam oculis noscuntur, ut loquitur Princeps Romanæ Historiæ conditor Livius Lib. XLV. §. XXVII. B) Novum castrum, seu castellum, vulgo Castell Nuovo, ad Cattarensem sinum gemina arce egregie munitum. c) Scodra, Italis Scutari, urbs Albaniæ a Mahomete II. pertinaci oppugnatione fracta 1477. Vide Tom. I. pag. 45.

A. C. 1687. cantibus. Promptissimus quisque vulneratur, aut cæditur. Sed integris succedentibus propugnaculum capiunt, seque obmuniunt. Prope erat, ut hac statione multo cruore empta exciderent. Melitensium unus arrepto vexillo, cum paucis dimachis semet in urbem immisit, depactoque signo occupatæ urbis speciem præbuit. Accurrit barbarorum globus ad rei nuncium, ac cæsis uno impetu dimachis, Melitensem cum signo fugientem ferocissime insequuntur.

Baruthani rati Melitenses internecione deletos, omissa statione sua, præcipiti cursu in castra feruntur, Turcisque spatium concedunt Melitenses ligoni magis, quam ferro intentos, ex utroque latere invadendi. Nullum in illa trepidatione Cornarus constantis Ducis officium omisit. Occursat turbatis cum recentibus copiis, fugientes retinet, ubi plurimus labor, consilio, manu, voce insignis hosti, conspicuus suis. Neque muneri suo deerant Marchiones de Barro, Horologius, nobilesque Præfecti Melciatinus, Loredanus, Markovichius, Bolanus, circa Cornarum se stipantes, primum discrimen poposcerunt. Redintegratur rursum in ruinis pugna, si unquam alias, ferox, & memorabilis; atque in seram noctem protracta. Fugatos hostes insecuti victores, tanquam subacta in urbe totos se ad prædas transtulerunt. Isthæc victoriæ securitas, quidquid prospere actum, propemodum evertit. Nam Turcæ conglobati, vagos, sparsosque (ut NIL vilius est adversus vim invadentium prædatore milite) partim in domibus obtruncant, partim in fugam abigunt. Eo torrente aliquot cohortes abreptæ, ægre Præfectorum accursu frontem obvertere. Markovichius in urbe desertus, tamdiu pugnam sustinuit intra domorum angustias, dum quadraginta Samnites A) supervenientes stationem recuperarent. Horum generoso facto deditio maturata est. Cum enim nox luna illustris foret, quæve agerentur a Venetis, animadverti, propeque cerni possent a Turcis, præsidiarii maritimæ turris, animadverso Venetos ultra ruinas jam progressos, ne reditu intercluso ad suos, postero die captivi abducerentur, libertatem pacti, turrim eadem adhuc nocte tradiderunt. In hanc statim muralibus tormentis illatis, arx, eminenti saxo imposita, adeo verberari cœpit, ut vixdum illucescente die deditionem obtulerit. Urbs eo præsidio exuta pervicaciam posuit. Acceptis a Cornaro honestissimis conditionibus, mille pueri, fœminæque, & quadringenti armati in Albaniam abierunt. Atque hic quoque apparuit, NON pro numero fuisse virtutem, plusque momenti ad servanda præsidia in animis, brachiisque virorum, quam hominum, præsertim vigiliarum, & laboris intolerantium, inesse; quamquam octingentos admodum obsidio unius mensis absumpsit. Cornigradum, minoris nominis castellum, transactis cum Cornaro conditionibus se pariter Venetis restituit. B) Nunc campi Poloniæ, & Moschoviæ lustrandi.

Rex Joannes Sobieskius Poloniæ suæ redditus, C) multo ardentius, quam felicius auspiciis, ductuque suo bellum prosecutus est, contra hostem Christiani nominis; ut adeo Polonia extra Poloniam validius defensa fuerit. Anno altero D) a Regis reditu Stanislaus Jablonovius, supremus Polonicorum exercituum Dux, acceptis in castra Lithuaniæ copiis, quas Casimirus Sapieha moderabatur, in Podoliam movit. Raro alias florentiores copiæ in Polonia visæ, ingentes spes Confœderatis fecere. Quadraginta millia veterani militis censebantur, armis, equis, re annonaria abunde instructa. Neque enim inutilem turbam circumducere, itineris plerumque impedimentum, ac annonæ caritatem; sed egregios quosque, & manus videlicet, non multa nomina Rex volebat, qui mense Augusto castra ingressus, rejecta in aliud tempus Cameneci oppugnatione, ad Tyram fluvium iter flexit. Hic pluribus diebus metatus, in alteram ripam exercitus partem proficisci jussit ad Tartaros depellendos. Quibus levi prælio fugatis, Rex subactis inferioris

A) Samnites, nunc Geographis, & Historicis Abbruzenses. B) Hæc Foscarinus. Lib. VII. & Porta Ottom. ad ann. 1687. C) Nimirum anno 1683. mense Decemb. D) Anno 1684.

rioris Podoliæ oppidis, menſe Novembri campo exceſſit. Hæc Lengnichius ſuæ Hiſtoriæ inſeruit. A. C. 1687.

Porta Ottomanica diverſa narrat, nempe: Polonos operam perdidiſſe in extruendo ponte, quod Tyras fluvius per eos dies ripis ſuperfuſus, quidquid machinatores agerent, domari nullo modo potuerit; Tartarorum equitatum tranaſſe Tyram, ac Polonorum caſtra infeſtaſſe; ipſum denique Solymanum, Turcarum Ductorem, ad Camenecum ponte facto cum quindecim millibus ſuorum transgreſſum, Polonosque adeo arcte obſediſſe, ut equina carne diram famem ſedare coacti fuerint. Regem nihilominus imperterrito animo eam calamitatem tuliſſe, inſuper explicata acie prælium indixiſſe inſultanti hoſti. Cum vero Camenecenſes Solymani militem in dies augerent, Regem hyemante anno copias ex iis anguſtiis incolumes reduxiſſe, fruſtra tergo hærentibus Turcis, Tartarisque quindecim diebus.

Anni inſequentis A) expeditio plus dedecoris, & damni habuit. Comitiis ſat turbulente actis, autumnus aderat; & jam Tartari deducto Camenecum præſidio, uſque Leopolim populationem proferebant. Copiæ Polonicæ non Regi, ſed duobus Ducibus Stanislao Jablonovio, & Andreæ Potoczio committuntur, quibus cum Lithuanis additus eſt minor Præfectus Boguslaus Sluſzka. Triumviri iſti, ut a Rege abalienato erant animo, quem ſcilicet omnium, quæ expeditionem proximam conſecuta ſunt, malorum authorem per ora hominum traducebant, longe aliam, ac anno præterlapſo profectionem inſtituunt. Superato amne Tyra, nihil veriti ſunt viam quærere in Valachiam, & Moldaviam, multis cladibus Polonorum nobilem. Hic Potoczius morbo correptus, Sviatini ſubſiſtere cogitur. Jablonovius, & Sluſzka de fortuna ſua nimium præfidentes, & jam vaſta conſilia ultra Danubium porrigentes, dant ſe in profundos ſaltus Bukovinæ (ſic ſylva inter Tyram, & Hieraſum, ſive Pruthum amnes appellatur, arboribus ſpiſſa, ac exeſis torrentium impetu voraginibus horrida) cum omni exercitu, machinis, & impedimentis. Solymanus ut temeritatem conſilio, quod providi eſt Ducis, everteret, militem opportunis locis collocat, ſui indicium nullum facit, donec præcurſores Poloni in ſtationes hoſtium improviſo incurrerent. Tum enimvero Ductores, periculi magnitudine perculſi, & ab inſtantibus uſque Turcis, & in vaſta ſolitudine inopia rei cibariæ premente receptum ſolicite adornarunt. Sed in tanta propinquitate numeroſi exercitus B) ſine clade evadere, maximæ inſtar victoriæ fuiſſet. Multi igitur Polonorum in poſtremo agmine cædebantur, & quoniam per anguſtias ſaltuum, feſtinatis profectionibus in ſuperiorem Podoliam reditum eſt, vehicula, & non modica pars bellicæ ſuppellectilis in hoſtium manus devenere. Tartarorum expediti equites, quo latius populationem circumferrent, diviſis agminibus graſſati ſunt. Pars in Podoliam, pars in Volhiniam provincias effuſi, vias omnes fugitivis confertas, cædibus, ac ſanguine funeſtarunt; oppida, vicos uno veluti incendio deleverunt. C)

Minus proſpera expeditio Polonorum animos vehementer confudit, maxime Ducum, quorum temeritate in ultimum diſcrimen vires univerſi Regni præcipitatæ ſunt. Sine ſupercilio, ſine ſua voce, & vultu Varſaviam delati, imminutum exercitum Regi permiſerunt. Is ea occaſione uſus, edicit ſe proximo vere D) in Turcas ducturum, modo alacres ad ſigna confluerent. Interim per hyemem in Podoliam varii generis commeatus, penum bellicam devehi jubet; ipſe in ſequentem annum modulum expeditionis inſigni, maturaque prudentia deſignat. Suaſerat Regi Nuncius Pontificis maximi, Cameneci expugnationem, qua ſpina ſemel evulſa, ſimul Podolia, ſimul

A) Nempe 1685. B) Godefridus Lengnichius centum quadraginta millia Turcarum ſcribit, liberali ſane calamo, ea videlicet tempeſtate, qua in Hungaria ad Tibiſcum, & Danubium, ſimul in Dalmatia, Croatia, Peloponneſo exercitus aluerunt Turcæ; niſi fortaſſis Valachi, & Moldavi, ad ſubita bellorum, & prædas expediti, hunc numerum fecerint. C) Lengnichius de incendiis, populationibus altum tacet: percurſaſſe tamen Podoliam, & Volhiniam Tartaros, & urbem hujus nominis oppugnaſſe ſcribit. At profecto non modeſtiores hoc, atque aliis annis fuerint. D) Anni 1686.

A. C. 1687. ſimul Ukrainæ pars, avitæ libertati reddebatur, nomineque Pontificis grande ſubſidium æris pollicitus fuerat, ſi eam in ſententiam abiret. Non deerat animus Regi illud receptaculum ſpoliorum exſcindendi, verum nec machinarum libratores, nec cunicularii, aut aliorum operum periti magiſtri, apud Polonos tum temporis reperiebantur, quorum ingenio celerius, certiusque franguntur urbes, quam militum manu. Nec peditatus par expugnando Cameneco ſub ſignis erat, quod Polonis pedeſtris militia gravis accidat, equeſtris in deliciis numeretur. Ad hæc Camenecum, A) Moldaviæ, Valachiæ, & inferioris Podoliæ janua, annona, armis, viriſque (nempe denis Janicsarorum millibus) opulentum fuit. Unde ſapientiſſimus Rex, ne exiſtimationem ſuam manifeſto periculo exponat; atque militum ardorem obſidionis mora reſtinguat, cepit conſilium Moldaviam, & Valachiam ſubjugandi; relictoque validiſſimo præſidio in his provinciis, ad Danubium proferendi victorias, indeque in Beſſarabiam, B) quo Tartarorum agmina ab Ottomanis ſecludat. Hic typus expeditionis erat.

Ut vero hæc conſilia e voto cederent, Moſchos ſibi fœdere devinciendos exiſtimavit Sobieskius. Miſſa perhonorifica legatione, Joannes, & Petrus C) Moſchorum Principes, adnitente potiſſimum C. Noſtizio, Imperatoris Leopoldi Oratore, facile in amicitiam armorum venere. D) Sed quantumcunque Rex in adornanda expeditione elaboravit, ad extremum vix operæ pretium tulit. Scilicet NON ſemper cum induſtria, cum virtute fortuna conſentit. Multi Duces, multi Imperatores fortitudini ſuæ, & induſtriæ ſucceſſum non reſpondere doluerunt; multi contra bonitate cauſæ, apparatu rerum deſtituti, iniqua felicitate præter ſpem, meritumque donati ſunt. Menſe Junio E) ad finem vergente, lente admodum confluentes copias in caſtris Tyram inter, & Pruthum fluvios ſitis, Rex opperiebatur. Ne otio miles marceſceret, tria equitum millia Camenecum verſus juſſit procurrere cum imperio: loci præſidiarios ut in certamen pauci proliciant, ac ſimulata fuga alio calle celerrime reverſi, cum ſociis incautos opprimerent. Res proſpere evenit. Mille admodum e præſidio erumpentes, ubi multo itinere fatigati paſſim procubuerunt, indulgentes etiam ſomno incauti, a ſuperveniente equite ad unum omnes cæduntur. Hoc principio læti Poloni, Jaſſium principem urbem Moldaviæ menſe Auguſto petunt. Viſum eſt Regi unum e Societate Jeſu Sacerdotem præmittere, qui Vaivodæ animum in Chriſtianorum partes penitus flectat, aut perſuadeat, ut bellum, cui ſe neceſſitate implicuit, implicabitque in poſterum, minimo, quam poſſet, Chriſtianorum damno gereret. Ille incuſata temporum iniquitate repoſuit: *filium ſuum Principem Byzantium obſidis nomine abreptum, paternæ fidei præmia, aut perfidiæ pœnam primo quoque tempore experturum; neque ſe, etſi maxime vellet, Polonis poſſe accedere ſine aperto capitis diſcrimine, circumſeptum nimirum Turcarum, Tartarorumque manu.* Hæc elocutus, collectis propere vaſis, ad Nuradinem Tartariæ Regulum, haud procul cum Turcis caſtra tendentem ſe contulit. Unde miſeram Principum Moldaviæ, & Valachiæ conditionem agnoſcas, qui Chriſtianis parentibus orti, in ſuæ Religionis homines arma vertere adiguntur, niſi Principatu, id eſt ſplendida ſervitute, vita, prolibus ſpoliari malint. F)

Dilapſo

A) Camenecum fere tanti erat Ottomanis, quanti Buda. Haud tamen perinde validum, & late dominans. B) Beſſarabia jacet poſt Valachiam inter amnem Tyram, & Iſtrum, ubi iſte in mare nigrum, ſive Pontum Euxinum præcipitat. Beſſarabiam raro invenias apud Geographos, ſed Tartariam Budziacenſem, Biellogradenſem. Hujus enim nominis Tartari eam regionem incolunt, ſi oppida quædam Hungarorum demas. C) De his Principibus egi pag. 116. Utrumque vero rerum potitum eo temporis, didici ex P. Antonio Foreſto S. J. Tom. III. pag. 571. Joannes nullis artibus regnandi inſtructus, fratri ſuo imperium ceſſit triennio poſt detecta, neſcio qua conjuratione, ut ſuo loco narrabo. D) Fœdus iſtud duobus, & triginta capitibus coaluit, quæ Porta Ottom. Tom. II. refert. E) Anni 1686. F) Repete memoria colloquium C. Ladislai Csákii hoc eodem anno habitum cum Principibus Moldaviæ, & Valachiæ, quod jam recenſui, dum res Hungaricas proſecutus ſum. Valachiæ Principi id temporis Sorbano Cantacuzeno nomen fuiſſe reperi apud Joann. Bapt. Vicum Caraffæ Encomiaſten pag. 335. uti Moldaviæ Principi Conſtantino Cantacuzeno.

Dilapso Principe urbs Jassium, salvis civium fortunis, Regium præsidium accepit. Tartari, & Turcæ obsessis versus Valachiam itineribus, lateri Polonorum assiduo hæserunt. Atque istud movit Regem, ut evitata Valachia, recta in Bessarabiam, sive in Tartariam Budziacensem, festinatis profectionibus contenderet. Id cum animadverterent Tartari, jubent expeditum suorum agmen Polonum prævertere, ac omnia depopulando, nihil uspiam, quod usui venturis esse posset, relinquere. In longinquis, nudisque illis campis, brevi fames incepit urgere exercitum. Nec viarum ductores aderant, qui per deserta regionum, iter ostenderent. Ad hæc Regem metus incessit, ne Tartari ex Hungaria reduces a fronte exercitum clauderent, etsi Cantacuzenus Valachiæ Princeps fidem dederit, omnem viam se præclusurum Tartaris. At FRUSTRA fidem exigas ab eo, quem spes., meliorque fortuna regit. E tantis difficultatibus ut se explicaret Rex, reditum decernit. Hærent Vestigiis Tartari, & Turcæ, crebrisque præliis nunc postremum, nunc medium agmen lacessunt. Ausi quoque angustias post Pruthum fluvium, vallo, & castrensibus machinis firmare, tot malis circumventos omni ex parte infesti premunt. Rex ipse proximus exitio fuit, lethalibus globis juxta eum volitantibus. Tandem mense Septembri Jassium tenuere, e fame, & lassitudine recreandi.

A. C. 1687.


Præsidium deducendum omnes censuerunt, quod urbs amplissima ægre defendi posset adversus hostem, & in castello nihil uspiam nativi, ac perennis humoris reperiretur. In discessu illud accidit impium. Jassii incolæ sive Polonorum, sive Tartarorum (nunciabantur isti propinquare) rapacitatem veriti, pretiosa quæque suarum opum in templum oppidi comportarunt, loci religione, aut munimento direptionem, ut putabant, prohibituri. Cossacci, qui postremi urbe excesserunt, nobili præda capti, clam ignem immittunt tectis, factoque tumultu, dum cives suarum ædium incendia restinguere laborant, in templum irrumpunt, ac prædam omnem cum igne dividunt. Sic urbs amica incendio vastata est, maxima utique Polonorum invidia, in quos demum recidit, quidquid sceleris pauci prædatores patrarunt. In itinere Lusenczius Podoliæ Palatinus cum pabulatorum manu conciditur. At in sylva Bukovina clades est reddita. Hic exitus fuit expeditionis, viribus, impensis magnis (nam Respub. subsidium quadringentorum millium Rhenensium numeravit) expectatione maxima Fœderatorum, consilio non malo suscepta.

Copiæ reduces, sed trimestri itinere, fame, præliis multum attritæ, salutatam nempe abs se Tartariam, visamque eminus non sine Regii honoris imminutione narrabant. Unde in solitas querelas, turbasque conjectus Poloniæ populus, fœdus, quo videlicet regnum pessumiret, Imperator, & Veneti commoda amplissima caperent, aversabatur; Regi, Senatoribus, damnosi fœderis authoribus, suas calamitates plerasque acceptas ferebat. Comitia ipsa parum præsidii spondebant; pavidi Proceres; frigida consilia. Multis diebus disceptatum in campo illo Senatorio, bellumne continuandum, an abrumpendum? Marchione Bethunio Galliæ Oratore discordias fovente. Evicit postremum Rex cum saniore Procerum parte, ut bellum decerneretur. Hujus causa Præsul Premisliensis, A) moderati animi vir, ad Cæsarem, & Rempub. Venetam est missus, quem consecutus est Venetias Moschoviæ legatus Michael Valkovius, B) suorum Principum fœdus, & susceptum in Ottomanos bellum nuncians. Sed neque Poloni, neque Moschi secundo Marte sunt usi anno MDCLXXXVIII. Polonis in campum prodeuntibus multa deerant; in primis Regis præsentia. Is valetudine incommodiore usus, seu vi morbi, seu lachrymis Reginæ consortis suæ, seu demum consilio medici victus, qui castrenses illos, ac tot itinerum labores Regi supremos fore præcinebat, domi se continuit. Absente Rege omnia lentius processerunt. Tartari contra e stativis mense Martio moventes, apertam undique Poloniam per otium concremant. Incendiariis quæ obsisterent

A) Premislia urbs Russiæ rubræ, cujus caput est Leopolis. B) Historicis Michalvik Valkof.


A. C. sisterent copiæ, cum nullæ adessent, iterum utramque Podoliam urunt.
1687. Flammis suarum villarum calefacti Poloni, postquam plurimum æstatis defluxerat, castra ad Camenecum faciunt. Jacobus A) ardentis ingenii Regius Princeps, exercitui sedecim millium (tot nempe quaterni Duces ad signa coegerant) præfuit. Ne Moldaviam peteret, superiorum annorum clades terrebant. Itaque Camenecum consilio sane improvido oppugnandum sumpsit. Injectis septingentis majoribus globis, cum nihil proficeret, & insuper fluvius Tyras extra alveum effusus, quasi hostium animos induisset, castra allueret, obsidionem solvit. B)

Moschi veluti una expeditione Imperium Ottomanorum eversuri, numerosissimum exercitum contraxerunt. Ter centena millia Basilius Galiczinus, supremus armorum Præfectus, recensuit, dum in minorem Tartariam C) profectionem institueret. Sed hæc multitudo hominum nihil pro numero gessit. Basilius lentis itineribus progressus, citius egestatem in castris sensit, quam hostem videret. Præterea Tartari, Polonorum cunctatione opportunitatem nacti, suis viribus in Moschos agendi, in terna agmina copias partiti, pars regnum Astracanum, pars denique annonarias domos Moschorum flammis delevit. Unde terribilis ille exercitus neque viso hoste, neque ulla re gesta, celerius, atque confluxerat, dilapsus est. Basilii nomen apud Moschos perinde, ac Confœderatos lacerabatur, quod tanto exercitu, tota æstate egerit nihil. Ille turbis, & extrema cunctatione Polonorum semet tutatus est; utque omnem suspicionem amoliretur, Samuelovichium Cosaccorum Zaporaviensium D) Ducem proditionis reum peregit, vinctumque cum filio in Moschoviam raptavit. Hic belli status, hæc rerum facies in Moschovia, & Polonia erat, dum Solymano III. summa imperii delata est.



SOLY-

A) Is nempe Regius Princeps, qui Patrem ad eximendam obsidione Viennam comitatus, periculo suo memorabile prælium ad Parkanum fecit. Vide annum 1683. pag. 151. B) Anno 1688. C) Minor Tartaria, sive Europæa, aut Scythia parva inter Borysthenem, Tanaim, & Pontum Euxinum excurrit. D) De his Cosaccis diximus ad annum 1655.



SOLYMANUS III.

IMPER. OTTOM. XIV.



Mperii sui paucos admodum annos numeravit Solymanus, A) crebris tamen seditionibus, magnis cladibus infames, Princeps animo, & corpore nimisquam infirmo ad res Imperii; neque suis, neque Confœderatis Principibus multum metuendus. Promulgato de more novo Imperatore, Sciausius Vezirius triumphanti similis Constantinopolim ingressus, se, suumque militem in corona Purpuratorum Solymano stitit. Jeghenus meritis ferox, qui copias suas in castris continuit, apud Imperatorem egit, eadem pompa ingrediendi urbem, sibi ut potestas fieret. Repugnavit acriter Sciausius, multam in aula gratiam, elatosque superbi hominis spiritus formidans. Hunc metum præcipuum intendit populi favor in Jeghenum, quem rerum fama, ac militum studiis alioquin clarum, summe celebrarunt Byzantini, quod Sciausii copias ab itinere Byzantino non averterit (etsi exauthoratus Mahometes filiam suam, Mussaipi vita functi conjugem, & Sophiæ præfecturam, ut rumor erat, addixerit, si quovis pacto istud perficeret) existimantes eum Reipub. amore, privatam felicitatem neglexisse, ut scilicet mutato Principe per legiones, mutaretur quoque Imperii fortuna. Dolor imminuti honoris factione Sciausii, Jeghenum ad præsidia dignitati paranda acrius incitavit. Mittit fidos B) e suis cohortibus in urbem, qui Janicsaros, ac Spahios ad postulanda stipendia, & donativum incendant, quod e veteri consuetudine novi Principes ad eam diem militi numerarunt, aut certe populationem urbis concesserunt. Avidis auribus hæc talia Janicsari accipiunt, diuturnæ militiæ, quæ debebantur, stipendia flagitant, Spahii insuper congiarium minaciter poscunt. Præfecti, quo tumultuantium conatus sisterent, componerentque, nullam operam omisere. Hæc ipsa sollicitudo maturavit seditionem. Fremere primum milites, tum interdiu, noctuque consilia novandarum rerum agitare, & vires, furoremque consociare. Horum non ignarus Vezirius, argentariæ rei inopiam, difficultatem ærarii summa moderatione verborum excusat, atque in futurum votis ampliora

1687.

A) Quippe anno 1691. mortem obiit. B) Sic quidem Porta Ottomanica. Reipsa fateor, me nescire, ubi pedem figam, adeo varii Scriptores varios & authores & causas turbarum tradunt. Quotquot volvi, diversa produnt. Jeghenum plurimum contulisse ad convellendam domesticam pacem, in comperto est.

A. C. pliora pollicetur. Illi minas contemni suas rati, Præfectis, quos vindices
1687. metuebant, militares honores adimunt, ipsum Effendium imperiose dignitate spoliant.

Principium hoc erat ingentium turbarum. Ubi timeri se animadvertere, conclamatis ferociter armis, ad diripiendam urbem vertuntur. Atque, ne ulla domus calamitatis expers foret, partiuntur inter se vicos; qua deinde unumquemque libido, aut spes amplioris prædæ invitavit, per aliena tecta inter cædes debacchantur. Ubique lamenta, conclamationes, & fortuna captæ urbis. Expilatis privatorum domibus, & officinis, prædonum furor tantisper conquievit. Vezirius tanto torrenti impar, lenibus remediis utendum putavit. Principem seditionis (Mehemetem Cochiukem vocitatum Porta Ottomanica tradidit) ad se cum aliquot sociis evocat; amplis muneribus, sonipede, vestitu perelegante cumulat, plura Solymani nomine spondet, si concitatos animos flexerit. Sic multa concedendo, nihil aliud effecit, quam ut majora exposcerent, quæ prævidebant negaturum; nempe causam seditioni quærentes. Redux illo habitu ad commilitones, qui in hypodromo alimentum turbarum sedulo circumspexerant, continuo suspicionem movit mutatæ fidei. Corripitur miser a validissimis Janicsarorum, ac e vestigio frustatim conciditur. Hac cæde efferati, palatium Solymani minaces petunt. Negant se pedem inde moturos ante, quam tot annorum perarduæ militiæ merces solvatur. Corrasis, nescio unde, pecuniis, terna stipendia viritim dependuntur. Reliqua, uti & congiarium accepturi, ubi sexcenta aureorum millia Memphi allata fuerint. Præsenti ære, & promisso pacatis militibus rediit urbi sua tranquillitas, forma, leges, & munia Magistratuum.

Sed promptos veluti in utre ventos, quos immitteret ad hæc omnia perturbanda, habuit Jeghenus. Spargit in vulgus: Sciausium Vezirium, & Kiuperlem consilia iniisse de Janicsarorum ordine delendo. Flammæ male sopitæ illico in atrocissimum incendium prorumpunt; cædes, populationes per urbem fiunt. Vezirius omnem invidiam in Kiuperlem callidissime transfert. Hic ægre furentium gladiis ereptus, Caneæ A) præfecturæ admovetur dolo utique Vezirii, cui æmulatio, metus e Kiuperlis authoritate, & gratia apud Imperatorem. Distulit suum fatum hactenus Vezirius, non avertit. Nam cum ærarium instaurare, & Byzantium tot legionum onere levare vellet, nova vectigalia B) plebi imposuit, milites Adrianopolim proficisci jussit. Utrumque malo suo tentavit. Inter plebem irritatam, & militem seditiosum statim convenit. Rapta arma, nudati gladii, Vezirius ad necem postulatur. Monitus ab amicis, ut tradito sigillo, tempestati semet subducat, obsequitur. Privatum, desertumque furiosi multis vulneribus confodiunt, ac per ludibrium e palatio in vicum provolvunt. Hunc exitum habuit Sciausius Mahometis IV. & Solymani Vezirii proditor, cœptæ ad Esfekinum perduellionis author; serendis discordiis acer, temperandis impar. Ut adeo verissimum sit illud Cornelii Taciti: C) IN turbas, & discordias pessimo cuique plurimam vim esse; pacem, & quietem bonis artibus indigere. Uxor, eademque Kiuperlis soror, mariti ruina cum omni familia eodem tempore oppressa est. Immensæ opes direptæ.

Hoc patrato facinore, de integro ordiuntur cædes, populationes. Urbs vastissima per summam armorum licentiam triduo avare, crudeliterque est habita. Eo vero atrocius bacchatum est, quod nihil usquam provisum adversum metus. Armati per vicos veluti furiæ ex orco emissæ discurrunt, passim vulneratis, occisis, ut quemque civium sors obtulerat. Plenæ cædibus viæ, cruenta fora, domusque. Mercatorum officinæ, atque apothecæ rursum inexplebili avaritia, si quid reliqui foret, excutiuntur. Tormenta admoventur ditioribus, nisi abditas opes e latebris exponant. Excidium ultimum instare crederes Byzantio, adeo hostili animo in omne homi-

A) Canea, seu Cydonia, urbs celebris Cretæ insulæ. B) P. Anton. Forestus hanc causam iteratæ seditionis literis mandavit. C) C. Cornelius Tacitus Histor. Lib. IV. §. 1.

hominum genus sæviebatur: quodve miserrimum erat, nemo huic eluvioni sese opponere audebat; Imperatore, & Purpuratis æque latentibus: nempe quod ille tempestatem in suum caput concitatam putaret; isti facti invidiam, si in publicum prodirent, vererentur: omnes vero eam militum licentiam altius habere principium non falso suspectarent. Hinc seditiosi alieno pavore securi, quidquid ira, atque avaritia persuasere, in miserrima, & quasi bello capta urbe agitaverunt. Unus Mufftius in eo supremo discrimine fortem se præbuit. Profert vexillum antiquitate, religione Ottomanorum inclytum, atque, ut credunt, Mahometi Prophetæ suo divinitus submissum, illudque præ foribus Imperatorii palatii defigit, obvios quosque ad ferendam opem pereunti Imperio ardente oratione compellat. Illico Byzantinis redierunt animi.

A. C. 1687.

Fit ingens concursus ad palatium, plebs, nobilitas pro patria, pro suis, pro Palladio Imperii capessunt arma, atria machinis obfirmant, vim vi opponunt. Improvisa mutatione rerum perculsi milites, arma abjiciunt, furorem ponunt, seque in potestate Mufftii, & Soltani fore mæsti exclamant. Data, acceptaque tot facinorum venia, seditionis præcipui authores citantur, ac præsente innumerabili multitudine hominum palam plectuntur; nullo inter hæc motu inermis exercitus, ceu atrociora pertimescentis; adeo furentium impetus conspecto illo superstitionis vexillo elanguit. Sub idem tempus Vezirius est dictus Ismael quispiam, morbis perinde, ac annis confectus, sed vividi, severique ingenii vir. Hujus imperio multi e turbulentioribus partim suspendio necati, partim culeo insuti, in Bosphorum præcipitati. Provinciarum Quæstores æquitatis specie loco movit, aut suppliciis affecit, aliosque substituit. Jeghenum, præcipuum turbarum instrumentum, ut sibi conciliaret, Seraskerium Hungariæ appellat, cum prius Belgradi præfectura ornatus esset. Sed ille, ut erat vastiore animo, Vezirii dignitatem spe devoraverat, & quidquid infra votum obvenit, beneficii nomen amisisse existimaverat. Quin ausus nunciare Solymano: nisi Ismaelem quanprimum in ordinem redegerit, se Byzantium advolaturum cum suis, & alium Imperatorem (Mustapham Mahometis IV. filium designavit) Imperio daturum. Exanimis Soltanus imperiosi hominis terrore, Ismaelem Byzantio amovet, atque Mustapham consilio, manuque promptum in ejus locum jubet succedere. A) Hoc modo trimestri ferme spatio, quatuor Vezirii alter alterius cædem, aut exilium videre. B)

1688.

Tot civium strage, retentatis populationibus fœdata urbs, ceu expianda foret, magnam partem conflagravit. Quater mille c) privata, publicaque ædificia pertinaci incendio, cujus causam plerique ignotam habuere, sunt hausta. Nunquam alias Constantinopolis, bellis externis intacta, D) civilibus infelix, majora detrimenta accepit. Intra annum tamen e ruinis caput extulit, opportunitate maris, ubertate agri, aucto colonorum numero, & ædificiis instauratis, floruitque, ut antea. Inauguratio Solymani seu superiori, quod vero simillimum est, seu præsenti anno peracta, multum spei futuræ felicitatis detraxit. Novus Princeps ærumnis diuturni carceris, & quotidiano mortis terrore fractus, non moderandi solum Imperium, sed omnium, quæ ad humanæ vitæ societatem, usumque faciunt, artium imperitus fuit: trucibus ad hæc, vastisque moribus, ac mente non usque sui compote. Ut vires recepit, sumpto lautiore ornatu, fanum Jo-

A) Continuator Philippi Brietii Abbavillæi e nostra Societate, has turbas ad principium anni insequentis rejicit, secutus Michaelem Foscarinum Venetum. At certum mihi est, seditiones istas statim erupisse, ac continuasse exauthorato Mahomete IV. Imperatore, quod accidit X. Novemb. anno 1687. B) Adeo verum est illud Poetæ:

> Invida fatorum series, summisque negatum
> Stare diu. Lucanus.

c) Foscarinus octo millia incendio deleta Lib. VII. suarum Historiarum inseruit. D) Nam ut capta est a Turcis, nunquam Christiani nominis Principes eam obsederunt. Civilibus tamen bellis ingentia detrimenta accepit.

A. C. 1688.

bi A) ſonipede vectus petiit, ſolennis inaugurationis cauſa. Confluxerat eo ingens mortalium numerus. Imperatorem dena Janicsarorum millia, nec pauciora Spahiorum comitabantur, præter numeroſum agmen famulorum. Vezirius dextrum, Mufftius ſiniſtrum latus ſtipabat. Purpurati longo ordine, compoſito gradu ſequebantur. Præibat Selictar Aga nudatum, quo præcingendus erat Imperator, gladium geſtans. Præ foribus ſacelli, Arabici verſus, B) ſymbola in laudem Solymani paſſim appenſa, pronis in adulationem Purpuratis, & plebe. Ipſe tanquam apud alterius civitatis populum, brevi ſermone peritiam regendi, bellicam ſuam virtutem celebravit. Tum Mufftius ſolitis cerimoniis vecordiſſimo hominum gladium, velut jus necis, vitæque civium, porrigit. Eadem pompa in palatium reditum fuiſſet, ni tempeſtas turbaſſet.

Apud gentem cuncta interpretantem, funeſti ominis loco acceptum eſt, quod Cidaris, ornamentum capitis, nullo vento agitata, in terram prolapſa fuerit, atque cœlum atris nubibus repente involutum, denſiſſimum imbrem effuderit. Unde omnis pompa momento evanuit. Ad perferendam mollius tempeſtatem injecerunt famuli Imperatori amiculum purpurei coloris. Iſtud ipſum, quod forte acciderat, in animis ſuperſtitione captis, curas magnopere auxit, interpretantium: Ottomanis ſive in urbe, ſive in campo multum ſanguinis fundendum. Alii contra hoc qualecunque omen in Chriſtianorum metum verterunt. Cæterum populus nullo edito gratulationis argumento, triſti, ſuſpenſoque ſupercilio, domum rediit; neque machinæ circum mænia ſolutæ; quod alias occaſione inaugurationis fieri conſuevit, Solymano, ut creditum, martialem illum fragorem minime ferente.

Vix turbæ conſederant, cum repente in ipſum Imperatorem conjuratio erupit. Præcipuus architectus Jeghenus habebatur, cujus inexplebiles ſpes non expleverat, & Kaſachis, Mahometis IV. conjux, Imperatori infeſta ob præſentem fortunam, quam muliebri prorſus animo quotidie lugebat. Data fide, acceptaque per nuncios, conſilium ineunt Vezirium occidendi, ac Solymano in carcerem retruſo, Muſtapham Imperatorem proclamandi. Nec temerario impetu rem adorti, ſolerter legerunt, quos in ſocietatem ſceleris adſciſcerent, Janicſarorum, & Spahiorum Præfectos Byzantii tum temporis agentes. Per hos adjecti ſunt ducenti gregarii. Rei exequendæ hic ordo fuit. Die tertio feriarum Bairan, c) dum Imperator cum Vezirio in Moſcheam profecturus eſt, conjurati promptis gladiis Vezirium occupent, Imperatorem vinciant, Muſtapham Mahometis exauthorati filium, vividæ ætatis Principem, Imperatorem proclament. Aderat jam prima dies apud Ottomanos celeberrimi Bairan, conjuratis mutua fide lætis, cujus documentum tot dies fuere; cum totius machinationis ſeries Vezirio aperitur. Appoſuit iſte ſolennes epulas, ut moris eſt his diebus, Janicsaris. Conjurati rejectis cum ſtomacho epulis, ante tempus ferociunt: avaritiæ, crudelitatis vindices ſe propediem fore minaciter jactant.

Vezirius leniſſimis verbis iratos mulcere, ſtipendia, ſi cui debentur, ad aſſem promittere, jurejurando teſtari, militem, Imperii firmamentum, ſibi ad eum diem cordi fuiſſe, futurumque in poſterum: orare omnes, ne tranquillum Reipub. ſtatum convellant, dies ſumma religione, & cerimonia celebres novo tumultu ne fœdent. Quidam ſive comitate Vezirii repente mutati, ſive quia cœptis ſecundos exitus deſperabant, cuncta ordine, conſcio-

A) Busbequius Epiſt. I. laudatus a Peſpierſio apud Ricautium pag. 4. author eſt, hoc fanum non eſſe S. Jobo, ſed cuidam Turcæ, qui primus per murorum ruinas Conſtantinopolim ſubiens trucidatus eſt, dicatum. B) Res certiſſima, gentem Turcarum a primis annis ſui Imperii Poeſi addictam. Soltanorum amores, illuſtria facta, proſperos, & infauſtos præliorum eventus, barbaricam ad lyram concinunt. Vulgatos verſus truci, agreſtique modo recitant, non ad mulcendas aures, ſed præliares animos concitandos. Cætera literarum ſtudia, ſi rudem Philoſophiam, Pyrotechnicen, medendi artem, patriarum legum diſciplinam excipias, altis tenebris conſepulta jacent. Librariam officinam anno MDCCXIX. Conſtantinopolim invectam, Commentarii rerum publicarum, & noſter Petavius in ſuo Rationario temporum teſtantur. c) Quid nomine Bairan apud Ottomanos veniat? explicui Tom. I. pag. 99.

A. C. 1688.

conſciorumque nomina Vezirio exponunt, hic Solymano. Continuo Janicsarorum Aga, tum Kihaja, prima capita conjuratorum exilio mulctantur, ille Trapezuntem, A) hic Vanum B) deportatus. Cæteri deſtituti primariis rectoribus, ac invicem ſuſpecti, a Vezirio armatorum cohorte ſtipato, domi ſuæ metu torpentes, opprimuntur. Vario mortis genere affecti, diu in publicis viis inſepulti jacuere. Lex inſuper lata: ne cætus nocturni fierent, ſecus uti turbantes civitatis otium, pro majeſtate imperii coercendos. Multi ſpecie conjurationis in vincula dati, qui grandi poſtea ære libertatem redemere. Fama eſt quaternos Hebræos quingentis millibus florenorum reſtem evaſiſſe. Kaſachis arctiori cuſtodia eſt ſepta. Ad coercendum Jeghenum vires deerant, legionibus huic uni fere deditis. Inter ambiguos milites, & occultos hoſtes, optimum e præſentibus ratus Imperator, mutua diſſimulatione, & iisdem, quibus petebatur artibus graſſari. Et reipſa anno inſequenti eum interfici juſſit.

Dum ejusmodi tragœdiæ maximo motu Imperii Conſtantinopoli aguntur, miles Cæſareus, media quamvis hyeme, nobiles victorias meſſuit. Prima Januarii Tôkôlia, rupe ſua Munkacsia eatenus durior, partim ſeditione militum, partim Hungariæ Ordinum literis emollita, conditiones admiſit. Eæ erant per Comitem Caraffam latæ; Princeps Rakoczia (Tôkôlii conjux) Viennæ degeret, quin tamen pomæriis pedem efferret ſine Cæſaris voluntate. Franciſcus filius Cæſarem, aut quem ſui loco Cæſar inſtitueret, haberet Tutorem. Inſtrumenta literaria, in primis diploma c) Mahometis IV. quo Tôkôlio Hungariæ principatum liberaliter tribuit, traderentur. Tôkôliani fundi, Regii juris inpoſterum eſſent. His, aliisque pactis arx triennio D) obſeſſa, cum armis, inſignibus Principatus in poteſtatem noſtrorum venit. Sex centum præſidiarii Hungari mutata militia in Regia caſtra transgreſſi E) ſunt. Tôkôlius amiſſa conjuge, liberis, Munkacsia ferocior, Tibiſcanum agrum crebro populatus, nona Januarii per Heislerum occupatis ad Varadinum caſtris, fuſisque legionibus, quas partim a Turca accepit, partim ære ſuo collegit, Gyulam propellitur; nec deinceps hybernantibus gravis fuit. Quatuor menſibus poſt, Alba Regalis in jus Leopoldi Regis conceſſit. Ea anno ſuperiore vicinis præſidiis exuta, ac eminus obſeſſa fame magis, quam armis eſt tandem domita. Obſeſſos omnium rerum penuria urgebat; at Achmetes Gubernator, urbis conſervandæ ſollicitus, nunc importato clam frumento (quod ſane licuit per obſidentium licentiam, quibus, ut fieri amat in diutinis curis ſomnus obrepſit) nunc oſtentata ſpe auxiliorum, præſidiarios, & cives a præpropera deditione revocavit. Transfugia tamen ſuorum impedire non potuit, a quibus intellectum, annonam in dies arctiorem fieri, nec ſuffecturam per hybernos menſes. Quo urbs allevaretur, poteſtatem fecit Gubernator civibus alio migrandi cum conjugibus, & liberis. Non pauci extrema perpeſſi, propalam urbe exceſſerunt, ſuaque ſponte captivos ſe dediderunt obſidentibus; alii in urbem repulſi ad conſumendos celerius commeatus. Inde præſidiarii, & cives in tumultum coorti, ad Gubernatoris ædes multis agminibus feruntur, ac panem, aut deditionem inclamant; præter Ducem ſeditionis nihil abeſt.

Ille tractandæ multitudinis non imperitus, quidquid annonæ in ſubterraneis foſſis latebat, vulgo militum, civiumque viritim dimenſus, viginti dies paciſcitur, intra quos niſi auxilium acciperet, pollicetur deditionem ſe facturum. Mittit Belgradum Huſſainem Baſſam cum ſeptem gregariis, ultimæ neceſſitatis nuncium, ni ſuppetiæ quamprimum venirent. Huſſaines navicula ſecundo Danubio defluens ad arcem Erdôdiam a Saikariis impulſus,

A) Trapezus, apud Geographos Trabiſonde, urbs ad mare nigrum. De hac non uno loco Tom. I. Imp. Ottom. actum. B) Vanum urbs ad limites Perſiæ, Turcarum cruore non ſemel perfuſa, ut demonſtratum Tom. I. c) Ad verbum refertur hoc Diploma in Porta Ottomanica Tom. II. pag. 448. D) Petavii ſunt verba, quæ huc transferre placuit: ante triennium jam Tôkôlii munitiſſima arx Munkacsium cœperat obſideri, ſed defendente eam fortiter iſtius uxore, hoc demum anno fame fatigata ſeſe dedidit. E) Annales Hungariæ a P. Andrea Spangar S. J. concinnati ſexaginta duntaxat ponit. Videtur error in numerum irrepſiſſe.

A. C. 1688. pulſus, relicto flumine noctu Valkovariam trepidus petit, ignarus eum locum ab Regiis obtineri, ſtatimque captus cum literis Viennam abducitur. Interim Adamus Battyanius, Joannes Eſzterhazius, & Ariezaga Leopoldopoleos Præfectus, prima Maji cum ſeptem millibus, Albam Regalem propius accedunt, atque oppugnationem ſtrenue occipiunt. Turcæ ſemel, atque iterum adeo leviter erumpunt in operas, ut appareret, ſimulatam magis, quam veram defenſionem fore. Et vero plebs hinc egeſtate, inde oppugnatione concuſſa, Gubernatorem poſt paucos dies adegit ad urbem tradendam. Neque ille abnuerat, modo conditiones ipſe Imperator firmaret: hoc impetrato, nec ſe inferiores Agrienſibus, & omnium ſalutem apud Solymanum etiam extra diſcrimen futuram. Deducuntur Laxemburgum per C. Zichium duo primarii Præfecti; conditiones auferunt, quales anno prælapſo Agrienſes. Undevigeſima A) Maji quatuor mille Danubium verſus progreſſi, ſeptuaginta navigiis Illokium ſumma fide devehuntur. Variam fortunam habuit Alba Regalis. Anno tertio, & quadrageſimo ſupra milleſimum quingenteſimum Solymanus II. eam ſubegit. Nonageſimo tertio ejusdem ſeculi fruſtra tentata eſt a Zrinyio, ac Hardego; nec meliore ſucceſſu retentata ab aliis. Tandem milleſimo ſexcenteſimo primo a Duce Mercuriano, ſeu Mercurio Turcis erepta eſt; verum nondum circumacto anno, rurſum jugum Turcicum accepit, B) non niſi ſub Leopoldo Rege, ut nunc dicebam, in libertatem aſſerta.

Depulſis frigoribus Cæſareus æque, ac auxiliaris miles, lentis itineribus Eſzekinum pervenit; atque hæc cauſa fuerit, cur Caprara, qui non locum modo, ſed Dravum quoque, & Savum, & Danubium tueri eſt juſſus, militem deduxerit Petrovaradino, Illokio, quæ præſidia a Dunewaldo capta meminimus. Caraffa e Tranſylvaniæ ſtativis cum duodenis legionibus movens, tridui ſpatio oppidum Lippam, C) & arcem viceſima Junii expugnavit. Dedititii, queis ætas, formaque melior, ſub corona divenditi, cæteri Temeſiam abire permiſſi. Præter captivos, annonam, ſalinos lapides, D) arma, multiplex præda in arce reperta. Lugoſia iisdem diebus reſtituta eſt Leopoldo. Karany-Sebeſia, ne eodem impetu caperetur, perfidiæ Raſciani transfugæ debuit; altero tamen menſe, poſt ſævam oppugnationem Veteranio ſe dedidit. Inter hæc fauſta expeditionis initia, quadraginta quatuor Germanorum, novem Hungarorum millia ad Eſzekinum aderant. His adjunxit Bavarus octo ſuorum millia. Florentiſſimus hic exercitus, ſi tempore affuiſſet, non Belgradum modo, ſed Bulgariam, Thraciam, ipſamque Conſtantinopolim, ingens nempe velocitatis, dignumque tot expeditionum laboribus belli præmium, retuliſſet; adeo res Turcica inteſtinis malis afflicta fuit. Lotharingo pertinaciſſimis febribus correpto, per Stratemannum aulæ Cancellarium, copiarum imperium Bavaro, & ejus Legato Capraræ defertur. Hic juxta Danubium cum copiis profectus, Illokium, Petrovaradinum, aliaque oppida a Turcis incenſa, deſertaque, quoniam univerſæ expeditioni permagno adjumento futura cenſebantur, milite, & rebus neceſſariis firmavit. Ad Petrovaradinum ponte navali ſtructo, traductisque copiis in adverſam ripam, Heislerus, & Valliſius Titulium, ad Tibiſcum munimentum, tridui oppugnatione ceperunt.

Eodem, quo Titulium eſt captum, die, E) Bavarus in caſtra delatus, viſo veterano milite, & armorum apparatu, ſpem non vanam concepit Belgradum, caput Serviæ, ſubjugandi, & Conſtantinopolim uſque terrores proferendi. Sed ante omnia Savus fluvius in conſpectu hoſtium transmittendus erat; res eo majori etiam periculo obnoxia, quod per eos dies alveum ſuum excedens incitatior flueret. In inſula a Zingaris dicta, Tököliani, & Turcæ ſemet obvallaverant, prohibituri tranſitu Cæſareos. Ad

A) Decima nona Maji Ephemerides Leopoldinæ anno 1688. B) Adi Tom. I. pag. 273. & 274.
C) Lippa oppidum Temeſienſis provinciæ, olim arce valida munitum, nunc moles indigeſta.
D) Hiſtoria Magni Leopoldi centum millia lapidum ſalinorum in prædam ceſſiſſe commemorat, Porta Ottomanica decem millia, quod vero ſimilius. E) Nempe die XXVIII. Julii.

Ad Belgradum Jeghenus Seraskerius, cum triginta circiter millibus metatus, A. C. partem copiarum ad ripam adducturus credebatur. Bosniæ Gubernatori 1688. pronum erat in Sirmium irrumpere, atque nostros ultro, citroque commeantes, vel ipsum pontem infestare. Hæ difficultates futuræ erant in trajectu, nisi inscitia hostium, & domesticæ discordiæ plana nobis, & expedita relinquerent omnia. Ad distrahendas Bosniæ vires dimisso Badensi, Bavarus quintis castris Semlinum tenuit. Nona Augusti, una supra insulam Zingarorum leuca, obscura jam luce pons navalis fabricari est cœptus, Tôkôlianis nullo successu laborem impedire nitentibus. Delecti fuerunt quingenti pedites, qui alteram ripam tumultuario aggere obmunirent: verum navarchis præ metu dilapsis, non plures ducentis quinquaginta transvecti, virtute sua numerum auxerunt. Sub noctis extremum Bavarus ipse cum Serenio, Steinavio, Aspermontio sex millia armatorum traducit ad repurganda, quibus ferme inculta vestiuntur, virgulta, vepresque, atque perducendum castrorum vallum. Tôkôliani, & Turcæ in hos, ab reliquo exercitu sejunctos, magna parte agminis incurrunt. Molientes humum subita impressione terrent, hora integra nunc pulsi, pellentesque cum fossoribus, & stationariis pugnam extrahunt, prætorianam Electoris cohortem audacius erumpentem, inter arbusta circumveniunt, ac cædunt. Ni perparce submisisset militem Seraskerius, deleri potuissent interfluente Savo divisi. Tandem Germani molesto certamine irritati, omni ex parte inconditum agmen invadunt, ac in effusam fugam compellunt. Ponte absoluto, postridie exercitus cum omnibus impedimentis in ulteriorem ripam evasit.

Hoc nuncio exanimatus Jeghenus, incensis Belgradi suburbiis, & castris, rapidissimo cursu Semendriam profugit. Tum apparuit, quos in pectore spiritus, quam pigros, ignavosque aleret lepus Galeatus; firmavitque opinionem apud milites, Rustainem Agriæ nuper Præfectum, & alios Ductores, proprias ob simultates, aut æmulationem interfectos, non vero causa detrectati certaminis. Cum enim Jeghenus in consultatione bellica ferociter denunciaret, se, quo die hostis appropinquaret, aperto in campo signa collaturum; Rustaines, & Hassanes, pluresque, qui deliberationi intererant, magnopere dissuaserunt, ne nondum explorato hostium numero, locorum situ, regionis natura, temere in certamen ruat, viresque Imperii, uni prælio inconsulte committat. Ille ira percitus, quotquot adversari sunt ausi in Senatu, veluti timidos, & disciplinæ militaris corruptores, strangulari per suos satellites jussit, præter unum Hassanem, qui ad impediendum transitum missus, post dimicationem ad ripam Savi, & fugam, dilatam tantisper necem in castris reperit.

Collucente late Belgrado, sine mora alacerrimo militi iter edictum. Expediti equites præmissi, omnia tumultu, terroreque complent. Erat igitur, ut in proximo naufragio, rerum omnium ultima desperatio. Oppidani inter emicantes flammarum globos, convasatas sarcinas ad Danubium deferunt. Stratus erat, qua late patet, Danubius varii generis navigiis. Irrumpit miles in suburbia, atque cum civibus, cum flammis de spoliis luctatur. Qui vel ad fugam tardiores, vel terrestri itinere Semendriam versus semet contulerunt, plerique a præcursoribus intercepti, aut contrucidati periere. Danubius, alteraque Danubii ripa, quam liberam a Cæsareis noverunt, plurimis saluti fuit. Quingenta facile navigia, rates, lembi, Belgradensium opes, liberos, conjuges devehentia numerabantur. Undecima Augusti exercitus noster ad urbem adfuit. Rasciani, Judæi (decem circiter millia) obviam progressi Bavaro, se, suaque dediderunt. Clementer accepti in sua ambusta tecta dimissi sunt. Oppugnatio urbis, arcisque non magni operis, nec multi sanguinis fuit. Fama tamen tanti præsidii, & Bavarus Elector famæ indulgentissimus, omnia per Europam in immensum auxerunt. Okius Uldurem Achmetes loci Gubernator, probi militis quatuor, collectitii sex millia; annonæ vim magnam, uti & bellicam penum abundanter habuit. A Jegheno ad Semendriam excubante, spem

A. C. auxilii, & animos accepit. Dispositis circum mænia castris, obsidionales
1688. viæ illico duci sunt cœptæ, tametsi grandiora tormenta, & naves, queis Danubius frænaretur, duodevigesimo primum oppugnationis die Buda supervenere. Verberatione octidui, ac cuniculo eversis mænibus, sexto Septembris quaterna aggressio suscipitur. Irrumpentium Duces Scherffembergius, Emanuel Fürstenbergius inter ruinas conspicui minoribus pilis sternuntur: Auspergium lethale vulnus pugnæ extraxit. Ducum cæde magis accensi aggressores, ruinas uno cursu superant.

Hic novum periculum, novus labor fessis objicitur. Perduxerant Turcæ post ruinam mæniorum sat profundam fossam, eamque sudibus, atque flore præsidii muniverant. Comes Solarius, qui unus e Ductoribus supererat integer, conspectu munimenti exterritos, exemplo voce confirmat, expositus telis stationem tamdiu tuetur, dum Elector cum recenti manipulo, & vimineis corbibus inter pilarum grandinem advolaret. Vix elata lorica, Starembergius in adversam fossam se conjicit, sequitur certatim miles incitatus: aggerem scandit, palos evellit, cruento certamine in urbem penetrat. Eodem tempore Rabutinius, exarmato tormentario suggestu alibi irrumpit. Heislerus claustris portarum pyloclastro diffractis, in medium forum equitatum infundit. Tum enim vero cædes, non prælium fuit. Trucidantur armati, inermesque nullo sexus, ætatis, conditionisve discrimine; e tredecim millibus hominum, vix mille semiermes a furente victore vitam impetravere. Arx, oppidi fortunæ succubuit, bis centum, & quinquaginta peditibus in vincula abreptis. Stetit oppugnatio, ut vult Portæ Ottomanicæ Scriptor, bis mille quadringentis, septem, & octoginta capitibus. Ex his in suprema aggressione ter centum gregarios, Centuriones sex, Pro-Centuriones tredecim cecidisse satis constat. Saucii pauciores mille recensiti, atque hos inter Elector Bavarus humerum sagitta percussus, Princeps Commercyus; & Eugenius Dux Sabaudiæ, Belgradum suo cruore tinctum, nobili clade olim castigaturus. Altero die post expugnatam urbem meliori fide dimissi sunt Turcæ Semendriam, ac millesimo, quingentesimo primo, & vicesimo anno A) Hungari, quos Solymanus summa perfidia interemit, atque ab eo tempore longam sane tyrannidem perpessa est. Bavarus translata in Capraram exercitus cura, dictoque Starembergio Belgradi Præfecto, Viennam abscessit.

Nondum expugnata hac urbe, Jeghenus ad ciendas turbas aptior, quam bellum gerendum, ceu victor tergum premeret, volaticum suum agmen Semendria Nissam B) refert, atque per utramque ripam Danubii populabundus, omnia oppida, in primis Christiani nominis, crudelem in modum deurit. Servia percursata, Bulgariæ regionem haud absimili acerbitate evastat, ut adeo mirarentur, equid tanto furore provincias ureret, quas pro viribus tueri est jussus? sed hac libidine grassandi omne genus militum, quibus scilicet populationes, cædes pro stipendiis erant, mirifice sibi devinxit. Animadvertit quippe haud obscuris indiciis, se in lubrico loco in aula stare, & prima opportunitate dejectum iri, nisi militum favor obsistat. Unde suas legiones impensius, ac antea colere, turbidissimum quemque præfecturis ornare, licentia universos imbuere, omnibus dictis, factisque apud exercitum se gratiosum reddere, prædam cum milite ex æquo partiri, socias urbes perinde, ac hostiles diripere. His artibus dum potentiam firmare nititur, multum virium Turciæ detraxit, interitumque sibi maturavit. Nam & Rasciani, & Bulgari, quorum vicos inter cædes Nobilium virorum incendiis fœdavit, explicantibus arma Cæsareis ad Moravam amnem, societatem Ottomanorum deseruerunt; & Solymanus Imperator, turbido homini alioquin peroffensus, ne factionem magis roboraret, parcius milites, & pecuniam ad exercitum Jegheni flagrantissimum submisit,
&

A) Ea percurre, quæ Tom. I. ad annum 1521. memoravi. B) Semendria septem leucis Belgrado dissita Danubio adjacet. Nissa ad amnem Nissam, seu Naissum, limitaneum præsidium Serviæ.

& tandem in ejus necem arma exprompſit, ut ſuo loco exponam. Cæterum Vezirius literis ſolicitatus, quater mille viris, & ære Jeghenum adjuvit, quo Belgrado promptiore animo opem ferret, ſed is populari amicas regiones maluit, quam hoſtem videre. *A. C. 1688.*

Ceſſantibus Turcis pronum erat Capraræ Serviæ provinciam Leopoldo aſſerere. C. Csakii equeſtris Hungarica legio, oppidum Barnoviczam ad Danubium ſitum felici aſtu occupat, mille quingentos Chriſtianos ſervituti eripit, opulenta præda potitur. Bulgari, Raſciani, & Græci, legioni adjuncti, multorum annorum injurias atrociſſime ulciſcuntur. Veteranius in altera parte Danubii Karany-Sebeſiam, Sikloſvarinum intercipit, præſidiariis Orſovam deductis, quam Bulgari, A) ut paulo poſt narraturus ſum, aperta vi hoſti eripuerunt, cæſis ad internecionem Ottomanis. Novigradum B) urbs ad pontem Trajani, Valachiæ, Serviæque frænum, funditus deuſtum eſt per Tôkôlium nimia præſidiariorum ſocordia. Obſidibus datis, acceptisque a Veteranio, deliberabant iſti per otium ſuper conditionibus, queis dederent ſe Cæſareis, metuque ſoluti portarum cuſtodias laxabant. Hoc intellecto Tôkôlius ad Vidinum metatus, rapidiſſimo curſu cum ſuis equitibus Novigradum evolat, Turcas veluti perduelles cædit, urbem, arcemque rebus omnibus ſpoliat, ac cineribus conſepultam, triſte ſane buſtum, Veteranio relinquit. Per eosdem dies Bulgarorum Antiſtes Joannes Stephanus Kneſevicius Sardicenſis C) Archi-Epiſcopus, qui Chiprovazii ſedem fixerat, vir inter ſuos ſummæ authoritatis, opem adverſus Turcam imploravit, pollicitus univerſam gentem arma correpturam, quamprimum Cæſareæ aquilæ ad limites Bulgariæ fulſerint. Eadem mens erat Leopoldo Magno, deditque mandata ad Caprararam: ageret, vertente ut autumno in Bulgariam ſigna inferat, urbem Sophiam inclytam fama, ſed undique apertam præprimis occupare contendat, hybernis militum, & explicandis per Bulgariam copiis mire opportunam. Præſulem vero literis benevolentiæ plenis hortatus eſt, ut pro ſuo in rem Chriſtianam ſtudio, & Domum Auſtriacam fide, Parchevicii D) veſtigiis inſiſtat, atque Regiorum felices progreſſus ſuorum popularium armis provehere adlaboret. Non leves difficultates expeditionem morabantur.

Nam triſtes nuncii belli Gallici auxiliarem militem, Suevum, Franconem, Bavarum ad ſua potius tuenda, quam aliena impetenda revocarunt; & Cæſarei labore exhauſti, numeroque diminuti impares habebantur tam arduæ, tamque longinquæ expeditioni, neque enim vehiculorum, currumque copia aderat, queis opus eſſet, ad importanda alimenta in regionem, partim a Jegheno vaſtatam, partim ab incolis deſertam. Denique exiſtimavit Caprara, Cæſareos hac hyeme quam longiſſime a Bulgarorum finibus abducendos, prædas nullo amicorum, hoſtiumve diſcrimine pro ſtipendiis habituros; magna utique jactura concordiæ, quam primores gentis ultro offerrent. At poſteaquam Georgius Pejachevicius, Kneſevicii Sardicenſis Metropolitæ Patruelis, Bulgarorum copiis ad Veteranium adductis, & capta per iter Orſova, aliisque arcibus, aperuiſſet, ſuam gentem ad excutiendum e cervicibus jugum animos, atque vires reſumpſiſſe, & eodem tempore Leopoldus Cæſar Caprararam feſtinare auxilia Bulgariæ juſſiſſet, quam Turcæ omnino hoſtiliter habebant, miſſus eſt Heislerus cum ſex legionibus trans amnem Moravam ad capienda ſtativa prope Bulgariam.

Csakiani equites cum Bulgaris antegreſſi novis copiis, quas Bogdanus non minus ſanguine, quam charitate in patriam Kneſevicio conjunctus armaverat, augentur. Semendriam, Paſſarovicium, cæteraque oppida juxta Danubium adverſus Tartarorum incurſiones communiunt, fuſis, fugatisque Turcis. Heislerus conſecutus, equitatum ſuum trans Moravam

in

A) Porta Ottomanica Raſcianis hoc factum attribuit; Literaria inſtrumenta Illuſtris Familiæ Peiachevicianæ Bulgaris, quibus, ut par eſt, fidem omnino habeo. B) Novigradum: olim Fedislavia, munimentum Serviæ intra Vidinum, & Ramam. C) Sardicam, nonnullis Sardiceam, Bulgariæ urbem vix rudera, ubi olim ſteterit, viatori produnt. D) De hoc vide ſis, quæ narravimus ad annum 1665. pag. 41, quorum memoria huc plurimum facit.

A. C. 1688. in hybernis locavit, Veteranio in Daciam reverso. Propinquante Cæsareo milite; omnis late Bulgaria ad recuperandam libertatem in arma exarsit. Quatuor Præfecti Chiprovazenses, totidem Capilovazenses, cum suis quisque turmis, atque cohortibus, Csakio Tribuno, Pejachevicio, & Bogdano se se adjungunt, ac castris ad Cutlavizam positis, Turcicum agrum populando in dies validiores fiunt. Tôkôlius multo inferior, non ausus progredi in apertum campum, modo furtivis incursionibus, modo parvis præliis castra divexavit, plerumque victus. Unde Bulgari contempto hoste disciplinam castrorum negligere, sine præsidio populationes facere, custodias ubique laxare. Nimia securitas eorum res multum afflixit. Quippe proditi a transfuga, dum spoliis onusti solutis ordinibus ad castra contendunt, ex insidiis erumpente Tôkôlio plerique cæduntur. Hanc cladem longe atrocior consecuta est. Eodem enim impetu castra sunt capta, direptaque. Plura millia Bulgarorum eo die desiderata; qui stragem evaserant, Chiprovazium petierunt.

Erat illud oppidum in omnem belli eventum, rebus omnibus egregie instructum. Annona, arma, juventus numerosa, & pro patria quodcunque fatum exceptura, aderant. Tôkôlius accitis undique militibus, tumultuarie obsidionem infert, primoribus non libertatem modo, sed & opes, & honores sive in Transylvania, sive Valachia (alterutram provinciam spe devoraverat) pollicetur, si deditionem maturarent. Illi tolerata obsidione, intempestivum nundinatorem campo emovent, hyeme alioquin in homines, & jumenta sæviente. At postero anno rediit Tôkôlius apparatu armorum edomando Chiprovazio par. Bulgari etsi aras, & focos omnibus nervis propugnarent, tamen quod Turcæ dies, noctesque assultus continuarent, ad extremum cum patria ceciderunt. Trucidatis defensoribus, aut servitute oppressis, oppidum suis civibus jam vacuum, per plures dies diripitur. Fama est centum, & amplius currus lautis opibus Bulgarorum, quas diuturna pace cumulaverant, vel securitatis causa huc convexerant, oneratos hostem avexisse. Reliqua oppida pari clade vastata, triste monumentum erant Turcici furoris. Plerique Christianorum in eo tractu a furente victore concisi sunt, nec mulieribus, puerisque, ac se dedentibus est parsum. Pauci rerum omnium inopes in monte Hemo salutem repererunt. Knesevicius Archi-Episcopus annis suptuaginta major, sed præsentis animi, fideique, sacram templi supellectilem, & iconem Dei Matris prodigiis claram per confertos hostium globos felici ausu abstulit. A Tartaris in itinere circumventus, persoluto exiguo lytro, liber dimittitur, non utique sine ope cœlesti, QUAM procul dubio præsentem sentiet, quisquis Dei causam pia fortitudine agit. In Valachiam delatus, a Cæsareis Præfectis pro dignitate habetur. Subinde cum Maria Cantacuzena Sorbani a) Principis Vidua in Transylvaniam profectus, Carolinæ, sive Albæ Juliæ piissimus exul vitam finiit, relicta perenni sui memoria in icone Magnæ Matris, quæ nostra quoque tempestate, Carolinæ publica religione colitur.

Hunc infelicem exitum habuit Bulgarorum molitio. Pejachevicius cum reliquiis copiarum Martem secutus Cæsareum, sub Principe Badensi, atque aliis Imperatoribus perutilem operam sive in pugnis campestribus, sive urbium obsidionibus navavit, atque cum suis posteris extra Bulgariam, bellicis, pacisque artibus fortunam pristinam reparavit. Eo funestissimo excidio Chiprovazensis provincia in solitudinem redacta, nondum suos colonos videt; feraces argenti venæ, e quibus potissimum Bulgarorum opes, obrutæ squallent; Religio Orthodoxa tot seculis florens, pene extincta. Has calamitates Chiprovazensibus, lachrymis suis prænunciasse visa est Deipara. Dum enim quinta decima Augusti Virginis cœlo receptæ die, ante annos decem, ejus imago, de qua locutus sum, festa supplicatione per oppidum circumfertur, lachrymas narratur profudisse; id quod universam gentem sacro horrore perstrinxit, gravissimam tempestatem, aut ultimum exitium

a) Aliis Schorban Vaivoda dictus.

exitium suæ patriæ metuentem. Sed labentibus annis meliora sperare cœperunt, dum denique perirent. Ad Nicopolim tamen rebus pacatioribus Romana Religio Philippi Stanislavichii, Episcopi Nicopolitani, vigilantia, atque industria caput extulit, Paulicianorum A) hæresi multum repressa. Non minore ardore his annis Nicolaus Stanislavichius Csanadiensis Præsul suas curas intendit ad eandem conservandam, propagandamque in suos populares, quos sparsos per Hungariæ provincias, e tristi naufragio Theresiopolim B) recens fundatam, mira solicitudine colligit, ac uberrimo Divinæ gloriæ proventu, mercede nempe summis Præsulibus expetenda, pastor optimus nutrit. Ita Dei, Regis, civiumque suorum res nimium prolapsas conatu sane maximo felicitati pristinæ reddere elaborat. Hanc Bulgaricæ gentis calamitosam conversionem, quanquam duorum annorum intervallo factam, conjunxi, ne divisa haud perinde ad sui memoriam valeret. Nunc cætera persequamur.

A. C. 1688.

In Illyrico Ludovicus Marchio Badensis, illustri victoria hoc anno inclaruit. Quo facilius superaret Savum Bavarus, Badensis septem millia pugnatorum ad distinendum Bosniæ Præfectum duxit. C. Hoftkirchius interceptis hostium navigiis, decima quarta Julii, Savum ad Brodium transmittit, improviso valla invadit, obtinetque. Id ægerrime ferentes Turcæ, magno numero conglobati, continente undeviginti horarum oppugnatione aggeres recuperare contendunt. Inconsultus ardor refrixit trucidatis mille ducentis. c) Defensorum ceciderunt octoginta gregarii, tres Hungari Centuriones, unus Germanus. Adhæsit tantisper profectio ob paludes, quæ tum temporis plus nimio intumuere. Nona Augusti ipse Badensis prope Sisciam, sive Sissekium transgressus Savum, Nicolaum Erdôdium Banum Illyrici, cum copiis Croatarum in castra accepit. Perruptis Sylvarum, montiumque claustris, Unnam fluvium fugato hoste trajicit. Kosztaniczam, Dubiczam, Gradiscam, Jaszenoviczam, non ignobiles arces, variamque hoc bello fortunam expertas occupat. D) Dum ad Brodium Savum ponte consternit, e Gradiscano cive intelligit, Topolium, Bosniæ Præfectum, haud procul Brodio cum octo circiter millibus post montem latitare. Hoc lætus indicio, peditatum omnem cum impedimentis ad Savum remittit, seque postridie secuturum assimilat. Nolebat scilicet destinatam animo expeditionem denudare, ne videlicet per colonos Turcicæ societati addictos, rumor emanaret ad hostem. HAUD ignarus: consilia omnia, & præcipue bellica, tamdiu tuta, quamdiu tecta.

Incumbentibus tenebris, terna non amplius millia cum quatuor minoribus machinis in Topolium movet. Emensus montem, ad cujus radices metati sunt hostes, primo diluculo in stationarios incurrit. Uno capto, reliqui effuso cursu in castra delati, Christianos adesse nunciant. Topolius primum, ut in re nec opinata, turbatus parumper, deinde vetus miles collecto animo, quindecim millia armatorum (ut e signis peditum, equitumque animadversum) uno agmine in Cæsareos effundit. Ea multitudo non modicam solicitudinem Badensi incussit. Sed jam eo loci perventum est, unde receptus sine præsenti clade minime patebat. Igitur & ipse necessariæ pugnæ signum pronunciat. Dextrum latus Comiti Castellio, sinistrum Piccolomineo, veteranis ordinum Ductoribus committit; sibi nullum locum deligit, quo laborantibus ubique adesset. Topolius, ut numero impares circumfundat, a fronte, & latere semel, atque iterum summa vi aggreditur; Cæsarei in cuneos congregati, densi undique, & frontem, tergaque, ac latus tuti, firmissimo gradu persistunt, fistulis crebrius, quam gladiis utuntur. Fracto, quo plurimum valent Turcæ, primo impetu, concitant

A) Isthæc hæresis multos Bulgarorum corripuit. Quædam eorum dogmata refert Ricautius Anglus Parte III. de militia Ottom. c. 11. pag. 147. Edit. August. quo loco Bulgarorum cultissimos mores, vestium genus eleganter expingit. B) Theresiopolis urbs haud procul Temesia, alias Vinka nominata. c) Ita Porta Ottomanica. Historia Magni Leopoldi 500. illa aggressione occubuisse memorat, atque Brodium oppugnatum. D) Etenim hoc bello jam a nostris, jam a Turcis obtinebantur.

A. C. 1688. equos in languentes, Spahios momento fuſos late diſpergunt. Janicsari partim in medio cæſi, partim in paluſtria loca compulſi, glandibus configuntur.

Topolius (aliis ſcriptoribus Solymanus) torrente fugientium abreptus, ut ſe denis equitibus circumventum vidit, memor dignitatis, ne vivus in poteſtatem victorum veniret, pertinaci pugna cecidit. Jam collum plumbea glande trajectus, demiſit arma moribundo ſimilis, iis exutus, ut linguentem revocavit animum, prægrandi, quem intra veſtis lacinias conditum habebat, cultro, unius equitis latus haurit, reliquos furore amens impetit, dum obverſis ſclopis conficitur. Tradunt Scriptores A) novem millia hoſtium occiſa, duo capta cum omnibus caſtris, & quadraginta ſignis, quibus Viennam ad Leopoldum miſſis re, non verbis, æmulorum invidiam compreſſit Badenſis. Poſt hanc victoriam ad univerſam Boſniam oculos, animumque adjecit. Et redacturus erat in provinciam, ſi legiones maturius adfuiſſent Belgrado. Banjalucam B) vi nulla admota victor intravit, ac diripuit; ferri quoque ſecturas ſuæ poteſtatis fecit. Serajum C) urbem mercatu celebrem, & totius regionis princeps monopolium, tantus terror invaſit, ut plerique incolarum ampliſſimis opibus alienæ fidei, ac ſolicitudini relictis, alio migrarint. Et alienus utique non erat Badenſis ab hujus urbis aggreſſione, deque ea per Piccolomineum Leopoldum Cæſarem certiorem reddidit. Sed obſtante exiguo militum numero, & viarum difficultate, viſum eſt hac expeditione in præſens abſtinere. Breska (nonnullis Kruska) iis in locis non invenuſtum oppidum, eo quo advenerunt die Cæſarei, præſidium accepit. Sex legionibus auctior Badenſis, arcem Zwornikam ad Drinam amnem, vallis, & duobus millibus præſidiariorum munitam obſedit. Vix cœpta oppugnatio, cum mulierum globus in faſtigio arcis apparuit, veniam, pacemque comprecantium. Virorum contumaciam fæminarum lacrymæ molliverunt. Adſunt Legati, conditionibus, quas victor daret, arcem tradituri. Salvis corporibus dimiſſi ſunt omnes. Arma, opes militi cedunt; Gubernatori tamen quadraginta equos, honoris, an dedecoris cauſa? abducere licuit. Præcipite in hyemem autumno, Picolomineo hybernis Boſniæ præpoſito, Badenſis Viennam abſceſſit. D)

Haud perinde Venetis, Polonis, Moſchis fortuna favit. Franciſcus Moroſinus Dux Reipub. renunciatus, ſimul præfecturam claſſis in Peloponneſo retinuit, uti Cornarus adminiſtrationem Dalmatiæ. Prior præter Venetum, Melitenſem, Florentinum militem, terna Helvetorum, dena Græcorum millia ſuo ſub imperio habuit, ut adeo Chalcidem, Eubœæ urbem, duobus, & viginti millibus armatorum terra, & mari impugnarit, cum tamen eodem tempore alter exercitus apud Corinthum hoſti oppoſitus eſſet. His tam numeroſis, tam florentibus copiis nihil feliciter actum. In principio expeditionis Candiæ recuperandæ aliquot cives ſpem fecere. Eo curſum intendit Moroſinus cum triginta duabus triremibus. Verum ſive conſpiratio oppreſſa fuerit, ſive fides, animusque non conſtiterit iis in Peloponneſum renavigandum erat ad Chalcidem E) oppugnandam. Claſſis inſulæ quidem portum proſpera navigatione tenuit, at denis continenter diebus adeo maritima vi exagitata fuit, ut graviores machinæ in terram exponi non potuerint, & militi evigilandum in armis fuerit adverſus barbarorum incurſiones. Hoc permoleſtum initium, triſte augurium erat infauſtæ oppugnationis. Urbem Chalcidem quatuor montes inter ſe conſerti obvallant. Iſtos veluti ſcutum urbis, pro multitudine militum, civiumque egregie communiverat Arab-Regepus Gubernator. Itaque e Kônigsmarkii, &

A) Portæ Ottomanicæ. Alii quinque millibus partim in arena cæſis, partim in fuga occupatis, multo modeſtius victoriam ad poſteros tranſmiſere. B) Banjalucà ſedes Præfecti Turcici Boſniæ, urbs ad fluvium Verbanum. C) Serajum, Geographis Serajo, juxta Boſnam fluvium urbs clari nominis D) Porta Ottomanica Tom. II. E) Chalcidem, ſeu Negroponte, hoc anno oppugnatam a Venetis Scriptores teſtantur, non vero Corinthum, quæ anno ſuperiore incendio conflagravit.

& Vernedæ A) machinatorum principis consilio, montium munimenta non sine obsidionalibus viis, tormentis urgeri sunt cœpta; tanto autem conatu utrinque certatum est, quasi fortuna Chalcidis in expugnatione istarum munitionum verteretur. Turcæ una eruptione multam cladem, multum pavorem intulerunt castris, pulsa Florentinorum cohorte. Objecit semet Marcillius Eques Melitensis, qui illic curabat, cum decem sociis, & centum gregariis, editaque cruenta pugna impetum furentium retudit. Postremum Morosinus accitis quoque classiariis, aciem in clivos erigit, datoque signo omnibus locis irrumpendi, maxima strage Turcarum munimenta expugnat. In urbem pauci dilapsi sunt; reliquos vel mare hausit, vel ferrum. B)

A. C. 1688.

Ex altioribus locis urbs mense uno, & amplius concussa, spem nullam dabat deditionis, quod pro spatio loci satis præsidii haberet, frumentumque in plures menses suffecturum. Sed nihil æque animos obsessorum confirmavit, ac morbi latius in dies serpentes, omnemque exercitum Venetorum depascentes. Verneda majori pila discerpto, Kônigsmarkius ipse copiarum Dux, decima septima Septembris vi morbi extinguitur. Insolito luctu militum, & Reipubl. mærore ejus mors accepta est. Morosinus terrestrium simul, & maritimarum copiarum Imperator, in publica illa clade aggressionem retentandam (unam nuper instituit Princeps Darmstadius majore ostentatione virium, quam successu, cœsis e germanis legionibus, mille gregariis, & septuaginta Præfectis, ipso Principe ægerrime manus hostium evadente) existimavit, sed quoniam militi nec spes vincendi, nec animus aderat, infeliciter. Dalmatæ, Florentini, & Hannoverani, soluto cuniculo in ruinas enisi, depulsis defensoribus, stationem obtinuerunt, & haud dubie in urbem gradum promovissent, nisi ab omni auxilio sociorum, tædio laboris, & morbi invalescentis deserti fuissent. Pauci e Dalmatis integri in castra redierunt. Ingemuit Morosinus ad fortissimorum militum stragem, neque diutius moratus, amissa dimidia parte exercitus, irrito incepto, Chalcide in hyberna discessit.

Cornarus in Dalmatia hyemem inquietam habuit. Morlachi superioris anni victoriis, ac spoliis illecti, rigida quantumvis tempestate, nunc furtivis incursionibus, nunc aperto latrocinio Turcarum oppida infesta reddiderunt: maxime maritima ussere, quia & plus prædæ, & procursiones tutiores erant. Unde & Turcæ nunquam non armati aut Morlachorum, aut Venetorum agros depopulati, hyemem inter quotidiana certamina egerunt, pluresque, quam justo in bello, utriusque gentis milites aut cædebantur, aut capiebantur. Inter hæc leviora prælia, Cornarus mense Januario cum suis Venetis Dernium C) oppidum, diffugientibus incolis occupavit, multasque familias Christiani nominis e provinciis Herczegovinæ, & Albaniæ in ditionem Venetorum traduxit. Quin etiam Albanus populus, jugum Ottomanorum pertæsus, variis legationibus obsecravit Cornarum, ut, quoniam omni fere Dalmatia ejecti essent Ottomani, & Novum castrum, sive Castellum D) in ditionem, imperiumque Venetorum cessisset, in Albaniam tandem transfundat copias, ac reliquias Christianorum miserrima servitute oppressas erigat. Non defuturos Castriotos, E) qui pro re Christiana se, fortunasque suas omni periculo objiciant, modo Reipub. victrices legiones signa Albaniæ inferant. Cornarus, cui haud promptum erat in eam provinciam deportare bellum, nondum Dalmatia subacta, sustentare tamen Albanos spe secuturæ quamprimum cpis non omittebat. Interim Alba-

A) Celeberrimus tota Europa hic machinator aliis Vereda, & Veneda scribitur. Ad annum 1684. de Cornaro hujus discipulo memoria incidit in oppugnatione Budensi. B) Chalcidem expugnatam a Mahomete II. dedi Tom. I. ad annum 1470. pag. 32. C) Nusquam apud Geographos hujus nominis urbem inveni; haud tamen procul a Morlachiæ finibus fuerit. In Porta Ottomanica Dernis dicitur, perinde ignotum vocabulum. D) Novum Castellum expugnatum est anno præterito. E) Georgius Castriotus Albaniæ Regulus, vulgo Scanderbegus, multis annis victor pugnavit adversus barbaros, cujus cineres vel ipsi Turcæ collo appendunt, ad fortitudinem, audaciamque conciliandam. Herois vitam edidit Marinus Barletius, e quo non pauca in rem meam verti Tom. I. Imper. Ottom.

A. C. 1688. Albaniæ Præfectus, Solymanus nomine, defectione incolarum perterritus, ad Primores literas dedit benevolentiæ plenas, quibus universos amice hortatus est, ut in fide, quam ad tempus istud integram præstitere Turcis, maneant, secus ad internecionem omne nomen Albanorum venturum. Cum parum hisce moverentur, septem armatorum millibus conspirationem comprimere ante voluit, quam viribus firmaretur. Sed jam in armis erant Cataro finitimi populi, promisso Venetorum auxilio multum animati, insessoque itinere, quo ducendum Solymano fuit, incompositos Turcas adorti momento fundunt. Quæ res ad resistendum, & ad capessendam pugnam eos impediit, quod non uno agmine iter faciebant (nam vallis angusta erat, ubi prælium contractum) eadem magnæ parti ad fugam saluti fuit. Tamen mille, & sexcenti sunt cæsi, multi saucii, & capti cum undeviginti signis militaribus, & multiplici præda.

Victores juxta mare in Albaniam altius progressi sunt, haud secus quam in pacato agro sine violatione ullius rei. Medon A) urbs maritima illico portas aperuit. Cornaro, cujus videlicet auspiciis hanc expeditionem suscepere, varii generis spolia miserunt. Sub idem fere tempus equestre agmen Ottomanorum ad vastandos Morlachiæ agros erupit. Bis centum Morlachis per tumultum cæsis, totidem captis cum parvis liberis, & grege pecorum, Iaderam usque, sive Zaram, cædes, & incendia sparserunt. Ulti sunt inopinatam cladem Morlachi. Nam insecuti latrones maximam partem spoliorum receperunt, & mox in tria agmina divisi, hostium fines ad satietatem depopulati sunt. Exeunte Augusto Cornarus Clinovam, amæno in colle præsidium, obsedit. Urbe per assultum occupata, undique defensores desertis stationibus in arcem fugiunt, quo jam prius fæminæ, puerique, & alia imbellis turba semet receperunt. In adultam hyemem protracta fuisset oppugnatio, nisi fontis venam, quæ præsidio supererat, avertisset Cornarus. Hac ultima necessitate adacti, positis armis dediderunt sese. Traditus inter cæteros Præfectus loci Attalichius Albæ Regalis olim Gubernator, cum mille quingentis Turcis. Christianis bis centum diuturna vincula adempta. Verlicca oppidum prona deditione in fidem se permisit. At Gabellam ad Narentum flumen præsidium & venti adversi, & severior autumnus tutata sunt. B) Hæc Venetorum fortuna in Dalmatia, & Peloponneso.

Polonorum hyberna, hoc anno incendiis incaluerunt, quæ media hyeme Camenecenses præsidiarii sparserunt. Mense Maio cum nemo Polonorum armatus in campo adesset, iidem Camenecenses majore jam numero, & Tartari procurrentes, per otium non pauca oppida vastarunt. In reduces ausus est subitarium militem Aimidiszkius Tribunus immittere. Consertis manibus prope Camenecum, Turcæ pro spoliis dimicantes, cæsis bis mille Polonis cum ipso Duce, duodeviginti signis captis, etiam victoriam reportant, multo commeatu in præsidium invecto. Hoc prælium novas iterum faces, novam vastitatem Poloniæ, inprimis Regiis oppidis attulit. Subinde frumentum e Moldavia, & Valachia diligenti cura Quæstorum ad Tyram amnem comportatum, Camenecum devehendum erat Nuradini Tartariæ Crimææ Regulo, ubi numerosus miles non ad tutandum modo præsidium, sed ad vicinos quoque Palatinatus urendos excubabat. Supremus Polonorum Ductor C) commonefactus de ventura annona, tanto cautior effectus est, quanto præteritum subsidium, Cameneci receptum, angebat magis ejus animum. Confestim itaque cum exercitus robore Camenecum contendit, annona prohibiturus inimicam urbem, & quoniam non sine certamine istud processurum intelligebat, militem pugnæ accinctum in castris habuit.

Verum

A) Medon urbs maritima Albaniæ. B) Foscarinus Lib. VII. ad annum 1688. & Porta Ottomanica. C) Nec a Leugnichio, nec a Porta Ottomanica nomen Ductoris proditur. Narratio utriusque fera eadem est.

Verum quod fluvius Tyras per eos dies violentior inveheretur, & Poloni in ulteriore ripa multo attentiores, ac antea, confiderent, Tartari, annonæ custodes, non ausi semet committere flumini, in Moldavia restiterunt. In Pocutiam nihilominus, nullo vastiore fluvio defensam, populationem intulerunt, rati: ad juvandas popularium urbes, longius Cameneco abstractos deprehendi Polonos posse. Quos cum eo tumultu nihil motos animadvertissent, munitiora loca præter morem suum oppugnare cæperunt. Creverunt inde animi Tartarorum, & quasi vires Poloniæ unis castris inclusæ forent, soluti curis omnia languide egere. Sedecim Polonorum centuriæ, quibus Pocutiæ salus commissa, vindictæ appetentes, celeritate maxima Ductore Krinszkio, veteri, fortique Centurione, in prædones feruntur, multisque e vestigio cæsis, & in fuga captis, prædam omnem recuperant.

A. C. 1688.

Nuradines morarum pertæsus, nondum Tyra ripis suis coercito, vehicula quinquaginta commeatu onusta, cum militum præsidio Camenecum expediit, præmonito prius Gubernatore de annona in urbem invehenda, jussoque aliquot signa peditum stato die, horaque obviam mittere. Misit magno delectu ter centum Janicsaros. Poloni demessis, aut exustis, quæ jam maturescebant, frugibus circa Camenecum, alio transtulerunt castra, auditoque Tartarorum manum advehere annonam, sine mora ad intercipiendum hoc qualecunque subsidium, equitum partem festinare jubent. Vix in mutuum conspectum perventum est, cum Tartari laxatis habenis Tyram repetunt; at Janicsari objectu plaustrorum defensi, fistulis, frameis irruentes Polonos proturbant, se, commeatumque acerrime tuentur. Numero victi, plerique postremum trucidantur. Pauci cum denis vehiculis Camenecum tenuere. Clamore, strepituque pugnantium excitus in ulteriore ripa Nuradines, tum quidem suas copias non movit, veritus, ut opinor, flumen, & armatas cohortes, quarum numerum explorare non potuit. Paucis post diebus ubi ripam liberam videt, septuaginta millium exercitum cum multa annona feliciter traducit, atque castra castris Polonorum, qui rursum Camenecum inter, & Tyram metati sunt, confert.

Undevigesima Augusti universis copiis Polonorum castra adoritur. Ad valla ancipiti pugna multis horis certatum est. Sagittis eminus Tartari melius pugnabant; cominus stabilior, tutiorque Polonus. Multitudine tamen missilium telorum, maxime sagittarum, plures e Polonis aut vulnerati, aut occisi sunt. Adversa hac pugna perculsi, nec strepero, nec tardo itinere receptum quærunt. Tartari irritatis certamine animis acrius instant, ac in interiorem Podoliam festinantes vi summa persequuntur. Mox in Lithuaniæ copias illati, partem castrensis supellectilis intercipiunt. Campo jam victor Nuradines mille quingentos carros, re frumentaria oneratos, Cameneco infert, & transgressus Tyram, eodem, quo venerat itinere, in Crimæam se retulit. Tum primum Leopoli advectæ majores minoresve machinæ Polonis animos reddiderunt. Sed hoste elapso, in castris reliquum autumni fere in otio exigendum erat. Neque enim Camenecum ad tolerandam quamvis diuturnam obsidionem rebus omnibus paratum, oppugnare e re sua existimarunt. In tantas subinde rei cibariæ angustias redactus est Polonorum exercitus, ut multi armis gerendis impares, multi fame miserum in modum absumpti fuerint. Unde plurimi, nulla petita venia, suas stationes deseruerunt. Reliqui, præcipite in hyemem autumno, ad sua stativa deducti sunt, etsi ex Budiziacensi provincia, sive Bessarabia, Tartarorum Hordas propediem erupturas in Poloniam pavidi agrestes nunciarent. Hoc metu absolverunt Polonos Cosacci Zaporavienses, qui funestam Crimææ populationem fecere. Sic Tartari ad suarum villarum restinguenda incendia revocati.

Apud Moschos bellum sane torpidum, nec uspiam minus caloris Martii fuit. Ut isti meliore fide hoc anno belli consilia tractarent, agerent-

A. C. 1688. que fortius in Ottomanos ex fœdere, per Legatos orarunt Poloni, ingentibus Reipubl. detrimentis Petro Magno Duci exhibitis, quæ Tartari repetitis populationibus Poloniæ intulerunt. Responsum est perpaucis: fluvios glacie duratos Tartaris pontes fuisse in Poloniam, asperam hyemem incusandam, non Moschos. Neque enim ita obsideri posse vastissimæ regionis itinera, ut volatica agmina non reperiant portam, qua evolent, revolentque. Præsente anno non minorem, atque superiore se missurum exercitum ad fines Tartariæ, & frænum positurum populabundæ nationi, novo præsidio ad fluvium Samorem A) fundando. Mense Julio Moschorum ingens numerus ad Samorem convenit, quo Dux Mazeppa suos quoque Cosaccos adduxit. Bis centum, & amplius millibus mortalium in opus incumbentibus, nullo præterea hoste obturbante, mora unius, & alterius mensis præsidium stetit. Isthoc munimentum secundæ expeditionis Moschoviticæ terminus fuit; nec alia re gesta, grandis ille armatorum numerus ad stativa rediit.

1689. Hæc talis Confœderatorum sive cessatio, sive mala fortuna quantum hostium animos extulit, tantum Leopoldi præclari conatus, & pares armorum progressus vertente anno depresserunt. Februario adhuc mense Szigethum, B) Nicolai Zrinyii, & Solymani II. mortibus ætate superiore celebratum, C) fames in obsequium Cæsaris traxit. Belgrado, & magna parte Sclavoniæ capta, adeo arcte obsessum erat, ut oppidani cum præsidiario milite ad ultimum inopiæ deducti fuerint. Posteaquam partim fames, partim ferrum facile octona hominum millia absumpsit, & insuper Vecchia oppugnationem moliretur, pauculi, qui restabant, de deditione cogitarunt. Hassanes Pro-Gubernator impetrata venia, ad Leopoldum Cæsarem Viennam profectus, quas voluit conditiones, mitissimi Principis manu signatas accepit. Decima septima Februarii sexcenti longa inedia, vigiliisque confecti, primum ad Dravum, dein Vidinum navibus deducti. Nullo fere impendio nobilissimum præsidium post centum duos, & viginti annos servitutis, in libertatem vindicatum est.

Ante Szigethi deditionem binæ legationes, eæque splendidæ Viennam venere. Valachiæ Princeps Brankovajus, nuper sanctioris Tabularii præses, gubernaculo provinciæ popularium suffragiis se admotum significavit, oravitque Cæsarem, ut sibi adversus Turcarum factionem, Tôkôlio principatum asserere armis cupientium, opem in tempore ferat. Legati jurejurando omnem provinciam in Cæsaris fidem permiserunt, polliciti, singulis annis tributi nomine quinquaginta millia imperialium Leopoldo, futurisque Hungariæ Regibus. Altera legatio Turcarum fuit. Principio statim sui Imperii Solymanus, suasu utique Purpuratorum, de pace cum Christianis Principibus agere instituit. Eum in finem Effendium, cognomento Sulifarem (aliis Sulficarem) & Alexandrum Maurocordatum e nobili Scarlatorum familia, præcipuum interpretem linguarum, Viennam proficisci jussit. Belgradi accepto commeatu ab Electore Bavaro octava Septembris, tandem decima tertia Octobris Pottendorffium, Austriæ oppidum, prevenere, ubi in arce militari custodia septi, omnique commercio literarum, & colloquio abstinere jussi, mense primum Februario Viennam intrarunt.

Octava Februarii ad salutandum Cæsarem deducti per Joannem Adamum Lachaviczium orientalium linguarum in aula interpretem, Solymani Imperatoris, & Mustaphæ Vezirii literas reddidere, D) queis Solymanus guberna-

A) Si is fluvius Samor, quem in Weigelii tabulis pervestigavi, nescio profecto quid utilitatis præsidium istud conferre potuerit? Certe Crimæos Tartaros minime frænabit, sed majorem Tartariam. In Ukraina Moschovitica præsidium excitatum mihi plane persuadeo, ad cognominem fluvium a Weigelio omissum. Istud colligo e Porta Ottoman. pag. 492. B) Planissimum est Szigethum hoc primum anno die XVII. Februarii fame domitum, non autem priore, ut arbitrantur, Scriptor Annalium Hungariæ, & Continuator Epitomes Chronologicæ rerum Hungaricarum Timonianæ, secuti nimium religiose Historiam Magni Leopoldi. Istud monui, ne error regnum constituat. Pro me faciunt Ephemerides, & Porta Ottomanica. C) Vide Tom. I. pag. 192. ad annum 1566. D) Typis publicis editæ sunt illæ pag. 486. &c. Portæ Ottomanicæ Tom. II. Asiatico stylo potius, quam Laconico; quo plerumque utuntur Turcæ.

bernacula Ottomanici Imperii se adeptum, & Vezirius pacem Christianis ac Turcis perneceſſariam ſatis ambitioſe ſignificarunt. Peractis de more aularum officiis, una omnium Confœderatorum voluntate (ſi Moſchum excipias) initium fit tractandæ pacis. Primo in congreſſu illico apparuit, neque pacem, neque inducias concluſum iri; adeo indecoras, & damnoſas conditiones Turcæ propoſuere. Poſtularunt in primis: Tranſylvania utrique Imperatori tributum pendat, Belgradum, Byzantii ſcutum, Cæſar reſtituat. Caniſam, Szigethum (nondum tum captum erat) munimentis ſuis ſpoliata Cæſari traditum iri. Veneta Reſpub. partem captarum urbium in Peloponneſo reddat. Addunt: ſibi nullam poteſtatem conceſſam cum Polonis paciſcendi. Denique Effendius terrore agendum ratus, non dubitavit in eo conventu dicere: *Solymanum ipſum hoc anno copiis præfuturum, & victorem victos ad pacem petendam adacturum.*

A. C. 1689.

Contra Cæſarei miniſtri Kinskius, Stratemanus, Starembergius, & Caraffa, ſine ambagibus edixerunt: pacem fore nullam, niſi his capitibus ſubſcribant. Ottomani omnibus Hungariæ, Hungariæque annexarum provinciarum; item Boſniæ præſidiis, urbibus decedant. Tranſylvaniam, Valachiam, Moldaviam, Raguſæ Rempubl. nullo inpoſterum bello, nulla injuria laceſſant. Tartaros non ære, non milite juvent, a latrociniis eosdem armis abſterreant. Sex milliones nummorum Rhenenſium reſarciendis damnis dependant. Captivos Chriſtiani nominis ſine pacta mercede vinculis eximant. Tôkôlium, turbarum concitatorem, dedant. Ratſchinskius Regni Poloniæ in aula Cæſarea Orator, flagitavit Camenecum, præter quatuor milliones florenorum. At Cornarus nomine ſuæ Reipubl. plura: provincias videlicet univerſas, quæ juris quondam Veneti erant cum inſula Chalcidis, Athenarum principatum; in Dalmatia maritimos portus, & Olchinium, A) & quadraginta millia aureorum nummorum. Ad hæc poſtulata reſpondit legatio Turcica: ſibi non eſſe integrum cum Polonis tractare, veniam adeo daret Cæſar, curſorem Byzantium mittendi, qui hac ſuper re nova mandata adferat. Negatum iſtud præciſe: quod neque Goeſio, neque Capraræ, Cæſareis Legatis, conceſſum fuerit, nuncios Byzantio Viennam expedire. B) Hac conſtantia perculſus Effendius, ne adhæreret negotium in ipſo limine, ſcriptum porrigit pacificatoribus, quo Polonis Camenecum, quæve præſidia hoc bello Ottomanis erepta ſunt, liberaliter omnino addicit. Cum nuncio rei lætiſſimæ Ratschinskius in Poloniam avolat. Non poſt multo Uladislaus Loſius Palatinus Pomerelliæ C) authoritate de pace agendi inſtructus advenit. Sed fruſta.

Namque Effendius intellecto, Imperatorem bello Gallico implicitum, inter Principes Chriſtianos odia gliſcere, Germaniam ſecum ipſa diſcordem, exiſtimavit eum imparem futurum tantæ moli armorum, atque adeo victum ſive a Gallo, ſive a Turca mollioribus conditionibus pacem daturum. Hujusmodi ſpebus inflatus, in proximo congreſſu a querelis orſus ajebat: *admodum dura, indignaque Ottomanica majeſtate poſtulaſſe Cæſareos, & Venetos. Id ſolum ab ultimo dedecore abfuiſſe, quod annuum tributum non imperarint Solymano, cui tamen ſuperſint opes, claſſis, legionarii, nervus Imperii. Tot munitas arces, præſidia ſi cederet Turcia, ſemetipſam æternæ ſervituti addiceret. Pluribus ſeculis terra, & mari geſſiſſe bella Imperatores Ottomanos, quo Imperium conſtabilirent ſuum, nunc velle Confœderatos, ut Solymanus una hora illud evertat. Bello iniquiſſimo majora vulnera infligi non poſſe Turciæ, quam pernicioſiſſima pace a Confœderatis deſcripta. Neque Belgrado, neque Tranſylvania, neque Chalcide carere poſſe Ottomanos. Illo amiſſo, Serviam, Bulgariam, Thraciam, ipſam adeo Imperii ſedem Byzantium, populationibus patere. Tranſylvania ceſſa, Valachiæ, & Moldaviæ Principes Cæſaris partes amplexuros; tres frumentarias provincias cum incomparabili damno, ab Imperio avulſum iri. Tradita*

A) Olchinium, Dulcigno Geographis, urbs maritima. B) Nempe anno 1682. & ſequenti. C) Lengnichius. At eum Palatinum Pomeraniæ ſcribit.

A. C. 1689. *dita vero Chalcide Venetis, navigatione Asiatica Byzantinos excludi, magno Ottomanici monopolii detrimento, simulque insulas maris Ægei omni præsidio nudari. Hæc, aliaque elocutus adjecit concitatior: quoniam spem nullam concordiæ video, vobis bellum unice spirantibus, nec inducias, nec pacem jam urgeo. Istud majorem in modum peto, ut me belli nuncium Constantinopolim quamprimum abire sinatis, quo Solymanus paratus instituat, & bellum cum Imperio a fratre acceptum, victoriis absolvat.* Ferocia Effendii exasperavit omnium animos, dataque potestate discedendi, conventus diebus pluribus celebratus, nullo cum fructu finem habuit; læto admodum Moschorum Oratore, Præcopio, qui a Petro Duce allegatus Viennam, ut a pacis desiderio, ac cura avocaret Confœderatos, omnem lapidem movit. Metus quippe incesserat Petrum, ut ne, si pax confieret, vires Turcarum, & Tartarorum in unam Moschoviam vertantur, & tristes belli reliquias sola devorare cogatur. Sed hunc metum partim abstersit Confœderatorum constantia, ne latum quidem unguem a primis conditionibus recedentium, partim Effendii ambitio.

Hunc in modum evanescente spe pacis, bellum omnibus placuit, paratumque est diligenter per hybernos menses. Effendius, nescio cujus rei causa, diutius commoratus Viennæ, per Celeres suos Byzantium, acta in Confœderatorum conventu, & bellum inevitabile præ foribus esse nunciavit. Hoc nuncio urbs Byzantina, diuturni belli incommodis alioquin fessa, rursum seditione exarsit. Hujus leniendæ causa Solymanus vetuit aliquot diebus militem legi, & classem ædificari, palamque edixit, se quibuscunque detrimentis Imperii, pacem a Confœderatis Principibus redempturum. Interim in Divano multa consultatio extitit, qua potissimum arte plebs sedanda, quibus viribus Confœderatis obsistendum? præter Vezirium, Purpuratos, prima aulæ Byzantinæ instrumenta, per dispositos equos acciti Tôkôlius, & Chamus Tartarorum, deliberationi interfuere. Horum omnium sententia erat: pacem a Confœderatis deformatam, nomini Ottomanico admodum probrosam ultimo periculo rejiciendam, extremis viribus Imperii dignitatem propugnandam. Ne vero plebs belli oneribus ægra in novos tumultus, seditionem erumpat, pacis fallaci specie circumducendam, monendamque esse: apparatus bellicos, si unquam alias, hoc præcipue tempore fieri oportere, ut grandes exercitus in campo æquam pacem in curia conficiant. Hoc commento gnaviter usus Solymanus, irritatos civium animos mire pacavit. Sed pecunia pro tantis, quæ Imperium premebant, difficultatibus, multo tenuior erat, congiariis, & multiplicibus stipendiis militi persolutis, ærario exhausto. Vezirii industria sine plebis Ottomanicæ offensione his angustiis providit. In singula Hebræorum, & Christianorum capita quinque, & vicenos imperiales nummos imperat, nullaque interposita mora, qui impositam summam extorqueant, armatos immittit. Primi Hebræi per Asiam sparsi ad pendendum tributum adacti, immanem pecuniæ vim contulerunt; deinde Christiani, quamvis cum istis modestius actum, edictumque multa moderatione temperatum, emollitumque fuerit; sive reformidarit Vezirius, ne tributi magnitudine commoti, ut nuper in Peloponneso, ad Venetos deficerent, sive jam ærarium repleverit opibus Kislaris Agæ, quem clam strangulari jussit in seraglio Imperatricis.

Corrasa toto Imperio pecunia, miles cogitur. Chamus Tartarorum Selymus Gieryus sexaginta suorum millia spopondit, quos ita partiri placuit, ut triginta millia in Hungariam, totidem in Poloniam, aut Transylvaniam cum Tôkôlio proficiscantur. Verum Moschis Crimæam, infesto exercitu hoc anno petentibus, hæc designatio magnopere confusa est. Tôkôlio ducenta septuaginta florenorum millia, antequam Constantinopoli abiret, Imperatoris jussu numerata sunt, ad Daciæ claustra perfringenda. Grande subsidium homini omnibus fundis exuto. Hoc ære suam fortunam reparare

soli-

ſolicite aggreditur. Nuradinem, & Galgam, A) præcipuos Tartarorum Ductores, amplis muneribus donat, ſibique conciliat, ut videlicet iſtorum auxilio Valachiæ, aut Tranſylvaniæ Principatum ſuam in familiam transferat, fortunam tot infauſtis caſibus collapſam erigat. EST illud regnorum procis familiare, ut artes expediant omnes, omnem rationem conſiliis ſuis opportunam ineant, ab æquo, rectoque, imo & religione flagitioſe deſciſcant, ut ad faſtigium, quod ſpe ſemel devorarant, aliquando eluctentur. At dum omnia parandæ dominationi per fas, nefasque arripiunt, deſerti a Deo, quem turpiter deſerunt, non raro conſiliis ipſi ſuis fallente ſucceſſu capiuntur. Dimiſſo Tôkôlio & Chamo ad miſcendam Hungariam, cum Aſiatici, frigoris vim cauſati, lentius coirent, ſevero edicto iſtorum moras increpuit Vezirius, unco, paloque propoſito, qui expeditioni univerſæ ſemet ſubducerent. Mufftius acriori telo religionis torpentes incitavit, circummiſſis per Aſiam literis, queis Ottomani emeriti juxta, ac puberes ad ſacrum bellum evocabantur, diris omnibus in ejus caput congeſtis, qui militiam detrectaret. His terroribus acti, e ſuis provinciis multi religioſi Volones Byzantium feſtinarunt, ære ſuo militaturi; minor tamen Aſia nondum excuſſo torpore cunctabatur. Claſſem quoque ad Danubium obtinendum ædificari juſſit Vezirius, quod prævideret eam utilitatem maximam Turcicæ rei allaturam, ſive in Servia, ſive in Valachia bellum gereretur.

A. C. 1689.

Hæc maxime agentem, oborta in Aſia rebellio in novos metus, ac ſolicitudines conjecit, quam Jegheni factio maturavit. Maxima ille invidia apud omnes laborabat, quod Cæſareos Savi trajectu non prohibuerit, Belgrado, uti juſſus erat, ſuppetias non ierit, Bulgariam, amicam regionem, hoſtiliter diripuerit, Raſcianos, Græcos, Bulgaros avare, crudeliterque habitos, a Turcica ſocietate multum abalienarit. Tam noxium Imperio caput e medio tollendum populus perinde, ac Purpurati conclamarunt. Solymanus, & Vezirius tanto promptiores in hominis necem conſenſere, quanto magis elatos illius ſpiritus, & dominandi avidos, perpetuo reformidarunt. Militum favore ſubnixum, & turbas ſine dubio daturum, ſi vim apertam intentarent, occultis armis, quæ certius, tutiusque feriunt, circumvenire ſtatuunt. Sed ille non ignarus, quanto in odio Byzantii verſaretur, quidve ſibi metuendum foret ob perditum Belgradum, adverſus inſidias ſemet munierat, nunquam in publicum progreſſus ſine præſidio fidiſſimorum militum. Cum hac parte impenetrabilis eſſet, vim, & manum adhibere placuit. Arebus Scutaris Præfectus, Hungariæ Seraskerius renunciatus, cum ſex millibus Janicsarorum in Bulgariam jubetur properare, atque Imperii hoſtem (jam tum proſcriptus erat Jeghenus) quoquo modo in poteſtatem redigere, aut jugulare. Arebus maxima, qua potuit velocitate in Bulgariam evectus, celeritatem famæ anteceſſit, imparatumque Sophiæ cum ſeptem, & triginta ſociis oppreſſit. Refecta capita Conſtantinopolim miſſa populo ludibrio erant. Jegheni milites, duodena circiter millia variis in locis hybernarunt, amiſſo Duce hoſtilia non auſi, ad obſequium redierunt. B)

In Aſia, majore tumultu, cædeque hominum res acta. Gidiekus Baſſa, per ſpeciem ſacri belli e juventute Aſiatica ſex millibus collectis, novum Imperium in minori Aſia fundare aggreſſus eſt; intellecta vero Jegheni propera morte, quo non inferior erat & latrociniis, & ambitione, ne & ipſe pari fato caderet, vires, & potentiam auxit, deterrimo quovis turbarum ſtudio accurrente. Vezirii juſſu Tefftiſcus c) duodecim millia armatorum, bellum patriæ molienti objicit. Gidiekus vetus militiæ, deſerto per-

A) In Porta Ottomanica pag. 493. uterque dicitur Soltanus; & poſterior pag. 559. etiam filius Selymi Tartarorum Reguli. Agam de hoc ad annum 1691. B) Porta Ottomanica. Foreſtus ad Niſſam ſtrangulatum ait, a militibus ſuis deſertum. Alii, neſcio quam vere, non dubitarunt ſcribere, Jeghenum vim paraſſe, ac pugna inferiorem captum, cæſumque. c) Tefftiſcus, num Præfecti alicujus nomen, num genus Magiſtratus, veluti Inquiſitoris ad ſtatas fere Aſiæ rebelliones domandas inſtitutum? non habeo dicere. Porta Ottomanica Præfectum appellat. Alii aliter.

A. C. 1689. angusto, quem occuparat, loco, composite, & ex meditato fugam capessit, metum ubique simulat, atque hac simulatione Tefftiscum ad Cutiæum a) urbem in patentes campos prolicit. Regressus multo celerius, ac fugerat, veluti ex insidiis castra metantes invadit. Imparati vix primam procellam sustinuerunt. Tefftiscus prælium restituere frustra conatus, hasta trajicitur, mox manu Gidieki caput a cervicibus avulsum. Cæsis circiter mille, reliqui abjectis armis in obsequio erant. Ex his tria millia in suas legiones transcripsit, cæteris in sua mappalia remissis. Victor Gidiekus ad Iconium alterum Præfectum cruenta pugna fundit; Ancyram, prædivitem urbem, militi suo in prædam concedit, translatoque in Bythiniam bello, urbes alias vi, alias in deditionem pronas præsidiis occupat, omnia fuga, terrore, populationibus miscet, ipsam Constantinopolim vixdum tranquillitati redditam, novo quasi sydere perturbat.

Geminavit per eosdem dies solicitudinem, ac metum, Moschorum exercitus, quem in Tartariam impetum fecisse alii, atque alii falsò nunciarunt, jamque bello ardere Crimæam, omnemque provinciam Ponto adjacentem sævissime uri. Et quamvis terra, & mari festinati nuncii lætiora adferrent (nondum enim Moschus tum temporis Tartariam vastavit) tamen urbs pavore jam capta, ac metu interprete ad deteriora inclinata, collapsos semel animos minime recepit. Unde passim fuga fiebat.

Vezirius præsentibus malis ut medelam ferret, denas triremes, & plura minoris formæ navigia, saikas deduci, atque in Pontum Euxinum propelli mandat: ad fauces quoque Hellesponti parem navium numerum mittit, ne Veneti in ea rerum desperatione per angustias (quod bello Cretensi nullo successu toties tentarunt) penetrent, aut Gidiekus Hellespontum libere transmittat. Ad hæc Byzantinos ad urbis defensionem pro sua authoritate vocat, e publicis armamentariis promuntur arma, quinque, & vicena millia armatorum Scutari conveniunt. Asiæ civitates perinde ad opem, aut ultionem concitæ, arma induunt, omnes in Gidieki exitium conspirant. Urbanum, & disciplinæ militaris imperitum vulgus, veterano suo exercitu facile devicturus erat; verum mutato repente animo, seu bellum civile aversaretur, seu suorum fidem suspectam haberet, nulla data, acceptaque conditione semet in Vezirii fidem permisit. Dirum in modum excruciatus, moti temere belli, nec satis prudenter depositi, graves pœnas persolvit. Milites, nullo jam, quo regerentur capite, in pacem procliviores, arma tradiderunt.

Extincta rebellione, Ottomanorum copiæ in castra juxta Adrianopolim venere. Solymanus Imperator tametsi corpore æger, rudisque rei bellicæ, tamen dejeravit, se exemplo Majorum suorum in Hungariam exercitum ducturum; suumque tentorium iisdem in castris statui, ac familiam in expeditionem festinanter describi jussit, quasi cum primis copiis profecturus. Sed ista famæ dabantur, in eaque tam anxia proficiscendi solicitudine, nihil profectionis inerat, præter speciem. Mirum! quantopere hac rerum scena popularium animos sibi obstrinxerit, & in bellum accenderit. Opinione tamen multo pauciores ad signa convenerunt, quod Asia domestico bello implicita, multos a profectione absterruerit, multos ad suas opes tuendas avocarit. Lustrato exercitu, quadraginta duntaxat millia pugnatorum numerata sunt. Jam si hunc numerum e vastissimis regionibus diris imperiis excitum cum immensis copiis Solymani II. alterius Xerxis, quas non semel in Hungariam infudit, aut Mahometis IV. quibus Viennam nuper ad ictum destinavit, conferas, profecto multum virium amisisse per fatale hoc bellum Ottomanicum Imperium arguas, nobisque adeo facilem viam ad victoriarum cursum patuisse conficias. Patuit equidem: sed solita lentitudo, bellum Gallicum, viam si non præstruxerant, certe obices posuere. Ad hæc multarum rerum penuria, quod in multiplici bello plerumque accidit, nobis pro seditione erat. Imperator cum Mufftio legiones intervisens, apud

a) Cutiæum, vulgo Cutaye, & Chiutajo urbs minoris Asiæ.

apud vexillum Mahometis, quod in medio castrorum depactum erat, paucis verbis militem alloquitur, suoque ductu, & auspiciis bellum gesturum in Servia, novo mendacio affirmat. Lætum istud universis, quod culpæ, vel gloriæ socium Imperatorem haberent, & tanquam obsidem non defuturi stipendii. Sed translata postmodum exercitus cura in Mustapham Vezirium, patuit ludificationem ex composito protractam, ut videlicet dejectos suorum animos sustentaret, & plures in castra alliceret, & apud credulum vulgus bellicosi Imperatoris famam, etsi brevi morituram, colligeret; futurum ex hac ficta animi fortitudine dedecus, præsenti utilitati, ac existimationi postponens.

A. C. 1689.

Dum reliqui paratus ad Adrianopolim fiunt, inquies Tôkôlius non uno in loco hostilia occepit. E Bulgaria cum præstantissimo equitatu erumpens, ut iter in Transylvaniam sibi aperiret, pontem Danubio ad D. Georgium imponit, ac intra Vidinum, & Orsovam expugnatis aliquot munimentis, quæ potissimum Rasciani obtinebant, Cæsareos e stativis pulsos, trans Moravam rejicit, multos captivos Vidinum abducit. Clodovam A) in altera ripa Danubii præsidium, tum temporis Cæsareo milite egregie firmatum, inconsulto aggressus, clade non modica mulctatur, propeque erat, ut ipse caderet, duobus vulneribus in assultu acceptis. Rumor postea invaluit, Tôkôlium cladis dedecore adeo perturbatum, ut inusitatum mærorem vultu, licet harum artium mirus artifex, prodiderit, diuque publico abstinuerit. Crediderim ego non tam cladem (vinci enim assuetus erat) quam geminum vulnus, ac iter Temesiam versus, nam Clodova obstabat, præclusum, hominem momordisse, ac penitus dejecisse. Eodem tempore quatuor Turcarum millia Moravam vado transgressa, Jagodinam B) oppugnatum venere. Et cepissent, nisi C. Hoffkirchius quatuor legiones obsessis in tempore misisset. Turcæ, quoniam impares se Cæsareis viderunt, in Bulgariam festinaverunt. Immissi Hussari septenos ex postremo agmine abripiunt. Ex his cognitum Seraskerium Arebum copias contrahere, Vezirium proxime in Bulgaria adfore. Hæc cum varii nuncii comfirmarent, visum est Hoffkirchio præsidia priore autumno ad Moravam erecta deserere, atque militem Semendriam reducere, ne divisus opprimeretur. Interim dum Cæsarei ex hybernis convenirent, Belgradum, Semendriam novis munimentis, refectisque veteribus instruit, agrestium opera militarem viam alibi reparat, alibi concæde arborum, in primis ad Moravam, obsepit.

Tôkôlius deterso, quem nuper contraxerat, mærore, instauratoque exercitu Novigradum missilibus ignibus paucorum dierum mora expugnat, præsidiariis Vidinum abreptis, Orsovam nullo impendio, quippe a Cæsareis imminente hoste desertam, suæ potestatis facit, communitque. Omnis Tôkôlii contentio in ea sita erat, ut Temesiæ, Varadino eminus obsessis succurrat, bellum in Transylvaniam inferat. His molitionibus cum neque rerum apparatum, neque exercitum parem haberet; Chamum Tartarorum per Casparem Sandorium, nobilem aulicum, admonet, ut memor pactorum, quæ Constantinopoli in præsentia Solymani, & Purpuratorum inierant, equestres copias quamprimum adducat, secus totius expeditionis consilia tam operose elaborata confusum iri. Et Chamus quidem tanto ardentius Transylvaniæ suas Hordas infudisset, quanto spes major amplioris prædæ in hac provincia, quam in sterili Ukraina, aut toties evastata Podolia affulsit, si per Polonum, aut Moschum licuisset. Convenerat jam ante Poloniæ Regem per legatum suum Achmetem Agam, oblatoque Cameneco ad singularem pacis tractatum multa verborum humanitate invitarat. Verum Comitiorum decreto facessere jussus Achmetes, irrito conatu legationem obivit. Unde triginta illa millia Tôkôlio promissa, ad urendam Poloniam præparabantur. In hunc modum gravissimo bello liberata est Transylvania.

A) Clodova munimentum sat firmum Temesiam versus. B) Jagodina Serviæ præsidium haud procul Morava amne.

A. C. 1689. Mense tandem Julio, Ludovicus Marchio Badensis supremus copiarum Dux, Veteranius, & Piccolomineus; ille e Transylvania, hic e Bosnia cum suis legionibus Semendriam accesserunt. Horum adventu Tőkölii in Daciam irruptio subito vanuit. Recensito exercitu septem, & vicena millia numerata sunt. Heislero ex his copiis septem millia sunt data adversus Tőkőlium, & Temesiam. Reliquas Badensis ad Moravam movit, quem ponte stravit Marsilius Comes inter Hassan-Bassa Palankam. A) Hic e captivis intelligit: Seraskerium ad Patassinum vicum excubantem, Semendriam cogitare, quo re frumentaria interclusa, nostros fame ad receptum adigat, Spahiorum turmas Moravam transgressas, ab tergo venturas. Censuit Badensis has ante depellendas, quam amnem transmitteret. Istud non sine astu militari præstitit. Undetrigesima Augusti Sauravianam, & Styrumianam legiones, prope pontem editiorem locum, ut a Tartaris conspici possent, insidere; partem peditatus trans Moravam ire, partem ad sarcinarum custodiam remanere jussit, additis Germanis equitibus, quasi & isti hoc munere functuri. Interim Comitum Ladislai Csakii, Batyanii, Pauli Deakii equites, & quingentos Sanctacrucii dimachas in hostium stationes immittit. Tartarorum globi vix inita velitatione ad Turcas, qui circiter duodecim millia intra arbusta in insidiis latebant, semet recipiunt, rursumque cum Turcis procurrentes, paucitatem Hungarorum includi posse sperarunt. Germani equites admissis habenis per vallem evecti, fervente jam pugna opportune supervenere. Inclinavit illico hostium acies, & arena excessit. Ab Hungaris fugientium strages est facta. Cæsa feruntur maxime in fuga quina B) millia, cum Janicsarorum Aga; capta spolia omnis generis.

Eodem adhuc die Badensis equitatum, etsi longo itinere, & pugna fessum trium leucarum spatio ad pontem reducit. Quiete, ciboque refecti, postridie incerta adhuc luce in alteram partem fluminis universi traducuntur. Haud procul inde ad Patassinum oppidum hostis castra, sua fixerat; hinc Morava fluvio, denso inde nemore, & vallis circumsepta, tormentisque in fronte collacatis, qua perangustus aditus patebat, valide munita. Structam Christianorum aciem, uti & castra densior nebula e Morava, atque palustribus campis orta tantisper obtexit, sol aperuit. Turcæ extra valla castrorum progressi loco, & numero superiores in paucos pedites (nam per angustias, equestres legiones admoveri non poterant) audacissime pugnant, maximam vim globorum effundunt. Comes Castellius arduo sane itinere sylvas emensus, dimacharum aliquot turmas in planiora educit, concinentibusque omnibus signis, subsequentis universi equitatus specimen præbet, quem imminere hostes rati, trepide pedem referunt, spatiumque opportunum relinquunt explicando equitatui. Guidobaldus Starembergius, æstimato castrorum situ, animadvertit per sylvam Janicsaros novum vallum moliri, certatim in opus incumbere. E consilio Badensis, ne vallum perducerent, cum centum peditibus eo contendit, tantoque pavore operas percellit, ut abjectis ligonibus sine prælio fugam captarint. Visa hac consternatione, censuerunt Duces omnibus viribus in hostem agendum. Piccolomineus frontem petere, Palffius cum legione pedestri Hungarica c) sylvam circuire, atque a tergo aggredi est jussus. Vix Piccolominei miles signa intulerat, cum clamor Hungarorum in pugnam ruentium a tergo auditur. Momento hostilis acies in fugam versa, castra repetiit: sed neque hæc adversus panicum metum satis munita erant. Nam posteaquam fugitivi equitatum castris appropinquare viderunt, omissa defensione castrorum, in montes, ac sylvas profugiunt. Deleri potuisset exercitus, si paludes a nostris equitibus celerius superatæ fuissent. Partim in castris, partim in fuga

A) Ab authore munimenti Hassane Bassa, nomen impositum est loco palis circumdato. B) Porta Ottomanica. Historia Magni Leopoldi Tom. II. pag. 115. quadringentos cecidisse commemorat. Ingens profecto varietas inter numerum cæsorum! quid mirum? ipsi fontes, qui sincerissimi esse deberent, aliquando turbidi fluunt. c) Porta Ottomanica maximam laudem huic legioni attribuit.

ga quinque supra centum tormenta intercepta sunt, tria mortaria; tum majores, minoresve pilæ, pulveres, pleraque tabernacula.

Badensi Bulgariam cogitanti, ingenti temporis dispendio ad Patassinum resistendum erat propterea, quod nec copia annonæ, nec vehicula adessent, quorum multis profecto millibus opus fuit, ad importanda procul alimenta, & castrenses machinas, cæteraque in hostili, & exesa regione bellum gerentibus necessaria. Quidquid frumenti Belgradum, atque Semendriam curatores advexerunt, jam consumptum fuit, ut adeo famem, egestatemque ultimam sensissent victores, nisi in castris Turcicis aliquot plaustra frumento, ac aliis cibariis onerata, reliquam inter prædam occupassent. Dum summa contentione in longinquum iter omnia comparantur, ad Semendriam pons injectus est Danubio opera Marsiglii A) Comitis, quo Transylvaniæ, & Heislero, si necesse foret, subveniretur. Via item militaris Belgrado ad Moravam repurgata, ad cujus custodiam mille viri relicti. Post longa tandem tædia, exercitus sedecim millium armatorum per abruptas, impeditasque vias Nissam contendit, quo vicesima tertia Septembris nemine hostium occurente pervenit. Tot dierum mora in rem suam perdiligenter usus Seraskerius, non modo vagos, palantesque collegit, sed validam quoque manum Spahiorum, & peditum (viginti millia commemorat Ottomanica Porta) a Vezirio accepit. Cum hisce copiis ad urbem Nissam consedit adeo opportuno loco, ut prope inaccessus videretur. Castrorum frons prælta fossa, ac multis tormentis horrebat, sinistrum latus mediocri monte, vallisque ab urbe ductis, dextrum fluvio Nissava, qui mediam urbem interfluit, & sublatis tormentariis suggestibus defendebatur. Sic ille castris locum delegerat, firmaveratque. Invictis castris unum deerat, quod tergum, unde aggressionem tentaturos Christianos minime prævidebat, haud perinde, ac frontem munierit. Atque istud cladem attulit.

Postero die una ante auroram hora, bipartito distributus exercitus in hostem movet. Dextram aciem Marchio Croyus, sinistram Badensis regebat. C. Csakius situm regionis, & castrorum exploratum missus retulit, viam expeditam ad castra patere, atque explicandæ aciei sat opportunam planitiem se reperisse. Captivus Turca plura prodidit: castra Turcarum ab tergo nullis operibus communita aperta stare; montem angusta valle circuiri posse; Seraskerium sero observasse errorem, & nunc primum in ducendis aggeribus incredibili solertia Janicsarorum elaborare. His intellectis visum est Badensi, primariisque Ductoribus, quorum sententias cursim audire placuit, maturare iter, ac sine cunctatione hostem aggredi, ne absoluto opere, omnia difficiliora nobis evadant. Ut in vallem se immisit exercitus, e superiore loco promptissimi Turcarum equites, ac pedites in Starembergium feruntur. Repulsi, impetum faciunt in Csakianam legionem, cui extemplo Piccolomineus auxilio accurrit. Aucti animis Hungari, fugæ, pugnæque dubios acriter urgent, ac cum strage fundunt. Nisi Janicsari fistulas in suos fugitivos solvissent, haud dubie una fuga castra deseruissent. Eo terrore fugam stiterunt. Faustum hoc principium, omen erat universi certaminis. Interim sinistra acies juxta Nissavam, dextra ad radicem montis signum invadendi avide expectavit. Croyus in montem enisus, Janicsarorum cohortes, ordine, & loco movit, etsi fistulis, frameisque fortissime repugnarent. In sinistram aciem illati, eandem fortunam experti sunt. Undique pressi, atque in arctum compulsi, ad fossores fugam intendunt. Istorum custodes directis in fugientes sclopis cædem minantur, nisi in certamen actutum redeant. Ne suorum manibus impune sternerentur, timore, dedecoreque stimulati, Hungarorum legiones perumpere conantur. B)

A) Aloysius Ferdinandus Comes Marsilius, sive Marsiglius, Geometrices artibus multo clarissimus, de quo in Descriptione finium Hungariæ plura dabimus ad annum 1699. B) Hungarum equitem, & Palffianam legionem pedestrem, plurimum ad victoriam contulisse e Porta Ottomanica pag. 505. & sequent. intelligas.

A. C. 1689. Vis omnis prælii aliquamdiu in hoc latere deſæviit. Sed ſubmiſſis a Badenſi auxiliis, qua quisque poteſt, fugam per diverſa petunt. Multi in Niſſava tunc pleniore alveo fluente hauſti, multi ab equitibus in fuga trucidati. Nox pluribus ſaluti fuit. Turcarum partim aquis, partim ferro occubuiſſe dena millia memorantur, interque hos clari nominis Præfectos, uti e captivis equis animadverſum eſt. Inter ſpolia numerata ſunt triginta tormenta, grande vexillum, & vaſtum pulcherrimi operis tentorium Seraskerii; tria equorum millia cum grege boum, & camelorum. Multiplex item annona, victori in ea commeatuum penuria longe gratiſſima. Tanta victoria, quod mirum, ter centum gregarios, & Comitem Vehlenum Styrumianæ legionis Structorem abſumpſit. Urbs Niſſa altero die præſidium admiſit. Piccolomineus cum Hungarorum equitatu, & mille Germanis inſequi juſſus fugientes, cum paucos excepiſſet curſu fatigatos, per Bulgariam terrorem ſparſit. Multa oppida in deditionem prona præſidio occupavit. Raſcianos Græcæ religionis homines, qui tum temporis metu Cæſareorum deſertis ſedibus in avios, ſylveſtresque montes confugerant, in ſua mapalia reduxit, atque in fidem, tutelamque Magni Leopoldi accepit. Explorata longe, lateque provincia, tertia Octobris cum pecorum grege, ac frumenti copia, lætus in caſtra rediit.

Byzantii ad primum nuncium Niſſenſis prælii, cum ingenti terrore, & tumultu concurſus populi in aulam Imperatoris eſt factus. Clades non militum, ſed Præfectorum ignaviæ tribuitur. Caimacanes tametſi culpa nulla teneretur fruſtratæ expeditionis, tamen cum omni ſua familia in carcerem detruditur. Arebus Seraskerius reſte vitam finiit. In ejus locum Arab Regepus, qui anno ſuperiore Chalcidem contra Venetos defenſabat, evectus, Sophiam abiit, ubi reliquiæ profligati exercitus colligebantur. Vezirius Muſtaphas in exilium pulſus, haud diu poſt extinguitur. Hujus dignitatem Kiuperlis Muſtaphas obtinuit, nuper Caimacanes, nunc Chienſis inſulæ Prætor, gratioſus admodum apud Imperatorem Solymanum, quod præcipuum inſtrumentum fuerit mutatæ Reipubl. ut jam retuli. Fama eſt Vezirium Muſtapham paulo ante, quam loco dejiceretur, Kiuperli necem machinatum, miſſo Kapigio in inſulam, qui juſſu Imperatoris, caput expeteret. Kiuperlem dolum odoratum, Kapigio repoſuiſſe, ſe absque mora caput ſuum Byzantium, aut Adrianopolim allaturum, & magno Domino traditurum. Id cum non impetraſſet, quod unum licuit, per nuncios rei ſeriem expoſuiſſe Imperatori: ſtatimque diploma allatum, quo Vezirii dignitas eidem collata eſt. Vezirium Kiuperlem nihil acerbius in æmulum ſtatuiſſe, ſummæ moderationis exemplum exiſtimo; quod eo ſtudioſius hic commemorandum duxi, quo rarius inter barbaros tam nobilis victoriæ documentum reperias.

Badenſis ut victoriæ fructus ampliores legeret, relicto Piccolomineo Niſſæ cum quinis millibus Germanorum, Palffiana Hung. pedeſtri legione, & nonnullis ſignis Huſſarorum, reliquas copias ſexta Octobris Vidinum promovit, ubi Haſſanes quidam Danubium, Danubioque adſitas arces cum mediocri exercitu obſervavit, Tôkôlio Sophiam dilapſo. Sextis caſtris poſtquam in conſpectum hoſtis perventum eſt, utraque pars in aciem prodit. Spahii vix telis emiſſis, Sophiam verſus ſonipedes vertunt. Janicsari anceps certamen fecere. Vallis protecti continente fiſtularum diſploſione adeo noſtros urſerunt, ut ſolutis ordinibus ſiniſtrum cornu retroceſſerit. Veteranius cum dimachis pugnam redintegrat. Multa utrinque vulnera, multa paſſim cædes eſt facta. Jam ne duces quidem incruenti pugnant. Veteranius, Starembergius, Trautmonſtarffius ſauciantur: Baro Orlichius Pro-Tribunus conciditur. Demum dimachæ vallis potiti, Janicsaros partim in medio cædunt, partim in fuga diſſipant, ſimulque in oppidum irrumpunt. Multi oppidanorum conſcenſis navigiis (quinquaginta ripæ alligata erant) fugam maturarunt; alii cum Janicsaris ſe protinus in arcem recepere. Sed iſta quoque undeviceſima Octobris, Nicopolim deductis ſex mille quingentis

quin-

quinquaginta dediditiis, victoriæ accessit. Acri potius, quam diutino certamine duo millia Turcarum sunt cæsa, Cæsareorum quadringenti, & fere totidem vulnerati. A. C. 1689.

Post Vidinum Orsova, Novigradum a Tököliànis incensa, jussu Badensis meliorem formam, ac nova opera accipiunt; inprimis Novigradum, quod is locus peropportunus haberetur ad fabricandum A) pontem, quo in Valachiam trajici possent Cæsareæ copiæ. Aderant subinde Valachiæ legati Brailovius, & Logofettus, gentem suam in fidem Magni Leopoldi tradentes. Badensis has fere conditiones e mente Cæsaris tulit: *quindecim millibus partim equitum, partim peditum hyberna præbeant. Pro stipendio in septenos menses hybernos, octingenta millia nummorum Rhenensium.* B) *Singulis annis mille quingentos equos in belli usum, ea tamen moderatione, ut equorum pretium de summa pecuniaria decidi possit. Penes Principem rei civilis administratio illæsa persistat; populus libertate, juribus suis utatur.* Excusarunt Legati, sibi nullam potestatem a Principe factam qualescunque conditiones ratas habendi.' Sed Badensis nihil cunctatus, armatas legiones in alteram ripam traductas, ad Csernikium oppidum Valachiæ ostendit. Princeps deprecatus hyberna, nihil obtinuit, neque vim experiri ausus, novos hospites amice excepit. Ordinatis sapienter hybernis, ut præsidio sibi mutuo essent milites, Badensis Viennam profectus est.

Piccolomineus tribus legionibus, quas Vidino accepit, fretus, antequam stativa caperet, in hosticum procurrit. Mitroviza, Cassova, Kazianeka, ampla oppida Rasciæ, in deditionem extemplo veniunt. Scopia urbs ad limites Macedoniæ, divitiis, amplitudine non inferior Praga, at nullis munimentis firmata, a milite direpta est. Opulenta spolia ex officinis institorum egesta, uti & commeatus e civium domibus. Dein ignibus deletur. Reliquis oppidis nulla vis, nulla injuria illata, ut opinione clementiæ ii, qui munita loca incolebant, allicerentur. Dimissis in stativa Carolo Holsato cum equitatu, & Strassero cum peditatu, ipse cum sua, ac Styrumiana legione Pristinam C) sexta Novembris petit, urbem in aditu Albaniæ sitam. Ad visendum Heroem se omnis multitudo effudit. Archi-Episcopus, Patriarcha Clementinorum, civilis Magistratus obviam processere. Quinquies mille Epirotæ in suos ordines distributi ter solutis fistulis lætitiæ signa edidere. Postridie in fidem Cæsaris accepti hac tali conditione: *ut qui militare vellent, Cæsaris signa sequerentur; reliqui positis armis rus colant.* Archi-Episcopus omnium loco conditionem jure jurando firmavit. Sed mors Piccolominei paucis post diebus consecuta, quidquid prospere in ea regione est gestum, evertit, ut in principio anni sequentis dicturus sum.

Post tot luculentas victorias, D) & avulsam sine armis Valachiam, Ottomani rursum de pace agendum existimarunt. Sulficar Effendius, qui Viennæ adhæserat, tanto ardentius eam reconciliare adlaboravit, quanto pejore loco res Turcicæ erant a prælio Nissensi. Nec potuit vincere, quem e clade illa hausit, dolorem, quin ipso vultu proderet, simul tamen misere superbus. Rogatus familiariter, equid in tot malis potissimum deploraret Belgradumne, an Nissam, an denique Budam? *nihil omnium*, inquit *isto-*

rum,

A) Juxta rudera pontis Trajani, quibus assidet Novigradum, alias Fedislavia. Consule Tabulam locorum Christophori Weigelii post pacem Carlovicensem jussu Leopoldi Cæsaris elaboratam, ac juris publici factam. B) Duriora hæc pacta sunt, quam in principio hujus anni inita Viennæ cum Brankovaio (rectius fortassis Brankovichio) Principe Valachiæ. Sed hominis fides jam suspecta fuit, & reipsa paucis post mensibus ad Tökölium defecit. C) Urbs Pristina apud nonnullos Geographos Presten, & Prestina apellatur, diversamque positionem obtinet, nunc urbi Scopiæ anteposita, nunc magis ad Macedoniam projecta. D) Feraces victoriarum Leopoldo Imperatori, & Regi hi anni fluxerunt, ingenti emolumento Hungariæ, damno maximo Turciæ, cui unum fere, & nonaginta præsidia eripuit; ut ex vero illud Claudiani occini possit:

Altius haud unquam toto descendimus ense
In jugulum Scythiæ; tanta nec clade superbum
Contudimus Tanaim, vel cornua fregimus Istri. De bello Getico.

A. C. *rum, majus quiddam est, quod perdidimus, videlicet animos, quibus recu-*
1689. *peratis non exultabunt, neque efferent sese Christiani, amissa certe recuperabimus.* Rediit interea Byzantio cursor, quem ab Effendio missum meminimus, cum responso: Solymanum ita cessurum Transylvaniam, ut nullus unquam Ottomanorum Imperator vel ejusdem partem quoquo nomine ulla ætate possideat, modo Belgradum Temesia permutetur. Reliquas urbes sive in Bosnia, sive in Sclavonia captas, quo cædem, stragemque hominum, ac provinciarum redimat, perpetuo jure Cæsari permissurum. Non utilis modo, sed pernecessaria quoque pax videbatur plerisque belli consultoribus, quod moles belli Gallici in Imperio, & Italia in dies cresceret: verum celebratum illud toto orbe Belgradum, felix armorum progressus, spes Bosniæ subjugandæ, pacificationem abrupit.

Venetos omnia agentes, successus destituit. Revocatis Germanorum Principum legionibus ob bellum Gallicum, Respubl. nova supplementa in Italia scripsit, ac Helvetorum aliquot millia mercede conduxit. Hoc robur peditatus erat. Præfecturam armorum, cui deferret, anceps, posthabitis multis in eam spem erectis, Marchioni Gvadagnio gente Gallo, plurium stipendiorum veterano Duci (quippe sextum, & sexagesimum annum agenti, quorum majorem partem militiæ exegit) dedit. Sed Europæ opinionem fefellit Gvadagnius, nullaque re memorabili gesta, præfectura se sponte abdicavit anno insequente. In locum Francisci Morosini annis, morbisque fracti (septuagesimum annum supergressus fuit) Hieronymum Cornarum Dalmatiæ Prætorem elegit, rei maritimæ experientissimum; qui tamen hoc anno socium potius Morosini, quam Ducem expeditionis egit. Dalmatiæ præfecit Alexandrum Molinum. Postquam Chalcide frustra tentata discessere A) Veneti, Ottomani insolita lætitia triumphantes, Græcos in ea insula repertos non uno supplicio mactarunt, quod multi eorum nomen militiæ Venetæ dederint, ac majoribus odiis, quam Veneti Chalcidem oppugnarint. Tum quidquid tersum tormentorum ictibus in propugnaculis erat, summa cura, & festinatione integrant.

Equidem Morosinus, ut primum navigandi tempus aderat, armata navigia ad depellendas operas, ac obsidendam insulam dimisit; verum Turcæ jam quinque millibus pugnatorum portus occupaverant, & Byzantinæ naves idoneum ventum nactæ, Venetos celeritate prævenerunt. Quapropter consultius existimatum est, si omissa in præsens oppugnatione Chalcidis, Epidaurum (Italis Napoli di Malvasia) destinarentur arma, non diu, ut putarunt, obsidentibus restituram. Itaque ipso Morosino, triumphali sene, moderante classem omnis exercitus eo deportatus, urbem terra, & mari subito occlusit. Spem potiundæ urbis primis statim diebus Græci fecerunt, qui nimis quam cito desperata Epidauri defensione, aut quod verosimilius, præmii spe, noctu transmisso muro ad Venetos profugerunt, & quo loco res oppidanorum foret, Græcanica fide patefecerunt, uno ore affirmantes, obsessos dulciori aqua, & commeatu laborare, brevique in potestatem Venetorum sedentium, ridentiumque venturos.

Quam falsa isti narrarint, eventus docuit. Nam oppidani adeo strenui, pugnacesque urbem tutati sunt, ut Venetos adegerint oppugnationem in lentam obsidionem vertere, ac in alterum annum inter crebra certamina mænibus assidere. Cornarus ad exercitum delatus, dispositis tormentis, urbem bipartito terra, & aquis aperiendam statuit, habuitque initium sat prosperum. Sed subitum ejus discrimen omnes perculit. Dum enim opera cum Valierio, & duobus Equitibus Melitensibus perlustrat, in ipsum, comitesque ejus, vim magnam majorum pilarum effundunt obsessi. Extemplo Melitenses fœdum in modum discerpuntur: Cornarus, & Valierius e noxia illa ferri tempestate, cum vulnere pedem extulisse, in lucro posuerunt. Ejusmodi tempestate cum quotidie Veneti cum strage promptissimorum militum obruerentur, retractis copiis consilium ad moras verterunt,

A) Anno 1688.

runt, rati paucorum dierum inesse alimenta, & multum imbellis turbæ. Simul ex inopia proditio, & fluxa Græcorum fides, ac fortuita belli sperabantur. In continenti ad custodiam aggerum duo millia peditum relicta sunt; & ne mari navigaret annona, classis portum obsedit.

A. C. 1689.

In Dalmatia, ut in Peloponneso, nihil omnium e sententia cessit. Alexander Molinus Gabellæ, valido munimento, non semel insidiabatur. Ejus intercipiendi causa Narentam proficiscitur cum suo exercitu. Ottomanorum tria circiter millia pro Gabella sua pectora opponunt. Morlachi, veluti hesterni tyrones tum primum in aciem prodiissent, ad nudatos Janicsarorum acinaces animis concidunt, fugam arripiunt, ac Venetos in faucibus hostium destituunt. Molinus fuga sociorum parumper turbatus, deinde vetus miles, celeriter resumpto animo, nec timide, nec perturbate receptui canit. Ducis consilium in ea trepidatione præsentissimæ cladi Venetos eripuit. E postremo tamen agmine aliquot amisit; parumque abfuit, quin ipse caperetur, dum constantis Ducis, simulque fortissimi militis officio fungitur. Ex arena illa periculorum plena Narentam incolumes rediisse, grandis instar victoriæ habebatur. Nec aliud quicquam ad memoriam insigne in Peloponneso, & Dalmatia gestum. A)

In Polonia minore providentia; eadem, qua apud Venetos, mala fortuna bellum administrabatur. Equidem Rex præteritorum annorum peccata per publica Regni comitia corrigere multum desudavit, tantoque ardentius Nobilitatem ad procurandum bellum hortatus est, quanto luculentiora præteriti languoris detrimenta sub oculis omnium erant. Sed præter privatas querelas, offensionesque, nihil in commune collatum est, fluxeruntque comitia inter cavillos, & fastidia nullo omnino fructu. Adeo plerorumque animi a Rege, & armis, quæ tanta gentis Polonicæ gloria induerant, tractarantque in Austria, & Hungaria, aversi erant. Pax nihilominus e sententia meliorum Chamo negata; fortassis quod nihil magnopere a Tartaris metuerent, quibus sat negotii domi facessituri videbantur Moschi. Hac discordia & variæ clades acceptæ sunt, & recuperandi Cameneci occasio e manibus elapsa.

Hujus loci præsidiariis plurium mensium stipendia debebantur; neque Præfecto tantum æris publici aderat, quo vel paucos placare posset; liberaliter tamen omnia pollicitus, in aliud, atque aliud tempus militum postulata differebat. Enimvero illi longa expectatione fessi, & a quotidianis periculis, & a causa ferociores, non diutius ludificationem toleraturi, Præfectum vi adoriuntur, ac implacabiliter obtruncant; Agam quoque, languidius eorum commodis prospicientem, pari furore interficiunt. Occisorum opes stipendiorum loco fuere. Nihil deinceps pacate, nihil e disciplina militari in præsidio actum. Nota hæc erant Polonis; at dum inter se discordes lente coeunt, & paratus faciunt, Camenecum resipuit. Namque Chamus Tartarorum, de rerum statu anxie commonefacto Solymano, pecuniam, commeatus, & novum Gubernatorem feliciter præsidio intulit, militemque in disciplinam veterem redegit. Repentinum Cameneci discrimen permovit Soltanum, & Vezirium, ut æris, annonæque subsidium iterum, ac tertium festinarent, ne quid turbarum ex inopia oriretur. Jam vehicula inter agmen Janicsarorum frameis, sclopisque densum, Cameneco propinquarunt, cum Turbalchus gente Valachus, celebris apud Polonos excursor, suos ex insidiis educit, ac itineri magis, quam prælio intentos, uno impetu fundit. Tres, & viginti cum præcipuo Ductore, eoque lethaliter saucio, vivere permissi, cæteri concisi: carri annonarii, & centum millia florenorum in spolium cesserunt. Tartari non multo post meliore fortuna aliquot plaustra alimentorum duxere, at in reditu quingentos boves amittunt. Sed iidem bis prolata populatione Leopolim usque, amissa cum fœnore receperunt.

A) Foscarinus Lib. VII. & Porta Ottomanica.

A. C. 1689. Menſe Majo e ſtativis movit Leopolim Polonicus miles, ubi caſtra deſignata. Nuncius Pontificius, ut ne penuria rerum expeditio conciderer, ſuo ære frumentum mature coemit, & navigia, ſi Tyras fluvius trajiciendus foret, conſtituit. Majus, Junius, Julius nullo operæ pretio fluxerunt, quo tempore cum nullus uſpiam hoſtis in campo eſſet, Tartaris in Moſchum verſis, aut Camenecum confici, aut certe Turcica Valachia percurſari poterat. Sub medium Auguſti menſis, Polonorum Duci potiundi Cameneci ſpes facta eſt a Tartaris Lipkovienſibus, Ukrainæ incolis, qui nunc Polonis, nunc Turcis obnoxii, nunquam bona fide uni populo adhærent, & illa tempeſtate apud utrumque merebant. Ex horum fece hominum quidam, ſpecie transfugii, Polonorum caſtra ingreſſi, expoſuerunt Duci: Cameneco tenue præſidium ineſſe, excubias agi ſegnius, ac belli tempore, noctu facile ſuperari poſſe muros. Si Poloni conſilium ſequi vellent, oſtenſuros ſe locum, quo ſine tumultu, ſine militum cæde, ſecurum aditum in urbem habeant. Spe vana occupatus Dux, ipſe rem aggreditur. Decima quarta Auguſti, aliquot millia equitum levioris armaturæ in expeditionem deſtinat, ſparſo rumore ad arcendum populationibus hoſtem, qui ſylvam Niedoborienſem inſediſſe nunciabatur, eam manum exituram.

Interim concubia nocte rapidus Camenecum verſus proficiſcitur, mille peditibus celeritatis cauſa juſſis equos conſcendere. Ductorum ſive perfidia, ſive errore factum, ut non niſi clara jam die deſignatum ad locum perventum fuerit, magna utique Polonorum indignatione ſe, ſuasque inſidias detectas dolentium. Ergo diſcrimine in audaciam verſo, apertam oppugnationem intentant, ut nempe ejus urbis victoria non jam furtivæ aggreſſioni, ſed Polonorum virtuti deberetur. Primi Lithuani (nam univerſus exercitus ſtrenue ſequebatur) initium oppugnationis fecerunt, adverſus novum munimentum a Turcis poſitum. Ne vero ipſi paterent injuriis procurrentium, aut Tartarorum caſtra infeſtantium, bina caſtella terrea, ingentis molis eduxerant, tormentis valide communita. Factis aggeribus, viisque obſidionalibus, adeo cuncta ad vota Polonorum ceſſerunt, ut ſexta Septembris aſſultum pararent eo confidentius, quo præſidiarii per eos dies languidius repugnarunt. Sed una eruptio plurium dierum opera ſolo æquavit, & obſidentium animos penitus afflixit. Eodem enim, quo Poloni aggreſſionem adornant, die, Gubernator flore præſidii velut in aciem educto, Lithuanorum ſtationem, quanta nuſquam alias ferocia invadit, maximam eorum partem celerrime obtruncat, tormentarias ſedes disjicit, machinas partim clavis configit, partim aquis mergit, fortium in primis Præfectorum cædem patrat, uno alterove amiſſo, victor in urbem redit. Fractis Polonorum animis, propinquus Tartarus diſceſſum imperavit. Vix illi Cameneco abierant, rurſum Podoliæ oppida arſerunt. A)

Majori ſtrepitu, caloreque Martio ad arma proſiliit Moſchovia; principium felix, exitum admodum triſtem ſortita. Ut una Confœderatorum voluntate pacem rejectam, bellum reſumptum intellexit Petrus Moſchorum Czarus, ſumma induſtria machinas, annonam, aliosque paratus immenſis copiis, quas e vaſtiſſimis ſuis provinciis exciverat, neceſſarios, in Ukrainam, ſive Kioviam Moſchoviticam comportari jubet. Nondum in exitu hyems erat, & jam ter centena millia armatorum præter calones, lixas, quive lucri cauſa caſtra ſectantur, mercatores, ad Samorem fluvium caſtra tetenderant. Numeroſo exercitui Baſilium Galiczinum genere, fama, divitiis, & multa Principis Sophiæ, Petri ſororis, gratia florentem, præficit, qui ſuperioribus quoque annis, copias moderabatur. In Tartaros Ottomanicæ ſocietati annexos hanc tempeſtatem incubituram, nemo ambigebat. Selymus Gierius Crimææ Regulus, haud inferiore contentione vires, & auxilia ad

A) Lengnichius admodum jejune expeditionem Polonorum perſecutus eſt. Placuit illius verba huc transferre: „bellum, inquit, continuatum minori vi, nulloque ſucceſſu, cum ſupremus exercitus Dux Camenecum ex improviſo capere fruſtra conatus fuiſſet.„ Porta Ottomanica ampliori narratione eam explicuit.

ad primum rumorem Moschoviticæ tempestatis contraxit. Nuradinem, & Galgam, quos Tôkôlio spoponderat se missurum, sive ad Daciam, sive Hungariam turbandam, cum omni equitatu domi retinuit, paucis solummodo turmis in subsidium Cameneci missis. Legationibus quoque Solymanum Imperatorem fatigavit, opem adversus Moschorum vim anxie flagitans. A. C. 1689.

Nec omisit hostium vires aliis, atque aliis nunciis augere, quo celerius importuno illo tempore quidpiam auxilii extundat. Egerunt isti gnaviter universæ gentis causam apud Imperatorem, & Purpuratos; ajebant inter cætera: *Turcarum felicitatem adeo esse conjunctam cum Tartariæ salute, ut hac afflicta, illa haud diu constitura sit. Nam si Moschus vel in Crimæa pedem figat, partemque legionum obmuniat, maritima oppida, & in primis Constantinopolis ipsa, usque adeo assiduis excursionibus, populationibus infesta habebuntur, ut nemo Byzantinorum sine aperto vitæ, fortunarumque discrimine sive mari, sive terra iter facturus sit. Non se continebit intra nativam Crimææ penuriam; amœnitate Byzantini agri inescatus, vobis gravior, quam nostræ paupertati erit. IN DESERTA, & fere humano cultu vacua regione, belli præmia nemo hostium quærit, aut invenit. Vestræ divitiæ, vestræ opes hostem in steriles campos Tartariæ alliciunt, nisi maturum auxilium tuleritis, hybernis adhuc mensibus cum certissima civium, & totius Imperii pernicie diripientur. In alieno solo non tutius modo adversus potentissimum hostem, Imperium, opes, liberos, conjuges vestras, tuebimini, sed gloriosius etiam ab interitu vindicabitis, quod simul pro focis, & aris eorum dimicaturi sitis, qui religione, armorum societate, a primis annis Ottomanici dominatus* A) *vobis conjuncti, vestræque fortunæ innexi erant. Bellum nullum per tot annos suscepistis, nullum sine nostro milite victoria terminastis. A ferali armorum strepitu, a vulneribus, a sanguine nunquam vestri causa abhorruimus; imo ad nutum cujusvis Imperatoris in aciem exire, pectora hosti offerre, vitam cum sanguine fundere alacres gestivimus. Ut in posterum quoque socios utiles, eosque perpetuo fidos in nobis habeatis, vestræ nunc potestatis est. Non petimus, ut universis viribus in Moschum agatis. Ubi summa belli consistet (consistet autem in Servia) ibi nervus, ibi robur vestrarum legionum sit, oportet. Nobis pauca millia Janicsarorum sufficient, & jam Turciæ Imperium extra Turciam fortiter defensum, hostium res valide impulsas, ipsamque Moschoviam tristibus flammis involutam, lætis nunciis accipietis.*

Nondum profligatæ erant Asiaticæ turbæ, quas supra recensui, dum Selymi Legati auxilia petitum Constantinopolim venere, periculum Crimææ, & Byzantii sive metu, sive sponte in majus augentes. Itaque ingens pavor, atque mæstitia omnium animos incessit, conferentium veterem fortunam Imperii cum præsenti; tantum eam retrocessisse, ut qui ante annos non multos, florentissimum exercitum Viennæ admovissent, captis tot urbibus Hungariæ, ii verso Marte, exuti omnibus fere præsidiis, & Servia, agrorum suorum populationem e propinquo, & fortassis etiam obsidionem sui Byzantii visuri forent; juventutem Ottomanicam tot infelicibus præliis prope absumptam; externis bellis domesticas seditiones accedere, ac turbas e turbis quotidie nasci; Tartariam non populatoria manu uri, vastarique, sed justo exercitu (& fama B) fuerat jam in Crimæam Galiczinum irrupisse) Moschorum insideri, Imperio prope collapso hostem multitudine hominum ferocem, veterique odio inflammatum imminere, nihil usquam spei, nihil auxilii

A) Id velim intelligas de Europæo dominatu. Neque tamen exploratum, quo anno Tartari cum Turcis societatem armorum inierint. Vix aberravero a vero, si dicam sub Mahomete II. Constantinopoleos domitore, gentem utramque coaluisse, ac prope in unum imperium concessisse. Certe jam Solymano II. rerum potiente, eos ex imperio Turcarum eruptiones fecisse in provincias Prncipum Christiani nominis, planissimum fit e Legatione Hieronymi Laszkii. Vide Adparatum ad Hist. Hung. Dec. I. Mon. IV. pag. 176. Bellum inter utrosque obortum narravi ad annum 1625. pag. 2.

B) Prona est timori semper in pejus fides. Sen. Herc. Furen. A. II.

A. C. auxilii domi, forisque reperiri. Nec respiratum est per eos dies, etsi Mo-
1689. schum in Ukrainam tendere speculatores affirmarent. Multi ergo deserta urbe veluti propediem in alienam potestatem ventura, alio commigrarunt. Nec fuga sisti poterat, donec Vezirius armata navigia Pontum Euxinum percurrere, atque ad tuendam Crimæam proficisci jussisset, tum demum intellexere Byzantini, mare ab hostibus vacuum, nec tam propinquum periculum urbis, ut terrore magistro didicere. Quantæ vero pedestres copiæ? quo Duce? Tartaris in auxilium datæ fuerint, perinde obscurum est, ac locus Trurobæ, ubi pugna commissa, & post pugnam Tartaris adversam, urbis Pernoki obsidio. Ego tametsi tabulas regionum, singulari industria Christophori Weigelii confectas, non indiligenter consuluerim, oleum tamen, & operam perdidi. Quod & alias persæpe mihi accidit, sinistro sane Apolline, & non parva temporis jactura. Commemorare hic illud volui, quod in exordio hujus Historiæ olim egi, quo prudentes, & ejusmodi tædiosi laboris gnari Lectores, facilius veniam mihi concedant, si diversa ab his, urbium, aliorumque locorum nomina in Geographicis descriptionibus legerint. Sed narrationi, unde digressi sumus, insistamus.

Galiczinus haud diu cunctatus in Ukraina, mense Majo minorem Tartariam ingreditur. Conspecto armatorum exercitu, incolæ fuga arrepta cum pecoribus, & plaustris suis, quæ præcipuæ gentis divitiæ, A) in Crimæam se trepide contulerunt. Selymus ad Isthmi angustias equitatum suum tenuit, dum peditatus Turcicus conjungeretur. Posteaquam ille adfuit, non dubitavit extra angustias progredi, ut vel decerneret prælio, vel si detrectaret Moschus certamen, quod plurimum intererat ad suorum animos, timoris confessionem exprimeret. Ut aciem admoveri vidit Galiczinus fretus multitudine, illico signum pugnæ prope Trurobam B) proposuit. Raro alias firmiore gradu hostium impetum sustinuere Tartari, sive patriæ amor eos stimulaverit, sive a Janicsarorum fortitudine animos sumpserint. Sed peditatu, primo nempe virorum robore, partim conciso, partim perturbato, levissimi equites per Isthmum in Crimæam fugerunt. Pertinacis pugnæ strata cadavera totis campis, indicium fuere. Quatuordecim Tartarorum, sex millia Janicsarorum illo certamine dicuntur occubuisse cum Chami filio. Bis centum nobiliores Tartari capti, & signa militaria in Moschoviam sunt missa ad illustrandam victoriam. Quanquam ista haud sane incruenta Moschis cesserit, cum octona millia cæsorum numeraverint, nec pauciora vulneratorum. Galiczinus successu ferox, fugientem hostem in Crimæam persecutus, militem suum ad oppugnandum oppidum Pernokum, ut vult Scriptor Ottomanicæ Portæ, confestim ducit. Jam muri magno hiatu procubuerant, jam vallum oppidi, ramalium fascibus expletum erat, cædemque proximam obsessis aggressuri intentarant, cum inopinatus rumor castra pervadit; Chamum omnem Juventutem Crimææ excivisse, revocatis a prima consternatione animis, incolas ad arma recurrisse, jamque si minus numero, virtute tamen pares, magnis passibus in Moschum ferri, conclamatum esse de exercitu, nisi castra tutiorem in locum transferantur ante, quam hostes viam intercludant.

Vix castra moveri sunt cœpta, adest Chamus cum omnibus copiis. Ingens tumultus, ac trepidatio inter Moschos oboritur. Agmina ad iter magis, quam prælium composita, accelerato gradu hostem evadere unice contenderunt. Multi, qui inter postremos ierant, ad conspectum Tartarorum, desertis signis, abjectis impedimentis, armisque festinandi studio,

primi

A) Eleganter Poeta:

> Nulla domus; plaustris habitant; migrare per arva
> Mos, atque errantes circumvectare penates. Sil. Ital. L. III.

B) Sic Porta Ottomanica, quem locum alio nomine appellat Prezicop, fortassis Precop, sive Precopia; aliis Taphræ, item Or, in ipsis Isthmi angustiis urbs. Unde conjicias eidem loco diversa nomina dari, atque inde rerum confusionem apud Geographos, & Scriptores nasci. Quis enim has lites finiat?

primi fugientium erant. Ipsi Præfecti cum frustra festinantes sistere conati, nec imperio, nec auctoritate, nec precibus valuissent, de fuga magis, quam pugna ad extremum cogitarunt. Selymus animadversa Moschorum trepidatione, sequi jussis Nuradine, & Galga, ipse pinceps inter equites, cum turma sua quantum potuit, effusissimis habenis hostium postremos invadit. Nemo pugnandi causa restitit, tantus pavor universos occupavit. Passim itaque cædebantur fugientes, ut adeo illa die vicena millia occisa fuerint, quinis pauciora capta cum septuaginta tormentis, & pleraque supellectili. Hæc postrema clades tantopere animos Moschorum infregit, ut quinquennali spatio, veluti lethargo correpti, nihil uspiam in hostem tentarint. Qua intempestiva cessatione rebus Cæsareis, Polonicisque plurimum detrimenti illatum. Neque Tartari per eos annos irritandos duxerunt, maxime quod tritam illam, & spoliorum feracem Hungariæ, Transylvaniæ, Poloniæque arenam præ sterili Moschovia, ut tum erat, repetere gestirent. Et vero pulso e Tartaria Moscho, quasi pax firma inter utramque gentem constituta foret, omni mora seposita, in Poloniam, inque Serviam ad sua ministeria, id est populationes, incendia, certatim convolarunt. Tandem excusso lethargo anno MDCXCV. grandi exercitu armata Moschovia in campum prodiit, spesque Confœderatorum redintegravit. Sed urbs Assovia, quam bini Duces Szermetus, & Mazeppa circumvallarunt, eas momento evertit. Verum de his suus agendi locus erit, nunc reliquum belli, id est anni nonagesimi supra millesimum sexcentesimum fortunam persequamur.

A. C. 1689.

Currente anno MDCXC. fortuna belli, ut nunquam perpetua, aut semper bona est, Magno Leopoldo Cæsari vultum illum, quo eatenus aspiraverat, irata non semel subduxit. In Servia primum tertia Januarii, A) tum in Transylvania variavit, & hostibus benignior fuit. Res ita habet. A morte Piccolominei, hostes animis creverunt, maxime Tartari, qui illustri potiti victoria in patria sua, non minorem se obtenturos sperabant in Servia, ubi tenuior miles Cæsareus, & incolis invisus, ob tributorum acerbitatem, populationes, rapinas, belli comites. Auxit spem Strasserus Tribunus, homo inconsulte ferox, id temporis pro ægrotante Principe Holsato perpaucis copiis impositus. Jubetur iste a Veteranio B) per literas, remotiores stationariosad Kazanekum retrahere, fauces vallo, & operibus obmunire, omnique abstinere certamine, dum Piccolominea equestris legio subsidium ferat. Nihil e præscripto egit, more videlicet eorum, qui aliena consilia quasi compedes gloriæ suæ accipiunt. Interim vicena Tartarorum millia per oppida Cæsareæ ditionis grassantur, pecora, hominesque abigunt, hybernantes e stativis depellunt. Strasserus etsi hostium numerum per transfugas, & captivos intelligeret, quia tamen alii minorem referebant pro Ducis ingenio, cum tribus circiter armatorum millibus Kazanekum C) provolat, id unum metuens, ne sine prælio hostis dilaberetur. Aciem sat tuto loco instruxerat. Nam a tergo montis angustias, ad latera paludem habuit. Sed ferocius, quam consultius, in apertum campum instructos ordines promovet, Hannoverano Principe frustra ab incepto temerario dehortante. Vix primi in planiora emerserunt, continuo a circumfusis Tartaris urgentur, pars peditatus, & duo equitum signa, quæ ad firmanda latera evocavit Strasserus, loco moventur. Quatuor castrensibus machinis acies restituta est, & pernicies dilata. Animadversa iniquitate pugnæ, ut ne pecudum ritu contrucidati impune caderent, aut in vincula conjecti, diu infelices essent, necessitate vires acuente, ordines condensant, septem horis fortissime repugnant. Futurum erat, ut in barbaris multo major ederetur cædes (quinque millia interempta postea est cognitum) &, quæ vis erat desperationis, Germani vincerent, si plumbeæ glandes suffecissent.

1690.

A) Alii ad primam Januarii referunt cladem imprudentia Strasseri acceptam: fortassis quod ea die Cæsarei expeditionem occeperint. Cæterum infelix pugna biduo post accidit, ut Ephemerides Leopoldinæ docent. B) Quidam expuncto Veteranio Principem Holsatum nominant. C) Varii variis nominibus hanc arcem afficiunt, nunc Katianekam, Kaszinko, nunc Kazanekum, & Cazinkum leges. Haud procul Pristina, & Scopia abest.

A. C. 1690. cissent. Ut prompti sunt gladii, strages fuit. Duo millia, ducenti, & quadraginta in arena ceciderunt, cæteri capti, paucis intra cumulum cadaverum latitantibus, deinde elapsis. Strasserus temerarii certaminis author inter primos occubuit. Carolus Hannoveranus adolescens impiger, & strenuus novem hostibus sua manu trucidatis, lancea trajicitur. Eodem lethi genere perierunt Comites Gronsfeldius, Kollonicsius, Aursipergius, junior Styrumius. Piccolominea legio sociorum cladis ignara; fere Kazanekum postridie tenuit. In itinere a victore Tartaro impetita in noctem usque protrahit pugnam. Sub primas tenebras citato itinere Pristinam, dein Nissam reversa e pedicis illis feliciter semet evolvit. Arx Kazanekum in iis rerum angustiis hosti deditur. Centum quinquaginta Germani, bona fide Nissam dimissi, Rasciani, Bulgari concisi sunt. Ex aliis quoque minoribus præsidiis summa celeritate præsidia deducuntur, ne per infidam regionem sparsæ vires, dolo incolarum, aut vi Tartarorum opprimerentur.

Secundum hanc victoriam Chamus, late pervagatus provincias, cædibus, & incendiis aperta oppida intempestivo, sævoque ultionis genere evastavit; in primis vero Rascianorum, & Bulgarorum, quos ad Leopoldum aut jam transiisse, aut proxime transituros constabat. Partem quoque suorum in Valachiam immisit, ut Tôkôlio aditum aperirent in Transylvaniam. Unde Heislerus militem suum e Valachiæ hybernis, ad limites Daciæ movere coactus est, neque Veteranio pro Serviæ salute desudanti auxiliari potuit. Arctæ admodum res nostræ erant, multorumque sententia fuit, excedendum omnibus præsidiis Serviæ, excepto Belgrado. Contra Veteranius, ne palmum quidem terræ cedendum hosti sine prælio existimavit, idque potissimum cavendum; indicium timoris, ut ne præbeatur. Verum successu elatus victor cum undique instaret, incensis, eversisque munimentis, ad Jagodinam, & Moravam copias retrahere necesse habuit. Nissam tamen propemodum fame enectam annona, & milite firmavit. Provinciali præterea militi statum panis dimensum dari jubet, ne alimenti petendi ergo ab signis discederet. Quendam Antonium Rascianorum Ductorem ad suos populares, metu Tartarorum dilapsos, conquirendos in Rasciam dimittit. Multi ad signa redeuntes, secundas postea excursiones fecerunt. Adrianopoli, & Byzantii Kazanekensis victoriæ nuncius tanto majori gratulatione exceptus est, quanto eam Chamus Scythico mendacio illustriorem depinxit. Ausus est homo impudens jactare: se cum decem Germanorum millibus acie conflixisse, neminem unum effugisse, supremum exercitus Ducem occidisse. Ad fidem tam lætarum rerum Principis Hannoverani corpus, & capta equestria, pedestriaque signa Adrianopolim misit Imperatori. Præsenti lætitia occupati animi, priorum cladium oblivisci videbantur. Supplicationes toto imperio habitæ, munera ad fanum Mahometis liberaliter missa, festi ignes accensi, quis animorum habitus foret, satis prodiderunt. Kiuperlis Vezirius, hybernæ ejus expeditionis author, veluti fortunam armorum sua in potestate unus haberet, nihil, quo vanum fieret gaudium in ea communi omnium lætitia, auribus admisit, debellatumque mox fore ratus, si paululum adniterentur, ad faciundos paratus curas convertit.

Rem pecuniariam, quæ pejus aliquanto habebat, ac sub Mahomete IV. ut quoquo modo instauraret, de terrestribus, maritimisque vectigalibus quæstionem instituit. Quos publicus peculatus impune paverat, eorum possessionibus ærario illatis, loco movet, largitionum nomina in aula Imperatoria extinguit, lautiorem ministrorum numerum, horumque stipendium, & inutiles pompas minuit, ut omnia fere necessitatis modo finirentur. A Quæstoribus ærarii repetundarum reis, septingenta millia nummorum Rhenensium extorquet, pro argentea cupream monetam inducit. Luxum castrensem severo edicto proscribit. Ipse frugali victu contentus, cunctis in rebus modestiæ exemplum præbet. Camelorum loco, clitellarios mulos adhibet, tentorio multo angustiore, atque alii Vezirii, utitur, toto Imperio legem promulgat, ne quis Armenis, Græcis, aliisque Christianis

ſtianis gravis ſit, neve Quæſtores novis tributorum nominibus eos divexent A. C. Noverat enim acerrimum telum ad rebellandum tributa eſſe, dum graviora 1690. populis aliunde commotis imperantur. Hæc ſolerter agens, conjuratione quorundam aulæ miniſtrorum propemodum periit, in quam certatim nomina dederunt, qui peculatu ærarii, id eſt: Imperii ruinis ſuam ambitionem, & rapacitatem alebant. Kislar Aga conjuratorum caput erat. Placuit iis ad declinandam invidiam, clam cædem perficere. Deligitur miniſter ſceleris, Vezirii cocus, ſplendidis promiſſis in partes attractus, qui epulis venenum infundat. Sed dum de genere veneni conſultant, ne nimium præcipiti facinus proderetur, aut lento diutius, quam vellent, vita differretur, indicium ſceleris per ipſius Kislaris aulicum ad Vezirium prolatum eſt. Cocus crimen confeſſus e faſtigio turris A) Adrianopoli dejicitur. Kislar Aga in carcerem datus omnibus fortunis evertitur; ſocii alii exilio, alii morte plectuntur. Ampliſſima præmia penes unum proditorem erant. Tanto diſcrimine defunctus, multo alacrior ad intermiſſas curas regreditur. Bellum juxta Danubium conſtiturum ſive pro Servia, Valachia, aut Tranſylvania dimicaretur, prævidebat; idcirco ut flumen ſua in poteſtate teneret, claſſem, quanta nondum Danubio natarat, conſtituit. E Ponto Euxino, quas in Crimæam miſit, bellicas accerſit. Minores triremes, vulgo Brigantinæ, centum quinquaginta, quarum ſingulis claſſiarii centum quinquaginta, remi triginta, ſex colubrinæ; magnam præterea vim Saikarum ædificat. Claſſi parem Imperatorem dedit Mezzomortem, qui ſæpe ex maritimis hoſtibus Algerii triumphavit, & poſtremis his annis Ottomanicæ claſſi in mari Ægæo præfuit.

Hic eſt ille Mezzomortes Algerii Begus, celeberrimus pirata, quem cives ob barbaros mores, & nimiam ambitionem exilio mulctarunt. Notus jam erat Byzantinæ aulæ maritimis expeditionibus, multoque honore a Solymano acceptus, Architalaſſus renunciatur. Verum Algerienſes cum horrerent hominem crudi, ſeverique ingenii, precabantur Solymanum, ne ſe turpiſſimo Tyranno, & nunc recenti injuria irritato ſpoliandos, mactandosque objiciat, ſubſtituat pro eo quemcunque alium e Purpuratis, advolaturos ſe plenis velis, promptis animis; ſecus nullam navim ex Africa venturam. His motus Imperator Danubianam claſſem ei commiſit, eo quidem libentius, quo majora emolumenta ex Africanis ſperabat. Poſt claſſis apparatum Chamum victorem, & Tôkôlium Adrianopolim per Chiauſios evocat Vezirius. Menſe Februario uterque adfuit. Chamo uti nuper per literas, ita in præſentia coram Purpuratis, magnificis verbis victoriam gratulatur. Tôkôlio Tranſylvaniæ Principatum donat, ſed quem armis ſuum efficiat. Huc nempe ſpectabant Vezirii conſilia, ut hominem novas dignitates in ſingulos dies ſomniantem, ad miſcendam patriam inflammet, ægre faciat Apaffiis Cæſari addictis. Typus poſtea expeditionis in hunc annum, inſigni prudentia conſultorum in ſecretiori Senatu deſcriptus eſt. Satius exiſtimarunt, præter morem Turcarum, copias plura in agmina dividendas, ut pluribus locis diſtenti Cæſarei paucitate ſua vincantur. Tôkôlius quanto poſſet maximo tumultu Tranſylvaniam petat, Seraskerius claſſe Danubium frænet, Vezirius cum majore exercitus parte recta in Serviam contendat. Probato conſilio magni delectus ſupplementorum fiunt, copia frumenti, pabuli, ſupellectilis bellicæ, vehiculorum, & jumentorum comparatur. Caſtra ad Adrianopolim figuntur.

Caniſam interea lenta obſidione preſſam Comites Adamus Battyanius, & Stephanus Zichius Leopoldo Regi aſſeruerunt, nequidquam magnis exercitibus alias fatigatam. Cinxerant eam cum Hungaris, & Croatis, quive Albam Regalem ceperant Germanorum centuriis. E literis interceptis cognitum fuit, obſeſſis & annonam, & animos defeciſſe. Compellatus de dedendo præſidio Gubernator, non difficilem ſe præbuit, modo liceret Viennam Legatos mittere, qui cum ipſo Imperatore tranſigant. Miſſi tres Præfecti,

A) Porta Ottomanica ait more gentis eum punitum.

A. C. 1690. ſecti, conditiones, quas petierunt, impetrant. Decima tertia Aprilis ſexcenti armati, ter mille alii cum omni ſua ſupellectili, nonaginta annorum poſſeſſione deceſſerunt, ſecundoque Dravo devecti ſunt. Meminit Porta Ottomanica: Gubernatorem ſenilibus morbis fractum, & tum amiſſi præſidii mœrore dejectum, non leviter offenſum, quod ipſe, dum claves traderet, pedes adſtaret, Battyanius equo veheretur, rogaſſeque per interpretem: *equid valeret Battyanius? num valetudinis cauſa equo uteretur?* hunc repoſuiſſe: *ſe recte habere, ſimulque meminiſſe, & Magni Cæſaris, & victoriis ſe miniſtrum eſſe.* Unde conjicias, quam tenaces, cupidique honorum ſint Ottomani, qui victi, & in media fuga, nihil arrogantiæ amittunt. Cæterum lautum convivium a Battyanio appoſitum, omnem offenſionem diluit.

Lætitiam deditæ Caniſæ mors Michaelis Apaffii Tranſylvaniæ Principis turbavit. A) Deceſſit is Fogaraſini quinta decima Aprilis ætatis quinquageſimo octavo, initi Principatus viceſimo nono. Felix diuturno imperio Princeps! multo autem felicior aſſerta libertate Daciæ, quam cum Ottomanis ſtipendiariam a Majoribus accepiſſet, liberam, firmatamque in filium ſuum Michaelem tranſtulit, qui ſexto ante Parentis obitum anno, in publicis Comitiis Princeps Tranſylvaniæ Ordinum ſuffragiis delectus, inſignia Magiſtratus ſceptrum, & vexillum a Mahometis IV. Imperatoris Legato accepit. B) Nemini jam dubium erat, Tökölium huic provinciæ diu inſidiantem, omnem vim, artesque omnes exprompturum, quo novum Principem paternis fortunis evertat, ſibi dominatum aſſerat, Turcarum favore delatum. Monetur adeo Heislerus ab aula: novum Principem conſilio, armis adjuvet, Tranſylvanorum Procerum animos ſibi, militique comitate ſua conciliet, omnem curam intendat continendis in ſua cujusque ſede, & officio præſidiariis; rapinas, furta ſeveris pœnis coerceat, ne populus ingenti cum actura cœptæ amicitiæ irritetur, meminiſſet FACILE ignem concipere, quæ haud pridem extinctæ ſunt, faces. Præſidiis, in primis limitaneis, proſpiciat, aditus Tökölianis emiſſariis obſepiat. Denique in tam manifeſto diſcrimine provinciæ, arma e manibus, veluti in acie ſtaret, non deponat. Ille ordinata provincia, verno tempore Trautmanſtorffium cum octo legionibus ad Veteranium mittit, cui gravior hoſtis imminebat. Uſus eſt Veteranius perdiligenter hac militum manu in muniendis Niſſa, Vidino, Orſava, dum per hoſtium ceſſationem licuit.

Cenſebantur porro in Hungaria legiones equeſtres undeviginti, pedeſtres quatuor, & decem, ſed adeo imminutæ, ut pleræque infra dimidium decreverint. Nec ſtipendiarias a Principibus copias conducere licuit, Gallo Imperium, Italiam permiſcente, & ſi maxime licuiſſet, nervus pecuniæ deerat. Ea cauſa ſupplementa quoque vel nulla, vel non alias tenuius ſcripta. Difficillimam itaque rationem defendendi belli (arma inferre nulli cordato in mentem venit) Cæſarei habuere. Atque hæc cauſa fuit, cur Princeps Badenſis victoriis inclytus, præfecturam armorum admittere cunctaretur, non ignarus, quam multa undique deficerent, quamque non æquis viribus cum prævalido hoſte res futura ſit, ſibique demum omnem calamitatis invidiam exhauriendam. Sero in caſtra C) delatus, nempe octava Auguſti ut vult Ottomanicæ Portæ Scriptor, majores, ac opinabatur, difficultates reperit. Eo abſente ad Jagodinam Cæſarei caſtra locant. Hoffkirchius ab Savo, Heiſterus cum ſuo agmine Orſava revocantur, relictis ſeptingen-

A) Continuator Philippi Brietii pag. 979. non uno errore lapſus eſt, dum in hunc modum ſcribit: „alia, non mœrore, ſed Catholicorum jubilo, morte elatus eſt Hermanſtadii Michael Apaffius Tranſylvaniæ Princeps, Cæſari ad extremum uſque ſpiritum livido furore infenſus &c.„ quam aliena a veritate hæc ſint, e decurſu Hiſtoriæ noſtræ elucet. Condonandum iſtud homini extero non perinde inſtructo literaria rerum Hugaricarum penu, ac voluntate ſcribendi. B) Anno 1684. duodevigeſima Septemb. Albæ Juliæ, ſive Carolinæ. C) In exitu Auguſti menſis Badenſem in caſtra adveniſſe lego in Hiſtoria Magni Leopoldi.

ptingentis præsidiariis, quibus, si res Transylvaniæ ferant, auxilio adesse A. C. jussus est Heislerus. Vidinum, Nissam novi præsidiarii injiciuntur. 1690.

Ad extremum mensis Julii ternis exercitibus Kiuperlis Mustaphas Vezirius expeditionem inchoavit. Primum ipse Sophiam adduxit septuaginta circiter armatorum millium; alteri, sive Classiariorum, Seraskerium cum Mezzomorte præfecit; Tôkôlius tertio præerat. Hisce copiis, Ducibusque brevi tempore multa feliciter gesta sunt. Cæsarei quam in partem se verterent, multum deliberarunt. Neque enim ultra decem millia probi militis numerabant in castris, cæteris per præsidia dispersis. Ut ne paucitatem hosti proderent, iisdem in castris se continuerunt. Primus Tôkôlius superato Danubio cum Spahiorum septem, suorum trium, Tartarorum sex millibus, Valachiam amicam sibi regionem intrat, atque assumpto in belli societatem Principe, exercitum auxit quatuor millibus Valachorum. His copiis stipatus, per invios saltus, agrestium ductu Transylvaniam petit, datis prius ad Proceres provinciæ literis, queis significavit, se Principem Daciæ a Solymano Imperatore renunciatum; suum adventum nulli mortalium noxium futurum, nisi armatis. Hortabatur deinde universos, ut Apaffium Germanorum injuriis opportunum, loco, & dignitate quamprimum moveant; Turcicum præsidium sine tergiversatione admittant. Ne detrectarent obsequium, atrocissimas minas addit. Gravis utroque nomine Ordinibus, & Heislero accidit denunciatio. Et erat in oculis omnium, quæ incendia, quas cædes in provinciam importaret, nisi armis, patriæ illum turbinem mature sopirent.

Præsentissimum malum omnes moras abrupit. Delectus fiunt per oppida, quinque millia Transylvanorum paucos intra dies ad signa confluunt. Michael Telekius horum Ductor, qua irrupturum hostem intellexit, limites obsidet; sequitur Heislerus cum equitatu duum millium, & trecentorum. Jam Tôkôlius prima, & vicesima Augusti terream munitionem ceperat, trucidatis sexaginta defensoribus, tum conspecta paucitate obsistentium, ne se subducerent, Tartarorum turmas occultis callibus præmittit, ac ab tergo impetum facere jussit, ipse cum peditatu recta in hostem ducit. Coorti Tartari magnam trepidationem pugnantibus inferunt. Transylvani, Siculi in Spahios incurrentes per cæsa hostium cadavera viam ad victoriam sternere cœperunt, firmique certarunt, dum Telekius integer hortando, & ex parte dimicando rem sustinuit. Postquam eum prolabentem ex equo moribundum videre, ceu Ducis spiritu pugnassent, per notos calles in montes, & saltus aufugerunt. Germani in orbem pugnare docti, consumptis pulveribus cæduntur. E gregariis feruntur cecidisse mille A) ducenti. E Præfectis præter Telekium Norkarmius Tribunus, & Pallizanus nobilis Valachus, suorum perfidiam exosus, nuper in Cæsaris castra transgressus. Comes Magnius in fuga ab agrestibus trucidatur, cadaver postmodum in profluentem abjectum. Comitem Heislerum, & Marchionem Doriam Tartari e fuga retraxerunt; utrumque Tôkôlius redemit, lauteque habuit. Pallizani caput pro Valachiæ Principis tentorio defixum, suorum oculos pavit. Tria & viginti equestria signa cum capite Telekii Adrianopolim sunt missa. Clades Ducum confidentia accepta, Ordines provinciæ in Comitia coegit Claudiopolim. Visum est omnibus, perstare in fide, quam dedissent Leopoldo Magno, opemque celerem afflictæ provinciæ petere. Hos secuta minorum gentium Nobilitas, & plebs, Tôkôlium perinde ac pestem importantem Daciæ fugerunt. Ille capta deditione Corona B) duplici vallo munita urbe, comitia edixit in duodevigesimam Septembris Albam Juliam. Soli Siculi suorum agrorum populationem veriti accesserunt.

A) Porta Ottomanica, quæ etiam ordinem prælii vivis coloribus expingit. Historia Magni Leopoldi tradit Transylvanos ad primum Tartarorum conspectum latebras quæsivisse, Germanorum octingentos duntaxat cæsos. B) Corona urbs Daciæ, Hungaris Brassovia adversus Valachiam propugnaculum firmum.

A. C. 1690. Spe dejectus, qua sibi, suisque plane persvaserat, si Transylvaniam armatus intrasset, civitates plures prono in partes studio rebellaturas; imo eas expertus æque infestas, atque munitas; variis itineribus exercitum circumduxit, sine fine solicitus, ut aliquam urbem opulentam intercipere possit, unde commeatum, & stipendia sumat. Neque more suo in oppida desæviit, militemque e multis nationibus collectum, ita a rapinis, cædibus, incendiis, & aliis, quibus licentia armorum gaudet, flagitiis continuit, ut non alienam, sed suam provinciam revisisse videretur. Et quod mirum in homine Turcarum amicitia, copiarumque imperio tumido; popularem se prorsus infimis quoque exhibuit. Hac tamen simulata modestia nihil profecit apud Transylvanos, queis novi hi mores suspecti erant, callideque conjiciebant: non charitate provincialium, sed spe dominandi Tökölium belli injuriis abstinere. Rediturum ad ingenium, ut primum vana illa modestiæ specie captos, sub jugum miserit. NEMINEM superbum, crudelem, suo animo, suis cupiditatibus diu imperare posse.

Badensis post multam deliberationem aulæ Viennensis, jubetur Transylvaniæ opem ferre, tametsi Servia naufragio haurienda prævideretur. Antequam iter ingressus est, Belgradum, caput Serviæ, quinque peditum millibus, una legione Hussarorum firmat, nominato Gubernatore Aspermontio Pro-Mareschallo. Ad Savi fluminis custodiam Hoffkirchium dimittit cum quatuor millibus Croatarum, & mille Hungaris; Vidinum, Galambaziam, sive Galambosiam, Ramam, Semendriam, loca Danubio adsita, milite, annona, quantum angustiæ rerum patiebantur, ad defensionem comparat. In reficiendis Nissæ munitionibus, ante omnia desudatum fuit. Ter mille pedites ad hunc Serviæ aggerem conservandum, Veteranius jam nuper dedit Jörgero Tribuno loci Præfecto, sed eo vi morbi prostrato, Starembergius pridie, quam obsideri cœpta est a Vezirio, citatissimis equis advolans, Gubernator urbem intravit. Antonium vero Rascianorum Ducem, in Valachiam jubet irrumpere, quo perfidus Princeps ad sua tuenda a Tökölio abstraheretur.

His celeriter actis, cum Veteranio, Sauravio, Heistero quarta Septembris ad Semendriam Danubio trajecto, moderatis itineribus Transylvaniam ingressus, ferream a) portam, sic celebris in provinciam aditus appellatur, cæsis arboribus obstruit, ac militum præsidio custodit. Petroczius Dux Tököliani agminis, audito Badensem Daciæ propinquare, festinavit eum aditum occupare. Sed frustra fuit. Ad arcem Hunyadiam leviter impulsus, ad exercitum semet recepit. Badensis nihil cunctatione perniciosius ratus, uno prælio debellare ardebat. Quippe si diutius in Dacia sine certamine subsisteret: & hostium vires, & famam aucturus erat, veluti inferior timeret aggredi superiorem, multumque existimationis inde decederet Cæsareo militi. Nec gratum id fore Transylvanis agnovit, duobus exercitibus nimium pressis, qui bellum absolvi potius, quam ali in visceribus suis optabant. Hoc capto consilio, recta Cibinium ducit, ubi hostium castra fuerunt. Tökölius, quod existimaret annonam non diu suffecturam Cæsareis, adeoque nec constantiam, autumno præsertim ingravescente, decrevit quam minimo suorum periculo Badensis conatum eludere, pugnamque omni ratione declinare. Et vero nuspiam ad manus est ventum, adeo Tökölius assiduo itineri accinctus, celeritate sua insequentes prævertit. Cum nulla vi, nulla arte ad aleam universi certaminis, extrahi posset fugacissimus hostis, peditatu in urbes distributo, equitum legionibus in eo persequendo uti decrevit. Tum enim vero de fuga serio cogitarunt Valachi, & Turcæ, quos diuturna itinera gravi tædio alioquin affecere: & quoniam Dacia instante undique Badensi deserenda erat, inclementius in aperta oppida, & vicos iram effuderunt, ea etiam fortassis causa, quod fidem non mutarint. Tökölius a sociis desertus, cum suo manipulo eodem, quo venerat, itinere semet

a) Celebris aditus intra limites Transylvaniæ, & Temesiensem planitiem, qua Transylvania ea parte adiri potest.

semet ejecit, non illa sane modestia usus, quam nuper vultu, sermone, fa- A. C.
ctis ipsis prætulit. Nam & urbes aliquot ad redimenda suarum villarum in- 1690.
cendia ære mulctavit, & obsistentes populatione agrorum puniit. Haud minore rabie tractum a) Temesiensem (huc enim iter verterunt fugitivi) depopulati. Gyulam, Varadinum, Temesiam, diu obsessa præsidia, & propediem deditionem factura, rebus omnibus instruunt. Lippam nono oppugnationis die capiunt, Lugosiam, Karany-Sebesiam a Cæsareis deserta recipiunt. Ultra Tibiscum ea tempestas desæviisset, nisi Badensis festinatis itineribus advolasset. Eo absente, rursum volaticum illud agmen ex Hungaria, & Valachia in Transylvaniam illatum, per Veteranium, & Badensem reducem nullo spatio respirandi concesso, in sua latibula repellitur. Post hoc populatorium bellum, quietæ esse licuit Daciæ, Veteranio in Heisleri locum suffecto.

Dum Tökölius somniato Principatu exuitur, duorum mensium spatio, omnis Servia ingenti damno rei Christianæ periit. Tanta ruina a Vidino cœpta est. Jam sub medium Julii Tökölius, & Seraskerius terra, & Danubio huic præsidio insidiabantur, sed Trautmanstorffii pervigil cura tentamenta hostium infregit. Castris ad Jagodinam positis, quo Trautmanstorffiani accersiti, nihil cunctatus Seraskerius, classe & terrestri exercitu duodecim millium Vidinum circumsedit, ac quinque dierum levissima oppugnatione (neque enim vel muri labefacti, vel fossa occupata fuit) ad deditionem compellit Baronem Hanpuschium, aliis Hompeschium, Pro-Tribunum. Septingenti præsidiarii Orsovam profecti sunt. Hanpuschius cum uno Centurione ob palmarem vecordiam a Badensi in custodiam est datus. Ad famam capti Vidini tanquam ad signum Ottomanis elatum; mirum! quanta spe, & quæ inde nascitur, alacritate Vezirii exercitus in Serviam properarit. Septima Augusti ad arcem Pirothi signa constiterunt. Bis appellatus de deditione Scherkendorffius loco præfectus, Styrumianæ legionis Centurio, cum nefas duceret, arcem muris integris proditoris instar tradere, arma ad repellendam vim expedivit. Sed Vezirio promptum erat maturatis accessibus, injectisque ignibus constantiam viri expugnare: NEQUE enim animi defensorum diu possunt consistere, ubi munitiones, quarum causa, & firmitate ad defensionem se compararunt, in ruinas abierunt. Quinta die sub vexillis, solitaque militum pompa digressus, Nissam deducitur. Abeuntium vestigiis hæsit Vezirius, ac quinta decima Augusti Nissæ copias affudit. Ante cœptam oppugnationem Chiausium cum epistola ad Starembergium legat, deditionem imperat. Ne resignatam quidem remisit, causatus: *neminem Turcicæ linguæ peritum in urbe reperiri.*

Vidino advectis tormentis, dies, noctesque mœnia accerrime verberantur. Gubernator suo officio impigre functus, nunc eruptione aggressores cæcidit, nunc disseminatis ignibus opera hostilia proruit, atque in nonam Septembris vota Vezirii suspendit. Tum demum strage murorum commotus, ne præsidiarios hostili ferro mactandos objiciat, ut jussus erat a Badensi, candido vexillo deditionem offert hac una conditione, ut militi solitis honoribus cum impedimentis, & aliquot machinis ex urbe egredi liceat. Postremum præcise negatum est. Dedititii summo in discrimine amittendæ vitæ non semel versabantur, ut adeo inter ictus tormentorum, tutiores fuerint in lacera Nissa, quam inter militare præsidium in itinere. Vix paululum processerant, omni supellectili spoliantur; ad Jagodinam armis quoque exuuntur. Nisi Semendriam iter flexisset Starembergius, futurum erat, ut omnes pecudum ritu jugularentur per Tartaros, qui præcurrentes Ramam versus, vias obsederunt. Adeo pactorum immemores cædem unice spirabant. Nissam paucis post diebus secuta est Semendria. Pro-Tribunus Weingartlerus cum quingentis Germanis, totidem provincialibus locum

a) Non illico Tököliani, e Dacia proturbati, hunc tractum invaserint, sed reparatis in Valachia viribus ad nota ministeria redierint. E narratione Portæ Ottomanicæ conjicio, post solutam obsidionem Eszekini hæc attentasse Tökölium.

A. C. 1690. locum defendendum suscepit. Monetur ab Aspremontio Belgradi Gubernatore, ut concubia nocte eversis munimentis urbem incendat, militem adverso Danubio Belgradum deportet, cui plurimum metuebat. Sero mandata pervenere. Jam enim urbs omni ex parte obsessa, sex majoribus machinis oppugnabatur. Ut incolumem præsidiarium abducere posset Belgradum rebus fere integris cum Vezirio paciscitur. Dum cuduntur, recuduntur que pacta, speculatores Turcæ observant, nullas in flumentana turri vigilias, nullum in propugnaculo circitorem. Ne deessent occasioni, sine strepitu aquam collotenus ingressi, turrim assiliunt, capiuntque. Ad clamorem dissonum, admotis propere scalis, undique in urbem irrumpitur. Pauci præsidiariorum sustinere impetum, plures tanquam desperata defensione fugam circumspectare, omnes torpere magis, quam se tueri. Infusus victor tanto furore, ac cædis aviditate, fugientes persequitur, ut nemo unus e mille præsidiariis vitam abstulerit. Sic truces barbari victoria malo dolo obtenta crudeliter sunt usi.

Majore dolore, & strage Christianorum octo dierum spatio, quod mireris, Belgradum cecidit. Aspremontius aulæ potius favore, quam factis militaribus tanti præsidii præfecturam consecutus, ut sibi penitissime persuasum habuit, Belgradum hoc autumno extra ictum fore, sed omnem, si qua superesset, tempestatem in Transylvaniam effundendam, ita omissa sollicitudine instaurandi mænium ruinas, repurgandi fossas, & reliquos defensionis apparatus curandi, oculos, mentemque in Daciæ fortuna defixos habuit. Capta Semendria sero nimium animadvertit, suo capiti tempestatem impendere, quam alieno imprudens metuebat. Igitur cœptas a Starembergio munitiones perficere, ruinas resarcire, extima opera palis obmunire ingenti militum ardore aggressus est. Aula Viennensis periculo Belgradi perculsa, non sane bellicoso homini successorem dedit Carolum Eugenium Croyum Ducem; tum veteranos ordinum Ductores, operum bellicorum magistros, & inter hos Patrem Gabrielem (apud Hungaros vulgo igneus Monachus audiebat) e Divi Francisci familia, pyrotechnicæ callentissimum, ad defendendum illud Hungariæ, & Sclavoniæ propugnaculum festinare jubet. Sera hæc auxilia fuere. Ad exitum mensis Septembris, omnis circum Belgradum regio, uno incendio colluxit. Indicium erat, in propinquo hostem adesse. Vicies mille Tartari, Turcarum exercitum præcedentes, inter fugam, & cædes agrestium citato agmine advolant, trepidosque cives intra mænia compellunt. Prima Octobris nondum sole exorto, Vezirius quadraginta millia peditum urbi admovit. Tum primum ægri Titulium deportati, Rasciani cives, suspectæ alioquin fidei, ad levandam annonam emissi, suburbia continenti incendio concremata. Verum ob temporis brevitatem parietes perfodi, dejicique non poterant, quæ res Ottomanis magno commodo, nobis incredibili detrimento fuit. Hostibus quippe tutam stationem, ædificia saxea præbuerunt, & quoniam nec videri, nec arceri potuere, veluti extra jactum teli positi, subterranea opera securi perfecere. Præsidiariis vero hæc ipsa securitas omnem procurrendi facultatem ademit, nempe veritis, ne a latitantibus Turcis circumventi reditu excluderentur.

Postridie minus receptaculum cornuto operi præstructum Janicsari aggressi, etsi tunc a Comitibus Palffio, & Archinto repulsi fuerint, biduo tamen post viis obsidionalibus promotis, repetita aggressione locum obtinuere, statimque perducta fossa a Danubio ad Savum, erectisque septem suggestibus duo propugnacula, & arcem maxima vi pilarum, & ignium infestare occipiunt. Octava oppugnationis die, Dux Croyus, elusis stationariis, quarta ante meridiem hora in urbem penetravit. Recensito milite, reperit ter mille, A) ducentos viginti, annonæ, aliorumque paratuum ingentem copiam. Spem concipit, facitque militi protrahendæ defensionis in adul-

A) Si non major numerus præsidiariorum Belgradi, legio equestris Hungarica, & bis mille pedites ad custodiam aliorum locorum emissi fuerint. Nam quina millia peditum præter hanc legionem Belgradum intrasse diximus.

adultam hyemem, quam Turcæ haud perferrent. Sed eadem adhuc dies, quæ est rerum humanarum vicissitudo, spem illam suffocavit, & urbem cædibus, ruinisque consepultam suis, in Turcarum potestatem devenisse vidit. Tragœdiæ seriem ipse Aspremontius Viennam perscripsit, cujus epistola prorsus eadem refert, quæ scriptor Leopoldinæ vitæ. Rem paucis accipe.

A. C. 1690.

Hora ab meridie quarta, plumbea turris in arce igne correpta, post brevem tumultum hoc malo liberatur. Non post diu tres pulveris sulphurei apothecæ accensæ, tanta vi, impetuque conflagrarunt, ut non solum multa circum ædificia horrenda strage conciderint, sed arcis quoque duo latera fœdum in modum disjecta fuerint. Pars una convulsæ arcis ad Savum excussa, quotquot vel in fossis, vel receptaculis erant, miserrima clade obtrivit, fossam adeo æquavit, ut equiti planum iter pateret. Pars altera in flumentanam urbem expulsa, mille centum pedites, ad subita belli in armis excubantes, momento consepelivit; navigia, saikas cum vectoribus mersit. Discusso fumo, qui cladem evaserant Danubium trepidi petunt. Aspremontius ignarus quanta mænibus, aut præsidiariis strages illata, juxta turrim Kara-Mustapha A) fugientes sistere conatus est. Dum sparsos colligit, dum defensionem parat, videt Janicsarorum ferocissimos ex arce decurrere, atque in obvios inter barbaros ululatus, nudatos acinaces stringere. Actum erat de omnium salute, nisi nova clades Belgradi præsentissimam cladem avertisset. Aquaticæ urbis princeps armamentarium multo nitrato B) pulvere refertum, horrifica, quam credi possit concussione in auras evibratum; tum majores, minoresve pilæ per intervalla disruptæ, priori stupori novum addidere. Continuo Janicsari cursum cohibent, opinantes: ejusmodi feralium incendiorum authores extitisse Christianos, omnemque tellurem cuniculis, furnulisque armasse, ut nempe perditis jam rebus eadem incendia victam urbem, victoresque juxta involvant. Hæc mora Duci Croyo perpaucis horis Belgradi Gubernatori, Aspremontio, Archinto, paucisque aliis saluti fuit. Gregarii tametsi primi ad Savum, & Danubium festinarint, rari tamen in alteram ripam salvi evasere, quod pleræque navium, lapidum fragmentis aut mersæ, aut confractæ fuerint. Posteaquam igniaria pestis furere desiit, Turcæ disjectam urbem ingressi, quidquid Christiani nominis superfuit, internecione deleverunt. In hunc modum Belgradum, Serviæ Metropolis cum omni Servia præter unam Orsovam periit, quæ tamen proxime nostras clades augebit. Incendii causam etiamnum ignotam habemus. Affirmaverunt quidam majori pila pulverariam turrim perfossam, seque suismet oculis eam per aera volitantem conspexisse testati sunt. Alii incuria militum, pulveres passim efferentium, incendium obortum dixere; alii Gallis, qui ad Philippopolim transfugæ, postea Germanis legionibus immisti, Belgradi merebant, omnem illam cladem attribuerunt: observatumque est, fatali illo die plerosque Gallos ad Turcam defecisse. Constans hæc fama apud populum. Sed undecunque natum sit urbis infortunium, illius certe jactura Hungariæ, Austriæ, Germaniæ incolas gravissime perculit, & quasi jam nova incendia, cædes, populationes sentirent, fugæ consilia agitarunt.

Ad Eszekinum tandem in spem melioris fortunæ Cæsarei venerunt. Dux Croyus c) fuga eo delatus ad servandum tam opportunum Sclavoniæ, & Hungariæ præsidium summa industria enititur. Petro-Varadino, Illokio, Sabaclio militem arcessit, vetustate collapsas munitiones reficit, novas designat. Et licebat locum ad defensionem comparare per Vezirii lentitudinem, quem ingentes ruinæ captæ urbis, & metus Principis Badensis Belgradi detinuit, ne videlicet is e Transylvania, suo cum exercitu erumpat, & Belgradum undique apertum victor recipiat. Intellecto vero Badensem hoc

 autumno

A) Turris hæc a Kara-Mustapha nomen sortita est, qui malo suo fato Viennam obsedit anno 1683. B) Ter mille centenarii pulverum sulphureorum inerant. c) Historia Magni Leopoldi Guidobaldum Starembergium Eszekinum ab ultimo exitio servasse perhibet. Porta Ottomanica cum Scriptoribus non paucis hanc gloriam Duci Croyo attribuit.

A. C. 1690.

autumno nihil moturum, Hussainem Bosniæ Præfectum, cum quindecim millibus Janicsarorum ad oppugnandum Eszekinum ire jussit. Pridie calendas Octrobres ut in conspectum urbis advenit, deditionem superbe imperavit, minatus, ne pueris quidem se parsurum, si repugnarint. Responsum barbaro: *quotquot inessent præsidio viros esse, & vitam potius, quam urbem deserturos.* Re cognita, tanta confidentia extima opera invadit Hussaines, ut ne structis quidem aggeribus, aut muris labefactatis, existimarit locum uno impetu capi posse. Temere subeuntes præsidiarius miles lorica tectus non innoxia fistularum displosione facile rejecit. Multi aggressorum cæsi, multi vulnerati, & capti. Ex his cognitum: apud Turcas famam crebrescere Christianorum auxiliares copias iter accelerare, atque proxime Eszekino successuras. Hussainem non labori, non sanguini suorum parsurum, ut præsidio potiatur ante, quam illæ obsessis vires, animosque addant. Et vero patuit postridie captivos vera prodidisse. Nam adeo festinavit obsidionales meatus, & suggestus tormentarios, ut quinta die oppugnationis jam ad septa vallorum prorepserit, igniariaque peste pleraque tecta, & multos mortales straverit. Ipsi Croyo hostium opera dum lustrat, emissus ingenti fragore ferreus globus pileum, crinesque ascititios e vertice abripuit. Sed non propterea obsessorum animi minuuntur. Jussu Ducis unum equitum, duo signa peditum eadem adhuc die A) erumpunt; fugatis excubitoribus, tanta pernicitate, impetuque fossores cædunt, ut antequam e castris accurrerent suppetiæ, corrupto, disjectoque aggere, & bis centum trucidatis, jam victores cum quinque vexillis, & aliquot Janicsaris captis urbem repetierint.

Præter ea, quæ priores captivi retulerunt, affirmant isti: universam aggressionem decrevisse Hussainem: jamque scalas, fasces magna solicitudine comparasse. Hanc vim extremam avertit Croyus B) astu militari, quo multi Imperatores sunt usi. c) Agasones, lixas, agrestes armis militaribus ornatos in alteram Dravi ripam clam hostibus dimittit, ubi turmæ aliquot equitum stationem obtinebant. Signa equestria, & pedestria numerosa attribuit. Fallacem istum auxiliarem exercitum, dubia luce, jamque nocti cedente, per pontem in præsidium traducit. Expansi ordines, tot signa concinentia, speciem magni exercitus præbuere, oculisque hostium, & auribus, PRIMIS videlicet instrumentis aut explorandæ, D) aut amittendæ veritatis in bello, illusere. Trepidare inde Janicsari, ac totis castris vasa conclamare. Hussaines suo, suorumque errore captus, confestim machinis retractis, nocte fugam obtegente, Belgradum semet subduxit, quam suam stultitiam postea strangulatus luit. Csakiani Hussari postero die hostem persecuti, præter tres nimia fuga lassatos Janicsaros neminem unum exceperunt. In castris quatuor tormenta cum duobus mortariis, & multo castrensi apparatu, festinandi causa deserta reperere. Mense Decembri Orsova, & insula Carolina a Seraskerio partim acriter oppugnatæ, partim lenta obsidione pressæ, consumptis cibariis ad deditionem adactæ sunt. Vi pactorum præsidiarii Uipalankam E) incolumes deducendi erant. Sed per summam injuriam Belgradum captivi rapiuntur, ubi in repurgandis fossis, inter multiplices ærumnas plerique vitam posuerunt. Eorum uxores, liberi venditi, pueri more Turcarum tonsi Mahometis deliriis imbuti. Hic finis fuit expeditionis anni præsentis, rei Christianæ nimium adversæ, qua quidquid in Servia tot secundis præliis, tot oppugnationibus Turciæ avulsum fuit, cum omnibus tormentis, spoliis, & quod mœrorem in immensum auxit, cum victore illo Hungariæ, & Serviæ exercitu, uno fere autumno periit.

Croatæ,

A) Id est quinta Octob. B) Istud factum militare aliqui attribunt Guidobaldo Starembergio belli, pacisque artibus inclyto. c) Vide T. Livium Patavinum L. VII. §. XIV. ubi refert A. C. Sulpitio Dictatore Gallorum aciem simili dolo fusam, fugatamque. D) Asdrubal, frater Annibalis, vetus, assuetusque Dux Romano hosti, insigne documentum hac super re posteris reliquit apud eundem Livium L. XXVII. §. XLIX. E) In provincia Temesiensi præsidium nobile, vallo cinctum.

A. C. 1690.

Croatæ, gens armis aſſueta, ut & hoc paucis commemorem, in Sclavoniam Ottomanicam, & Bosniam felices aliquot irruptiones fecere. Poſegæ Præfectus cum ternis millibus provincialium, ductu exploratorum intempeſta nocte urbem Teeram A) improviſus invaſit, cæſisque incolis locum delevit; Banjalucam, & Trinium eodem æſtu obruit. Duarum horarum ſpatio miſerrima cæde hauriuntur oppidani. Inter opimas prædas quater mille Chriſtiani libertate donati, ac Poſegam reducti ſunt. Per hujusmodi Croatarum incurſiones, Boſniæ provincia non levia detrimenta accepit, & poſtremum rerum omnium penuriam ſenſit. Pro-Gubernator ut modum poneret populationibus, collectis quinque millibus, prope Banjalucam caſtra fixit, veluti Novium oppugnaturus. Sed Nicolaus Erdôdius Banus Illyrici, Savo fluvio ſtationibus firmato, cum copiis ſuis ſemet oppoſuit, conſiliumque diſcuſſit. Hoffkirchio ſubinde unam legionem Germanorum adducente, Turcæ evitato prælio domum ſe receperunt. At Croatæ Ducibus Philippo, & Michaele Vidakoviciis, Krupam uſque populabundi procurrerunt.

Veneti nobiliſſimam urbem Epidaurum, anno præterlapſo terra, & mari circumſeſſam, B) fame magis, quam armis ſeptima tandem Auguſti in deditionem compulerunt. Jam media hyeme annonæ difficultas ingraveſcebat, neque diu toleratura videbatur obſidium civitas perquam lauta, ſplendidaque, & habitatoribus frequens. Id cum Gubernator Byzantium nunciaret, re cibaria onerata aliquot navigia Epidauro deſtinantur. Unum ex his quadraginta machinis armatum, velis non minus Turcarum ſpe, quam vento tumidis, Peloponneſum petit. Occurrit Piſanus Nobilis Venetus cum tribus navibus, illatoque certamine hoſtilem triremem, poſtquam Turcæ in vicinum portum excenſionem fecerunt, capit. Alterum navigium, Venetorum velis, ſignisque ornatum, dum audaciſſime in portum, quem Veneti tenebant, invehitur, ſubita tempeſtate adeo jactari cœpit, ut claſſiarii, ne infeſtis fluctibus haurirentur, captivos ſe ſponte dediderint. Vindicavit hanc cladem Ottomanica claſſis, quæ in Peloponneſum, & Cretam annonam juſſa vehere, Alexandrum Valierium duobus navigiis Epidaurum proficiſcentem repente circumſtitit. Non defuit animus circumvento tot inimicis navigiis repugnandi. Poſt acrem duarum horarum pugnam una Veneta multis ictibus fatiſcens, ut ne hoſtis ea potiretur, immiſſo igne crematur, claſſiariis in alteram navium acceptis. Decem horis ingenti fortitudine adverſus claſſem, eam defendit Valierius non ſine hoſtium admiratione, & clade. Demum plerisque ſuorum cadentibus ipſe ſuperſtes, & ſi hoſtium ſtragem æſtimes, victor, ſe, ſuæque qualiscunque navis exuvias Turcarum poteſtati permiſit. Rei tormentariæ Præfectus ſecuri percutitur, Valierius cum reliquis in Cretam avehitur. Hoc certamine perierunt e Turcis mille quingenti. Tres naves claudæ, mutilæque ægre inſulam tenuerunt, ubi una in ipſo portu naufragium fecit; duæ ſubductæ vix multo labore reparari potuerunt.

Ante hæc certamina Reſpublica bellum impigre parabat. Præter navales copias in Dalmatia, & variis Italiæ portubus conſcriptas, militum, Ducumque delectum inſtituit in ditionibus Leopoldi Cæſaris, & Alexandri VIII. Romani c) Pontificis, qui gente Venetus, Innocentii XI. præclaris conatibus in promovendo hoc bello par, populares ſuos ære, milite, & claſſe adjuvit. Tantis ſubſidiis firmati, multo acriore cura naves, aliaque maritimo bello neceſſaria ipſi celeriter conferunt, quod compertum haberent, Vezirium robur legionum ad recuperandam Serviam ducturum, atque adeo peropportunam ſibi occaſionem fore, Turcarum reliquias e Peloponneſo

A) Ephemerides Leopoldinæ Teeram appellant, Porta Ottomanica Teenam; illæ 15. Martii, hæc 15. Januarii captam volunt. B) Inſpice annum 1689. c) Alexander VIII. in locum Innocentii XI. ſufficitur pridie nonas Octob. 1689. Ab hoc Pontifice Franciſcus Maurocenus, ſive Moroſinus accepit pileum & enſem Venetiis, e ſummo armorum Præfecto, factus Reipub. Princeps. Hac glorioſa mercede, ait Continuator Brietii, exantlatos pro fide & Repub. ſua labores munerari vidit homo tot annis in Creta, ſeu Peloponneſo & Græcia operatus &c.

A. C. ponneſo propulſandi. Cornarus claſſis Imperator menſe Majo oppugnare 1690. aggreſſus eſt Epidaurum, paucisque poſt diebus aſſultu ſuburbia occupavit, multis Venetorum amiſſis. Urbs editiore loco poſita prope omnem induſtriam, artemque obſidentium luſit, multumque adnitendum fuit Cornaro, ne miles tædio victus arduæ ſane oppugnationi ſuccumbat. Exercitus Ottomanorum quindecim millium pro Epidauro in campo excubans, tametſi nihil attentarit in caſtra Veneta, tamen uti ſpem obſeſſis, ita obſidentibus timorem, ſolicitudinem fecit. Claſſis quoque inimica, fama licet validior, quam armis, non mediocrem metum creavit. Præſidiarii, quoniam numero valebant, crebris, & plerumque proſperis eruptionibus funera cumularunt.

Sed poſtremum Cornari conſtantia in militem immigraſſe videtur, adeo hujus voce, exemplo inter tot pericula perdurarunt, & proceſſu temporis timorem ipſum, timorisque cauſas vicerunt. Cum ſiniſtrum urbis latus ob præruptos ſcopulos, ac occurrentia ſaxa neque machinis, neque cuniculis impeti poſſet, vis omnis in dextrum converſa eſt. Duorum menſium ſpatio partim grandioribus pilis, partim ſubterraneis furnulis tanta ruina munitiones hoſtium concidere, ut non expectatis ſuppetiis, quæ mari properarunt, Gubernator duos Agas, & Cadium, ſive Judicem, ad Cornarum allegarit deditionis cauſa. Verum cum menſem integrum ad colligendas res ſuas poſtularent, aliasque tam inſolentes conditiones ſcriberent, quales a ſuperbo victore imponi poſſent, cum faſtidio repulſi, hæc tandem pacta impetrant; ut præſidio militari in Cretam deportarentur cum omnibus fortunis. Poſt captam Epidaurum Chalcidi ſuæ timebant Ottomani; jamque Ibrahimus Gubernator præſidium, annonam in quamvis diuturnam obſidionem auxerat. Cornarus hoc intellecto, ſatius exiſtimavit in Epirum vela flectere, atque Albaniæ loca iſto bello nondum tentata, atque adeo adverſus aggreſſionem minus inſtructa oppugnare. Itaque relictis ad anguſtias Corinthi tribus millibus peditum, ne ex Achaja in Peloponneſum hoſtis erumperet; Delphino vero cum quatuordecim navibus Ægæum mare juſſo percurrere, ipſe cum centum quinquaginta navium claſſe decima octava Auguſti in Epirum navigavit. Pontificii octo, Melitenſes ſeptem bellicas conjunxere. Reflante vento, ægre tertia decima Septembris ad Salſenum anchoras jecerunt. Poſtridie Caninam progreſſi, paucos præſidiarios in arcem compellunt. Iſti non tam fiducia armorum, quam loci, obſidionem perferre decreverunt. Octo tormentis in arcem directis, & fugato hoſtili equitatu, qui auxilio accurrit, deditione propera vitam, opesque ſuas abſtulerunt. Aulon non expectata aggreſſione illico victores admiſit. Dedititiorum pars Lyſſum, pars Crojam A) petierunt. Plura molientem Cornarum, exeunte Septembri mors oppreſſit, communi mærore Albanorum, quos ille multa comitate, & prudentia in fidem, amicitiamque Venetorum feliciter reduxit. Reſpublica clariſſimi Ducis jacturæ maxime indoluit. Succeſſor illius Dominicus Mocenicus ſub medium Decembris Buthrotum, urbem Epiri piſcatu nobilem, Veneto juri ſubjecit. B) Marchio Guadagnius felicitate novi Ducis, ut fama erat, turbatus, excuſata ætate per ſeniles morbos caſtrenſibus tædiis impari, ſe ſponte præfectura abdicavit. C)

Nunc res Poloniæ curſim perſtringam. Poſt comitiorum tædia, quæ nullo fere commodo in quintum menſem protracta ſunt, Selymi Tartarorum Reguli Oratores Varſaviam pacis petendæ cauſa intrarunt. Solymani Imperatoris nomine Camenecum Polonis offerunt ea conditione, ut dejectis munitionibus, præſidium funditus radatur, nec fas ſit ad Tyram amnem ſive Turcis, ſive Polonis novum excitare. Dum Rex, & Senatores de induſtria moras nectunt diſceptando, Tartari, & Turcæ Camenecenſes, quam petierant pacem, ſubitis incurſionibus irritam fecere. Præter prædam

A) Aulon, ſeu Valona, Lyſſus, ſive Aleſſio, Croja, urbes Albaniæ, de quibus alibi egimus. B) Porta Ottom. & Foſcarinus. C) Anno ſequenti munus ſupremi armorum Præfecti depoſuit, re nulla memorabili geſta.

dam varii generis multa hominum millia latrociniis intercepta ſunt, ac in miſeram ſervitutem abrepta. Pupugit Polonos turpiſſima fraus Tartarorum eodem tempore hoſtiliter invadentium regnum, quo pacem mercabantur; & vindicatum ibant injuriam, ſi vires, aut opportunitas irritatis animis reſpondiſſet. Ne jura gentium violaſſe arguerentur, ſpeculatores potius, quam Legatos præbito ſumptu ipſis, & comitibus e publico, Poloniæ finibus ſine mora excedere juſſerunt. Exceſſere iſti quidem, at rurſum ſeptem millia prædonum, poſtquam Cameneco quingentis curribus annonam intulerunt, in Poloniam infuſa, præteritas clades, incendia, rapinas atrociſſime renovarunt.

A. C. 1690.

Recenti fumo, & pulvere tandem excitati Poloni in perfidum hoſtem arma ſumunt. Ad Camenecum cæſis centenis aliquot Janicſaris gregem pecorum abigunt; ſubinde prædabundam Tartarorum turmam ferro conficiunt. Hucusque ſat proſpere, tametſi par clades non reddita. Verum menſe ſtatim Majo bis centum equites Poloni opprimuntur; mox ad Tyram viginti ſigna (Gottfridus Lengnichius quadraginta ſcribit) adeo infeliciter cum Tartaris certamen ineunt, ut vix nuncius cladis redierit. Hac armatorum manu conciſa, aut capta, pronum erat victoribus ex villis Rubræ Ruſſiæ prædas agere. Sub medium æſtatis lux melior Poloniæ affulſit, Tartaris in Serviam a Vezirio accitis. Auguſto menſe præter Lithuaniæ copias ad ſigna convenerunt duodecim fere peditum, novem equitum millia. Valachia omnis, aut Moldavia ſubigi poterat, niſi diſceptantibus per otium Patribus, elapſa occaſione, belli inſuper pernicies accreviſſet.

Ad exitum Auguſti ſuperato Tyra in Moldavia caſtra ſunt poſita. Dum conſultando hic iterum dies terunt, certiores fiunt, Heislerum prælio victum in Tranſylvania, Tôkôlium victorem provinciam fere ſui juris feciſſe; Vezirium Serviam ſubjugaſſe; amiſſis præſidiis, imminuto vehementer exercitu, res Cæſaris comploratas eſſe. Tot triſtibus conſternati, deque belli eventu dubii, decreverunt in Poloniam reducendas copias, ne videlicet Principe Valachiæ Tranſylvania detracto, Tôkôlium novum hoſtem in ſe, ſuasque ditiones concitarent. Itaque nulla re memorabili geſta, niſi quod Soczovæ octingentorum peditum præſidium reliquerint, magnis itineribus in Poloniam conceſſerunt. Expeditioni huic num Rex interfuerit? nihil certi affirmare auſim. Lengnichium authorem habeo, eum amittendæ libertatis, aut vitæ diſcrimen adiiſſe Zloczoviæ; A) maturata fuga inſequentium Tartarorum agmina proſpera ſorte evaſiſſe. Quæ tanta res eſt, ut aut temere credita ſit a Lengnichio, aut negligenter prætermiſſa a Scriptore Ottomanicæ Portæ. Fortaſſis Lubomirii copiarum ſupremi Ducis periculum, quod anno inſequenti ad limites Moldaviæ incurrit, Regi attribuit Lengnichius.

Fruſtratæ expeditionis cauſam non unam agnovere ipſi Poloni. Præcipua erat Nobilium ſive diſcordia cum Rege, ſive mutua inter ſe. Inde conſultando melior æſtatis pars in æſtivis acta, Tartaris pro ſua libidine ferro, & igne agrum Ruſſiæ evaſtantibus. Nec magis concordes in caſtris, primariorum Ducum conſilia etſi pulchra, & Reipublicæ ſaluberrima, alieni tamen ingenii partum, frigide foverunt. Alterum mali caput fuit Moſchorum ceſſatio. Opinabantur creduli Poloni, Moſchos rurſum hoc anno exercitum acturos in Tartariam, atque prædatricem gentem a Polonia averſuros. Hac fiducia capti in apparando bello negligentiores, ſumptuumque parciores erant. Sed quidquid animorum poſt ultimam cladem B) in Moſchis palpitarat, nova factio extinxit. Czarus ſuorum turbas obtendens, vetuit militem legi, atque hac unica excuſatione uſus, armorum ceſſationem ſuo Imperio perneceſſariam fuiſſe, Confœderatis perſuadere fruſtra nitebatur. Poloni miſſo Oratore icti fœderis admonuere Czarum, utque in poſterum omnibus viribus in hoſtem agat, orarunt.

A) Zloczovia, ſive Zloczova oppidum Ruſſiæ Rubræ. B) Cladem Moſchorum recenſui nuper.

A. C. runt. Iisdem fere diebus Leopoldus Cæsar per suum Legatum ingentia detrimenta, quæ cessantibus Moschis, suis provinciis illata sunt, Czaro nunciavit, hortatusque est ad fulciendam quam validissimo exercitu contra Turcas Poloniam, & Hungariam; eo maxime ex capite, ne invalescens ex ruinis confœderatarum provinciarum barbarus, Moschoviam exterorum Principum destitutam viribus, aliquando adoriatur, atque atterat. Multa in hanc sententiam præsenti necessitate, & magnitudine periculi, quæ Moschoviæ immineret ante oculos posita, vi magna oraverat Legatus. Verum nullo operæ pretio hic aries admotus fuit. Nec perpelli potuit Czarus, ut vel in speciem militem scribat, armorum paratu famam belli apud hostem alat. a)

1690.

1691. Mors Solymani III. & illustris victoria ad Szalankamenum de Ottomanis reportata, annum primum, & nonagesimum supra millesimum sexcentesimum insignem reddiderunt. Jam ante omnia Kiuperlis Mustaphas recuperata Servia, atque expugnato Belgrado tumidus, principem curam, cogitationemque ad faciundos apparatus belli convertit. Danubianam classem multis navigiis auget; conflandis tormentis, armis fabricandis e ferro Damasceno dies, noctesque insudare jubet exteros, domesticosque magistros, delectus omnibus provinciis indicit, militem ordines servare, signa tympanorum sequi, fistulas statis temporibus solvere, instituto sane salubri, sed nullo successu, condocefacere cœpit, Janicsaris disciplinæ veteris tenacissimis; cupream monetam in summa rei pecuniariæ inopia nuper inductam civitate donat; frustra mercatoribus hoc vili ære commercia, præcipuum Asiæ alimentum, interverti querentibus. Hæc omnia suis quæque locis festinabantur. Opulentioribus nummos aureos quaternos, mediæ fortunæ hominibus binos, tenuioribus singulos ærario pendendos imperat. Moldavos, Valachos, Bulgaros, & quoscunque Græcæ religionis homines annuo tributo liberat. In Divano, ubi unus dominabatur, præter classem maritimam, & Danubianam, quatuor exercitus conscribendos decernit. Unum in Peloponnesum adversus Venetos, alterum in Poloniam, tertium in Daciam, quartum in Hungariam mittendum. Tum ne Dalmatia, Croatia bello vacarent, provinciarum Præfectos novis legionibus, ære, frumento juvandos; ea de militis legendi, ducendi, alendique modo, deque tota expeditione scite superaddens, quæ sagacissimus Dux in eo Purpuratorum cœtu præ aliis definire potuit.

Atque ut populum victoriis in arma pronum magis incenderet, author fit Solymano, Byzantium, veterem sedem Imperatorum ut revisat, sua præsentia principem urbem recreet. Secesserat Solymanus Adrianopolim sive perosus frequentiores, quas Byzantini excitarunt turbas, sive metuens factionem exauthorati Mahometis, quod maxime crediderim, nondum omnino extinctam. Ergo suo adventui commendationem ab insigni pompa captaturus, triumphantis in modum Constantinopolim ingressus est. Præcessit exercitus equitum, peditumque in suas turmas, & centurias distributi, prolatis magno numero militaribns signis, quæ anno superiori in Servia, & Transylvania Cæsareis ademerunt. Tela militum splendebant, feroces vultus, & non Solymano Principe dignus exercitus. Quisque Ductorum veste acu phrygia expicta, omnique peregrinæ opulentiæ cultu conspicuus, suum gradarium agmen trahebat. Exiguo intervallo novem currus Soltanam, Imperatoriasque pellices, & ipsas regali cultu, ornatuque vehebant.

Tum Mahometes IV. (hunc cum filiis Adrianopolim deportari nuper mandavit, ne scilicet per suam absentiam, captivorum causa tumultus aliquis cieretur Byzantii) & bini filii vinculis constricti, vehiculoque ferreis clathris obducto impositi, & militum manu circumdati sequebantur. Illustre documentum humanorum casuum ex Mahomete

a) Porta Ottomanica memorat, Czarum metu turbarum, quas Gallus minabatur, perterritum omni bello abstinuisse.

mete cape, quid fortuna possit. In sua non hostium urbe catenis oneratus duobus cum liberis in triumphum est raptus. Pars corporis custodum anteibat, claudebatque currum, quo ipse Solymanus Imperator eminens A) vehebatur; pars utrumque latus stipabat. Sequebantur præcipui ministri, & flos Purpuratorum. Tum Nobilissimi Volones, & interiores aulici, asseclæque e contubernio Kiuperlis Vezirii B) omnes splendore vestium insignes. Sed in Kiuperlem omnium oculi intenti erant captarum urbium clarum titulis, quos populi insolens gaudium multo ampliores effecit. Agmen cogebant turmæ aliquot Prætorianæ. Byzantini non secus, ac omnem Germaniam in triumphum duci viderent, maximis lætitiis illa, & sequentibus diebus incesserunt. Festas inter acclamationes auditæ voces adulationis plenæ: *Solymano III. Imperatorum maximo, Ottomanici Imperii instauratori, Patri patriæ vitam, & victoriam;* quæ a vilissimis primum capitibus prolatæ, mox militari impetu exceptæ, universam urbem sine veri, falsique discrimine solitas adulationes edoctam pervaserunt. Nec parciores in ornando Vezirio erant milites juxta, ac oppidani, rerum gestarum magnitudine impulsi, & spe futurorum. Die inter hilaria gestientis populi acto, nox lætis ignibus illustris fuit, Purpuratis ad augendam lætitiam nullis impensis parcentibus. Sed Orator Galliæ Chasteaunius apparatu rerum omnes longissime anteibat. Ante palatium, quod incoluit, pyramides insolitæ altitudinis, & arcus triumphales visebantur, victæ Germaniæ, & Sabaudiæ C) signis ambitiose ornati. Bini fontes largissime manantes vino. Quater mille lampades nocturnis horis accensæ, tum innumeræ faces trophæum omnino superbum illustrarunt; mirum! quanta cum voluptate Turcarum, at ingenti odio, invidiaque Christianorum spectatum. In seram noctem pyrotechnices callentissimi Galli, Byzantinos artificiosis ignibus tenuerunt. Eodem vespere Orator exquisitas epulas Tongio Bassæ, rei tormentariæ curatori, Præfecto Galatæ, Valachiæ Principis filio, & non paucis aliis Ordinum Ductoribus apposuit inter festum machinarum minorum, & majorum plausum. D)

A. C. 1691.

Vezirius continuandi belli certus, in ea omnium lætitia nullam occasionem omisit Purpuratos, milites, cives stimulandi; sibique prorsus persuasum habuit, Cæsaris rem nunquam magis afflictam, ac præsenti anno. Qui enim par sit duobus exercitibus ab uno jam victus? Credidit tempus venisse, quo non Hungariæ solum præsidia octo annorum bello erepta recuperare, sed Austriæ quoque, & Transylvaniæ provinciis Ottomani potiri possint, modo felicibus cœptis insisterent. Hæc, aliaque in illo concursu hominum differebat, anxie universos admonens: quo propius spes belli perficiendi sit, eo magis omni ope connitendum. Maximam vim frumenti, & pecuniæ a tot exercitibus absumi: copias quoque victrices parte aliqua minui. Supplementis igitur militum reficiendas legiones, in stipendia æs conferendum. Viri non minus pugnacis, quam eloquentis authoritate adeo summi, infimique permovebantur ad ea conferenda, quæ bello necessaria fuerunt, ut copiosiores rerum, hominumque paratus ab Vienna obsessa non conspexerit Turcia.

Nondum mitigata hyeme, triginta millia peditum in Serviam præmittit cum imperio, primo ut vere Belgradum contendant, quo reliquus miles proficisci est jussus; uti & classiarii, remigesque. Tökölio ad Temesiam reparanti vires, haud contemnendam manum Janicsarorum, & spahiorum tribuit, quo Veteranio obsistat, & data opportunitate Daciam incurset. In mediam Hungariam, & Sclavoniam signa Turcarum penetratu-

A) Scilicet - - - superbo victor in curru stetit,
egitque habenas Hectorem, & Trojam trahens. Seneca Troad. A. II.

B) Magnus Vezirius facile duo millia hominum ex omni famulitio habet. Consule Ricautium P. 1. de regimine Turcarum pag. 24. C) Quæ fortuna Cæsaris, & Sabaudi fuerit? consule Scriptores illius ætatis. D) Tormenta soluta fuerint e Gallorum navigiis, quæ in Bosphoro Thracio in anchoris stabant.

A. C. ra erant ante, quam Cæsarei ex hybernis moverent, nisi nova conspiratio 1691. in Solymanum Imperatorem facta, totius expeditionis typum turbasset. Fuerunt e Purpuratis nonnulli Mahometi IV. familiares, quibus Vezirii in aula dominantis authoritas admodum gravis accidebat, quod omnia foris, domique ageret, unus Principem obsideret, nulli aditum familiarem concederet; veritique, ne dubiam Solymani opinionem de fide Purpuratorum aleret, consilium ineunt, res Imperii per tumultus novandi, atque exauthorato Solymano, Mahometem IV. vel ejus filium, egregia indole Principem, regimini admovere, ut versa Reipublicæ forma, ad se ipsos partem gratiæ, potentiæque traherent. Hæc tametsi pro voluntate non succederent, e turbis tamen civium intelligeret Solymanus, quam male se, & Imperium unius Kiuperlis ambitioni crediderit; simulque hinc fieret, ut eum loco, & gratia Imperatoris motum aliquando conspicerent, aut certe perpetuis tumultibus implicatum, solicitumque haberent. Sic isti invidia cæci, alienam gratiam, suam injuriam interpretati, in ultionem exarserunt.

Neque deerat Purpuratis occasio seditionum turbis, inflammandi populum, aura omni mobiliorem, ac rerum novarum cupidum. Spargitur rumor Byzantii incerto authore: Confœderatos bello fessos pacem flagitare ab Solymano, tamque opimas conditiones offerre, ut magis quæstuosas vel felicissimis armis sperare vix possint. At Vezirium omni arte pacis negotium velle evertere; jamque ipsum Solymanum, Deffterdarem, Mufftium, nempe beneficiis emptos, suas in partes traxisse. Tököliumquoque omnibus nervis adniti, ut ne pax Imperio Turcico perutilis conveniat. Utrumque per speciem publici commodi res suas unice curare. Vezirio & quæstuosum, & volupe esse, centum & amplius millibus pugnatorum imperare, bellum ducere quam longissime. Tökölium pugnacis quidem animi Ducem, sed turbidum, violentumque, ac merito suo plerumque adversam fortunam expertum, Ottomanico ære, milite sibi regnum quærere, alienis cladibus velle quodammodo inclarescere. Si Transylvaniæ Principatu potiatur, non victurum Turcis subjectum, qui privatus Cæsarem, & Regem suum non tulit. Nunc quidem rebus omnibus exutum vasta consilia, arrogantes spiritus ficta modestia tuto obtegere, & servitutem pati, ubi Turcarum armis regnum qualecunque stabiliverit, posita larva hostem se haud dubie professurum. NEMINEM ambitiosum accipere servitutem, nisi spe dominatus. NON esse alendam annosam vulpem, quæ ad extremum domesticis pullis non dubiam stragem illatura est.

Hæc, & alia crebris sermonibus jactata in circulis, Purpurati per suos emissarios invidiose amplificarunt. Forte per eosdem dies Constantinopolim nunciatum est, Angliæ Legatum Vilhelmum Husseyum nobilem Equitem Vienna abiisse, instructum a Confœderatis amplissima facultate pacem componendi, & paucis post diebus apud Solymanum adfore; cumque Vezirius impiger dies, noctesque summa solicitudine bellum curaret, nihil rumori tribueret, plane sibi persuasit populus, & miles, eum victoriarum cursu nimium elatum, non admissurum pacis consilia quibusvis opimis conditionibus, quo diutius armorum imperio præsit, solusque & Byzantii, & in campo dominetur. Purpurati hanc opportunam occasionem nacti, prorumpentem ignem non segniter ventilant, & falsa veris permiscentes nihil prætermittunt, quo concitatos vulgi animos, in belli authores magis, magisque accendant.

Non jam occultis, sed publicis concionibus utrumque criminantur: *Solymanum vigore animi inter ærumnas carceris amisso, nullis dotibus imperitandi præditum, non publicam, non privatam rem curare; nulli aditum patere decora, utiliaque suasuro, præter Vezirium, qui armorum percupidus nihil pensi habet bellum trahere; sanguinem legionariorum, provinciarum fortunas haurire, ut ampliora emolumenta capiat, gloriam pascat. Huic uni gravissima quæque Imperii, pacis, belique negotia committi. In Divano*

vano A) *patriæ amantiores interesse quidem consilio, sed ea duntaxat rata haberi, quæ Vezirius propriæ utilitatis causa dictatorio suo modo edicit.* B) *Purpuratos umbras Vezirii propemodum videri, quæ illum comitentur, & ad ejus arbitrium moveantur. Inde factum, ut pacis conditiones non minus honestæ, ac quæstuosæ a Cæsare oblatæ, unius hominis stolida superbia rejectæ fuerint. Nempe in spem venisse Vezirium, hesternum Ducem, continuandi victorias, quas absente exercitu Christianorum in Servia adeptus est. Sed occursurum ei multorum stipendiorum inclytum Ducem Badensem cum octoginta millibus veteranorum militum (tantas copias in Hungaria militaturas privatis, publicisque literis Byzantium nunciabatur) qui millies perfusi Turcarum sanguine, expugnatis Hungariæ præsidiis spectati, ingentium rerum momentis Serviam compleverunt. Recuperaturos uno prælio, quidquid nuper amisere, alibi agentes. Galliæ Oratorem sui Regis victorias de Cæsare falsis coloribus extulisse propterea, ut credulæ plebi stimulos adjiciat ad prosequendum bellum, veluti ad Rhenum, & Padum Cæsaris, atque adeo totius Germaniæ vires concidissent. Tökölium alterum belli impulsorem, Turcarum damna non sua, sed aliena æstimare. Indecorum esse Ottomanico nomini, exulem nullius fidei Turcarum legiones pro sua libidine circumducere, & toties fusum, fugatumque, in perniciem Imperii novis viribus armare. Agerent nunc, si Rempublicam salvam vellent, & conjuratis animis, armisque Solymanum carceri suo reddant, Mahometem, aut ejus filium Mustapham flore juventæ vividum, & quantæcunque fortunæ capacem Principem, Imperatorem proclament. Posse a civibus, ab exercitu fieri Imperatorem, sibi ipsum Solymanum documento esse. Mutato ignavo Principe, & ministros, & rerum statum mutatum iri.* His audiendis, credendisque opportuna multitudo, major in dies Byzantium confluebat. Primi Asiani, quibus alioquin ingrata erat militia, indicium apertæ seditionis dederunt. Una omnes quasi signo dato in amplissimum forum convolant, contemptisque Præfectorum paucis (cæteri cum gregariis tumultum ciebant) signa miscent, magnoque vocum strepitu pacem inclamant. Janicsari, & Spahii nondum congiario accepto offensi, & cuprea moneta irritati, Asianis junguntur. Cives partim in spem erecti, partim metuentes, ne denique præda forent militibus, ea gratia tumultum aut aggressis, aut finituris, nullo certo consilio arma induunt. Solymanus solicitus, incertusque rerum suarum, tametsi gravi morbo premeretur, sub primum tumultum Adrianopolim clam se retulit.

Kiuperlis vir ingentis animi, in eo civitatis motu non se, non Rempublicam deseruit. Princeps forum, ubi seditiosi armis ferociter concussis, nunc malo regimini, malisque consultoribus extrema supplicia minabantur, nunc aurum, & pacem dissonis vocibus inclamabant, sola majestate armatus adit. Eo conspecto omnis ferocia statim concidit. Silentio per præconem facto, increpitis seditionis authoribus, veterana prudentia concitatos penitus placavit. Ajebat *neque exitium, neque spem salutis propiorem unquam populo ulli fuisse, atque Byzantino. Quippe si uno omnes animo vel ad Solymanum, vel Mahometem, vel quemvis alium inclinent, Ottomanos hoc tempore invictos fore. Si alii alium Imperatorem armis quærant, multo atrocius bellum futurum in ipso sinu Imperii, quam cum Germano, aut Veneto; cum omnis factio suos exercitus, suos Duces singulis in urbibus habitura sit. CIVILI bello semper plus sanguinis fundi, quam extero, & ejusmodi victorias cum victis, tum ipsis victoribus perniciosas esse,*

A. C. 1691.

 solis

A) Divanum apud Ottomanos est secretius consilium, cui primi nominis Purpurati intersunt. B) De Kiuperlis Vezirii infinita potestate idem omnino dici potest, quod L. Annæus Florus L. IV. C. II. argutissima sententia de Magno Pompeio expressit: De successione Cæsaris Senatus, id est: Pompejus, agitabat. Aut quod Lucanus de Julio Cæsare cecinit occupata Roma:

Omnia Cæsar erat: privatæ curia vocis
Testis adest: sedere Patres censere parati
Si regnum, si templa sibi, jugulumque Senatus
Exiliumque petat. Lib. III.

A. C. 1691. *solis hostibus lucrum afferre. Quas clades importet domestica discordia ipsus & nuper vidisse, & a Majoribus suis fama accepisse. Pacis rumorem tam utilis, tam quaestuosae, vanissimum esse. A Confoederatis Christianis nihil aequi obtineri potuisse, toties legationibus missis Viennam, Venetias, & Varsaviam satis jam expertos; nec nisi abscissa omni spe apparatus bellicos fieri. Hos discutere velle seditionis capita, ut victorum impetus languescat, Caesarei tempus nanciscantur ad vires reparandas. Opperirentur pacati Angliae Oratoris adventum; qui si pacta victoribus consentanea attulerit, pax coalescat; sin minus, vi extorquenda; se vero aequo animo omnem fortunam laturum, modo patriam felicem videat.*

Quo minus asperitatis, ac superbiae visa est habere dictio, eo plus authoritatis habuit. Alii ceu sedandi tumultus causa se furentibus miscuissent, praemia navatae operae non dubitarunt petere; Duces seditionis justam potestatem veriti, non dissimulato metu dilabuntur; cuncti ad extremum submisere animos, veluti id dignitati Vezirii darent, quum revera vires Solymani timerent, quae Byzantii, Adrianopoli, aliisque in oppidis & causa, & numero longe superiores erant. Hunc finem, exitumque seditionem habuisse refert laudatus Scriptor Ottomanicae Portae. Mirum profecto sine caede Purpuratorum turbas consopitas, cum tamen ejusmodi tempestas nunquam, quod sciam, sine cruore multorum sedata fuerit; seu Vezirius clementiae famam sibi conciliare studuerit, seu nondum viribus firmatus, magis opportunam occasionem circumspexerit apertae conjurationis capita suppliciis mactandi, quam mors Solymani (nam vis mali in dies singulos ingravescens artem omnem medicam superabat) haud dubie datura erat. Compositis in hunc modum turbis, cum milite, qui ex Asia frequens advenit, Adrianopolim abiit, multo clarior ab hac seditione compressa, quam Serviae victoriis. Quandoquidem MULTO gloriosius sit civem servare, quam hostem vincere.

Eam urbem subierat mense Majo maxima gratulatione civium Husseyus diu exoptatus pacis prodromus. Sed quoniam Solymanus corpore juxta, & mente perpetuo aeger, quidquid fastidium creare posset, in Vezirium, negotiorum animam, rejicere assuevit, hac quoque tractione pacis in eundem translata, Husseyo tantisper expectandum erat, dum ille adveniret. Ut primum adfuit, etsi iis diebus evocandis militibus intentus, nihil humanitatis omisit, quae Legatum magnae Britanniae addeceret, aut concordiam, a qua aliud propositum habuit, accelerare posse videretur. Undetriginta Chiausii, multique honorarii e contubernio Vezirii obviam missi Legato, Adrianopolitanos in spectaculum excivere. Is Turcicam vestem indutus, & famulorum agmine (pars altera Anglico, altera more Turcico vestita erat) comitatus, per praecipua urbis compita ad tentorium Vezirii in patenti campo situm magnifico apparatu deducitur. Traditis fiduciariis literis, ac sui adventus causa paucis exposita, Arabico potu recreatur. Mox dimissis Praefectis, privatum colloquium habuere. In discessu eleganti veste, uti & ipsius aulici, donatus, eodem, quo venerat ordine rediit. Rebus humanis erepto Solymano, Constantinopolim proficiscitur, acturus cum Caimacane, cui hoc molestum, & invidiae plenum negotium per literas commendavit Vezirius; eo fortassis etiam consilio, ut populum armorum pertaesum, spe propinquae pacis recrearet, simulatio vero tamdiu duceretur, dum victorias superioris anni novis firmaret.

Sub haec Solymanus ad extrema deductus, intercute aqua praefocatur Adrianopoli, prima, & vicesima Junii, aetatis quinquagesimo, nondum expleto quarto anno Imperii. Vix rumor mortis Byzantium pervolavit, factio nuper compressa, ut late diffusa, ita validis radicibus nixa, illico caput extulit, Mahometem IV. vel Mustapham, liberis suffragiis, aut armis Imperatorem lectura. Sed Vezirius futurorum providus, jam antea cum Mufftio, Caimacane, & primariis aulae ministris rem composuit, firmando Imperio

Achme-

Achmetis. Frater is erat Mahometis IV. & Solymani III. Imperatorum, A) in quintum, & quadragesimum annum, remoto omni aulicorum ministerio, vitam sat miseram trahens. Id ipsum factiosi arripuerunt avide, contendentes haud plus vigoris allaturum Imperio, quam demortuum fratrem. Cum de sua sententia dimoveri non possent, & vim pararent, Vezirius ne rursum domestica quies convelleretur, ad cæterorum terrorem factionis Principes in Asiæ insulas Cyprum, Rhodum, Lemnum ejecit, ubi plerique violenta morte postea perierunt. Strata factione, plebs servituti parata Achmetem Imperatorem lætis vocibus salutavit. Cadavere Solymani raptim humato Constantinopoli, Vezirius ad exercitum festinavit, Mahomete IV. & Mustapha Adrianopolim clam abductis, ne videlicet ingrata nimium illa pompa, captivorum causam apud Byzantinos meliorem faceret. Consultius sane & ipse Solymanus nuper egisset, si remotis captivis Principibus triumphasset. RARO enim sine periculo imperantium calamitosi Principes populo ostentantur, quem ira, & commiseratio perinde versat.

A. C. 1691.



ACHMETES II.

IMPER. OTTOM. XV.



Quiete reddita Constantinopoli, ac novo Imperatore firmato, Vezirius acceleratis itineribus Belgradum festinans, nullo obsistente hoste, Savum trajicit cum omnibus copiis. Summa earum nonaginta duo millia armata fuerunt, præter sex spahiorum millia ad custodiendum pontem jam antea præmissa; non accenso Tartarorum equitatu, quem Galga adduxit. Temesiensem provinciam Tökölius, Dux justi exercitus, insedit, Transylvaniæ hyeme, & æstate infestus. Cæsareus miles solita lentitudine in castra appulsus, in exitu Julii Petrovaradini adfuit. Badensis Imperator lustratis copiis, reperit quinque, & quadraginta B) armatorum millia. His se conjunxere sex mille Borussi, virtute, longoque bellandi usu egregius miles. Comparatis ad defensionem Eszekino, & Petrovaradino, ac annonaria classe subsequi jussa, decima Augusti Semlinum, & in conspectum hostium perventum est. Habebant illi armorum sedem ad Savi ripam, ab arce a Zingaris dicta Semlinum usque, sua in agmina distributi. Biduo post Badensis diviso bifariam exercitu succedit, cornua dextra, lævaque admovet castris. Cum nihil moveret Vezirius defendendis castris unice intentus, copiæ clausis ordinibus reductæ sunt. Pugnabatur tamen istis diebus velitationibus, aut etiam præliis, pabulationis potissimum causa, lacessentibus plerumque Hussaris, Volonibusque, qui ad Danubium magis sacro in bello, quam ad Rhenum, vel Padum inclarescere ardebant. Postridie captivus Christiani nominis, spatium fugiendi nactus, in castra Cæsarea semet conjecit. Ex eo cognitum: Vezirium a pugna alienum esse, rem vero plenam periculi, nullius successus tentaturum Badensem, si castra invadat. Esse illa ab tergo flumine Savo satis communita, a fronte, & lateribus profundo vallo, ac

centum

A) Sic igitur habe: Ibrahimus Imperator tres reliquit filios superstites Mahometem IV. Solymanum III. Achmetem II. qui carcerum ærumnis diu vexati, tandem summam Imperii in suos gessere. Mahometes vero IV. Mustapham II. & Achmetem III. filios numeravit post squalores ergastuli perinde rerum Dominos. B) Porta Ottomanica T. II. pag. 566. quadraginta millia in castris adfuisse meminit. De numero Borussorum tacet.

A. C. 1691. centum quinquaginta oppoſitis tormentis, tum receptaculis per intervalla eductis omnino inacceſſa. Iſtud ipſum exploratores retulerunt.

Ne reliquum æſtatis fruſtra aſſidendo caſtris abſumeretur, viſum erat Badenſi Danubianam oram repetere, unde facilior annonæ ſubvectio, & ſpes conferendi manus cum ſecuturo haud dubie hoſte, qui ſapientem receptum plerumque fugam interpretatur. Præmiſſis impedimentis vix quinta decima Auguſti A) moveri cœptum eſt agmen, continuo ſex delecta ſpahiorum millia ad carpendam ultimam aciem advolant. Poſtero die univerſus exercitus ſtrenue ſequebatur. Noſtri non intermiſſo itinere, & pugna, ad Danubium contendunt, Hoſkirchio, & Styrumio impetum valide ſuſtinentibus, dum reliquæ copiæ deſignata caſtra obmuniunt. Vezirius non procul inde commodiſſimo loco metatur. Concubia nocte B) quadringenti hoſtiles equi ſine ſeſſoribus, rapidiſſimo curſu in caſtra Cæſarea delati, ingentem tumultum concivere, mox lætitiam. Decima octava Auguſti Buquojæ legionis miſerrima cædes, ut noſtrorum animos depreſſit, ita hoſtium erexit. Ibat illa Petrovaradino Szalankamenum verſus hoſtium ſecura, trahebatque ſecum ſupplementa duarum legionum Hoffkirchianæ, & Caraffianæ cum ter centum curribus annonæ. Turcæ omne iter edocti ab exploratoribus, cum valida manu equitum, peditumque progreſſi, Buquojanos patente in campo venatoria velut indagine circumſiſtunt, trucique clamore omni ex parte procurrentes, poſt trium horarum certamen tyrones, ac veteranos, præter quatuor gregarios dimachas, & unum Præfectum, qui ex ea carnificina ſubterfugere, omnes conficiunt. Equidem Badenſis intellecto legionis periculo, ſuppetiis maturandis curas intendit, verum occupatis itineribus juſſu Vezirii, ac eodem tempore, claſſe, & caſtris impetitis, auxiliares copiæ pro ſua potius, quam aliorum ſalute dimicare debebant.

Res proſpere geſta ſpem majoris victoriæ Vezirio fecit. Numeroſum exercitum juxta noſtram aciem in locum editiorem deducit, caſtrorum frontem gemina foſſa, ſudium vallo, machiniſque & ad obliquos ictus terreis munimentis obarmat, noctem totam ducendis aggeribus ad ripam Danubii impendit; viam adeo Petrovaradinum evadendi variis munimentis intercludit. Tum Mezzomortes Pirata, armatam claſſem in noſtram annonariam incitat, nec armorum apparatu, nec militum robore parem. Bellicæ poſt primam aggreſſionem ægre vim hoſtium ferentes, frumentarias deſtituunt, quas victor Ottomanus inter cædem nauticæ turbæ diripuit. Jam neque terra, neque aquis annona ſubvehi potuit, Turcis omnia loca inſidentibus, tantoque altius perculit Badenſem univerſi exercitus diſcrimen, quanto ſe magis non ab ope ſolum, ſed etiam a ſpe deſtitutum vidit, ſi diutius in iis anguſtiis perſiſteret, vix in unum alterumve diem re cibaria ſufficiente. Igitur ne intra ea latibula Chriſtiani robur exercitus, vel quieſcente, ſedenteque Turca inedia periret, pugnam edicit alacerrimo militi. Dextrum cornu e viginti cohortibus conflatum, ac juxta Danubium expanſum, ducebant Souchius, C) Guidobaldus Starembergius. Hos juſſus eſt præcedere Dux Holſatus cum ſua, & Neoburgica legione, ad occupandos tumulos ab armato hoſte inſeſſos. Siniſtro præficitur Dunewaldus, & Styrumius. Mediæ aciei Barfuſius Boruſſorum Ductor. Conventum erat inter Duces, ut ſimul omni vi caſtrorum munimenta invadant. Sed dextrum cornu non expectato aggreſſionis ſigno, Dunewaldo etiam tum luctante cum viarum difficultatibus, caſtra celerrime oppugnare incipit. Turcæ e munitiſſimis caſtris majorum, minorumve pilarum vim maximam in ſuccedentes effundunt, audaciſſimum quemque aut vulnerant, aut occidunt. Ferream hanc tempeſtatem declinaturi equites, ad valla temere procurrunt, ac peditum ordi-

A) Manifeſtus error typi in hiſtoria Magni Leopoldi Auguſtæ Vindelicorum edita MDCCXXXI. quæ menſem Octobrem habet. Certe Badenſis minima jactura temporis bellum gerere aſſuetus, tamdiu non aſſedit Turcarum caſtris. B) Die 17. Auguſti. C) In hiſtoria Magni Leopoldi omiſſo Souchio, ſive Suſa, Serenium dextrum cornu duxiſſe lego; in Porta Ottomanica Souchium.

ordines turbant. Erumpunt ferocissimi Janicsarorum nudatis frameis, & aggressores sua multitudine impeditos passim contrucidant. A. C. 1691.

Ducum adhortatione recuperatis ordinibus, novam impressionem suscipiunt pedites; per sociorum cadavera strato veluti ponte fossas, vallaque superare contendunt incredibili periculorum contemptu. Tum enim vero iniquissima pugna exarsit. Nam adeo castra ad omnem regulam communita erant opera cujusdam Galli machinali scientia praeclari, ut nec aggerem subruere, nec in valla eniti possent ob nimiam altitudinem. Turcae, inter tot, tantaeque firmitatis munimenta consistentes, collineatis ictibus apertos, incautosque sternunt, stragem ubique augent. Longo certamine fessi Caesarei, dum receptum meditantur, Janicsarorum cohortes confusis clamoribus, & more patrio nudis brachiis acinaces circumducentium, rursum in recedentes feruntur, ordines disjiciunt, obvios concidunt. Plerique Praefectorum in ea eruptione aut vulnerantur, aut caeduntur. Dux Holsatus aciei structor, inter primos obtruncatur, Souchius, Areschotus veteres militiae graviter saucii, ex arena suorum manibus efferuntur. Starembergius, immani vulnere perstrictus non admisso dolore, caeterorum Ducum partes constantissime explevit, acceptoque a Badensi trium equestrium legionum subsidio praelium restituit.

Sed & Janicsari Spahiorum agminibus aucti, multo ardentius in pugnam ruebant. In Sauravii Comitis sinistram alam, partim e dimachis, partim e peditibus compositam, tanto impetu equitatus Turcicus incurrit, ut nisi maturasset suppetias media acies Borussorum, futurum erat, ut ad unum omnes trucidarentur. Istorum adventu Turcarum furor repressus est, & hiatus expletus. Duas ipsas horas in cruenta arena substitit dextrum cornu. Dunewaldus tametsi gradum cum suis legionariis accelераret, nihil usquam profecit. Campus, quem emetiri debebat, frequentioribus dumetis, spissis herbis obsitus, plurimum obstabat, tum caeci hiatus aquis restagnantibus, fallaces. Accurrebant identidem tristes nuncii, summum discrimen pugnantium significantes. Ipse Badensis curas in omnem partem dividens, nunc lassis, pulsisque aggressoribus integros submisit, nunc ad sinistrum cornu reversus, repurgandis viis consilium, atque operam dedit. SED festinatio singulorum, omnium mora fuit, adeo nihil ad accelerandum iter cessit.

Rebus Caesareorum in tam arcto constitutis, Comes Hoffkirchius, sive suo consilio, sive jussu Badensis, Hungarorum, & Rascianorum (quina admodum millia erant) equitatum, dimacharumque duas legiones, ad invadendum castrorum latus neque ullis operibus, neque milite satis firmatum ducit. Perpaucis Tökölianis (nam reliqui cum Duce suo ad Temesiam haerebant) fugatis, Hungari, & Rasciani una ante solis occasum hora in castra illati, deinde dimachae consecuti, Turcarum terga repente invadunt. Ferientium, cadentiumque obortus clamor, omnem aciem turbavit. Crebrescente tumultu, terroreque, Spahiorum turmae fluctuare incipiunt. Id conspicatus Starembergius, in hostes, eorumque sepimenta legionarios gradum dirigere jubet. Novo impetu, ardoreque perciti, pugnam redintegrant, ac densatis ordinibus progressi, victores retrudunt, valli sepem securibus distrahunt, aperiuntque. Eodem tempore Dunewaldianum agmen ex altera parte vallo appropinquavit. In medio deprehensi Spahii, ac crebris fistularum displosionibus in angustias redacti, ne glandibus impune configerentur, laxatis habenis densos inter ignes Szalankemenum versus avolant. Acrius certamen supererat cum Janicsaris; aparuitque, quid amittendae victoriae metus, quid desperatio possit. Dunewaldiani certaminis avidi, praeeuntibus Tribunis, Centurionibusque ipsum robur hostilis peditatus invadunt. Accepti ferociter, ac amissis primo incursu sexcentis, ambiguo Marte dimicant. Jamque Janicsari successu nimii, victoriam sine Spahiorum auxilio sperare audebant, nunc sclopis, nunc frameis in aggressores non infeliciter usi. At ubi dextrum quoque cornu pulso equite, & media acies

A. C. a fronte, & latere; a tergo Hungari cum Rascianis, & dimachis, cædem
1691. sparserunt, non sustinuere impetum. Aliquot millia ferme primi agminis, per adversos hostes eruptione impigre facta, Danubium effuso cursu petierunt, insequentibus Cæsareis, ac tanto plures jugulantibus, quanto ipsa turba sine Ducibus, signis, & animo repugnandi præsentior pestis erat. Nec classis in ripa erat fugitivos acceptura, quæ sub primum tumultum anchoras levavit, dein prælio excedentibus Spahiis Belgradum abiit. Unde eadem adhuc nocte plerique interfecti sunt. Cæteri intra castrorum valla circumventi, ab irato, & capiendi vivos immemori victore, multa cæde hauriuntur.

Fuit hæc pugna, quam Szalankemensem a proximo loco Scriptores vocant, multis nominibus memorabilis, pertinax, cruenta. Uterque Dux Imperatorias belli artes satis prodidit; Badensis in oppugnandis, Kiuperlis in defendendis castrorum munimentis. Utrinque miles periculorum avidus, fortitudine, pertinacia par, & nisi Spahii rem corrupissent, aut æqua clade discessum fuisset, aut Turca superior. Tribus prope horis dubio eventu certatum est in arena, orco ardenti simillima, dum a tergo victoriæ initium fieret. Noctem, quæ Turcicum equitatum cædi eripuit, Christiani egere cruento in campo, potiti tormentis octo, & quinquaginta supra centum, grandioribus cistis ære cyprio onustis quinquaginta quatuor, tum aurea, argenteaque moneta, frumento, ac jumentorum numero ingenti; signis militaribus plerisque, tabernaculis omnibus. Ex illis per Vaudemontium Principem quatuor equinæ caudæ, duodeviginti vexilla Cæsari missa.

Ut prælii atrocitatem agnoscas, quidam non dubitarunt scribere, Turcarum viginti quinque millia A) cecidisse; alii memoriæ tradiderunt sedecim millia; alii, qui minimum, duodecim. B) Nempe hi præterierunt eos, quos fuga ad Danubium abstulit, ac omnes interceptos (& fuere sane complures) Cæsarei jugularunt. Sed unus Vezirius Mustaphas Kiuperlis instar maximæ cladis fuit. Ille militem suum hortando, pariterque obeundo pericula, extra vallum duas, & amplius horas non sustinuit modo, sed prope victorem fecit. Postremo cum haud dubie fortuna ad hostes inclinaret, sive nollet superesse victus, sive reipsa cum Spahiis vellet erumpere, concitato equo se in Cæsaream cohortem immisit. Ibi glande trajectus, ac a suis, ne spoliaretur, Belgradum abreptus, maxima jactura rei Turcicæ, supremum diem explevit. Præter Vezirium flos Præfectorum partim in acie, partim Belgradi ex vulneribus periit. Quot e nostris occubuerint? perinde variant Historici. Si credimus Portæ Ottomanicæ Scriptori, facile quinque millia; si Badensi tria duntaxat millia, centum, duo, & septuaginta. Ille fortassis Buquoianos, & classiarios pridie pugnæ interfectos, aut captos adnumeraverit, iste præcise in arena repertos. Alii tamen, ut Turcarum stragem nimium augent, ita & nostrorum jacturam ad undecim millia liberali calculo attollunt. E primariis Præfectis dextri cornu, pauci sine vulneribus redierunt, multi in loco pugnæ occisi. Souchius, & Arembergius inter primam curationem expirarunt. Christianus Dux Holsatiæ, Comites Pöttingius, Kolonichius, Buquojus, Adamus Zrinyius prope vallum frameis confecti cum legionum structoribus quinque; sex, & triginta Centurionibus, Pro-Centurionibus quinque, & viginti; totidem fere signiferis, aliisque permultis in variis contuberniis e vulneribus postea extinctis. Haud omisero isthic Henricum Dunewaldum, sæpe mihi per decursum historiæ commemoratum, qui sive castrorum laboribus fractus, sive cœli pestilentia correptus, ultima Augusti Eszekini obiit.

Badensis reducto exercitu Petro-Varadinum victori militi quietem indulsit, nondum certus, quo arma vertat. Mirabantur Turcæ, ecquid moras necteret in stativis? colligendis tantæ victoriæ emolumentis non insisteret? ut adeo dictum Maharbalis in Badensem transtulerint: *vincere scis Hanni-*

A) Ephemerides Leopoldinæ ad 19. Augusti. B) Hunc numerum reperi in epistola Magni Leopoldi data ad Borussum 25. Augusti 1691. Extat T. II. Portæ Ottom. pag. 574.

Hannibal, victoria uti nescis. A) Multorum certe non vana opinio fuit, eo autumno Belgradum cum omni Servia recuperari potuisse, si primis statim diebus post prosperam pugnam in hostem itum fuisset; usque adeo trepidatum est Belgradi, vicinisque in locis. Cum vero animadverterent, Christianorum exercitum veluti bello confecto cessare, annonæ duntaxat convehendæ curas impendere, paulatim a metu respirarunt, dejectisque Savi pontibus Belgradi substiterunt. Triginta circiter millia fugitivorum diversis itineribus eo convenerant, nullo certo Duce, nullo consilio. Post dierum aliquot intervallum, collatis capitibus, partiuntur inter se belli munia, præfecturas militares distribuunt, Chalilem quempiam e Bosnia oriundum, armorum Præfectum creant, Kiuperli nec authoritate, nec ingenio parem, missisque nunciis Adrianopolim facti sui rationem Imperatori reddunt; qui, ne se invito nova Respublica ordinata videretur, partitionem munerum non modo authoritate sua firmavit, sed & Chalilem Vezirium dixit, lætis militibus, quod pro spe consilia, factaque ipsorum æstimarentur ab Imperatore, eosque Præfectos sibi impositos haberent, qui beneficiis vincti mandata acciperent potius, quam darent.

A. C. 1691.

Cæterum Adrianopoli, & Byzantii ad primum nuncium cladis Szalankemensis ingens terror, atque tristitia inter plebem, & Purpuratos oborta est. Imperator præter communem cladem, suam quoque fortunam deflevit, haud levibus curis occupatus, ne infelix principium, præproperum, eumque tristem exitum regimini adferat. Unde, quod gratum populo, & sibi utilissimum sciebat, crebris cum Husseyo Angliæ Legato sermonibus de pace, ponendisque per conditionem armis agitavit. Invectus est iste Constantinopolim septima, & vigesima Julii celeberrima pompa, majori tamen civium gratulatione, quam Purpuratorum exceptus, quos immatura victoriarum spes ferociores per eos dies effecit. At post suorum stragem submisere animos, illudque unum in votis habuere, ut asserto Belgrado, provinciis Turcicis pace perfrui aliquando liceret. Ipse Imperator haud quaquam erecto animo, obruebatur identidem solicitudine, ut ne pertinacibus armis, populi odium in se conciat, aut Confœderatos Principes ad prosequendum bellum magis inflammet. Sic affectus Achmetes, Husseyo faciliores aditus concessit, pacisque negotium, Kiuperlis artibus eversum, iterum resumptum est. Suliffar Effendius Orator Ottomanicus apud Leopoldum Cæsarem, cum anno superiore conditiones admodum duras Confœderatis obtruderet, barbaros, agrestesque mores præferret, re infecta jussus est Constantinopolim abscedere. B) Ea denuntiatione non mediocriter perculsus, oravit, obtinuitque, ut Pottendarffii sibi tantisper subsistere fas esset, e propinquo sui Principis negotia curaturus, si quæ nova mandata acciperet. Szalankemensi prælio audito, adeo consternatus erat, ut inter suorum manus exanimi similis corruerit. Egit postea cum præcipuis aulæ ministris, ut pro ea, qua prævalerent gratia apud Leopoldum, viam inirent aliquam componendæ pacis; se paratum esse in colloquium venire, modo tempus, locumque doceretur. Verum & Byzantii, & Viennæ vix cœptum pacificationis negotium multum retardatum est per Tartarorum incursionem, aversisque in bellum mentibus spes concordiæ prope evanuit. Hordæ aliquot Savum transgressæ, tanta celeritate ad castra Christianorum delatæ sunt, ut antequam miles ad opem ferendam posset accurrere, gregem equorum, camelorumque abegerint. Haud multo post redeuntes, tametsi vicina regio præsidiis militum teneretur, Cornarum, nobilem machinatorum magistrum, cum viæ comitibus captivum abducunt, furtivis procursionibus Illokium, & Petro-Varadinum assiduo divexant. Badensis refecto jam milite, post maturam deliberationem, quam in partem arma destinet, omissis in præsens Belgrado, & Temesia, Varadinum eminus clausum oppugnandum sumpsit. Visum est autem ita exercitum partiri, ut & Hun-

A) T. Livius Patav. L. XXII. post Cannensem pugnam Romanis adversam. B) Anno 1690. die 24. Januarii, Porta Ottom. pag. 525. ait: hunc Effendium præsidio militari Comaromium deductum,

A. C. 1691. Hungariæ, & Sclavoniæ consuleretur. Adversus classem Mezzomortis, & Tartarorum latrocinia, Danubius, & Savus, dispositis per utriusque fluvii ripam stationariis firmatur. Croyo Duci novem legiones sunt datæ, equestres quatuor, pedestres quinque præter turmas aliquot Hungarorum, & Rascianorum. Cum his copiis in Sclavoniam missus ad arcendum hostem, qui ex Bosnia erupturus ferebatur. Reliquus exercitus Duce Badensi Varadinum profectus, difficillimo itinere trium, & triginta dierum eo pervenit.

Abdulatifes Gubernator, corruptis circum præsidium, quæ usui esse possent obsidentibus, exactaque imbelli puerorum, & fœminarum turba, locum per se non invalidum variis munitionibus firmavit. Quarto A) oppugnationis die, Hungari pedites vallum, suburbii B) scutum (Palankam vulgus appellat) a Turcis incensum assultu capiunt. Ipsa urbs duobus, & viginti tormentis, mortariis fere totidem octidui spatio adeo verberatur, ut pleraque ædificia in cineres resederint. Terrorem addidit P. Gabriel e Divi Francisci familia, qui nova arte temperatos ignes in urbem injecit, maximo præsidiariorum incommodo. Nam quoscunque ea pestis corripuit, membratim excruciavit, tardis præ flammæ rapiditate, pertinaciaque remediis. Badensis compendium facturus diuturnæ, quam prævidebat, obsidionis, misso tubicine ad Gubernatorem, præsidium sibi dedi postulavit. Iste non ignarus hyemem nimbis, ac tempestatibus armatam pro se, militibusque suis pugnaturam, si paululum vim perferrent, negavit præcise stantibus adhucdum muris, & præsidiario integro locum se traditurum, quem defendendum, non prodendum a suo Imperatore accepisset. Et vero exeunte Octobri mense crescebat oppugnationis labor, quod fossores humum gelu adstrictam ægre molirentur, & procellam nivium rigidos inter ventos subito effusam seminudus miles haud toleraret. Itaque visum est, lenta, sed propius admota obsidione Varadinum subigere, delectis hunc in finem aliquot legionibus, quibus præesset Castellius Comes; cæteris per propinqua oppida ita collocatis, ut intra quatuor, & viginti horas facile Varadinum possent confluere. Ad custodiendam Palankam mille quingenti Hungari destinantur. Vallum, quod media ab urbe leuca erectum est, mille quadringentis Germanis equitibus servandum datur. Omnes denique aditus deniatis stationibus valide occluduntur. His constitutis, Dux Badensis discessit, Debreczini hyemem acturus.

In Daciam hoc anno multa hostilia moliebantur hostes. Temesiensis Præfectus aditum rimatus in eam regionem, reperit nivium tumulis, & stationariorum multitudine vias omnes accurate obseptas. Baro Polandus, cui stationes concreditæ erant, media hyeme in Valachos Turcarum socios erumpens, centum & amplius repente obruit, cæciditque. Temesiensis verso itinere Karanysebesiam pauco milite firmatam improviso circumsedit. Huc accurrens impiger Polandus cum expedita armatorum manu, ac machinis aliquot castrensibus, promiscuam illam colluviem, adeo feliciter fudit, fugavitque, ut mille cæsis non pauciores in aditu Valachiæ ceperit. Antonius C) quoque, Rascianorum Ductor, eadem hyeme secundis procursionibus inclaruit. Grandiore hostili signo Viennam transmisso evicit apud Leopoldum Cæsarem, ut populares sui in legiones redigerentur. Multi alioquin patriis sedibus depulsi per Hungariæ provincias errabant, latrociniis, aut justo bello panem quæsituri. Ex his conflatæ aliquot legiones, pro stipendio alimenta accepere, maximo lucro Cæsarei exercitus, quod armorum usu, pedestri juxta, ac equestri militia, tum animi, corporisque robore, & velocitate Hungaris pares, prima pericula adirent, exhaurirentque. Evoluta vix hyeme potentior hostis Transylvaniam exterruit. Tököliús, Kiuperlis Vezirii gratia, ære, & milite tumidus semel, atque iterum regioni immi-

A) Nempe 14. Octob. B) Vallum hoc suburbii, sive oppidi Olaszi, trans amnem Chrysium siti, temere a Turcis incensum est. C) Belli hujus scriptoribus Antonius appellatur: Porta Ottom. eidem Doderi cognomen attribuit.

imminebat, cædem, & incendia haud dubie illaturus, ni Veteranius intentiore cura hominis conatus fregisset. Valachiæ Princeps quantum a Cæsare aversus, tantum Tôkôlio offensus, eo plus detrimenti attulit Tôkôlio, quo magis res hujus provehere potuisset. Causa abalienati animi erant equites, qui mercede conducti, aut prædandi licentia extorrem Principem secuti Valachorum perinde, atque hostium oppida ferro, & igne vastarunt. Certe hoc nomine per Valachiam infames erant, multique insidiis excepti ab agrestibus jugulabantur. Cum Tôkôlius nec vellet, nec posset suorum licentiam refrænare (quippe spolia pro stipendiis erant) & obliquis viis Principatum peteret, Valachus suas copias domum revocavit, eoque facto multum virium, vigorisque expeditioni subtraxit.

A. C. 1691.

Sed ille lætis, adversisque multum exercitus, quam arripuerat viam, pertinax tenuit. Ad limites Transylvaniæ delatus Augustum Holsatum Principem octo equitum signis accinctum obviam habuit. Holsatus juvenili ardore abreptus, dum incautus prima in acie dimicat, plumbea glande sternitur. Amisso Duce festinanter excessere campo turmales, & quod mireris sine graviore jactura. Holsati errorem Veteranii prudentia correxit. Quippe uno prælio ita hostem Transylvaniæ finibus abegit, ut eo anno quietæ esse licuerit. Equidem mense Julio, suo, Turcicoque milite firmior (facile vicena millia numeravit) captis Lugosia, & Karanysebesia novam tempestatem minabatur Transylvanis, jamque motis legionibus fuga agrestium alte fiebat, cum a Vezirio mandatum perfertur, quo jubebatur Dacica expeditione abstinere. Crediderim Principis Valachiæ factione, Tôkôlii consilium turbatum, ne victor, aut victus Valachiam rursum persultet. Kiuperle vita functo exercitum suum Belgradum deportat, Turcicoque conjungit. Hic cum Petroczio in atrox vitæ discrimen devenit. Res erat hujusmodi. Miscuerat se Rascianorum turmis Varadinum obsidentium Ottomanus eques, moribus, lingua Rascianum apprime mentitus. Audit sermonem vulgari totis castris: Petroczium ad Badensem epistolam dedisse, qua jactarat, se, Tôkôliumque effecisse, ut ne Varadino suppetiæ mitterentur. Heislerum arcanorum conscium confecta libertate, utriusque merita Leopoldo Cæsari relaturum.

Hæc, seu vera, seu ficta fuerint ad continuandam obsidionem, Turca celerrime Chalili Vezirio enunciavit. Suspicionem intendit frequens epistolarum commercium cum Viennensi aula in negotio suæ conjugis, & nobilium captivorum Heisleri, & Doriæ. A) Chalil nihil ultro moratus, cursim auditis primariorum Ducum sententiis, utrumque comprehendi jubet. Adversus vim satellitum ferrum corripuit Tôkôlius. Sed graviter sauciatus pluribus impar, Petroczio jam capto, vinctus in urbem asportatur. In quæstionem vocatus, cum præter vanum rumorem nihil objicere, probareque posset accusator, facile omnem suspicionem diluit, & paucis post diebus sententia Chalilis absolutus libertati cum socio redditur. Purgavit factum Vezirius, multa verborum lenitate, & assignatis in agro Passarovicensi pinguioribus stativis, hominem hujusmodi hamo capi solitum, non placavit modo, sed & novis furiis accendit. Eodem fere tempore Helena Princeps Rakoczia, quæ Viennam cum liberis traducta apud Virgines Divæ Ursulæ degebat, post multam aulæ deliberationem, & non semel commutatas a Tôkôlio pactionum tabulas, ad virum suum proficiscendi potestatem accepit, postquam Heislerus, numeratis septem aureorum millibus e vinculis dimissus est. At Marchionem Doriam non tam provectior ætas, quam multiplices ærumnæ in captivitate Uipalankæ, vel (ut aliis placet) Semendriæ confecerunt. Corpus jussu Tôkôlii curatum a famulis Doriæ, in Cæsaris ditionem avectum fuit. B)

In Illyrico ne quid detrimenti ab hoste acciperetur, Nicolaus Frdôdius contracto undique provinciale milite itinera insedit. Kauniczius mille Germanos, plures Hungaros, & Rascianos Posegæ admovit, ac tridui oppugna-

A) Capti sunt isti in Transylvania post infaustum prælium anno 1690. B) Porta Ottom. T. II.

A. C. 1691.

pugnatione locum infestavit, sed confluentibus magno numero Ottomanis, cum multo inferiorem se videret, retractis obsidionalibus machinis in hyberna rediit. At Croyus in Sclavonia suo munere præclare est functus. Bosniæ Gubernator post captum Belgradum maximam illius regionis partem subegerat, Croatiæ oppidis cladem, incendia e propinquo minitans. Croyus Eszekino, & Darda præsidio firmatis, ductis, quas secum habebat, copiis ad Savum repurgandum abit, atque Brodium a Bosnensi communitum, undecima die Septembris obsidet. Turcæ depactis per propugnacula vexillis, tum repetitis ex composito clamoribus speciem defensionis præbuerunt; verum nocte intempesta deserto præsidio per notos calles in tutiora semet recepere. Gradiscani vicino hoste admoniti, tanta trepidatione Savum petierunt, ut facile quadringinti aquis absorpti fuerint. Duodevigesimo Septembris in oppido incenso multa suppellex reperta. Bakaraczium tolerata unius diei oppugnatione pari felicitate in potestatem venit, centum quinquaginta præsidiariis Gradiscam abductis. His munimentis spatio non integri mensis exuti Turcæ, fere omni Sclavonia demigrarunt. Hæc quidem Hungariæ, vicinarumque regionum fortuna erat.

Apud Venetos hoc anno, etsi pacem in Senatu respuerant, bellicus ardor non mediocriter refrixit. Calendis Februarii extincto Alexandro VIII. Christi Vicario, vetabatur Pontificia classis Italiæ portubus excedere, tum ne factione quorundam Principum Purpurati Patres in electione novi Pontificis turbarentur, tum quod prædatoriæ naves Turcarum, maritimas urbes per eos dies infestas haberent. Melitenses externo milite destituti, suppetias dare Reipublicæ prohibebantur. Itaque in Venetos universum belli onus incubuit. Præfecturam terrestrium legionum, Marchione Guadagnio vix cœpta expeditione missionem urgente, Baro Hannibal Degenfeldius, annuo viginti millium aureorum nummum stipendio allectus, accipit. Interim Mocenicus, multarum palmarum Dux, instaurata per hybernos menses classe, ad primum rumorem obsessæ Aulonis, in Albaniam Venetas legiones deportavit. Circumvallavit eam Albaniæ Gubernator Solymanus cum decem millibus peditum, tribus equitum, nondum satis mitigata hyeme. Urbem præsidio numeroso, reque cibaria abunde instructam infelix casus Præfecti Sparrii paucis post diebus perdidit. Immiscuit se ille erumpenti manipulo, milesque melior, ac Dux, certamen, quod imperio suo temperare debebat, manu promptus temere accendit; cum grandior tormenti globus sive dolo, sive imprudentia libratoris Veneti excussus, ferociter dimicantem momento discerpsit. Amisso Duce non consilium, non animus erat locum ultra defendendi. Mocenicus intra castrorum munitiones non ausus aggredi Ottomanos copiis alioquin superiores, astu militari obsidium laxare, atque consternatis viam fugiendi aperire instituit. Dyrrachium, Turcicarum partium eo temporis urbem, ab annona non satis munitam repentina obsidione cingit, omniaque majori tumultu, quam virium fiducia ad oppugnationem comparat, admonitis prius Aulonensibus, ut si Solymanus militum partem Dyrrachium præmitteret, ipsi elusis stationariis nocte concubia ad mare decurrant, conscensisque, quæ præsto erunt, navigiis, fuga salutem quærant. Res feliciter vertit.

Namque Albaniæ Gubernator, posthabita alienæ urbis obsidione, pauculis ad castrorum opera relictis Dyrrachium liberaturus itineri se dedit. Aulonenses, quæ chara habebant, & pretiosa festinato elatis, sparsoque non uno loco incendio urbem ruderibus suis consepultam hosti relinquunt. Fulgore orientium flammarum exciti stationarii, cum sero fraudem sensissent, frustra prædam, & hostem quæsiverunt. Mocenicus haud diu moratus ad Dyrrachium, in Peloponnesum tanto celerius navigavit, quanto frequentioribus nunciis perlatum est, Græcanicæ gentis homines apud sinum Corinthiacum cum Seraskerio colludere, multos Venetæ amicitiæ pertæsos Turcarum partibus accessisse, atque Naupactum Locridis a Græcis, ac Turcis obsessam teneri. Sed antequam appulsa esset classis, præsidiarii ad submo-

vendum

vendum fossæ imminentem hostem egressi, prospera pugna perfidiam sunt ulti plurimis interemptis, aut captis. Hoc certamine intellecto, Mocenicus contento cursu Mitilenen petiit, omnemque insulam late depopulatus, urbi ejusdem nominis igniariam sane oppugnationem intulit. At enim florentissimum præsidium immanes impensas, & felicis cæteroquin Imperatoris industriam pervicaciter elusit. Inde discedens navalem pugnam Ottomanicæ classi in angustiis Bosphori Thracii hærenti non semel indixit; cum nihil moveret hostis, post multa tædia expeditioni finem imposuit.

A. C. 1691.

Apud Polonos sterilis victoriarum, imo clade aliqua memorabilis hic annus decurrit. Legato Tartariæ Reguli sine spe pacis dimisso, in belli studia rursum exarserunt Senatores. Rex multiplici cura distentus, data ad Alexandrum Pontificem epistola, in qua expositis magnifice magis, quam superbe, quæ ad eum diem pro re Christiana adversus Ottomanos egisset, pollicitus est, se firmato in bellum animo, inposterum quoque summis viribus adnisurum, ut magno fœderi, communi omnium parenti faciat satis. Illud autem permolestum accidere Reipublicæ Polonæ, quod tot gravissimæ expeditiones, & immodicorum sumptuum ærarium Regni exhauserint: orare proinde majorem in modum, pecuniario subsidio angustias levaret. Rescripsit Pontifex, haud se bellicorum onerum immunem esse velle, nec cessurum liberalitati Innocentii XI. Verum morte Alexandri post paulo consecuta, res adhæsit. Adhibitis subinde in consilium Regni Primoribus, deliberari voluit: Camenecumne oppugnandum hoc anno, an in Tartariam ducendæ copiæ? variantibus sententiis nihil certi confici potuit. Illud unum omnium suffragiis statutum: Legatos nomine Reipublicæ in Moschoviam mittendos, qui universæ genti stimulos addant ad belli continuationem. Spei plurimum isti retulerunt, quod apparatus toto Imperio fierent, & Petrus acerrimæ indolis Princeps in bellum æstuaret. Circumacto anno non miles extra limites eductus, non signum hostilitatis elatum. Tum legatio Turcarum amice accepta luculento indicio erat, a Moschis nihil Tartaris, nihil Turcis pertimescendum. Rex nihilominus in arrepto semel proposito constans perseveravit, & quidquid uspiam adminiculi se proderet in spei bonæ argumentum vertit. Gaudebat in primis Leopoldum Cæsarem intentiore cura bellum parare in Hungaria, ac sex millia A) legionariorum in Poloniam destinasse, quibus speravit aut Camenecum subigi, aut hostem nobili clade profligari posse; & quamvis hoc etiam auxilio ad extremum destitutus fuerit, bellum tamen prosequi placuit.

Nondum absterfa hyeme, Tartarorum Hordæ Russiam Rubram dira populatione protriverunt, abactis facile octingentis incolis cum pecoribus. Cameneci depositis spoliis, rursum alias provincias urunt. Animadverterunt dudum Poloni, Russiæ Palatinatum nunquam sat tutum fore ab injuriis, nisi Camenecum reciperetur, ipseque Rex magnopere inclinavit, ut ad hanc arcem, asylumque prædatorum perdomandum universæ vires conferrentur. Sed plerique Senatores censuerunt, abstinendum in præsens munitissimæ urbis aggressione, ac deportato in alienam provinciam bello, certaminis aleam neutiquam declinandam, si hostis semet objiciat. Præterlapsa meliori parte æstatis Moldaviæ a Tartaris insessæ illata sunt arma. Lubomirius Princeps cum mille quingentis equitibus hostium castra explorare jussus a Rege, in insidias præcipitat. In quindecim millia Tartarorum improviso incurrens, mox ab iisdem circumfusus, ægre nuncios sui discriminis ad Regem expedire potuit. Is nihil cunctatus cum omni equitatu confestim advolat; quo intellecto, cum impares se viderent Tartari, de sua jam salute soliciti, multo celerius, quam accurrerant, abscessere.

Jannina Princeps Moldaviæ, Turcarum amicitiæ innexus, metropoli sua Jassio deserta, imminentem tempestatem maturata fuga evasit, atque e longinquo fumantis patriæ ruinas aspexit. Commonefactus a Rege, ut ejurata

A) Præter Ottomanicam Portam, meminit quoque Godefridus Lengnichius copiarum auxiliarium.

A. C. rata Ottomanorum societate, Polonorum fœderi accedat, veterem cantile-
1691. nam repetiit: *sibi, etsi maxime perciperet, jam integrum non esse pedem referre. Principem suum natu maximum Constantinopoli obsidem detineri; haud dubie laqueo præfocandum, & Principatus jura in Tökölium transferenda, si vel levissimam suspicionem mutati animi præberet.* Jassium de deditione compellatum, pronis animis præsidium admisit. Quanquam id temporis prope vacuum erat, multis oppidanorum alio dilapsis, qui videlicet ab re familiari minus comparati, ob annonæ caritatem, Valachiam, amicam moldavis regionem, petere cogebantur, aut sponte sua Ottomanorum fortunam sequebantur. Niemikum, & Sorokum, leviter munitæ arces, vix inchoata oppugnatione in fidem Polonorum adactæ sunt, quibus, uti & aliis locis, Regium militem imponere tantisper placuit, dum deliberaretur, an ultra fines Moldaviæ arma promovenda, & Tartari domi suæ investigandi? cessantibus Moschis, & frigidiore jam autumno, a longinquo, & sterili solo omnes abhorrebant. Itaque deductis præsidiis, & vastata hostilem in modum Moldavia, ad Tyram fluvium reduci est cœptus exercitus. Nihil se moverunt Tartari, donec per apertos campos agmen incederet. Postquam in asperam montibus regionem, & equitatui, qua parte maxima valebat Polonus, incommodum, perventum est, difficultate locorum fessos, ac impedimenta invadunt, pluribus locis pugnam conserunt. Præter quotidiana certamina, quibus sarcinarum pars cum calonibus, & non pauci militum interierunt, penuria alimentorum, & ad extremum fame omni hoste truculentiore, premebantur Poloni. Tandem in exitu mensis Octobris partim pugnis, partim fame peremptis viginti millibus equorum, ut tradit Lengnichius, & pugnacissimis militum per insidias a redeunte Moldavo cæsis, Poloniam tenuerunt. Huc recidit magnis animis, impensisque cœpta expeditio.

1692. Post pugnam Szalankemeniam etsi Ottomani multum virium, vigorisque se amisisse haud ignoraverint, cessatione tamen Moschorum, tum Polonæ, tum Venetæ Reipublicæ minus prospero belli successu erecti, quam celerrime delectus militum, variosque apparatus toto Imperio faciunt, quod sibi plane persuasum haberent, cum uno Cæsare, eoque plures in hostes diviso, rem in Pannonia fore, & si paululum adniterentur, & Budam recuperari, & pacem, tot strage legionum frustra quæsitam, utilissimis conditionibus præsenti anno extorqueri posse. Res nostræ angusto admodum loco futuræ erant, ni Deus ambitioso, sævoque ingenio Chalilis Vezirii conatus retardasset. Non paucos ille e civili, militarique ordine viros fictis criminibus afflixit. Alios maturata nece, alios lento exilio punivit. Caimacanem, Janicsarorum Agam, Principem Eunuchorum, pluresque primæ authoritatis Præfectos, quos suæ fortunæ obfuturos credebat, paucos intra dies evertit. Mufftius quotidiana funera clarissimorum civium non ferens, Achmetem Imperatorem serio commonefecit, ut furentem coerceat. Vezirius super cupidinem potentiæ, hac libertate accensus, cum per metum populi in sacrorum antistitem sævire non auderet, eum dignitate movet. Qui successerat, cædes sanguinarii hominis, & continuata exilia de integro ad Imperatorem defert, minas intrepide addit, nisi intra definitos dies tyrannidi modum imponat. Enimvero exterritus improvisa denuntiatione Imperator, & alioquin tot præstantium virorum nece, exiliisque irritatus, Vezirium propere in aulam accitum præfectura spoliat, ac aqua, & igne prohibitum ad angustias Hellespont (Dardanellas) deportari jubet. Pecunia omnis in stipendia militum est versa. Meminere Historici, bis centum quinquaginta millia Imperialium, tum ter centum millia aureorum nummum, præter gemmas rari pretii, in illius palatio reperta. a) Tantas opes unius anni spatio corrasisse dicitur e proscriptorum fortunis.

Eodem

a) Porta Ottom. Tom. II. pag. 595.

Eodem adhuc die evocatis in Divanum Purpuratis, novum Vezi- A. C. rium militiæ gnarum, corpore validum, & bello, quod instabat, suffectu- 1692. rum, eorum judicio deligendum proposuit Imperator. Præter morem id factum scio: fortassis popularitatis speciem præbere voluit Achmetes, viderique ministros suos in curarum partem asciscì; aut si minus felicem legerent, omnem culpam, atque invidiam in eos derivare posset. Tres tanto muneri pares in oculis, votisque habebantur: Alyus Mesopotamiæ Prætor, clarus militari scientia, quive Karæ-Mustaphæ Viennam impugnanti socius erat; cæterum nec militi charus, & plebi invisus. Ibrahimus Eubœæ insulæ Gubernator, Chalcide fortiter defensa adversus Venetum celeberrimus. Mustaphas Syriæ præfectus pace melior, quam bello. Omnium suffragiis Alyus prælatus est. Ut is rumor ad Chalilem pervenit, stupenti similis fatetur: se ante sex dies in Mesopotamiam properare jussisse Kapigios, qui hominem obtruncent, caputque Byzantium deferant. Celeritate idcirco opus esse, ut ne cædes peragatur ante, quam nuncium Imperatoriæ voluntatis intelligat. Arabum quispiam notæ celeritatis, illico in Mesopotamiam advolare jussus, Kapigios prævertit. Alyus honore, & Purpuratorum de se judicio alacris, componendis rebus die uno, & altero insumpto, continuatis itineribus Constantinopolim fere exeunte Majo intravit.

Illius adventum de perdito Varadino tristes nuncii consecuti sunt. Ea urbs post hybernam obsidionem ab Heislero primo vere oppugnari cœpit, accersito e Transylvania, & Sclavonia Germano milite, cui adjunctæ erant tres pedestres legiones Hungaræ. Ductis obsidionalibus fossis, sub medium Maji verberationi initium est datum adeo diu, noctuque repetitis ictibus, ut nemo armatorum in propugnaculis, aut domi suæ tutus esset. Ut ad fossæ marginem proreptum, omnis fere difficultas in ea desiccanda molitoris ingenio, operaque sublata est. Aderat ille in castris, dum anno sexagesimo supra millesimum sexcentesimum e fossa derivatis aquis Varadinum eriperetur Hungaris, A) eademque prorsus ratione in præsenti oppugnatione aditum patefecit ad muros. Palustris fossa continenti militum labore cæsis arboribus, variis sarmentis expletur, suggestus novi attolluntur, vis ignium, pilarumque non parce dejicitur Börnero machinatore, e quibus una in nitratos pulveres delapsa, stragem hominum, tectorumque immani fragore edidit, acti denique cuniculi murorum partem nudaverunt. Misso caduceatore deditionem postulavit Heislerus, simul nuncians externum subsidium frustra expectari, aulam Byzantinam factionibus scissam, copias nondum Adrianopolim motas, Tököliam nihil moliri. Gubernator urbis Abdulatifes, veluti grandem exercitum Turcarum in campis Varadinensibus conspiceret, ferociter abnuit. Quinto tandem Junii, posteaquam ad supremam aggressionem omnia comparata vidit, desperata urbis defensione quinos Præfectos ad paciscendum in castra ablegat.

Precati Heislerum, hostilitate tantisper abstineat, reliquumque diei, & noctis supremæ consultationi oppidanorum donet. Cohibita verberatione mænium, duobus primariis, obsidum loco retentis, ac totidem Cæsareis in oppidum missis, secuto die reversi, sex, & decem conditiones Turcica lingua scriptas, ac unde triginta Primorum authoritate signatas obtulerunt, quas Heislerus omnino ratas habuit. Præter duas B) arces Gubernatori Varadinensi subjectas, ac annonam aliquot dierum, obvenerunt nostris quatuor, & septuaginta tormenta, e quibus unum septem pilas singulis jaculationibus evomuit; duo, & viginti mortaria, sulphurei pulveris multa doliola, tum majores, minoresque globi. Excessere præsidio bis mille armati cum numeroso fœminarum, puerorumque grege. Tam opportuno loco præesse jussus erat Heislerus cum duobus millibus Germanorum, & quadringentis Hungaris, sed quoniam is afflicta valetudine Badenses ad aquas discesserat, C. Corbellius præfecturam administravit. Dediditii Tur-

A) Vide Ephemerides Leopoldinas ad 17. Augusti anno 1660. & repete memoria, quæ narravimus ad annum 1664. B) Has arces corruptis nominibus legere est in Porta Ottom.

A. C. cæ mille ducentis curribus Pancſovam devehendi erant, jamque aliquot leu-
1692 cas confecerant, cum mandato aulæ vetantur ultro progredi, ni Chriſtianis ad Orſovam captis, & contra datam fidem Belgradum raptis vincula demantur. Res ita habuit. Anno ſuperiore Hungari equites A) Serviam populaturi, forte Orſovam cum aliquot inſulis intercipiunt. Inter eas Peſcabara, vulgo Romanaz, inſula frænandæ navigationi peropportuna viſa eſt Veteranio. Neque diu cunctatus, locum natura alioquin munitum, machinatorum ingenio adeo firmat, ut prope inexpugnabilis haberetur. Huc ter centum Germanos Arnano Ductore injicit, & promptiſſimos Raſcianorum, qui regionis gnari, furtivis procurſionibus Serviæ, & Valachiæ oppidis perpetuo infeſti, hoſtium quoque naves anguſtias illas petere auſas expugnant, multiplicesque rerum, hominumque prædas in eam inſulam recondunt.

Belgradi Gubernator omnem curam intendit, ut eo malo Danubium liberet, & navigaturæ annonæ ſecuritatem præſtet. Aſſumptis aliquot millibus Janicſarorum, inſulam circumdat, munitionem muralibus machinis ſubruit, obſeſſos fame ad deditionem cogit. Pacti libertatem, & ſarcinas integras, contra ac conventum erat, Belgradum deportantur, ubi omnes rebus ſuis exuti, pars in carcerem conjecti, pars ad opus faciendum adacti. Cæſar indignum, & exempli noxii facinus vindicaturus, Varadinenſes Tokainum deduci juſſit, a B. Wrangelio loci Præfecto partim in præſidio, partim in proximis oppidis captivos attinendos, dum læſæ fidei ad unguem ſatisfiat. Nona tandem Auguſti lis compoſita eſt per Vezirium, qui miſſo Chauſio in caſtra ad Principem Badenſem, Chriſtiani nominis captivos cum omnibus ſuis impedimentis priſtinæ libertati reſtituit. B) Amiſſo hoc propugnaculo, ingentem procellam commovit Tökölius in Valachiæ Principem. Mandatum huic erat, ut quantum copiarum contrahere poſſet, Tökölii vires augeat, ac quoquo modo obſeſſæ urbi opem afferat. Imperium diſtulit ſive ſponte ſua, ſive domeſticis turbis, quarum authores extitere Mironaska ſcriniorum Magiſter, ſeu Cancellarius, & Princeps filius in fortunas parentis, & vitam imminens. Minoraska cum non paucis ſecuri percutitur; Princeps Adrianopolim dilapſus accuſationem Tökölii eo validius firmavit, quo ſolidioribus in ſpeciem argumentis Patris fidem, integritatemque ſuſpectam reddidit. Ad dicendam cauſam Adrianopolim evocatus Valachus, ſex primarios ſuæ provinciæ viros cum muneribus ablegat, a quibus expoſito vitæ, fortunarumque periculo a ſuſpicione perfidiæ adeo feliciter exemptus eſt, ut propius ſupplicio fuerit filius, qui ſupplicium intentaverat.

Durante Varadini obſidione C. Caſtellius tres legiones equitum cum quinque ſignis peditum Hungarorum, & uno Germanorum ad intercipiendum Gyulæ præſidium ducit. Nocte plerumque facto itinere, ſub noctis extremum tribus partibus oppidum invadit, capitque, quingentis Turcis ſomno ſepultis momento obtruncatis. Supererat arx militari manu prævalida. Hanc ut pari impetu captam victoriæ addant, milites hortatur. Sed illi vim omnem ad prædam convertunt, de eo unice ſoliciti, ut ne a ſociis (& erant diverſæ nationis) in ſpoliis legendis præverterentur. Conſuetum hoc malum infauſtis ſucceſſibus ſemper in militia damnatur, ſemper prævalente avaritia retinetur. Prædatorum avaritia ſpatium nacti Ottomani, arcis portam obmuniunt, atque e ſuperiore loco in ſparſos non innoxie fulminant. Caſtellius ipſe in prædabundos equitem immittit, quo facto rapiendi cupiditatem acrius accendit, veluti novi ſocii in partem ſpoliorum advolarent. Cum nihil e diſciplina militari ageretur, præſidiarii, ac cives conjunctis viribus toto oppido vagos infeſti aggrediuntur. Nec diu pugna prædatores tenuit. Plerique prædarum magis, quam commilitonum, decorisque cura, protinus fugam arripiunt; promptiores dum ſe, remque ambiguo animo tuentes, nunc frontem hoſti, nunc tergum obvertunt, aut cæduntur, aut cum præda in Turcarum manus deveniunt. Hæc gerebantur, nondum ex hybernis moto exercitus robore.

Vezi-

A) Hæc Porta Ottom. pag. 565. B) Porta Ottom.

Vezirius Constantinopolim ingressus opinione sua tenuiorem rerum apparatum, militumque numerum reperit; e tali principio haud lætum sibi bellum ominatus. Unde primam curarum eo sedulus vertit, ut Achmetem ad petendam, ineundamque pacem pertraheret. Verum cum Adrianopoli in Divano, cui Tökölius interfuisse narratur, bellum in Cæsarem, & Confœderatos uno omnium judicio jam decretum, & fatalis equi cauda Byzantii mense Martio depacta esset, viam nullam superesse vidit, qua pacis desiderium inclinatis in arma animis persuadeat. Neque ille diutius cunctatus, posteaquam Varadini casum inaudiit, veritusque, ne eædem ruinæ opprimerent Belgradum, quas in castris collectas habebat copias, in Serviam festinare jubet cum imperio, ut pro Belgrado excubent, urbique muniendæ strenue incumbant. Cornarus machinator bellicus, quem anno superiore a Tartaris captum meminimus, felici fuga e vinculis elapsus retulit; dena hominum millia instaurando Belgrado insudare, facile tamen male cohærentia opera disjici, atque ipsam urbem vallis duntaxat terreis non uno loco obseptam expugnari posse, si vel mediocris exercitus eam invaderet. Classem Turcarum multum annonæ advexisse; videri sibi, hac æstate auctiores fore hostium exercitus, atque alias. Sed perinde illis, ac nobis multa defuerunt, bellumque utriusque partis segne, & prope nullum erat. Nervum militiæ Cæsareæ Imperium, & Sabaudia tenuit; quæ in Hungaria hybernarunt legiones, post Szalankemeni victoriam nec justis numeris expletæ, nec bellica penu instructæ, & quod expeditioni plurimum obfuit, pecunia supra modum laborabatur. A Principibus exteris quatuordecim, & amplius legiones missæ, evoluta æstate primum in castra convenere. Ad hæc morbi per Hungariam disseminati, & militem, & civem attenuarunt. Veteranius Transylvaniæ Gubernator, receptis Varadino legionibus, suæ provinciæ limites versus Valachiam, & Hungariam egregie communivit, intentusque in omnes Tökölii conatus, Dacos metu defixos ob paucum militem, non interrupta pace per æstivos menses, mirum! quantum recrearit.

A. C. 1692.

Guidobaldus Starembergius, cui post Croyum Sclavonia attributa erat, non expectatis Principum Germanorum auxiliis, equestres copias in campum Mohacsiensem, pedestres Eszekinum evocat, ac loca Dravo amni adsita, temporaneis castellis, magnisque stationibus partim ad castrorum, Eszekinique tutelam, partim contra hostium incursiones per otium firmat. Inter hæc hostes duobus pontibus ad Belgradum Danubio juncto in Daciam cogitabant. Sed animadverso, Veteranii cura omnes aditus obseptos, consilia, & vires in Titulium mediocriter munitum oppidum subito expromunt. Placuit classem in communionem laboris accersere. Ea Tibiscum invecta, Rascianum militem jam terra obsessum eo acrius ad defensionem incitavit, quo certior pernicies imminebat (nam fuga omnis intercepta erat) ni vinceret. Raro alias tanta pertinacia pro vallo dimicabat Rascianus. Turcæ oppugnando fessi recedere coguntur; at decem post dies aucti numero redeunt, locumque obtinent nullo defensore reperto. Juxta ripam Tibisci ultra progressi, Pócsio affunduntur, frustraque assilientes, amissis bis centum Janicsaris, & navigiis non paucis, Belgradum abeunt.

Badensis sub initium Augusti, nec ante octavam Septembris post Luneburgicos Borussi in castris adfuere. Præter Hungarorum equestres, & pedestres legiones, equitatumque Rascianorum, duo, & triginta millia explebant Germani. Temesia, aut Belgradum cingi poterat, nisi lente adrepsissent auxiliares, graves in itinere civibus, in castris jam inutiles. Eszekino Petro-Varadinum copiæ traductæ, adeo omni morborum genere languebant, ut non labori castrensi, non armis sustinendis plerique peditum pares essent. Ipse Badensis morbo prostratus hortante Cæsare Viennam abscessit, tradito exercitu Croyo. Qui integri erant, ut nervorum exercitatione adversus vim mali grassantis se tuerentur, vallum moliri sunt jussi, ac Petro-Varadinum continuata circa urbem fossa, semilunaribus vallis, aliisque munitionibus, ingenio Keysersfeldii machinatoris, in futura pericula comparare.

A. C. 1692. Nec aliud actum, præstitumque in hac languentium expeditione. Rasciani castrorum hoc tædium haud ferentes, Serviæ populationem intulerunt. Ad Moravam amnem occultis itineribus improviso delati, currus advehentes ad stipendia copiarum Vezirii magnam vim argenti (trecentas A) bursas scribunt alii, alii tria B) bursarum millia) obvios habent. Pulso Turcarum comitatu divitem prædam diripiunt, tum Albaniæ Præfectum vias obsidentem non sine clade propulsant.

Classis Danubiana a Marchione Fleuryo C) non levibus sane ærarii impensis Jaurini, & Comaromii adornata, ut spes ingentes de se dederat, ita postea nulli usui fuit. Præter tres bellicas, quarum singulæ quadraginta, & amplius tormentis armatæ, duodecim minoris formæ, sed suis quoque telis instructæ, tum quadraginta saikæ, & viginti tres naves multo sulphure, aliisque ignium alimentis, adversus hostium vim, instante certamine complendæ, Petro Varadinum defluxere. Par huic classi defensorum numerus datus, videlicet ter mille quingenti, non accensis navium magistris, remigibusque. Fleuryus, & minores Præfecti, quos ex ultima fæce hominum sibi delegit, mercaturæ cupidiores, quam armorum, non hostem lacessere, non percursare Danubii insulas; contenti alto otio, ac quotidianis lucris more institorum suas opes augere. Turcica classis nec numero, nec viribus suppar Fleuryanæ, perinde quievit. Re nulla memorabili gesta maturo autumno utraque subducta est, terrestres quoque copiæ eodem tempore hyberna sua repetierunt.

Vezirius amplissimis laudibus celebratus magnos inter exercituum Ductores a suis habebatur, quod Belgradum, paucumque militem, quadraginta millia erant, e præsenti, ut loquebantur, pernicie extulerit. Constabat omnibus, alienissimo tempore res Imperii exilio Chalilis fuisse confusas, ex Asia raros, e Tartaria nullos in Serviam profectos, Belgradum suis adhuc dum ruinis consepultum, militem in dies morbis confectum. Unde conficiebant unius Vezirii fortunæ, aut calliditati vires suas ultra modum ementientis tribuendum, salvo Belgrado, nullaque clade accepta expeditionem peractam. Parum reputantes, quam multis ad dimicandum adjumentis destitutus fuerit Badensis. Vezirius dimissis copiis Belgradi substitit, in muniendam urbem curas omnes inprimis defigens. Cæterum & altera causa morandi suberat. Pacem fieri avidissime cupiebat Anglus, Hollandusque inter Cæsarem, & Turcam, quo ille Ottomanico bello liber, suarum legionum vires ex Hungaria in Belgium, aut alias provincias a Gallo oppugnatas transportet. Leopoldus Imperator, ut ne fida sociorum consilia abjicere videretur, quibus plurimum deferebat, ea super re agendi cum Turcis potestatem impertitur. Illi telam infeliciter cœptam pertinaci conatu pertexere nitebantur.

Post Husseyi D) repentinam mortem, pacificationis negotium tantisper adhæsit, dum Harbordsius nobilis Eques pari authoritate ab Anglia ornatus, Belgradi Vezirium convenisset. Jamque agebatur de induciis, cum duodecima Augusti, simili, quo Husseyus, fato extinctus est. Utrumque veneno necatum vulgus credidit. Ab istorum obitu non post multo urgendæ pacificationi Belgradum defluxit Hemskerkius Hollandus, quem secutus est Guielmus Pagetus Anglus, Belli deserti Dominus, fiduciariis literis ab Vezirio instructi, & non secure modo, sed magnifice etiam, ac splendide ubique locorum excepti. Interprete Maurocordato Hollandus apud Vezirium commoda pacis, bellique discrimina summa moderatione disseruit, petiitque nomine suæ Reipublicæ, ut locum colloquii, & tempus designet, quo tandem bonis conditionibus fatale bellum abrumpatur. Ille ut conducibile tum temporis erat, promptum animum testatus, operam

A) Historia Magni Leopoldi. B) Porta Ottomanica. Quid nomine Bursarum apud Turcas veniat? retuli ex Ricantio ad calcem pag. 228. C) Hujus hominis variam fortunam lege sis in historia Magni Leopoldi Tom. II. Lib. XII. D) Mortem obiit Husseyus Constantinopoli anno præterlapso, ut recenset sua in historia Petrus Garzonius Nobilis Venetus P. I. L. IX. pag. 422.

ram ſuam pollicebatur. At ſolutis Chriſtianorum caſtris aſperior, aditu prohibuit Anglum. Belgrado quinta Decembris abeuntes Oratores feſto apparatu Adrianopolim intrarunt. Nec Vezirius iter ſuum diſtulit. Vergente ad exitum Decembri, agmine mille armatorum, & non paucioribus miniſtris, famulisque comitatus urbem excivit, ipſo Achmete e ſuo conclavi pompam ſpectante. Grande vexillum, ut appellant, Mahometis Prophetæ in palatium Imperatoris relatum.

A. C. 1692.

Splendida hoc anno menſe Martio e Perſide legatio Adrianopolim venit. Munera ducentorum millium Imperialium Soltano deſtinata, ſexaginta raræ magnitudinis cameli, tum elephas aureis ſtragulis inſignis, barbara oſtentatione per urbis compita ferebant. Legationis capita hæc præcipua erant: Perſici Regni habenas parentis exceſſu liberas Solymanum ſuſcepiſſe, petereque amice, ut fœdera tot annis A) religioſe ſervata, inſtaurarentur. Nulla jucundior Ottomanis hac legatione fuerit, evaneſcente rumore: ad Bagdatum centum millia Perſarum ſub ſignis ſtare. In reditu, quidquid Adrianopoli firmatum, prope diſſolutum eſt. Haud procul aberant a ſuis limitibus Perſæ, cum manipulus Arabum in eos impetum facit, & turbam fœminarum (multas ſive dono acceptas, ſive ære emptas Adrianopoli, in comitatu habuere) captivam abducunt. Jura gentium læſa querebantur Legati. Achmetes ſolicitus, ut ne paucorum ſcelus in cauſam belli traheretur, igne, & ferro graſſatores perſecutus eſt, feſtinatisque amplioribus donis, belli ſcintillas præfocavit.

Croatæ binas procurſiones, quod ſciam, in hoſticum fecere. Altera Bihacſium cum finitimis villis vaſtatum, altera Krupenſis ager exuſtus. B) Orarunt illi Starembergium, ſubmitteret legionarium militem, quo Bihacſium, veterem illam, & circumjacenti regioni permoleſtam ſpinam obtundant; a vehiculis, annona, inſtrumento bellico ſe ſatis comparatos. Starembergius æſtimatis tanti præſidii munitionibus, e re fore minime exiſtimavit, Croatarum petitioni ſubſcribere. Quippe Bihacſium C) in inſula Unnæ fluvii ſitum, valide firmabant, & nova veteribus munimentis addita propugnacula, & valla ſudibus armata arci præſtructa, & ſaxeæ turres tricenis etiam tormentis minaces; & ſuper hæc magna Bihacſii munimenta Bihacſienſes ipſi ſtrenui, & quotidianis præliis multum exercitati. Croatæ tamen peditum auxilio deſtituti, quo intenderant, perrexerunt. Oppidum poſt unam, alteramve impeſſionem captum, flammis deletur; arx ſuis munitionibus, & defenſorum numero tuta nihil detrimenti accepit. Haud diſpare ſucceſſu Michael Vidakovichius Krupenſem tractum percurrit, oppidis juxta, ac ſegetibus gravis.

Veneta Reſpublica nec felici principio, nec proceſſu uſa eſt in inſula Creta, & Peloponneſo, tametſi delectui militum, ædificandæ claſſi principem curam per hybernos menſes domi, foriſque daret. Apud Naupactum tamen Achajæ urbem, non inferiorem votis, ac conatibus ſuis exitum habuit. Anguſtiis rei argentariæ preſſa, grande ſubſidium accepit ab Innocentio XII. D) tum in vendundis, ſeu publicis muneribus, ſeu honorum titulis nihil omnino induſtriæ prætermiſit, quo attenuatum ærarium inſtauret. Armorum Præfecturam, Hannibale Degenfeldio Naupliæ vi febrium extincto, Trautmansdorffio veterano ordinum Ductori, & militari ſcientia claro, quam in Hungaria multis ſane expeditionibus adverſus Turcam hauſit, tradidit. Sed antequam is in Cretam navigaret, Carabuſa, ſive Corſira

A) Poſtremum bellum, quod ſciam, adverſus Perſam Amurathes IV. inſigni emolumento Turciæ geſſit. Inſpice, ſi lubet, res geſtas ad annum 1636. pag. 10. Bagdato Perſæ erepto, Imperatores Ottomanici vires ſuas in Principes Chriſtiani nominis verterunt, niſi quod ſeculo decimo ſeptimo Bagdati cauſa tanto acrius reſumpſerint arma, quanto diutius pacem coluerint.
B) Porta Ottom. C) Bihacſium, aliis Bihicium, & Bihigium, urbs Croatiæ. Ferunt eam conditam a Bela IV. A Turcis occupata anno 1592. nondum jugum poſuit. Vide Tom. I. pag. 236. Anno 1697. rurſum a Chriſtianorum exercitu oppugnatum fuit irrito conatu, ut ſuo loco dicturus ſum. D) IV. Idus Julii anno 1691 Alexandro VIII. eſt ſubrogatus. Sandinus in Vitis Pontif. Sec. XVII. ſcribit: „ Innocentius XII. Venetæ Reipub. pugnanti contra Turcas eventu proſpero triremes ſubſidio miſit. „

A. C. ra præſidium magno Chriſtiani nominis probro in manus Ottomanorum 1692. venit. Rem in hunc modum peractam Scriptores memoriæ prodiderunt. a)

Cum poſt Creticum bellum Turcarum potentia perquam ingens eſſet in nobiliſſima inſula (Nam e plurimis oppidis, præſidiisque, ferme tria, eaque non maximi nominis Venetis parebant b) Suda, ſeu Amphimalia, Spinalonga, & Carabuſa) ne omni poſſeſſione dejicerentur, & Aſiatica navigatione plane excluderentur, milite, annona, bellicaque penu in quamvis diuturnam obſidionem Carabuſam compararunt. Intentior cura perniciem attuliſſe eſt viſa. Dum enim ſingulari delectu militum, præſidium augent, Lucas Rocca ſua cum centuria eo feſtinare eſt juſſus. Erat is Neapoli pervetuſta domo prognatus, ſed neſcio cujus criminis reus, in exilium pulſus. Caſibus multis jactatus, ad militiam poſtmodum animum applicuit. Oborto bello Turcico operam ſuam Venetis addicit, lectaque manu hominum ad triremes, palos, rotas, uncosque damnatorum in Cretam trajicit, atque ut erat projectæ audaciæ, temerariis magis, quam cautis, prudentibusque factis apud vulgus militum præcipue inclaruit. Centurio renunciatus cum ſuis periculorum, & utriuſque fortunæ ſociis, Carabuſam, ut memini, intravit. Hic cum multa avare feciſſet, & direpta cujusdam Græci re cibaria eundem trucidaſſet, juſſu Donæ Præfecti Veneti in vincula datur. Ut libertati, ac muneri ſuo eſt redditus, vindictæ cupidine ardens, decernit præſidium Ottomanis prodere. Aſcita in ſocietatem facinoris ſua centuria, quam ſpe prædarum alebat, Gubernatori Caneæ nefarium conſilium aperit, pollicitus ſe aditum in eum locum quo tempore, quave occaſione condictum fuerit, aperire. Occaſionem potiundi præſidii, cujus expugnatio multo ſanguine, æreque ſtaret aliquando Turcis, avide arripuit barbarus, hominemque non levium ſpe præmiorum ad maturandum facinus hortatus eſt.

Interim Centurio reliquis præſidiariis aureos montes oſtentat, ſi in communionem ſceleris venirent, promiſſisque adeo pleroſque excæcat, ut non dubitarint jurata fide ſuam operam addicere. Emptis in hunc modum militum animis, cum armata cohorte, Præfecti, & Quæſtoris Stratii domum improviſo ingreditur, atque utrumque cuſtodiri jubet. Mox cæſis Græcanicæ nationis civibus, quos ſuæ captivitatis authores comperer at, communes Reipublicæ juxta, ac privatorum opes cum militibus ſuis populatur. Tum, ne locus pœnitendi ſupereſſet, proditorum primarios ad Gubernatorem Caneæ ablegat, qui certis conditionibus urbem non ſuam Ottomano tradant. Hiſce inter alias facile conventum eſt; milites liberi cum armis, impedimentisque omnibus egredientur, tubis, tympaniſque ſonantibus; Turcarum navigiis, quo ipſis collibitum fuerit, avehentur. Si qui tamen mercaturæ, aut pacatioris vitæ gratia Turcicum imperium ſuæ patriæ præferrent, fas eſto ubivis locorum iis degere; neque tamen ulli fraudi ſit in alias, atque alias regiones migratio. Pace facta cum Venetis, neque Lucas Rocca, neque ejus ſignifer Peronius, neque alteri cujuscunque conditionis milites, qui in ditionibus Achmetis Imperatoris reperientur, ad ſupplicium dedantur. Signatis tabulis haud diu cunctatus Ottomanus, e Candiæ, aliisque præſidiis mediocrem exercitum educit, quo proditores poſſet cogere ad cedendam urbem, ſi animos mutarent, vel fraude uterentur. Supervacanea hæc cura fuit. Vix enim ad Carabuſam caſtra poſuit, adſunt perfidi, claves urbis, & nobiles captivos Donam, & Stratium tradentes, diviſisque inter ſe, quæ ſupererant, ſpoliis, illuſi ab hoſte, & jam ſuum flagitium pertæſi, præſidio excedunt. c)

Inopinata clade perculſi Veneti, Contarinum cum quatuor bellicis in Cretam feſtinare, ac Sudæ, & Spinalongæ proſpicere jubent; Roccam vero, ejusque ſocios edicto Venetiis publicato uti perduelles, hoſtesque nefarios proſcribunt, appenſa duabus columnis in principe foro S. Marci erectis, Roccæ, atque Peronii effigie. Inter hæc Dominicus Maurocenus, aut potius

a) Porta Ottom. Tom. II. pag. 590. b) Vide, quæ narravimus pag. 80. c) Petrus Garzonius P. I. L. IX. proditionem Carabuſæ refert ad priorem annum; Porta Ottom. ad præſentem.

potius Mocenicus universæ classis Præfectus, veterana sua prudentia Peloponnesum contra vim hostilem egregie tutatus, Trautmansdorffium per Celeres Naupliam invitavit. Adfuit is cum Pontificiis, & Melitensibus navigiis principio mensis Julii, celebratoque consilio bellico, cui primarios quosque Præfectos sine discrimine nationum interesse voluit, plerisque consentientibus decernit, ornatissimam classem, annonam, machinatores, arma, quæ Græcis tribuerentur, & integras legiones ferentem, in insulam Cretam vertendam, ac Caneam ex improviso invadendam. Itaque immissis tribus peditum millibus, atque sexcentis equitibus ad custodiendas angustias sinus Corinthiaci, quinta decima Julii cum sedecim millibus armatorum in Cretam trajecit.

A. C. 1692.

Ut primum se videndam præbuit Caneæ civibus, Christianorum classis, Gubernator admonitis Candiensibus de suppetiis ferendis, præsente animo defensionem urbis suscepit. Est ea posita ad mare, portu multarum navium capaci, ac præsidio nobilis. Istud quina propugnacula, & valla præacutis sudibus armata, & quaternæ turres validum omnino reddunt: illum saxea moles in mare usque procurrens a quibusvis injuriis tuetur. Præsidium adeo religiose custodiunt Turcæ, ut nemini Græcorum, qui mercandi studio frequentes eo confluunt, in præsidio noctem agere fas sit. Sole in occasum prono, omnes exteri in vasta suburbia compelluntur, quæ centum equites intentis vigiliis servant. Si Græcos excipias, Christianorum nulli jus civitatis conceditur. Sic illi Caneam suam adversus omne discrimen, legum, operumque firmitate muniverunt. Sed multo eam validiorem fecere duo Janicsarorum millia, & civium multitudo armis perinde, ac mercaturæ deditorum. Accedebat Gubernatoris in urbe defendenda provida sane, ac indefessa cura, quod partæ nuper gloriæ, novam adjicere arderet, non ignarus MAJORIS fieri sua fortiter armis tueri, quam aliena alterius perfidia occupare. Hujus jussu, oppidanis in præsidium acceptis, suburbia adeo miserabili incendio delentur, ut triduo debacchante flamma, omnia ædificia solo tenus deposita fuerint, frustra Venetis pervicax malum sopire conantibus, qui jam excensione facta certatim se oppido infuderunt.

Ab oppugnanda maritima mole consulto abstinuit Trautmansdorffius, tum multiplicium munimentorum nexu deterritus, tum quod exigua manu defendi posset, & ad summam rei parum proficeretur stante præsidio. Author itaque erat, ut istud in primis tormentorum vi peteretur, ea etiam de causa, quod terrestris oppugnatio ad excludenda auxilia commodior videretur, & simul hostium vires pluribus in locis distraherentur. Principio res feliciter cessit. Nam & sexcenti insulani Venetas partes amplexi, arma adversus Turcam induerunt, & primis statim diebus castellum in loco editiore positum a Venetis expugnatum est, & propugnaculum paulum a mœnibus præsidii abjunctum, sed jam machinis fœde perfossum, uno æstu hostibus ereptum. Tum quatuordecim partim muralia tormenta, partim ollæ igniariæ in præsidium directa, non modicam stragem muris, hominibusque intulerunt. Hactenus prospere. Retimi Gubernator post aliquot dierum oppugnationem, mediocri instructus exercitu, haud procul a Venetorum castris consedit, nunc pabulatoribus, nunc stationariis infestus. Cum auxiliis aditus interclusos terra animadverteret, inter noctis tenebras maritimam oram petiit, elusisque celeritate cimbarum majoribus navigiis Venetorum, mari subsidium misit. Hoc successu lætus, postero die ordinata acie castris succedit, atque Venetis faciendo vallo intentis pugnam indicit. Isti raptim armis expeditis, signa in hostem movent nec numero, nec virtute parem. Fervente pugna centum circiter Galli ad Turcas deficiunt, versisque subito telis in socios terrorem simul, ac cædem spargunt. Actum erat de Venetis, nisi Melitenses ferocia Gallorum repressa, copiam respirandi turbatis fecissent. Neque tamen certamen instaurari potuit omnium animis, transfugarum flagitio nimium concussis, & plurium fortassis transfugium metuentibus. Nec Turcis fuit animus castra, nondum satis munita,

inva-

A. C. 1692. invadendi, sive Melitensium virtute absterriti, sive de Gallorum fide dubitarint.

Trautmansdorffius, qui corpore, animoque æger, pugnæ non interferat, audito infelicis prælii eventu, in militari Senatu decernit solvendam in præsentia obsidionem. Eadem sententia omnium Ducum fuit, quod extincta animorum alacritate, vix ad opus compelli possent milites, timendumque foret, ne auctis Turcarum copiis, ipsi terra, & mari obsessi aut fame, aut ferro cadant. Receptus adeo scite e militari disciplina est factus, ut tum primum Turcæ senserint obsidium solutum, dum classem in altum ferri conspexere. Inito copiarum numero, repertum est, ter mille gregarios, sex Nobiles Venetos, duos Melitenses Equites, ac primi nominis Præfectum Sanctopolium desideratos. Bis mille Græci, qui deserta Creta in Peloponnesum concesserunt, hanc cladem utcunque compensasse sunt visi. Ad promontorium Maleæ divisa classe, Pontificii in Italiam, Melitenses suam in insulam solverunt. Veneti Epidaurum profecti, in medio cursu viginti naves Turcarum obviam habuere. Illico Mocenicus obversis in hostem navigiis, magno animo prælium capessit. Certatum est utrinque ardentius, quam perseverantius. Nam Turcæ incumbentibus tenebris, velis, remisque Chium petierunt, victoribus, quam victis propiores, quod classem integram ex illo ardente nimbo eripuerint; & Veneti festinantes in Peloponnesum, quam Seraskerius invaserat, contentique hostium fuga, navigationem continuarunt.

Dum hæc varia fortuna in Creta, & mari aguntur, Seraskerius superatis Corinthi angustiis, in Peloponnesum irrupit cum quinque millibus armatorum. Veneti, quos ad defensionem provinciæ relictos memini, juxta Corinthum in hostem progressi, æquato certamine in castra redierunt. Sed cum Seraskerio promptum esset novas copias per angustias accersere, atque in singulos dies augere suum militem, Veneti collectis vasis Corinthum se recepere, quorum vestigia insecutus hostis, vastis suburbiis ignem immisit. Tum ad populationem versus in oppida desæviit. Appulsa classe Venetorum, per easdem angustias semet celerrime ejicit, ac festinatis itineribus per Achajam, Naupactum obsidione cingit, falso rumore deceptus, eam urbem a milite, annona male instructam. Sub medium Octobris, in ora Achajæ locatis castris, initium fecit verberandi muros. Franciscus Tiepolius loci Gubernator, vir militiæ impiger, atque inprimis audens, inopinata aggressione minime turbatus, defensionem strenue paravit, compositisque literis ad Mocenicum petiit, ut motis Epidauro copiis, suppetias e longinquo ostentet, discessuros profecto barbaros ad famam tanti Imperatoris. Sed Vendraminius Peloponnesi Præfectus Mocenicum antevertit. Is in Achajam expositis quater mille pugnatoribus, recta ad Turcarum castra profectus, peditatum tanta celeritate invadit, ut prius eum fuderit, quam Spahii equos suos frænare possent. Hos quoque fulminantia e navigiis tormenta, sociorum fuga consternatos, toto campo propellunt. Tiepolius eodem tempore erumpens terrorem, & cædem geminat. Mille Turcarum cæsi feruntur, inter quos aliquot Nobiles; supellex castrensis omnis intercepta. Ex hac victoria mirum videtur quantum & nominis amplitudo, & Venetis imperii limites accreverint. Siquidem nimio inde metu concussis late per provinciam oppidis, ac multis eorum deditionem properantibus, ab omni propemodum Achaja tributum pendi cœptum est victoribus. Sic uno felici prælio detrimenta, hac æstate accepta, fortuna melior resarsit. Veneti in Peloponneso, Seraskerius apud Athenas hyemem transegere, mutuis incursionibus iram, prædandique cupidinem acuentes. a) Nunc res Polonicæ commemorandæ.

Horta-

a) Hæc admodum diffuse narrat Petrus Garzonius P. I. Lib. X. cujus historia Italo sermone conscripta serius, atque petieram, Venetiis mihi transmissa est.

Hortatus est hoc anno a) Cæsar Leopoldus Joannem Regem Poloniæ, ut pro ea, qua inter Principes Europæos emineret, armorum gloria, proque vetere amplificandæ sinceræ religionis studio, rursum se ad expeditionem accingat, qua & privatas regni sui, & publicas Christiani nominis injurias ultum eat. Addidit præterea, ne cunctaretur significare, quibus viribus? quoque loco, & tempore in hostem acturus sit? ut Cæsarei Duces sive in Dacia, sive Hungaria, belli consilia ad communem Confœderatorum utilitatem accuratius referre possint. Rex cohortatione Cæsaris incitatus, tanto acriore studio in apparandum bellum incubuit, quanto ferocius per eosdem dies Tartari Poloniæ provincias evastarunt. Imperatum oppidanis, ut cum pecoribus, omnique supellectili in interiora regni, aut firma præsidia securitatis causa tantisper demigrent, dum armatæ legiones volaticum hostem proturbent. Sed non hyems modo, verum & æstatis pars maxima abiit, antequam castra fierent. Lente admodum coeuntibus copiis, Galevszkius equitum Præfectus, cum bis mille quingentis in hosticum provectus, provinciam Budziaci ingenti clade affecit. Oppida non vallo, non muris cincta, funditus exussit, unaque hac procursione tot annorum populationes Poloniæ illatas, satis, superque vindicasse est visus, dum eam regionem prope in solitudinem vertit, trucidatis multis mortalium, pecorumque millibus. Superioribus annis persæpe Poloni eandem expeditionem suscepere; at in sterilibus campis justo exercitui annonæ copia nunquam suppetebat. Unde factum, ut florentissimis copiis prius fame, quam hoste victis, e longinqua peregrinatione, & nondum visa hostili terra, redeundum fuerit.

Augusti mensis initio nondum Lithuaniæ miles in castris aderat. Ne otiose reliquum æstatis flueret, equitatus Poloniæ Ductore Cziesnikio Camenecum procurrit, messem illius urbis corrupturus. In itinere acre certamen commissum est inter hos, & Tartaros, qui nuper annonarios currus intulerunt præsidio, & more suo Leopolitanum Palatinatum divexarunt. Ex quo Poloni in hostes ferocius incumbentes, cæsis eorum multis, & abductis plurimis, reliquis fusis, fugatisque plena victoria potiuntur. Hujus non exigua pars Krakovszkio debebatur, qui cum suo milite latus unum Tartarorum primus infregit, profligavitque. Interea Rex Jacobo, & Alexandro Regiis Principibus, & longo agmine Nobilium comitatus, in castra venit. Expectandis copiis fessus, posteaquam intellexit, Lithuanos in propinquo jam esse, in consultatione bellica deliberari voluit, quo potissimum vis armorum vertenda. Plerique Senatorum cum Rege existimarunt, partem exercitus ad claudendum Camenecum illico ducendam, partem vero per apertas regni provincias ita distribuendam, ut irrupturis Tartaris in tempore possint occurrere, crebroque omni clade vastata oppida ab incendiis, populationibus vindicare. Et aderant apparatus bellici, annona, copiæ designatæ expeditioni pares, ut adeo multorum opinio fuerit, raro alias tam numerosum, atque rebus omnibus instructum exercitum in Polonia visum. Sexta decima Augusti destinatæ legiones Camenecum versus promotæ, Regis mandato subito revocantur. Causa mutati consilii non una fuit. Relatum ab exploratoribus, Principes Valachiæ, & Moldaviæ ad primum rumorem obsessi Cameneci, advolaturos cum suorum, Turcarumque prævalida manu; Galgam Tartarorum Chamum jam Tyram amnem transgressum; Mazeppam Cosaccorum Ducem a Genero suo armis lacessitum; omnia ad Borysthenem civili bello ardere, Tartariæ Regulis flammas, viresque aggerentibus; Moschum, nescio quid, in Poloniam moliri. His rumoribus fides continuo habita.

Dum in castris consultando moras nectunt Senatores, Augustus mensis effluxit. Secuti subinde adeo copiosi imbres, ut ægerrime miles

a) Datæ sunt literæ nomine Leopoldi Cæsaris ad Joannem Regem anno 1692. die vicesima Febr.

A. C. 1692. grestum moliretur, nec, si maxime vellet, Cameneco posset succedere. Sed nihil æque, ac prorumpentes pluvio cœlo morbi Polonorum animos fregerunt, ut jam magis hyberna, quam pugnam, aut obsidium cogitarent. In hoc deterrimo statu castra reperit Tartariæ Orator, quem Galga pacis petendæ causa ad Regem legavit. Is dato Senatu ajebat: *Achmetem imperatorem præ ingenti pacis desiderio, ne a damnosis quidem conditionibus Ottomanico Imperio, alienum esse, modo Rex a Confœderatis Principibus discessionem faciat. Camenecum, & quidquid in Ukraina obtinerent Turcæ, bona fide redditurum, ut primum induciæ promulgatæ fuerint.* Has adeo quæstuosas, adeo honestas conditiones, quas ne felicissimo bello ferre potuissent Poloni, non pauci Senatorum accipiendas censebant, quibus scilicet utile præ honesto erat. At Rex cum meliori parte, memor datæ dexteræ, præcise negavit, sibi fas esse sigillatim, ac insciis Confœderatis de pace tractare; minus desertis in alto sociis, portum petere. Nisi Cæsar, Veneti in eandem sententiam conspirent, frustra quæri pacem in Polonia. Dimisso Oratore, exercitus in hyberna autumno frigidiore reducti sunt. A) Hic cursus rerum in Polonia erat.

1693. Principium anni supra nonagesimum tertii Ottomanis minax, exitus lætus fuit; contra Cæsari gravis, universo fœderi infaustus totus decurrit nostro potissimum vitio. Mense Januario Mahometes IV. ante sexennium B) imperio, & libertate exutus Adrianopoli decessit. Veneno sublatum plerique crediderunt. Mustaphas paternæ calamitatis socius, ac rerum aliquando C) potiturus, melioribus fatis debuit, quod grassatorum manus vitarit. Mortem Mahometis apertæ militum seditiones, & ingens aulæ Byzantinæ jactatio excepere, quarum causa ærarii Præfectus extitit dilatis sine fine stipendiis. Eubœæ insulam veteranæ Janicsarorum legiones tenuerunt, ac nuper fortiter defensa Chalcide nimium elatæ, multo ferocius, quam antea, pecuniam, & cibaria (nam & horum penuriam sentire cœperant, Venetis terra, & mari annonæ subvectionem prohibentibus) a suis Præfectis certatim poposcerunt. Isti dum necessitati militum partim languide prospicerent, partim nihil æris haberent, quod in concitatos spargi posset, seditionem aluerunt, maturaruntque in caput suum. Præsidiarii enim minas suas contemni rati, arma furiose corripiunt, factoque impetu in Præfectos, plerosque confodiunt: tum primarii incentores tumultus Chalcide se proripiunt. Ejusmodi turbas in aliis quoque præsidiis enatas per Celeres nunciabant provinciarum moderatores Adrianopolim, admonebantque trepidi Achmetem, ut malo huic in tempore medelam ferat, ne in publicam, irrevocabilemque perniciem erumpat. Culpa in ærarii curatorem, ejusque ministros conjecta, miseros una perdidit. Omnes domi suæ a satellitibus præfocati, interversæ pecuniæ pœnas luerunt. Opes in publicum redactæ, præsentissimum remedium erant ad sedandos tumultus.

Mitius actum cum Alyo Vezirio, qui ærarii Præfectum solicite complexus, illius causam tuebatur ardentius, quam par erat. Mustaphæ Caimacanis artibus multum gratiæ amiserat apud Imperatorem, dubioque gradu stans non ea moderatione est usus, sive in divendendis aulæ muniis, sive domi, forisque negotiis tractandis, ut pristinum, quo ignarus exciderat, locum gratiæ occuparet. Tacitam hanc aversationem, defensio ærarii Præfecti, cujus uti familiæ, ita & culpæ affinis ferebatur, nova offensione adeo auxit, ut dignitate motum morti addixerit. Caimacanes, ficta utique pietate, perdito vitam exoravit. Accitum in palatium in hunc modum allocutus dicitur Imperator: *Ecquis mortalium tibi opem ferat, si ob neglectum, perfideque administratum munus sententiam capitis in te tulero?* Hæc elocutus hominem onerari catenis jubet, ac in carceres detrudi; Janicsarorum Aga eadem ruina oppressus, in ignobili otio vitam duxit. Hic finis erat vix unius

A) Lengnichius hujus anni expeditionem præter morem suum jejune prosecutus est; quæ hic commemoravi, e Porta Ottomanica collegi. B) Vide annum 1687. pag. 250. C) Nempe anno 1695.

unius anni spatio definiti regni Alij Vezirii; ut vel inde agnoscas: eo FACILIUS quemque præcipitem dari posse, quo altiorem gradum in lubrica aula tenet. Pro exauthorato Alyo copiarum Imperator Mustaphas sufficitur. Caimacanis locum Adrianopoli Osmanes; Agæ dignitatem quadraginta stipendiorum veteranus miles obtinuit. A. C. 1693.

Duumvirum mutatio pro magnæ tempestatis, magnæ in aula, & Imperio conversionis omine certissimo, ab exteris, ac domesticis accepta est. Et vero tametsi istorum casum neminem unum e turba clientum afflixerit, ingens tamen animorum mutatio sequebatur, non jam pacem, sed bellum prosequi flagrantissime cupientium. Duæ res præcipue incitamento erant: nimirum anxia illa Angli, Hollandique Oratorum in conficienda pace solicitudo, & non exiguus militarium machinatorum numerus, qui seu avaritia impellente, seu odio in Cæsareos Adrianopolim convolans, fidam pollicebatur operam in excitandis, defendendis, & oppugnandis præsidiis. Pagetus Angliæ orator libellum Vezirio, ac Imperatori obtulit Regis sui nomine, quo perpaucis significavit: Cæsarem, Venetosque a pace minime alienos, modo, quæ hoc bello accepere, in perpetua jura, potestatemque eorum transeant; Polonos pariter ab armis discessuros, si Camenecum restituatur, aut radatur. Limites regionum sine multis ambagibus definitum iri, si perinde Ottomani desiderio pacis teneantur. Dici non potest, quantopere Byzantinorum ambitio exarserit, cum alios, atque alios Oratores suppliciter apud se agentes conspicerent; pro debilitatis confessione haud dubie interpretati, quod ante annos non multos pacem recusarint Confœderati, in præsentia precibus, auro mercari eandem adlaborent. Qui in emendicanda pace, ajebant, adeo desudant, profecto victi sunt. Pagetus Divani sententiam præstolari jussus, facile animadvertit, id unum agi a superbis, suaque qualicunque fortuna ebriis, ne unquam ad negotium pacificationis accedatur. Postquam in Divano decretum, arma retinenda adversus Cæsarem, Polonos, & Venetos, Anglus domi suæ semet continuit. At Hemskerkius dum nullum libellorum finem facit, ac avidissimos belli, ad pacem inclinare importunus contendit, in custodiam est datus, ægre demum impetrata libertate. Hæc historia A) Magni Leopoldi. Porta Ottomanica hoc infortunio Hemskerkium absolvit, quin imo admodum gratum fuisse Purpuratis, & partes prudentis Legati ad unguem implevisse eadem Porta meminit, & ego suo loco narrabo. B)

In Asia oborta pestilentia, & Arabum seditio, armorum æstum paululum temperavit. Syria eo malo correpta cumulari quotidie vidit funera. In una Hierapoleos urbe triginta hominum millia extincta, Scriptores meminerunt. Malum late diffusum Arabum tumultus aluit; neque enim copiæ metu serpentium morborum ex Europa, ac minori Asia eo traduci potuere, ubi Emir rebellium Ductor armorum sedem fixerat. In Amasia quoque Sebastopoleos Gubernator hostilia incepit. Præmissus cum delecta manu Adrianopoli unus e primariis Bassis, ut inconditam multitudinem disjiciat, cum plerisque suorum in acie cecidit. Victores corrasis spoliis per Amasiam, veluti confecto bello, nihil ultra tentarunt; isque Amasiaci tumultus finis erat. At in Arabia tanto major moles excrevit, quanto Dux rebellium clarior, & comprimendi procul præsidium. Emir iste ad Mahometem Prophetam referebat genus suum; præfatusque multa de conditore Imperii Ottomanici in conventu oppidanorum, narrabat: *Majores suos nimia potentia Byzantinorum Principum oppressos, amplissimam hæreditatem vi armorum sibi, suisque ereptam, Arabibus veteri gloria, & imperio ablato vilissimam servitutem relictam. Fieri singulis annis delectus Arabum, ut hi dimicent, Byzantini vincant, & victoriæ commodis soli potiantur. Si viri essent, pro recuperanda gloria, libertate, & imperio arma induerent. Non magis afflictam rem Byzantinam fuisse, atque his annis; posse Arabiam,* Ægy-

A) Tom. II. Lib. XII. pag. 231. edit. August. Vindel. 1711. B) Ad annum 1699. fere in principio.

A. C. 1693. *Ægyptum, Syriam, & si placet, Euphratis provincias occupari celerius, quam bellum exortum intelligatur.*

Apud imperitum vulgus, turbidosque gratis auribus accepta est Emiris oratio. Multi agrestium ad celebritatem nominis, spemque melioris fortunæ erecti, multi rerum novarum cupidine, & præsentium odio inducti, arma sumpserunt, ii potissimum, qui nuper Persiæ Legatos violarunt. Emir, ne ardor concitatæ multitudinis languesceret, confestim Arabiam torrentis instar pervadit, pronisque in deditionem oppidis, sine incendiis, sine cæde popularium, omnem suæ potestatis facit; Syriam, Ægyptum terrore populationis in metum conjicit. Mesopotamiæ Prætor huic tempestati proximus, cum Byzantio nullas suppetias sperare posset, suis copiis, Arabum inconditam, ac militaris disciplinæ, ut putabat, imperitam multitudinem opprimere festinavit. Ad Euphratem metatus cum quindecim armatorum millibus, sua paucitate Emirem quadraginta, & amplius Arabum millibus accinctum, facile eo pertraxit. Dum hic vernis diebus mutuo in conspectu assident, neutra parte universis viribus decernere cupiente, Euphrates aquis nimium inflatus, pugnandi occasionem dedit, victoriamque ad Arabes transtulit. Namque fluvius sive ripis suis superfusus, sive ab Emire perfossis aggeribus apertus, tanta alluvione castra Turcarum contexit, ut sex millia hominum depressiore in campo deprehensa, cum omnibus jumentis miserabili strage hausta fuerint. Reliqui in vicinos tumulos eluctati, ubi sociorum cladem viderunt, stupore, torporeque capti, ab instante Emire levi impendio Bagdatum repelluntur, multis in fuga cæsis, captisque.

Hæc Adrianopolim nunciata, &, ut mos famæ, in majus credita, Achmetem Imp. solicitum habuerunt, ne Asiaticæ provinciæ extero bello fessæ, Emiri sese adjungant, & perniciosa factione Turciæ vires ex æquo scindant. Sed non post multo omnis solicitudo abscessit, Arabibus, ut sunt levissimi animi, ad obsequium redeuntibus. Quid Emire factum? Scriptores haud meminerunt. Jam etsi res Asiæ turbidæ essent, atque ad civile bellum inclinatæ, tamen neglectis Asiæ turbis, ad expeditionem Hungaricam, Vezirii, & Purpuratorum industria apparatus fiebant. Danubiana classe, quam Mezzomortes, Algerii olim Regulus, gubernavit, multum annonæ, & telorum advectum est Belgradum. Miles Asianis turbis implicitus, non perinde, atque aliis annis, ad signa convenit. Quinquaginta millia mense Junio Mustaphas Vezirius e castris Adrianopolitanis in Transylvaniam movit; his viginti Tartarorum millia Chamus Galga conjunxit, a Vezirio nobilissima veste, ac framea auro, gemmisque gravi in itinere donatus, ut profectionem acceleret. Portæ Ottomanicæ Scriptor non dubitavit prodere: Tartarorum Hordis quadraginta, singulis Chami filiis dena millia aureorum nummum ex ærario Imperatoris veluti donativum, ut primum castra intrarunt, numerata. Equidem plura transcribo, quam credo. Nam nec affirmare sustineo, de quibus ambigo, nec subducere, quæ reperio apud Scriptores illius ætatis. Cæterum Vezirius Belgradum recta petere apud se constituit, ac e munitis castris in utramque ripam populationem inferre. Non probarunt consilium Chamus, & Tököliu; ille amplioribus spoliis, hic Transylvaniæ Principatui iterum imminens. Posteaquam enim Brankovajo Valachorum Principe non sine suspicione veneni mortuo, frustra ejus locum petiisset ab Achmete Tökölius, propterea quod Valachi filium Brankovaji in Principem legissent, & Imperator nollet ea dignitate sive hominis non minus perfidi, quam ambitiosi spiritus augere, sive gentem pacis, bellique consiliis Turcarum innexam a se abalienare, amissa spe Valachiæ, ad Transylvaniam oculos, animumque conjecit. Horum itaque suasione expeditio in Transylvaniam suscepta est, & jam per Valachiam exercitus progressus, tribus duntaxat leucis a Coronæ A) angustiis aberat, cum intellecta Belgradi obsidione, iter ad Danubium relegendum fuit.

Ex-

A) Corona, Hungaris Brassovia, totius Transylvaniæ nobilissimum emporium.

Expugnatis mense Martio Jenea, & Vilagos-Varia per Cæsareos, Heislerus a) supremi, ut vocant, Commissarii officio admotus, infinita quidem industria, ac fide agebat, ut in novam expeditionem omnia procurata haberet ad principium Maji; verum per inopiam pecuniæ, adeo lente necessaria convehebantur, ut mensibus duobus serius castra ad Illokium figerentur, eaque de causa corrupta expeditione, cladem, & dedecus reportaret miles. Dux Croyus copiarum in Hungaria Imperator, qua ratione bellum administret, probe instructus a Cæsare, vicesima Julii Petro-Varadinum advenit, lustratoque exercitu, reperit completas legiones Cæsareas tres, & triginta; nempe equestres septemdecim, pedestres una pauciores. Bavari, Borussi, Dani, Luneburgici in itinere erant. Præter onerarias, saicas multiplices, & quinque naves bellicas totidem adfuturas spopondit Assemburgus Marchionis Fleurii successor. Classis tamen Turcarum multis partibus superior erat, seu numero navigiorum, seu robore. Commeatus omnis generis Heisleri cura convecti; res tormentaria ad Budam, Eszekinum navibus imposita signum expectabat.

Cum nullus hostium exercitus pro Belgrado excubaret, Ducum sententia celeberrimæ urbis oppugnatio decernitur. Pluvio cœlo, ac omnia obtinentibus aquis, difficili sane sex dierum profectione ad Savum perventum est. Confestim sternendo ponti fabrorum manipulus initium dedit. Opus tanto celerius absolutum stetit, quanto liberior adversa ripa ab omni hoste. Nondum ponte constrato, primus Starembergius quinque signa peditum cimbis transvexit, excisisque arbustis stationem tumultuario opere pro viribus communiit. Ne forte barbari cohortem opprimerent, viginti tormenta jussu Croji secundum fluminis ripam locata sunt, quibus pons quoque defendebatur, longe submotis, aut perforatis hostium navigiis, quæ ad pontis molitionem interturbandam immittebantur. Traducto exercitu, fuga ex urbe, agrisque arrepta est. Multi a leviore equitatu infra Belgradum, atque Danubii ripam ante occupati sunt, quam naves conscenderent. E Zingarorum insula pulso hostili præsidio, pons eo devectus est, ad commeatus præstandos multo commodior. Capto circum urbem castrorum loco, aggeribusque aperiri, ac Savum inter, & Aquarium oppidum duci cœptis, cinctum obsidione Belgradum videri poterat, si partem urbis Danubio assidentem classicula nostra accedere potuisset. Sed enim Mezzomortes ad Szalankemenum in anchoris stabat, dum tormentorum fragoribus submoveretur. Neque tamen deinceps Assemburgo tantum sive virium, sive animi fuit, ut auderet flumen inimicis navigiis late stratum, suam in potestatem redigere, aut ei urbis parti vim propius admovere. Unde Ottomani liberam navigationem nacti, Belgrado & annonam, & militem, quantum necesse erat, toto obsidionis tempore inferre potuerunt.

Unica aggressione instituta, erectoque duodecim muralium tormentorum suggestu nocturnis horis, ac collocatis quinque mortariis huic suggestui proximis, præsidium interim quati voluit Dux Croyus, nondum videlicet appulso ampliore apparatu bellico. Quarta decima Augusti nocte ingruente, bis mille Janicsari partim ex urbe, partim e navigiis erumpentes, tanta ferocia stationarios (compositi hi erant e Cæsareis, & auxiliaribus) operasque invaserunt, ut primo impetu trecentis admodum contrucidatis, cæteris subito metu turpiter fugatis, in vicina Cæsareorum castra terrorem extenderint. Ad sistendam suorum fugam advolant primarii quique Duces, Croyus, Heislerus, Starembergius, repressoque militum terrore, difficili pugna in præsidium rejiciunt Belgradenses. Ad æmulationem accendendam, ac evitandas tricas, quæ facile nascuntur inter milites diversæ nationis, seu res feliciter, seu infeliciter agatur, visum est Ducibus, ita partiri obsidionis munia, binis diebus ut Cæsarei opera tuerentur, Borussi deinde, & Luneburgici singulis, utrisque tamen ob paucitatem mille Cæsarei adderentur.

 Hujus

a) Alii Heislerum, alii Sigebertum Heisterum huic expeditioni præfuisse scribunt. Similitudo nominum Historicos etiam alibi diversas in sententias trahit.

A. C. 1693. Hujus partitionis fructus post triduum constitit, cæsa erumpentium manu, Palffii ductu. Sed animadvertit Croyus frustra urbem a terra obsideri, cui commeatus, & subsidium per amnem pateat. Ad obtinendum igitur Danubium summam curarum vertit, multum deliberans cum aquarum, locorumque peritis. Ad Savi confluentem ædificatis terreis castellis, hostilem classem grandioribus machinis impeti jussit; nullum tamen operæ pretium tulit, quod Ottomani e duabus insulis Danubianis, tantam vim ignium diebus, noctibusque in nostra castella dejecerint, ut stationarii inde deducendi fuerint. Nec in altera ripa res felicius cessit. Juxta Donaviczam validum situ, âc munitione castellum insederant hostes, quo nisi depellerentur, nec Danubius frænari potuit, nec subsidium e tractu Temesiensi excludi. Heislerus locum occupare jussus cum sex dimacharum legionibus, tormentis totidem, duabus cohortibus, ad Semlinum trajecto Istro, æstimatisque paludibus, queis munimentum innatat, illico gradum retulit omissis in receptu triginta viris. Perstitit nihilominus in eadem ripa, duabus equitum legionibus auctior.

His elusis conatibus spes claudendi Danubium in classe erat. Sed negavit Assemburgus, vel superiorem Danubii partem liberam se præstare posse, quamdiu insulis potirentur Turcæ, hostilem vero classem rebus omnibus instructiorem, tot insuper terreis propugnaculis defensam, invadere, maximæ temeritatis fore, & tametsi victa retrocederet, vastas tamen, & ictuum capaces bellicas, ultra Belgradum sine certa clade deferri non posse ante mænia, A) cæcis ictibus perforandas, quamvis beneficio noctis immanes illæ machinæ agerentur. Perdita vero una, alterave, annonarias naves cum omni apparatu nautico perditum iri. Has inter consultationes, & Danubium frænandi difficultates haud levi detrimento affecta est classis. Hærebant in anchoris quinque bellicæ ad Semlinum. Harum una intempesta nocte vi ventorum abrepta, prono alveo Belgradum versus ferebatur. Lucas Groatius navarchus & metu hostium, quorum in stationem se delatum imprudenter putabat, & magnitudine tempestatis victus, ne vivus cum suis in manus eorum veniret, aut fluctibus mergeretur, in lembum desilit cum omni nautarum grege, bellicamque duobus, & viginti tormentis, ac cætero apparatu ornatam, injectis facibus demens comburit. Mezzomortes incendium istud, veluti e Danubio repente natum, in se minaciter invehi conspicatus, solutis anchoris pugnam operiebatur, non ausus explorare, quid sibi vellet hoc flammarum ludibrium. Inter metum, & curas nocte transacta, dies utriusque errorem detexit. Nam & Groatius se longe Belgrado abfuisse cognovit, & Mezzomortes non ad inferendam, sed evitandam majorem perniciem, incendium excitatum navarchi temeritate didicit. Ambustum multis partibus navigium, Turcæ remulco ad ripam traxere, tanto classiariorum applausu, veluti universam classem victam, captamque in triumphum duci viderent.

Et reapse hoc detrimento accepto, ad modum victæ Semlini in anchoris perpetuo stetit, prælii vitabunda. Croyus spe sua dejectus, terrestri oppugnationi acrius institit. Post moram unius mensis, bellica penu tandem advecta, duo & viginti tormenta principi suggestui imposita, muros non modica ruina straverunt. At præsidiarii Danubii navigatione freti, & Vezirii adventu alacres, non impensis, non sanguini pepercere, quo hostem arcerent. E læso propugnaculo multos clari nominis Præfectos, collineatis ictibus tormentorum, sclopetorumque neci dederunt. Marchio Monroyeus, ad latus Ducis Croji majori pila discerptus, subito expiravit; Ducis pileo minore glande eodem tempore perfosso. Keysersfeldius bellicorum operum peritissimus paulo post cecidit, ingenti sane exercitus dolore. Comes Archintus caput trajectus, inter medentium manus in castris decessit. Multo major fossorum, & gregariorum strages quotidie est edita.

Morbi

A) Vasta navigia nondum per Danubii brachium, vulgo Donaviçzam, infra Belgradum agi potuerunt infinita Mersii cura id primum est præstitum anno 1717. ut suo loco dicturus sum.

Morbi insuper proseminati calidiore æstate, plerisque tyronum, Hungarici coeli malis nondum assuetis, infestissimi erant, ut adeo appropinquante Vezirio, peditum, equitumque legiones ad defensionem castrorum intra vallum acceptæ fuerint, mille duntaxat, & quingentis Hussaris Kyba Ductore, ad custodiam Savi relictis. Non longe aberat a Transylvania Vezirius, ut ajebam, cum audito Belgradi periculo ex nuncio, qui obsessæ urbis testis accurrerat festinatus a Gubernatore, hæsit parumper deliberabundus cum belli consultoribus, cœptumne iter prosequeretur, an vero Belgradum moveret? libratisque utrinque momentis, e re fore existimatum est, si dilata in præsens expeditione Dacica, memorabili itinere obsessis sociis auxilio veniat, & urbem, Imperii propugnaculum, qualicunque discrimini eripiat. Addidit Vezirius; se quidem nihil magnopere urbi timere, Danubio, mænibus, fossa, & robore virorum (duodena millia peditum erant) perquam egregie communitæ, fortuito tamen belli firmissimas urbes in triumphum quandoque abreptas, eaque præsidia capta, quæ ab hostium aggressione tutissima censebantur. Igitur præmissis Tartarorum copiis Vidinum A) versus, ipse cum omni exercitu consequitur, transgressusque Danubium, justis profectionibus Belgradum contendit.

A. C. 1693.

Veteranius, qui Transylvaniæ claustra custodiis militum, ac castellis sepserat, ubi vidit tempestatem, cædibus, incendiis gravidam a Transylvaniæ jugulo aversam, in obsidentes Belgradum non lentis passibus moveri, quod unum licuit, per celeres nuncios Croyum commonefecit. Et jam ipsi præsidiarii, classicique indicia venientis Vezirii dederunt, quando isti navigia nostra oppugnatum venere, illi longe acrius, ac nuper, opera incursarunt. Utrinque æquo Marte discessum est. Croyus auctis in dies difficultatibus nihil satius acturus erat, quam si soluta obsidione imminutas legiones trans Savum deportaret. Sed placuit Ducibus assultu tumultuario de sua, Belgradique fortuna periculum capere, antequam castra referrent. Die septima Septembris octo millia ex omni exercitu delecta armatorum, signum invasionis expectabant. Guidobaldus Starembergius dextrum, Seibelsdorffius sinistrum latus, auxiliares suis sub Ductoribus, frontem dejecti propugnaculi assilire sunt jussi. Una ante solis occasum hora, signum assiliendi acceperunt; verum quia tunc primum apparatus oppugnationi necessarii comportabantur, in alteram noctis horam res protrahitur.

Nox luna, & syderibus illustris, ipso assultus principio omnia repente tenebris involvit. Unde factum, ut quadringenti pyrobolarii multo aberrantes, munitissimam partem aggressi fuerint, quam nempe triplex sudium ordo, & conferti Janicsari defensabant. Hi picea serta, pyrobolos, innumeras glandes in temere subeuntes dejiciunt, Seibelsdorffium agminis Ductorem inter primos sternunt. Mox eruptione facta pone cornutum opus, Ducis casu, & ignoratione loci perculsos ferocissime urgent. Perstitere tamen in cruenta arena ad centum quinquaginta redacti, dum Marsiglius duo signa peditum adduceret. Nihil tamen profectum, nam & ipse pila percussus locum illico deseruit, & adducti pedites nulla munitione tecti, & globorum ictibus undique expositi, magis admirationi hostibus, quam sociis adjumento fuere; plerique certo impune trucidati. In medio quoque & dextro latere suam virtutem frustra insumpserunt aggressores, tantoque plures telis propugnantium oppressi sunt, quanto ardentius, inconsultiusque per tenebras provecti munimentis successerunt. Turcæ enim jactis in fossam Græcis ignibus, accensisque malleolis noctem submoverunt, & conspicuos Christianorum ordines, & si quis audacia, aut insignibus effulgens, ad ictum destinarunt. Iniquissima pugna compulit tandem Starembergium, ut receptui signum daret. Hoc nocturno certamine e Cæsareis perierunt sexcenti, e Borussis ducenti cum Tribuno Blankenseo, quatuor Centurionibus, Pro-Centurionibus quinque, signiferis tribus; B) multo plures vulnerati,

A) Non igitur Transylvania ferro, & igne vastata hoc anno, ut vult Chronicon Hung. pag. 38.
B) Porta Ottom.

A. C. 1693. nerati, postea extincti. Improsperæ oppugnationis eventu dejecti Duces, & jam Tartaris circumvolitantibus, postridie vasa colligere militem jusse-runt. Receptus adeo sapienter institutus est, ut ne vir quidem amissus fuerit. Exusto Savi ponte Tartari, & Spahii tranato fluvio lacessiverunt postremos, at sine lucro. Classis eodem tempore adverso Danubio operose se moliens exercitus iter tardavit. Sic lentis profectionibus in hyberna discessum.

Vicesima Septembris Mustaphas Vezirius Belgradum ingressus est cum Chamo Tartarorum, solutis circum mœnia omnibus tormentis. Collaudato Gubernatore militares Præfectos largiter remuneratus, in Sclavoniam, & Hungariam prædabunda agmina immittit. In alteram Danubii ripam duodecim Tartarorum millia ad Tibisci oram vastandam festinat, tum quater mille partim equites, partim pedites, qui Gyulæ præsidio annonam inferrent. His per exploratores cognitis, Comes Hoffkirchius, & Bollandus cum bis mille Hussaris, & octo legionibus Germanicis, ad servandum Tibiscum, & commeatus excludendos celerrime feruntur. Ad Martanosiam Palankam assecuti Turcas (quatuor millia erant) camelos re cibaria onustos Gyulam trahentes, vix armis expeditis intra vallum compellunt. Eques in pedes desiliens, fossam illico superat, hostibusque qua cæsis, qua fugatis locum obtinet cum bis mille quingentis camelis, & equis, omnique commeatu. At Tartarorum agmen solita pernicitate Tibisci agrum percursans, prope Dôbrôczinum sedecim oppidis exustis, duo millia captivorum Belgradum abripuit, frustra insequente Hoffkirchio, quem eodem autumno Dôbrôczini mors oppressit. Vezirius Belgrado conservato illustrior, solutis castris Adrianopolim migravit.

In Croatia minutis præliis, populationibus res acta est. C. Nicolaus Erdôdius Illyrici Banus ineunte anno e vita decedens A) dignitatem, & militarem gloriam, qua florebat, C. Adamo Battyanio reliquit. Hic cum Croatarum legione ad Unnam fluvium profectus, eam regionem adversus hostium procursiones ingenti commodo agrestium curavit. Mense Septembri Belgradum evocatus illarum partium Turcicus miles, campum aperuit Croatis in inermem regionem tectorum incendiis, pecorum abactu, multa cæde mortalium grassandi. Tenebant Turcæ in limitibus Bosniæ, satis munitum locum Maydanium, proferendis populationibus mire opportunum, quo etiam rapinas condebant, si quas e finitimis oppidis sæpenumero spoliatis decerpere poterant. Hanc spinam omni ope Croatiæ evellendam existimavit Battyanius. Contractum militem tanta celeritate castello admovet, ut primos statim cancellos fossæ præstructos, pulsis inde præsidiariis, occupaverit. Eodem ardore in ipsum castellum irrumpit miles, memorque tot funestarum populationum, quibus ager Croatiæ perpetuo divexabatur a præsidiariis hujus loci, laxato iræ, furorique fræno in omnes promiscue desævit. Non fœminis, non pueris ferrum pepercit. Quingenta, & amplius funera intra castelli angustias sunt censa. Post patratam cædem rediit cupido spoliorum. Nobiliores matronæ ad evitandam communem stragem, in subterraneas cellas illapsæ cum opibus suis in prædam venerunt, nonnisi multo auro libertatem recuperaturæ. Egestis spoliis, castellum cum gemino oppido flammis deletur. Cum nemo armatorum victori obsisteret, mille expediti equites ad vastandam regionem immittuntur. Clarum alioquin Battyanii nomen prospera expeditio illustrius reddidit.

Ad Savum perinde res Ottomanica male habuit. Bosniæ Prætor de Savi navigatione solicitus, Cæsareas munitiones utrique ripæ impositas eversum ibat. Eum in finem e præsidiis sex millia hominum sub signa cogit, naves, quotquot nancisci posset, in unum colligit; addit tormenta, aliasque

A) C. Nicolaus Erdôdius Banus Illyrici decessit e vita 1693. mense Januario. Huic velut eximio Christiani orbis defensori, & solerti hostium exploratori a summis, infimisque parentatum est, ut scribit Kettelerus L. 49. Ipse Innocentius XI. datis ad Erdôdium literis ejus labores pro re Christiana adversus Turcam susceptos miris encomiis celebravit.

que peſtes, quas humanum ingenium reperit in perniciem arcium. His vi ribus Babinogradæ, quæ prima occurrerat, munitiunculam propemodum fregerat. Kyba percelebris Ductor Raſcianorum, idemque Brodii Præfectus, minore apparatu, & Babinogradam obſidione exemit, & inſigni clade deſignationes hoſtium corrupit. Quippe aſſumptis ſolummodo quingentis peditibus, ſilenti, nocturnoque itinere adeo improviſus ſupervenit, ut Turcæ nullo certamine tentato navigia peterent, ac horum alia nimio onere preſſa hærerent in ripa, alia celeritate invadentium occuparentur, mille denique, & quingenti e pabulatione reduces, ac cladis acceptæ ignari circumvenirentur. Hujusmodi minoris momenti expeditionibus favit fortuna, ut ad Belgradum, ubi rerum ſumma, atrocius ſæviret.

A. C. 1693.

Veneti ante omnia de Imperatore copiarum more veteri eligendo in Senatu egerunt, cujus meliori ductu, auſpiciisque bellum in Peloponneſo, & Creta geratur. Quippe ſuperiorum annorum peccata, Ducum ſive infelicitati ſive inſcitiæ dederunt. Omnium ſuffragiis, claſſis, & copiarum imperium delatum eſt Franciſco Mauroceno, ſeu Moroſino, Sereniſſimæ Reipublicæ ea tempeſtate Duci, quo cum bonam fortunam ſummi, infimique reverſuram ſperabant; tanta homini ſcientia rei militaris, virtus, authoritas, & felicitas ineſſe credebatur. Et vero iis jam victoriis de Peloponneſo reportatis inclaruerat Moroſinus, ut rerum geſtarum magnitudine Peloponneſiacus A) & haberetur, & diceretur, poſito in armamentarii veſtibulo monumento nobili, quo illuſtris viri memoria apud poſteros extaret, & Peloponneſus ſemel victa, quotidie in triumphum duci videretur. Hæc victoriarum inſignia ornant potiſſimum captiva ſimulacra Herculis, Neptuni, Martis, Juſtitiæ Athenis ablata, tum marmorei leones ex Epiro avecti, inſcripto elogio, quod ad calcem paginæ adjicere viſum eſt. B) Moroſinus non hybernæ tempeſtatis, non ſenii (quintum, & ſeptuageſimum annum agebat) frigore retardatus, atque inter infinitam hominum multitudinem victorias, felicitatem acclamantium, ac præſentem nobilitatem magnifico comitatu, inſolitisque ab Senatu honoribus ad claſſem deductus, matura navigatione in Poloponneſum ſolvit. Quinque, & octoginta navigia variæ formæ, quæ ingentibus impenſis, hoc anno Reſpublica armavit, adjunxit Moroſinus numeroſæ claſſi ad Epidaurum hyemanti. Raro alias in maritimis expeditionibus florentiores copiæ, major rerum omnium copia viſebatur, adeo feliciſſimi Imperatoris nomen ſecuti ſunt Veneti; & Reſpublica, veluti finem belli intueretur, large omnia in commune contulit. Et tamen nunquam quod memini, minus actum eſt in hoſtem, ac in præſentia; certe claſſis tota æſtate nec laceſſens, nec laceſſita partim in anchoris ſtetit, partim Corinthi fauces obſedit; ſive Moroſinus veritus fortunæ aleam, reformidarit annos, palmasque ſuas communi Marti committere, ſive ut corpore æger, ita animi vigore invalidus, quietem prætulerit caſtrorum tædio. Neque Turcis animus erat, quieſcentem leonem irritare. Ingraveſcente autumno Corin-

A) Franciſcus Moroſinus Peloponneſi urbes rara felicitate ſubegit ad annum 1686. quemadmodum retuli pag. 255. & ſeq.

B) Franciſcus Maurocenus
PELOPONNESIACUS
Expugnatis Athenis
Marmorea Leonum ſimulacra
Triumphali manu Epiro
direpta
in patriam tranſtulit,
futura Veneti Leonis
quæ fuerant Minervæ Atticæ
Ornamenta.

* * *

Athenienſia
Venetæ claſſis trophæa
VENETI SENATUS DECRETO
in navali veſtibulo
Conſtituta.

A. C. Corintho rediens, accedente ad seniles morbos acuta febri occubuit, vir de 1693. sua patria immortaliter meritus, sexta Januarii ineuntis anni quarti post millesimum, sexcentesimum nonagesimum. A)

Dalmatia sub Delphino Prætore amica pace fruebatur, dum Morlachi durum, & agreste genus ultra sedes suas armis prolatis, urbem Scopiam simplici muro cinctam, sed mercium prædivitem ceperunt. Mirum! hostilem provinciam prædatoribus patuisse. Diffugientibus oppidanis diripitur opulentissimum emporium, mox injecto igne mille quadringentæ domus, ut plerumque apud Turcas ligneæ sunt, funditus exuruntur. Læti spoliis Morlachi festinanter iter relegunt, inter captivos filium, filiamque Præfecti urbis trahentes. Perpulit dolor furentem patrem, ut ferro mallet, quam auro redimere liberos. Collectis, quas maxime poterat popularium, rusticorumque cohortibus, victores citato agmine persequitur. Isti in tutum collocata omni præda, structis per otium ordinibus, cursu exhaustos firmi excipiunt, momentoque fundunt. In fuga ter centum interfecti sunt, Morlachorum septuaginta. Jam ad turbatas Poloniæ res, qua bellum Ottomanicum tangunt, digrediendum est.

Supremas inter curas ea perpetuo fuit Joanni Regi, ut susceptum in barbaros bellum Regni sui viribus quot annis proveheret, remque Christianam ex fœdere tueretur. Præclaros conatus nonnunquam adversa fortuna, persæpe Senatorum discordiæ, militis lentitudo, pecuniarum angustiæ corruperunt. Hæc mala ut una veluti incisione resecaret Rex, mature Comitia Grodnam B) edixit. Convenerunt more patrio frequentes, & ut plerique præ privatis rationibus habuerunt publicum, ita spes optima affulsit boni eventus. Chelmensis Præsul nervosa oratione Regem, Senatores, Nunciosque hortatus est: *ut ne a fœdere, quod tanta gratulatione Christiani orbis pepigerunt cum Cæsare, & Venetis, discedant. Ottomanos pacem equidem offerre non contemnendis conditionibus Reipublicæ Polonæ, ut videlicet Christianorum Principum vires discindant, & profligatis sensim singulis omnes evertant. Poloniam nullo tempore tutam fore a Turcarum armis; nec facile Cæsarem, aut quemvis alium opem laturum, si desertis fidissimis sociis, contempto fœdere, & quasi in Turciæ partes turpiter transgressi, expectationem sanioris Europæ fallamus. Quin imo eo impensius hac tempestate reparandum bellum, quo malignius apud exteras gentes jactatur: Polonos in pompam, & ostentationem alere exercitus; paucos velites in Tartaros emittere; cum Turcis postremis his annis nunquam ad manus venisse, ut adeo istis integrum fuerit alias ex aliis suppetias in Hungariam, & Peloponnesum submittere. Ne pessimus hic rumor invalescat, & Principes Christiani intelligant, nobis eandem fidem in socios, eosdem animos in hostem constare, in hoc conventu pro accessione rei Catholicæ, gentisque Polonæ gloria fortiter decernendum.*

Cancellarius subinde Regni prolixum sermonem habuit, oravitque universos, ut sepositis tantisper privatis offensionibus, & querimoniis, Reipublicæ multiplicibus malis fatigatæ consulant. Tum enumeravit præcipui momenti capita, quæ ante omnia in his comitiis a Senatoribus agitari, ac decidi deberent, ac inprimis: cum rursum Orator Achmetis pacis tractandæ causa advenerit, deliberandum sedulo, num e re Polonorum sit, ut neglectis Confœderatis Principibus initium tractatuum fiat? aut vero persistendum in fœdere, quod voluntate Regis, summoque consensu totius Regni est ictum? *quod si a Confœderatis*, ajebat, *discessionem facere non ex vano abhorretis, etiam, atque etiam accuratissime circumspiciendum, ut primo vere exercitum rebus ad victum, ad bellum omnibus instructissimum in campo habeamus. Sed istud dictu, quam effectu pronius est. Militibus, ut constat, plurima debentur stipendia. Hæc nisi præsenti ære solvantur, nisi præterea stata subsidia præ manibus sint, queis in posterum alantur, domi perinde,*

A) Porta Ottomanica pluribus in locis; & Petrus Garzonius Part. I. Lib. XI. B) Grodna, urbs Lithuaniæ, a comitiis Regni percelebris.

de, ac foris hostem experiemur. Profecto æris inanes, ac pugnæ dubii per A. C. *agros, atque oppida prædabundi nobis graviores, quam Turcis erunt.* 1693. *Primum itaque omnium fontes quærendi, unde post exhaustum plusquam decenni bello Reipublicæ ærarium, sumptus fluant. Sine hoc nervo pecuniario bellum languidum, aut nullum erit. Denique contentius nobis elaborandum est, ut non munimenta solum ad limites Poloniæ extructa, sed etiam capta in Valachia præsidia contra vim hostium tueamur. Sic in perfringendis Poloniæ foribus occupati Turcæ, aut Tartari, copiam nobis dabunt patriæ succurrendi.*

Pacata hucusque comitia fluxerunt. Nihil deinceps congressibus reliquis aut moderate, aut consensu factum. Nobiles enim aliquot, omissis publicis, querelas suas acerbe, ac palam exprimere cœperunt, atque imprimis infinita detrimenta suis possessionibus a militia Regni illata, odiosis sane verbis retulerunt, negaruntque ulla de re consulturos prius, quam ipsis ad assem satisfieret. Sed rejectis istorum querimoniis, deliberari cœptum est, utrum bellum, an pax placeret? illico in duas factiones discesserunt Nuncii, Nobilesve. Pars recti, decorique memores Chelmensis Præsulis sententiam amplexi, bellum quæstuosæ paci prætulerunt; pars professa voluntate repugnandi pacem pernecessariam Regno identidem ingeminarunt. Hi tametsi suffragiorum multitudine bellum decernentium longe vincerentur, in extrema tamen obstinatione suæ sententiæ perstiterunt. Atque hic omnino adhæsum est. Quippe incensis jam multorum animis, aliæ ex aliis obortæ sunt turbæ, extero quodam oratore in hunc comitiorum euripum veluti ex utre emittente ventos, ut adeo non pauci Nobiles, quibus se adjunxit e Nunciis unus, A) clam, & insalutato Rege semet subduxerint. Ita rebus infectis comitia dissoluta fuerunt. Nec felicior cessit conventus Varsaviæ, quo Rex Senatorum præcipuos evocaverat. Bellum prosequi omnibus placebat; at quibus viribus, subsidiis in summa ærarii difficultate? Numini, quod fortunam appellamus, commisere.

Dum Poloni Senatorio in campo pugnas miscent, prædabundi Tartari (triginta millia ferebantur) facto per Valachiam itinere, vicinas Cameneco provincias, plurium dierum populatione peragrarunt, tanta securitate usi in hostili regione, ut versi in luxum, & raptis opulenti, neglectis castrorum stationibus passim somno, aut epularum lascivia procumberent. Nemo tamen e Polonis prædantium colluviei obviam ivit, adeo omnium animos sive insolitus torpor occupavit, sive dissidium a patriæ defensione avertit. Præter abactos pecorum greges multa mortalium millia in servitutem abstracta sunt. Exustis provinciis ad Camenecum convenere prædatores. Haud procul inde Poloni superioribus annis castellum, cui SS. Trinitatis nomen inditum, posuerunt, frænum validum Camenecensium, ne impune oppida incursarent. In istud contento cursu ferebantur Tartari, loco haud dubie potituri, quod a perpaucis stationariis teneretur, nisi Tribunus Brandius cum turmis aliquot equitum, insultantem hostem arcuisset. Sed non propterea tot villarum incendia, tot oppidorum populationes, tot civium miserrima servitus vindicata sunt. Neque Poloni ut ultionem pararent, aut ad publicam Regni salutem evigilarent, post tantas calamitates, impelli potuere. Apud Moschos quoque, ut alias, arma tota æstate siluerunt, nec in speciem fiebant apparatus; adeo videlicet clades in Tartaria accepta B) animos, viresque ademit bellicosæ nationi. Nunc annum quartum, & nonagesimum supra millesimum sexcentesimum ordiamur.

1694. Aula Byzantina in duas factiones ineunte anno discessit, haud tamen in apertas seditiones, aut longiores turbas exarsit, factionum capitibus in ordinem redactis. Mustaphas Vezirius, Mufftius, & primarii quique militiæ

A) Juvat e Lengnichio rerum seriem huc transferre. „ Neque annus 1693. inquit ille, populationibus caruit, dum Tartari per Russiam igne, & cædibus impune grassarentur. Debebat huic malo occurri in comitiis Grodnensibus, quæ Nunciorum Palatinatus Lencicienſis contradictio undecima Februarii irrita reddidit. „ B) Clades accepta anno 1689. Vide pag. 300.

A. C. 1694. litiæ Præfecti, in bellum cupidissime ferebantur. Soltana ex adverso, Kislar, Aga, duo A) Caimacanes pacem unice in votis habebant, sive ab Oratoribus Anglo, Hollandoque jam empti, sive majorem messem sperarent, si pax confieret, quam si bellum sine fine protraheretur. Achmetes Imperator, cui constantissima mens erat de prosecutione belli, ne malum serpens alios, atque alios corripiat, ac pacis desiderio ab armis avocet, in Caimacanem Constantinopoleos, perpetuum pacis præconem, mortis sententiam tulit. Ægre Soltanæ precibus vita condonata, nobili præfectura exuitur. Adrianopolitanus Caimacanes eadem pœna castigatur; in hujus locum successit Selithar Aga e Circassia oriundus, Tartariæ Ghamo perquam familiaris; illius vero Ussaines Bassa, vulgo acceptior, quam Purpuratis. His duobus fulcris subductis, omnis factio repente concidit.

Assurrexit tamen non diu post sagacissimo ingenio Soltanæ, ac tanto validior evasit, quanto plures adversæ factionis patroni variis artibus aula amoti sunt. Mustaphas Vezirius, dum principem locum gratiæ apud Imperatorem se obtinere putat, improviso aula facessere jussus, ignobili præfecturæ admovetur. Iisdem fere diebus Mufftius senilibus morbis fractus (annos octoginta numeraverat) in Chium insulam relegatur. In Mustaphæ locum Alyus, Tripolitanus olim Begus, Vezirius creatur, Soltanæ partibus addictus. Hujus impotentia Mustaphæ clientes, quosve Soltana designavit, vix duorum mensium spatio opprimuntur. Nemini jam dubium erat, pacificationis negotium resumendum a novo Vezirio, quem non ignorabant ad Soltanæ ingenium factum, quieta consilia animo volutare. Sed ille, ut probe perspectam habuit Achmetis mentem a pace alienam, ne in aditu dignitatis fortunæ suæ periculum caperet, strenue bellum apparavit, evocata Africana classe, ac Asiaticis copiis. Naves quoque apud maritimas Asiæ urbes refici imperavit. In uno portu Byzantino quadraginta navigia saucia, mutilataque visebantur, quæ ingenti festinatione operarum ornabantur. Minorem tamen numerum bellicarum ædificari jussit, ac Mustaphas nuper designaverat in bellum Venetum, quod mortuo Morosino Venetæ classis Imperatore, non multum metueret Cretæ, aut insulis maris Ægei.

Priusquam castra fierent, pars utraque furtivas expeditiones nullo successu tentavit. Cæsareis Ducibus Gyulæ intercipiendæ spem dederant maximam cum paludes glacie constrictæ, tum paucitas præsidiariorum, ut falso nuntiabant exploratores. Comites Heislerus, & Guttensteinius, media hyeme Vienna discedentes, militem expeditum inveniunt. Dies octavus, & vicesimus Januarii, invasionis statuitur. Verum per calidiores ventos, & pluvium cœlum, omnis machinatio eversa est, non minus glacie, quam spe evanescente. Nec Ottomanorum conatus pro voluntate successit. Titulium mense Majo corona circumplexi, ter magna aggredientium vi impugnatit, toties majori defendentium ferocia repelluntur. Ad Szalankemenum sociorum agmina dum opperiuntur, audiunt Starembergium cum aliquot legionibus Baja B) appropinquare. Hic rumor hostes in sua stativa compulit. Hyeme, & majori parte æstatis incursionibus acta, tandem mense Septembri Turcarum exercitus Szalankemeni metatur, tum Petro-Varadinum movet Christianorum castra oppugnaturus. Duo præcipue Vezirii iter morabantur. Africanorum civile bellum, C) quo tres Begi impliciti in mutuum exitium maritimis viribus utebantur, & Galgæ Tartariæ Reguli in Serviam tardior adventus. Cæsareis copiis quinque, & triginta millium præfuit Heislerus absente Ænea Caprara, quem adversa valetudo Viennæ detinuit, nec ante Septembrem castra viderunt. Exterorum Principum auxilia mense uno serius adfuere, ut adeo bellici menses in ignobilem defensionem desierint. Propinquo hoste, Capraræ jussu Petro-Varadinum continenti labore militum communitur: vetera castrorum munimenta non instaurantur

A) Nimirum Caimacanes Byzantinus, & Adrianopolitanus. Primo nomen erat Calailicos, alteri Osmanes. B) Baja peramænum, & amplum oppidum provinciæ Bacsensis. C) Bellum hoc civile fuso calamo descriptum lege sis in Porta Ottom. Tom. II. ad hunc annum.

rantur modo, sed novis quoque operibus firmantur: in classis, pontisque defensionem litorei suggestus eriguntur, machinæ, stationarii juxta Danubii ripam conduplicantur, Futakino levis, gravisque armaturæ equitatus sine mora arcessitur.

A. C. 1694.

Vezirius adeo castris castra contulit, ut tormentorum ictibus multi quotidie sternerentur. Peninsula insuper potitus, quam nostri malo consilio deseruerant, e tormentariis suggestibus gravissime Cæsareorum stationes infestavit. Sed bellicas, & pontes, quos Danubio imposuimus, multo acrius, pertinaciusque impetiit, quod speraret perforatis, aut mersis bellicis, se Danubio victorem annonarias facile captivas abducturum, & commeatibus omnem viam præclusurum, corruptis vero pontibus lætissimam pabulationem equitatui erepturum. Mezzomortis successor, ut præfecturam nobili facto insigniret, navium, navaliumque sociorum classem ita partitus est, ut pars altera objectum pontem, altera classem Cæsaream invadat. Eodem tempore Vezirius, quo Christianos distractos, atque adeo impares haberet, quidquid machinarum aderat, in castra hostium dirigi jussit. Caprara erecto ad certamen animo, augere munitiones castrorum festinavit, impensis ante omnia curis in Danubianum pontem, in quem ferri Turcarum consilia non abs re suspicabatur. Immanes bellicas majorum, minorumque tormentorum copia egregie instructas, hostili classi opponit. Pontis utrumque castellum inductis machinis obmunit, Præfectos juxta, ac milites officii admonet. Classis Turcica navigiorum numero præstantior nostræ admota, tantam vim missilium ignium, pilarumque emisit, ut ipsum Danubium in flammas prodigiose abiisse crederes. Non segnior Vezirius, pari furore igniariam pestem in castra dejecit. Fama est, quingentis machinis castrensibus, partim navigia & pontem, partim castrorum munimenta divexata fuisse, ut adeo Cæsareis impigre vicem reddentibus, aer orco ardenti similis appareret, omnis late Regio fragore horrifico succuteretur. Igniarium hoc certamen quotidie fere exarsit, multis ex utraque parte mulctatis, mersisque navigiis. Pons nihilominus universa classe, veluti scuto tectus, integer, ac salvus perstitit.

Ad hunc subruendum, quoniam in ejus ruina spem victoriæ habebant, variis machinamentis usi sunt Turcæ. Arabes aliquot projectæ audaciæ, præmiis illecti ab Architalasso, primi in pontis perniciem conspirant. Per tenebras citis lintribus ad navigia pontis invecti, aut occulto sub aquas meatu inobservati, grandibus cultris, falcibusque anchorarios funes incidere tentabant. A saikariis excubitoribus in tempore detecti, captique, mercedem operæ diuturno carcere tulerunt. Alias Architalassi jussu, complures lembi curribus devecti, ac multo nitro, præpingui bitumine, aliaque materia flammis obnoxia armati in Danubium mittuntur: impositis, qui eos regerent, audacissimis nautarum. Isti posteaquam propius accessere, naves succendunt, deseruntque secundo alveo in pontem perferendas. Rectoribus destitutæ, ab intento cursu pleræque deflexerunt. Aliæ ad terram appulsæ, ripis adhæsere, aliæ gurgitibus haustæ, quæ minaces recta in navalem pontem tendebant, prælongis hastis, contisque procul arcebantur, incendiumque innoxiæ evomebant. Subinde prægrandes arborum trunci, ferreis clavis undique horrentes, ac in ligneam molem impulsi, quo altius aquis tegebantur, eo plus solicitudinis Cæsareis crearunt. Sed & istud machinamentum pro ponte excubantes saikarii prospere eluserunt. Cum nihil proficeret adversus pontem Architalassus, sinistro multorum rumore, a Vezirio præfectura motus ceu nauticæ rei minus peritus, mox in vincula conjectus strangulatur.

Post tot irritos successus, ut hominum multitudine superabant Turcæ, castra sua longius porrigere, novis aggeribus, novis vallis Cæsareorum opera amplecti, pabulo exuere equitatum, omnia arctiora facere, ut omnino Duces, militesque sentirent se obsessos teneri, nec receptum patere, nisi in alteram ripam. Non pauci ordinum Ductores angustis spatiis Christiani

A. C. 1694. C. stiani exercitus robur obsideri indigne ferebant, hostemque suis in munitionibus invadendum ante, quam undique circumvallarentur, censebant. Caprara sine Borussorum, quæ audito discrimine Cæsareorum iter accelerarunt, auxiliis, & Pollandi equestribus copiis, negat se hostem aggressurum, quem sciebat numero validum, situ, munitione, tormentorum copia tutum, quin imo subveritus, ne castra assiliret hostis, cuniculis omnem ambitum castrorum armavit. Hæc ubi Viennam atrociore fama perlata sunt, dici vix potest, qui sermones, timoresque apud summos, imosque excitati fuerint. Acceptis Borussis, & Pollandi equitibus (erant isti quater mille Hungari, bis mille A) Germani) tenuit morem suum Caprara, in defensionem castrorum unice intentus.

Apud Cæsareos integro mense arcte conclusos, autumno insuper pluvio, rigidoque, adeo morbi ingruerunt, ut quinque millia languescentium Futakini in nosocomio numerarentur, nec minor singulis diebus vario morborum genere strages fieret, quam continenti hostium jaculatione. Reliquus miles per sævitiem autumni, vigilias, cæteraque tædia castrorum eum in modum fractus erat, ut altera Danubii ripa vix defendi potuerit. Turcæ Tartaris admixti multis navigiis in insulam Oseroviczіam devecti, post acrem magis, quam constantem pugnam Hungarorum peditum, non modo ea insula potiti sunt, sed & Kobilam, cæsis aut fugatis Rascianis præsidiariis, magno sane Cæsareorum detrimento occuparunt. Ad tam opportunum locum recuperandum immissi Hungari, ac Rasciani, partim increbrescentibus pluviis, & ventis violentius incumbentibus, partim & multitudine Tartarorum (quinque millia Danubium transmiserant) absterriti, cunctabantur periculum subire. Audaciores inde Tartari, Futakinum evecti, quadringentos gregarios cum Marchione Davia nobili Volone, & annonariis vehiculis intercipiunt, ac in sua castra deportant. Majori vi opus fuit, ut ea Danubii ora assereretur. Corbellius quatuor, Bassompierius duas legiones diverso itinere in hostem ducunt. Prior ad Zentam usque propellit, in quos incurrerat, equites fere sine certamine. Iste ad Kobilam præda impeditos assecutus centum, & quinquaginta opprimit, cæteros momento dissipat. Galgæ filius, indolis præfervidæ, ac martialis, dum pugnam instaurare incassum nititur, glande percussus cecidit.

Ultima Septembris, sole in occasum festinante, dimidiæ horæ jaculatione adeo classis nostra, & castra impetita erant, ut plerique supremam oppugnationem instare crederent. Caprara diviso in partes animo, nunc Turcarum navales apparatus respectabat, nunc in conatum terrestrium copiarum intendebat, omnem militem ad defensionem operum celerrime distribuit. Silentibus signis, tormentisque per transfugam Janicsarum intellectum est: Vezirium castra solvere, majores machinas ad Carlovizium navigiis impositas: Tartaros jam prævolasse, reliquum exercitum profectioni accinctum stare. Postridie nec classis hostium, nec tentoria conspiciebantur. Peropportuna occasio erat postrema agmina carpendi, verum equis macie, squaloreque confectis, & multo imbre campis restagnantibus, intutum existimarunt Duces, hosti fugitivo insistere.

Receptus tam præcipitis non una causa ferebatur. Qui per eos dies ad nos pervenerant, constans transfugarum opinio fuit: Vezirium in hyberna abiisse, quod Titulii præsidiarii Hungari, quinque, & quadraginta naves re frumentaria graves abripuerint, clausoque Danubio prope Szalankemenum paulatim caritatem annonæ, & rerum omnium difficultatem castris Ottomanicis intulerint. Alii addebant: Galgam Tartarorum Chamum graviter accepisse jacturam filii sui, in pugna ad Kobilam a Turcis deserti, eumque dolore nimium exulceratum cum suis Tartaris, nulla habita ratione Vezirii, palam discessisse. Inde occasionem datam Janicsaris, reditum in patriam flagitandi. Reipsa inclementia hyemis omnibus perquam gravis erat, maxime Asianis frigorum impatientibus, eodemque malo, quo Cæsarei,

A) Hunc numerum reperi in Porta Ottom. Dissentit historia M. Leopoldi Tom. II. pag. 277.

ſarei, ſternebantur. Cenſu inito compertum eſt, quindecim millia ferro, & morbis abſumpta. Vezirius tot difficultatibus preſſus, rumorem inſuper ſpargit: Badenſem Imperatorem cum novo exercitu ſecundo Danubio appropinquare; ne videlicet fruſtratam expeditionem capite luat. Soluta caſtrorum obſidione noſtro militi non tam libertas, quam vita ipſa redire videbatur, adeo inter ea latibula multis incommodis divexatus periculo amittendæ libertatis, aut vitæ proximus erat. Caprara miſſis aliquot legionibus Szegedinum, ad cohibendas populationes Tartarorum, ac reliquo milite, cui Heislerum præfecit, in hybernis collocato, Varadinum proficiſcitur, e propinquo oppugnationem Gyulæ adornaturus. Sed cum Tribunus Gronsfeldius, atque alii, qui ſuo equitatu omnem tractum Maruſii infeſtum reddebant, quive proxime a Vezirio feſtinata alimenta occuparunt, A) referrent, Gyulenſes miſerum in modum fame laborare, ac lenta obſidione preſſos hybernis adhuc menſibus deditionem oblaturos, mutato conſilio obſidere decrevit præſidium. Conduplicatis ſtationibus, ne quid cibariorum per paludes gelu duratas irreperet, Gubernator deſperata Temeſienſium ope, ad quos allegarat ſuum filium, & ſexaginta pedites, ſed ad Maruſium amnem ab Hungaris pleroſque captos, prima, & viceſima Decembris B) Hauchino Szegedini Præfecto præſidium tradit. Firmatis conditionibus ab ipſo Cæſare, deditirii vehiculis ter centum quinquaginta Temeſiam avecti ſunt undevigeſima Januarii; neque enim prius tot carri comparari poterant per altiſſimas nives, quibus ejus regionis oppida prope ſepulta erant. Gubernator traditi præſidii cum militum Præfectis in vincula conjectus eſt Temeſiæ; ſubinde ad cauſam dicendam Belgradum evocatur.

Gyula in poteſtatem Cæſaris redacta, multum timoris Daciæ ademit, quæ perpetuo hujus, aut Temeſiæ præſidiarios in prædam effuſos reformidavit. Hoc tamen anno & ab iſtorum latrociniis, & a Tôkôlii incurſibus tuta fuit, quem domeſtica clades ab invaſione alienæ provinciæ cohibuit. Erat ea clades tanto acerbior, quanto magis improviſa. Ceſſerat Achmetes fiduciario jure caſtella aliquot in Servia, ac Bulgaria ad oram Danubii Tôkôlio cum additis oppidis, vicisque, quo arctius hominem ſocietati Turcicæ adſtringeret, & ſimul Valachum tam gravi æmulo oppoſito in fide contineret. Ea loca pro Tokôlio obtinebat Daroczius amicorum poſt Petroczium præcipuus. Hic ſeu deſperaret meliorem fortunam Heri ſui, ſeu exoſus mores Turcarum, communicato conſilio cum Veteranio, armorum per Tranſylvaniam Præfecto, ſtatuit, ſe cum militibus ſuis ad Regem referre, non ſine hoſtium damno. Uipalankam, Ramam, Fedislaviam, Galombhaziam, Tôkôliani juris præſidia, uno incendio involvit, mox cum ſex Huſſarorum ſignis in nongentos Turcas, qui annonæ ſubſidium Gyulam vexerant, illatus, ſtrage, prædaque facta ad Veteranium venit. Multa ſubinde dedit fidei non fucatæ, ac interritæ inter pericula fortitudinis exempla, & perduellionis crimen ſanguine Ottomanorum ſatis, ſuperque eluit. Hoc infortunio mulctatus Tôkôlius, ad reparanda damna domi ſuæ ſemet continuit. Quem curſum arma in Croatia tenuerint? fruſtra Authores, quos præ manibus habeo, conſului. Id unum reperi apud ſcriptorem Portæ Ottomanicæ, Kybam Brodii Gubernatorem in hoſtium regionem impetum feciſſe, ac ſpoliis ditatum proſpere rediiſſe.

Hoc anno apud Venetos creato Reipublicæ Duce Sylveſtro Valierio, copiarum Imperatore in Peloponneſo Antonio Zeno (qui ſubinde ſocium Imperii habuit Adamum Henricum Baronem Steinavium Turcicis bellis in Hungaria exercitatum) univerſæ claſſis Præfecto Hieronymo Michielio, & Daniele Delphino in prætura Dalmatiæ confirmato, c) bellum proſpero Marte & in Dalmatiæ regno, & in inſulis Ægei maris cœptum eſt geri. Decreverat Delphinus poſt capta maritima oppida, Ciclutum præſidium in poteſta-

A. C. 1694.

A) Vezirius cum Gyulam, tum Temeſiam rem cibariam feſtinavit. Temeſia accepit, non item Gyula, ut refert Porta Ottom. Tom. II. pag. 686. B) Ephemerides Leopoldinæ ad hunc annum. c) Videntur Steinavius terreſtrium copiarum, Zenus univerſæ claſſis, Michielius, & Delphinus Dalmatiæ, Albaniæ, & ſubinde Peloponneſi imperium obtinuiſſe.

A. C. potestatem redigere; spe inde in Herzegovinæ ditionem injecta. Jamque 1694. regionis incolas Veneto nomini multum addictos, per fidos nuncios sui adventus certiores fecerat, ostensisque ingentibus emolumentis, quæ universæ nationi haud dubie obvenirent, si partes Reipublicæ amplecterentur, multos ab amicitia, & societate Ottomanica abstraxerat. Familiæ nobiles cum sex millibus subditorum, primis illico diebus ad Venetos concesserunt, igne consumptis domibus, omnique frumento, ne quem inposterum patriæ desiderium revocaret. Non post multo alii, atque alii, popularium vestigia secuti, tanta conspiratione animorum suam ipsi patriam evastarunt, ut Regio sexaginta leucarum ambitu porrecta, ferali incendio conflagrare conspiceretur. Ex ea multitudine in militiam delecti bis mille octingenti, ac veteranis permisti, magno usui fuere Delphino. Gliscente fugientium numero, Bosniæ, & Herzegovinæ Præfecti arma capessiverunt; sed Bosnensibus in Hungariam proficisci jussis, cæteris neque animus, nec vires erant, gentem tributis nimium oppressam, & spe libertatis in seditionem actam componendi.

Et jam Delphinus auctus copiis, & penu castrensi, decima tertia Junii Spalatro solverat, Ciclutum obsessurus. Jacet Ciclutum ad fluvium Narentam binis castellis, & prealtis turribus veteri more communitum. Jussu Solymani II. anno fere quinto, & nonagesimo supra millesimum quingentesimum, Christianis metu dejectis, assurrexit, frænum vicinorum præsidiorum Narentæ, A) & Castelli novi, totiusque Herzegovinæ; quippe in aditu hujus regionis positum; ideoque cum cura ab Ottomanis habitum, præfecto Achmete Posegæ olim Gubernatore, cum delecta Janicsarorum manu, præter armatos oppidanos. Eodem, quo Delphinus, tempore Marcellus equitatus Magister suas copias terrestri itinere adduxit. Ad intercludenda hostium auxilia parte militum dimissa; vix cœpta oppugnatione oppidum, atque duas turres tormentorum iras non ferentes Turcæ deserunt. Neque constantius castella defendebantur, postquam excussæ e grandibus mortariis pilæ sulphureo nitro armatæ, summa tectorum incendebant simul, simul & vastissimos fornices suo pondere perfringebant. Adversus hanc domorum, hominumque pestem cum nullum remedium in promptu esset, & insuper militum Præfectus minori glande collum trajectus exanimaretur, deditionis signum sustulerunt. Transactis conditionibus, quadringenti Janicsari arma induti, in Albaniam abire permissi sunt, captivi Christiani, transfugæ, quive Mahometis deliria suscepere, Delphino traditi.

Post captum Ciclutum finitimæ regionis incolæ, Venetorum clementiæ se tradiderunt, polliciti tributa, frumentum, quæque alias Ottomanis præbuerunt, modo in fidem acciperentur. Omnes benigne habiti, tum primum libertatis dulcia post servitutem barbaram senserunt. Opportunum locum novis operibus firmandum censuere Duces, quod præviderent eum haud diu tutum fore ab aggressione. Et vero nondum perfecto vallorum sepimento, quod Marcellus ducere instituit, Solymanus Seraskerius, Bosniæ & Herzegovinæ Præfecti cum exercitu sedecim millium in conspectum laceri adhucdum præsidii venerunt. B) Summo in discrimine versabatur Delphinus, ne victoriam clade aliqua corrumpat. Nam Morlachi rerum suarum soliciti (tria millia erant) ad messem faciendam domum nuper redierant. Reliquus exercitus par non erat, ut in campo Ciclutum propugnaret. In re tam ancipiti & militi suo, & præsidio provide consuluit. Huc mille sexcentos sub Marchione Cæsare Odo immittit, viro strenuo, pugnacique; ipse haud procul Cicluto castra positu alioquin valida, additis insuper castellis invicta, cum cæteris copiis intrat, unde obsessis facile posset auxilium ferre. Nondum cœptis obsidionalibus viis, Ottomani quasi victoriæ securi, excidium loco interminati, deditionem exposcunt. Sed ab Odo

A) Narenta, veteribus Narane, sive Narona, Romanorum colonia; teste Varrone, novem, & octoginta urbes Illyrici suo imperio subjectas habuit; nunc mediocri fortuna contenta. B) Die quarta, & vicesima Julii.

Odo intrepide rejecti, structis aggeribus vallisque, & admotis propere machinis aggressionem magnis animis adornant. Bidui jacultatione cum saxeam turrim nullo successu verberassent, in aliam castelli partem directa est oppugnatio. Ea occasione usi obsessi, animos addente Marco Travatio, qui ægro Marchioni in præfectura successerat, validissima eruptione facta, operas, atque excubitores invadunt, qui subito fugati alios quoque suo timore, ac fuga involvunt. Vicinus Bassa cum suis cohortibus in locum certaminis advolans, & suorum trepidationem, & Venetorum impetum stitit, novisque e castris subsidiis accedentibus, Veneti multis hostium peremptis paulatim se in præsidium retulerunt.

A. C. 1694.

Postero die Turcæ vallum extimum, & muros, si primum succederet, pluribus in locis apertos assultu capere connisi sunt. Eam partem præsidii curabant Comes Fansogna Italus, & Franciscus Viskovichius Dalmata cum suis popularibus. Comes etsi prægrandi ictus lapide, & altero pede saucius, doloris sensum non ante admisit, quam aggressores post cruentam pugnam in castra rejecti fuerint. Concisis iis, qui apud sedes tormentorum opus faciebant, pronum erat victoribus accessus proruere, machinas defixis clavis corrumpere, materiam aggeris concremare. Turbato peditatu, Spahii in justam aciem educti, ut appropinquarunt vallo, a fistulatoribus pessime accepti, fugientium agmen auxerunt. Nox prælium diremit. Hac eruptione præcipue factum est, ut eadem adhuc nocte solvi debuerit obsidio. Quanquam & pestifera febris, qua primum Albani, deinde Bosnenses correpti erant, multum contulerit ad maturandum receptum. Undecim dierum oppugnatione ducenti Veneti, bis mille Turcæ perierunt; non pauciores vulnerati, quos inter Herzegovinæ Præfectus, qui paucis interjectis diebus cum Solymano Seraskerio ab Achmete Imperatore exauthoratur.

Recedente in Bosniam hostili exercitu, Delphinus bipartito distributis copiis, multa oppida Dalmatiæ partim vi, partim deditione cepit, magno utique non modo Venetæ dominationis incremento, sed commodo in primis Christianorum, qui in libertatem asserti orthodoxam quoque religionem, cujus vix umbra in quibusdam locis inventa est, reductam læti conspexerunt. His nunciatis Adrianopolim, solicitudo incessit aulæ ministros, ne Herzegovina, unde plerique originem trahebant, in potestatem Venetorum redigatur, & capta patria ipsi quoque in triumphum ducantur. Istorum precibus, & periculo amittendæ provinciæ motus Imperator, præfectura armorum collata in Bosnensem, jubet Vezirium apud Belgradum agentem, equitum, peditumque manum quamprimum in Dalmatiam immittere. Id quod Vezirius celeriter præstitit, ne videlicet sibi attribueretur, si quod detrimentum ea provincia acciperet. Et jam Bosnensis Sarajo movens exciendis copiis, paratibus faciendis, circumspiciendis hostium consiliis, in Bosniæ limitibus dimoratus est, cum acceptis e Servia Janicsaris, Spahiisque, & aliquot castrensibus tormentis Herzegovinam ingreditur cum viginti, & amplius armatorum millibus. Haud optimo loco ea tempestate res Venetæ erant in Dalmatia. Prosеminatis innumeris morbis, Præfecti juxta, ac gregarii, eum in modum elanguerunt, ut perpauci superessent, qui castrorum labores perferre possent. Delphinum, Marcellum, Odum, aliosque primarios ordinum Ductores eadem vis mali urgebat, & fere ad extrema deduxit. Ingruente hoste morbi pertinaciam plerique vicerunt. Primus Delphinus, tametsi corpore æger, animo alacer belli curas resumpsit, Ciclutum Vincentio Donæ, qui locum terreis castellis, sudibusque recens obsepserat, cum bis mille quadringentis peditibus partim Venetis, partim Dalmatis defendendum attribuit. Jadera, Sebenico præsidiarios evocat; duas bellicas, quas Bembus ad Castellum novum in anchoris tenuit, in auxilium accersit. Delphini conatus multum adjuverunt Marcellus, Vymelius, Odus, notæ fortitudinis in exercitu Duces. Sub dimidium Octobris, Ciclutum obsedit Bosnensis. Ad æstimandum locum castris egressus, mirabatur tam firmi operis munimenta, intra spatium unius mensis perfici po-

A. C. 1694. potuisse; atque hinc non ex vano conjiciebat, aut infelicem, aut sané operosam oppugnationem fore. Redux in castra, missis per duos equites literis, hortatus est obsessos, ut præsidium veteri Domino cum urbe Gabella restituant. Concedente Delphino, qui præsens aderat, Dona Gubernator respondit: *præsidium, Venetorum armis expugnatum sibi non ad alium finem traditum, quam ut illud adversus omnem vim tueatur; se proinde, suosque vitam potius, atque suæ fidei concreditum locum, daturum.* Hoc generoso responso, & multiplicium munimentorum veluti labyrintho quodam perculsus, pluribus diebus quietus constitit, cum copiarum Ducibus multum consultans, an lenta obsidione, an munitionum expugnatione Ciclutum frangeret? Abhorruere omnes a cruenta, quam prævidebant, oppugnatione.

Igitur obsidium intentare placuit, atque intercluso a vicinis oppidis auxilio, fame aut tædio laborum Venetum ad deditionem cogere. Non fefellit Delphinum hostium consilium, veritusque ne protracta obsidione grassantes morbi militem popularentur, statuit hostes nondum plane circumvallatos invadere, & eorum constantiam, & sui militis vires prælio experiri. Vetera castrorum valla utcunque instaurata erant, nullis tamen machinis, quæ absterrerent subituros, instructa, nec crebris stationariis, ut alias fieri solebat, firmata. Id conspicatus Delphinus, jubet Burovichium nobilem Dalmatarum Ductorem, e suis cohortibus promptissimos quosque deligere, ac captata occasione Turcarum castra cum iisdem aggredi. Ille judicio Delphini lætus, dato egrediendi signo, tanto impetu vallum, turri A) S. Stephani objectum, cum delecta manu popularium invadit, præsidio interim in valli defensores fulminante, ut fossa, atque aggere superatis in castrorum interiora penetraverit. In ea omnium trepidatione castra ipsa capi potuissent, nisi tenebris ingruentibus suorum paucitati diffisus reditum maturasset. Bosnensis plus ignominiæ, quam cladis perpessus, non expectata luce, ultra Narentam fluvium recessit, ubi munitissimo loco castra metatus, Venetos in prælium æstuantes objectu fluminis elusit. Delphinus Ciclutum reversus, ordinata Republica militari, & urbana, victorem exercitum hyberna quiete reficiendum per oppida Dalmatiæ distribuit. Nec Seraskerius diutius moratus, dimissis copiis Sarajum rediit sæviente jam anno.

Steinavio, & Zeno maritima expeditio perinde feliciter vertit. Relicto ad Corinthi angustias Michielio, uterque tertia Augusti cum Veneta classe, & Pontificiis navibus, e Nauplíæ portu in insulam Chium trajicere ardebat, cujus Metropolim ejusdem nominis Senatus bellicus oppugnandam decrevit. Jam in conspectu Chii classis universa erat, cum coorta horribili tempestate reflantis impetu venti in Andrum insulam compellitur. Hic non sine jactura temporis, ac fortium virorum, in anchoris hæsit ad sextam Septembris, mari pro hostibus pugnante, ne imparati opprimerentur. Octava tandem Septembris Chium tenuit. Byzantini post famam appulsæ classis, bis mille pedites auxilio festinanter misère, sed isti luctati cum ventis ad Hellespontum, occluso interim a Venetis omni ex parte aditu, Tenedum intrarunt. Ut primum Veneti castris locum ceperunt ad amplissima suburbia, Græci, & Latini nominis primarii cives præeuntibus Episcopis, & Sacerdotum turba, Zeni adventum omnibus lætitiis celebrarunt, se, suaque omnia Venetorum clementiæ dedentes. Et suburbia quidem nemine prohibente occupata sunt. At præsidium, & castellum, quo portus urbis defendebatur, vim parabant, Gubernatore Cassane, Mahometis IV. Genero, militem, ac oppidanos Turcas ad defensionem animante. Tria millia peditum illi aderant, e quibus ducentos carpit in castelli tutelam, reliquum militis per mænia præsidii disponit. Sed hæc fere in speciem fiebant, adeo celeriter præter omnium opinionem labefactatis mænibus, & fuso per præsidium incendio animis ciciderunt.

Etenim

A) Hæc turris præcipuum munimentum Cicluti.

Etenim Steinavius eodem tempore, quo quatuor tormenta, & totidem mortaria in præsidium obverti jussit, castellum simul impetendum putavit, ut curas scilicet, viresque obsessorum divideret. Castellum, Præfecto pugnam non auso, illico in deditionem venit, Turcis absque armis, & modica duntaxat supellectili concessa, alio avectis. Captæ sunt in portu variæ naves mercibus Asiaticis onustæ, quas Rhodius Mezzomanes tempestate compulsus, paulo ante Venetorum excensionem, in eum portum invexit. Biduo A) post præsidio pacisci placuit, postquam missiles ignes summa tectorum corripuerunt, & cuniculus ad marginem fossæ solutus viam ad muros aperuit. Subscriptis conditionibus milites, & cives incolumitatem corporum, bonorumque pacti, composito agmine præsidio excesserunt. Præter Gubernatorem permulti nobiliores Turcæ eo in agmine visebantur. Mufftius nuper in Chium relegatus, rursum exilii sedem mutare debuit. Mezzomanes rebus omnibus exutus aliena navi Rhodum repetiit. Victoria eo dulcior Venetis fuit, quo minori jactura militum, celeberrima insula Reipublicæ asserta, & plures captivi vinculis exempti. Octingenti, quinquaginta diversæ nationis mancipia libertatem receperunt. Septuaginta, majori pila in fornicem incidente, ubi clausi asservabantur, eoque perfracto miserabili strage oppressi, contectique sunt. Quæ idcirco commemoravi, ut vel inde conjicias, quantus numerus captorum toto Imperio sit, quando in urbe una tot miseri jugo barbaro premebantur. Solventibus e portu dedititiis, classis Turcarum quinquaginta navigiorum subito apparuit. Zenus pugnæ navalis percupidus, levatis anchoris hosti occurrit. Is percepta Chiorum fortuna haud mediocriter turbatus, satius duxit aleam certaminis remis, velisque fugere, quam novo discrimini vires Imperii objicere. Pars Hellespontum versus, pars Smyrnam cursum direxit, frustra insequentibus Venetis, quorum naves prægraves, ac tardas tranquillo mari, facile leviores eluserunt. Dispulsa classe, firmataque Chio auxiliares copiæ in Italiam, Venetæ in Peloponnesum navigarunt, ubi Michielius ostensis præcise armis prope Corinthum, firmam pacem provinciæ peperit. B) Nunc in Poloniam revertamur.

A. C. 1694.

Frequentissima Regni totius Comitia in diem secundum, & vicesimum Decembris c) indicta erant, tum sedandis Senatorum discordiis, ne mora ipsa invalescerent, tum ut ne Turcicum bellum imparatos offenderet. Adversa Regis valetudine sine emolumento patriæ dissoluta sunt, negantibus Lithuanis legem ferri posse absente Rege. Amantiores Reipublicæ privata potius, quam publica authoritate in Regni defensionem incubuerunt, atque ut initia se dabant, felici sane conatu. Brandius Tribunus multis procursionibus notum nomen, relatis sæpe numero multiplicibus spoliis in castellum SS. Trinitatis, quod adversus Camenecum exædificatum narravimus, D) speque ampliorum prædarum, Polonorum aliquot turmis militem suum auxit, a quo assiduis excursionibus pagi circa omnes, oppidaque Turcici juris, & Camenecum ipsum usque adeo infestum habebatur, ut jam dominantibus per utramque Tyræ fluvii oram Brandianis, nec Camenecenses sine valido præsidio egredi auderent, nec Tartari sine justo exercitu commeatus eo inferre possent. Et quamvis isti in omnem occasionem intenti, ac sua multitudine freti, semel, atque iterum attentarent annonæ subsidium in urbem inducere, tamen a Brandianis veluti ex insidiis surgentibus, adeo improviso obruti sunt, ut mille cæsis, nec paucioribus captis, sua omnia impedimenta cum annona amiserint.

Sed rursum e fuga collecti, auctique sociorum agminibus, septingentos carros omni genere frumenti oneratos, pugnæ securi Camenecum advexere. Tum in Rubram Russiam effusi dirissimas populationes renovant. Nec ut alias divisis, sed conjunctis copiis procedunt, triginta millia justa æstimatione censebantur. Huic torrenti semet objecit cum modica manu

A) Nempe die XV. Septemb. B) Hæc partim e Porta Ottomanica, partim e Petro Garzonio sumpta. c) Anni scilicet 1693. D) Vide annum 1693.

A. C. 1694.

Gurskius impigri, & præferocis animi Tribunus. A multitudine undique ſeptus, latam per hoſtium ſtragem ferro ſibi, ſuiſque viam aperuit, ſolum duodecim ex eo manipulo amiſſis. Zaorovius ſeptem ſignis equitum inſtructus, rem fortius egit ad Leopolim. Auſus aperto in campo manus conſerere cum illa multitudine, ne circumveniretur, coactus eſt ſemet recipere in tutiorem locum. Fecit iſtud ordinibus clauſis, & obverſa in hoſtem fronte, qui diuturna velitatione fatigatus, dum reditum quærit, bis mille viris mulctatur.

Autumno ineunte multo majore vi, apparatuque ad Tyram conſtiterunt Tartari. Cum enim inductis commeatibus numeroſum præſidium hyemis ſpatio ali non poſſe exiſtimarent Purpurati, & Brandiani omne, quod humano uſui foret, pabulatoribus Turcis circa Camenecum præciperent, aut igne perditum irent, curarunt annonæ copiam, quæ Cameneco inferretur, feſtinari. Jam ſuperiore anno quater mille vehicula hujusmodi ſubſidio onuſta in Moldaviam promota erant; at parum inter ſe convenientibus Tartarorum Ductoribus, aut potius faciundis ſpoliis intentis, ſubvectionem annonæ inter poſtrema habuerunt. Præſenti demum anno ſub principium menſis Auguſti Budziacenſis Tartariæ Chamus Caſys Gereyus, quinque, & viginti millia ſuorum trahens, quibus ſe adjunxere novies mille, & ſexcenti Moldavi partim, partim Turcæ, cum annonariis illis curribus in viam ſe dedit. Verum audito, univerſas vires Poloniæ ad Camenecum metari, non auſus ultra progredi, in Valachia ſubſtitit, damnante hanc cunctationem aula Byzantina, quæ animum hominis nimis quam lentum, ac varium non ferens, in Bielogradienſem Chamum provinciam deportandi commeatus tranſtulit. A)

Is duodeviginti equitum millibus collectis, maximis itineribus in Valachiam profectus, cum omnibus copiis, & carris Tyram acceſſit. Nihil iſtorum latebat Jablonovium, & Sapieham, hunc Lithuanici, illum Polonici exercitus Duces. Uterque lectiſſimo milite ſuccinctus pugnæ copiam optabat, quo illatas populationes, hoſtium ſtrage ulciſcerentur. Communi conſilio decernitur: Tyram transmittendum, atque hoſtes aperto campo tendentes ſubito invadendos. Quinta Octobris omnis equitatus minimo ſtrepitu cum bis mille dimachis in averſam ripam natatione evaſit: duodecim caſtrenſes machinæ lintribus transvectæ. Altero die hora a meridie ſecunda ad manus ventum eſt. Raro alias conſtantius dimicarunt Tartari, Chamo voce, & exemplo inſtante, ac ruptos ordines integrante. Sole in occaſum inclinante inclinavit quoque hoſtilis acies, cæſis Janiſſarorum cohortibus, hoc eſt totius exercitus robore. Inſecuti Poloni, rurſum ad pugnam adigunt fugitivos, cæduntque. Duobus his præliis Tartarorum ſeptem millia deſiderata ſunt, minima jactura Polonorum. Præter copioſam annonam centum quæſtorii currus, & pecunia præſidio deſtinata, & equorum grex in poteſtatem venerunt, magna utique victoris militis gratulatione, quem tot feralia incendia, tot everſiones vicorum in ultionem incenderunt. B) His proſpere geſtis, inter acclamationes civium, lætitiam vix animo capientium, Poloniam repetierunt.

1695. Principium hujus anni morte Achmetis Imperatoris inſigne fuit. Vario morborum genere per omnem vitam conflictatus, ad extremum hydrope laborare cœpit, adeo immodice poſtremis menſibus increſcente malo, ut rejectis Imperii tædiis, vix mandata, epiſtolasque ſubſcripto nomine dare poſſet. Quanquam nec alias ſingulari cura Rempublicam complexus fuerit, animo magis, quam corpore æger, atque per diutini c) carceris miſe-

A) Tartari ut provinciis diverſi, ita diverſos Regulos, Chamos, ſive Hanos habent. Ex quo facile intelligas, cur eadem in expeditione plures Reguli apud Hiſtoricos legantur. B) Lenchnichius Poloniæ fortunam his verbis complexus eſt: „ Non ſucceſſit anno 1694. Tartaris, qui importato Camenecum commeatu in Ruſſiam ſe infundere conſtituerant; cum enim & inſeſſi aditus, & copiæ majores confluerent, poſt unum, & alterum conflictum præda vacui receſſerunt. „ c) Achmetes iſte II. facile annos quinque, & quadraginta carceris ærumnas perpeſſus fuiſſe e Scriptoribus eruitur.


miserias non regendi modo, sed cunctis, quæ ad cultum humanum faciunt, artibus destitutus. Fractam valetudinem immoderato usu ciborum, ac largiore vino in dies attenuavit. Fato proximus, evocato ad se Purpuratorum Senatu, de legendo novo Imperatore agere instituit, non eo quidem consilio, ut in alterutrum filiorum (nondum pueritiæ annos excesserant) molem Imperii transferret, sed ut successorem liberis, ac conjugi suæ placabilem relinquat. Non ignorabat in oculis, votisque omnium esse Mustapham Mahometis IV. filium, Principem ingentis animi, & qualem ea tempora perpetuis bellis implicita poscebant, admodum pugnacis. Huic colloqui peroptabat Achmetes, antequam decederet. Sed Mustaphas subveritus insidias, ultimos congressus quam diligentissime vitavit. A) Fesso jam corpore, ubi finis aderat, sexta Februarii adsistentibus amicis suprema mandata dedit: *Mustapham haud dubie rerum potiturum commonefacerent, se in ejus vitam nihil per vim, aut malas artes, etsi non deessent, qui venenum, vel ferrum audacter suaderent, molitum fuisse; redderet vicem beneficii innocentibus liberis, ac conjugi, quos ætas, & sexus alioquin absolvit.* Neque diu post extinguitur Adrianopoli, nullo publico luctu. Cadaver Byzantium avectum, solita pompa in principe Moschea humatum est.

A. C. 1695.



MUSTAPHAS II.

IMPER. OTTOM. XVI.



Constantinopoli acclamatus Imperator Mustaphas, hoc nomine Secundus, Solymano, ac Mahometi itidem secundis, vigore animi, cupiditate gloriæ, armorum usu suppar fuit; at fatali bello composito, quod ingentibus Europæ, Asiæque motibus Ottomanos inter & Confœderatos Principes in decimum septimum trahebatur B) annum, multo etiam superior videbatur. Ut primum in campum prodiit, omnem exercitum in se convertit. Recordabantur veterani milites eum inter armorum strepitum natum, educatumque; primis pueritiæ annis gregali habitu velut alterum Caligulam C) in castris circumlatum. Prius tormentorum fragores, quam nutricum nænias audivisse. Adolescentem equestri, & gladiatoria disciplina probe exercitatum, inter maximas copias, quibus Vienna impugnata est, in campis Thraciæ armatum apparuisse, cum iisdem ultra Savum amnem in Hungaria profectum, caloris, & frigoris ultra ætatem tolerantem; denique a præstantissimis exercituum Ductoribus, omnes artes bellicas rara felicitate hausisse, conficiebantque, ductu, & auspiciis tanti Imperatoris pristinam armorum gloriam redituram.

Et vero præclaram hanc de se existimationem in aditu regiminis, rebus ipsis confirmare studuit. Diviso curis animo, ante omnia delectus militum festinavit, circummissis ad Moldaviæ, & Valachiæ Principes provinciarumque Præfectos literis, quibus severe universos commonefecit, ut quam maximum possent, copiarum numerum sub signa cogant: arma, equos, nitratos pulveres, naves pro sua facultate comparent, mitescente hyeme in campis Adrianopolitanis adsint. Ut promptiores redderet ad diri-

 genda

A) Porta Ottom. Tom. II. pag. 686. B) Cœptum est bellum 1682. Pax tandem confecta Carloviczii in Sirmio 1699. C) C. Cornelius Tacitus Annalium Lib. I. §. 69.

A. C. 1695. genda mandata adjecit: *ſibi omnino deliberatum proximo vere in Hungariam, aut Daciam cum exercitu proficiſci. Imperium armorum nulli hominum ſe ceſſurum, ſed ſuo ductu bellum geſturum, ubi major hoſtium vis, molesque belli. Solymanum II. aliosque clari nominis Imperatores nobiliſſimas victorias retuliſſe, quod pro fronte legionum ſteterint, aciem ipſi compoſuerint, militem oppugnandis urbibus admoverint. Cæteros qui Seraglium campo, otium labori prætulere, qui privatis Ducibus exercitus tradidere, intutos domi, foris ſpretos, utrobique anxios, ignobilem vitam duxiſſe; certe Imperii limites nimis quam arctos, & vires afflictas, acciſasque ſua ignavia reliquiſſe. Ad præcavenda inpoſterum hæc damna, nihil induſtriæ ſe omiſſurum; ſperare autem, provinciarum Præſides pro ſua in Mahometem religione, & Imperatorem fide, & in patriam charitate, quæ ad multiplex bellum perneceſſaria ſunt, prompto, conſtantique animo curaturos.* Hæc per Præfectos in vulgus ſparſa, & adulandi ſtudio magnifice aucta, maximas ſpes toto Imperio concitarunt, & ad bellum ſummis viribus redintegrandum ſegnes quoque inflammarunt.

Secundum delectus militum, aggreſſus eſt componere aulam, exauthoratis miniſtris, quos noverat abalienato a ſe animo eſſe, aut ſpecie procurandæ Reipublicæ privatis lucris inhiare. Kaſachem matrem ſuam, infra dignitatem habitam, apparatu priſtinæ fortunæ in aulam revocat, quæ, ut apprime callebat regendi artes, gratiæ alioquin ſecura, nec timide, nec infeliciter res Imperii moderabatur. Simul, atque filium Imperatorem ſalutavit, immenſam A) pecuniæ vim in belli ſubſidium ſponte ſua obtulit, donum eo ſane gratius, quo majoribus curis expeditionem molienti a pecunia, atque penu caſtrenſi deſtituto. Hanc ſummam auxit Achmetis II. conjux, benevolentia Imperatoris in Seraglio permiſſa. At Vezirius dum firmo gradu ſe ſtare exiſtimat, cum aliquot miniſtris præceps datur. Non levem exilii, mortisque cauſam fuiſſe, vel ex eo conjicere licet, quod præmiſſis jam copiis in Serviam, ſupplicium hominis haud diſtulerit. Multorum opinio erat, Imperatorem graviter offenſum, quod per Eunuchorum Principem egerit, ne miles tanto numero, tantaque celeritate legeretur, neve Imperator deſerta Imperii arce, in caſtra proficiſceretur. Aliis exiſtimatum, ad Imperatorem emanaſſe Vezirii factionem, qua in Achmetis filium, in cunis etiamnum vagientem, monarchiam transferre meditabatur, ut ſcilicet unus in conclavi, & campo armorum præfectura validus dominaretur. Alii Kaſachis artibus præcipitem datum dicebant, quæ offenſa imperioſo illius ingenio, ſe, aulamque tali Dictatore, rebus adhuc integris, eliberare quamprimum cupiebat. Ab exilio revocatus, Adrianopoli ferali fune præfocatur. Corpus triduo in compitis neglectum, & inſultantis populi ludibriis vexatum, nulla funebri pompa componitur. Vezirii locum occupavit Achmetes gratia apud Imperatorem nulli ſecundus. Eam in proſperis, adverſisque a pueritia ſibi conciliavit, intemerata fide in ſuum Principem, cui ſemel adhæſit. Nunquam enim a Muſtaphæ latere, in horas lictorem operientis in carcere, abſceſſit, calamitatum omnium particeps. Vezirii ruina nobiliſſimi quique Præfecti oppreſſi ſunt. Nemini tamen mors indicta, exilii duntaxat pœna propoſita.

Ex adverſo non paucis quos aliena invidia, aut acrior æmulatio imperitante Mahomete IV. præfecturis, aulaque movit, locus & gratia apud Imperatorem reſtituitur. Horum quindecim provecta ætate, ac vetere ſolidaque multarum rerum experientia graves, veluti negotiorum animas, in aula detinuit, commendavitque matri ſuæ, ut iſtorum opera in ſummis quibusque rebus ſe abſente uteretur. Sic Imperator delectis Conſiliariis domeſticæ quieti conſuluit, dum ipſe ferro armatus, Imperii fines propagare ſatagebat. Eodem tempore Valachum, Moldavumque hortatus eſt, ut non minoribus copiis, & armorum apparatu Belgradum ſe conferrent, quam dum

A) Scriptor Ottomanicæ Portæ liberali calamo commemorat, tredecim milliones facti, infectique æris, Soltanam filio ſuo dediſſe in belli impenſas.

dum Viennam oppugnatum cum Kara-Mustapha ierant. Tartariæ Regulos perinde stimulavit. Tököljum jactura suarum arcium, atque militum graviter afflictum, nescio, quibus promissis ad bellum capessendum incendit. His domi, forisque ordinatis, depulsa vixdum hyeme, primum Adrianopoli, deinde Philippopoli Europeæ legiones, tardius Asiatici equites coivere. Quarta Junii Imperator, commissa Reipublicæ administratione a) Kasachi, Philippopolim discessit. Lustratis copiis reperit octoginta, & amplius millia Turcarum. E Tartaria pauci aderant, metu utique Moschorum, qui demum hoc anno gravem exercitum in campum eduxere. Adverso Danubio subvecta annona, atque omni apparatu bellico, ipse terrestri itinere inter signa Janicsarorum Belgradum contendit.

A. C. 1695.

Intento in accelerandam expeditionem Mustapha, a Christianis minime cessabatur. Cæsaris, totiusque Senatus bellici præcipuæ curæ eo tendebant, ut universæ vires ante æstivos menses in castris adessent, aut saltem e Caspio mari, ultimaque Ægypto festinantes Turcas præverterent, ut Temesiam oppugnandi ante fieret initium, quam hostium exercitus eam in campo tueri posset. Consilium oppugnandæ Temesiæ Veteranius dederat, aversurus scilicet cladem a se, suoque milite, quam animo prævidebat. Eum in finem Heislerus, sive Heidershemius, incredibili solertia Szegedini, Gyulæ, Varadini annonarias domos excitat, frumentoque replet; Veteranius Karanysebesiam, Lugosiam pari industria in horrea vertit, ac aggere circumducto communit. Sed inprimis Lipam e fertilissimo agro Transylvaniæ, pabulorum, atque frumenti vim maximam comportari jubet, præter nitratos pulveres, pilas, aliosque apparatus in perniciem urbium repertos. Istorum duumvirum industriæ si parem adhibuissent cæteri curatores, multo felicius expeditio cessisset. Pro malo omine acceptum est, quod legiones Cæsareæ tardius e stativis moverint, ac imperatum fuerat.

Æneas Caprara Friderici Augusti Electoris Saxoniæ copiarum in Hungaria Imperatoris Legatus, ad Illokium castra posuit. Præsente Electore, qui decima Augusti in castra pervenit, octo & triginta millia equitum, peditumque numerata sunt, præter Hungaros, Rascianos, quorum numerosa manus aderat. His accesserunt finiente Augusto octo Saxonum, & quinque millia Danorum; ut adeo mense Septembri sexaginta, & amplius millia in hostem educi potuerint. Castris Petro-Varadinum translatis, quid consilii caperet Mustaphas, Cæsarei Duces anxie, soliciteque evigilarunt. Is trajecto Savo, Petro-Varadini oppugnationem animo volvebat. At Zoffar Bassa militari scientia clarus, ampliora expeditionis præmia ostendit, si omissa in præsens munitissimæ urbis oppugnatione, quam Cæsarei haud dubie interturbarent, in Transylvaniam flecteret iter. Posse Veteranium, & omnem provinciam prius opprimi, quam Cæsarei auxilia ferant. Turcis viam expeditam, illis Tibisco, & crebris paludibus interceptam. Tanto autem clariorem fore victoriam, quanto vastior, nobiliorque provincia nudo præsidio præferenda. Zoffaris consilium non Imperatori modo, sed & Purpuratis omnibus mire probabatur. Ad Pancsovam pons navalis Danubio imponitur. Quarta, & vicesima Augusti primum Spahios, deinde Janicsaros Mustaphas, & Vezirius traducunt, relicto Belgradi, qui urbi, classique præsidio sit, mediocri exercitu. Ad Temesiam dies aliquot quieti consident. Elector trajecto ad Petro-Varadinum Danubio, quatridui itinere Pöcsium profectus, trans Tibiscum metatur. Intellecta Soltani mora ad Temesiam, dubius animi quam viam iniret Daciæ juvandæ, ne interim Petro-Varadinum pessum iret, aut ipse iniquo loco in certamen protraheretur? celerrime Tibiscum relegit, ac rursum eundem amnem ad Kis-kanisam transmittit.

Paulus

a) Alii tamen prodiderunt Kasachem Soltanam nuspiam a latere filii recessisse, atque in bellum Hungaricum profectam, uti anno 1683. Vide pag. 130.

A. C. 1695.

Paulus Deakius, nobilis Ductor Hussarorum, per eos dies secundas procursiones fecit, cæsis, aut captis sæpenumero exploratoribus Turcis. A) Prope erat, ut celeberrimus procursor Mustaphas, cognomento Katana, a Deakio caperetur. Lapsus equi Deakiani homini saluti fuit. E captivis, & transfuga cognitum: Soltanum quinta Septembris Lipam festinatis profectionibus movisse. Perculsus inopinata re Elector, Veteranium, & Kolbium Lipæ Præfectum per Celeres suos admonet de Soltani adventu, deque affuturo propediem auxilio, animatisque militibus ad subitum, ac longinquum iter (odiosissima enim circuitione utendum erat ob palustria loca) Lipam dies, noctesque festinat. Sed jam istud præsidium a quindecim millibus Janicsarorum septima Septembris uno assultu captum erat, trucidatis ad internecionem defensoribus, dempto Kolbio, pauculisque Præfectis, quibus avaritia vitam produxit. Avecto omni frumento, atque machinis, monumentum suæ victoriæ in cineres agunt, ac Temesiam redeunt.

Noster exercitus Aradinum eluctatus triste nuncium accipit: Lipam eversam, Titulium obsessum, Mustapham prope Temesiæ muros expeditum stare, unde vel in Daciam, vel Petro-Varadinum tempestatem effundat. Tot difficultatibus obrutus Elector, Veteranio subsidio mittit quina equitum millia; Comitem Forgachium cum tribus Hussarorum legionibus Kobilam properare jubet, ad Herbevillium firmandum, & Titulium defendendum; ipse remensus iter, Makovam inter, & Szegedinum castra locat. Nondum Forgachius Titulium viderat, cum funditus eversum intelligit. Res in hunc modum accidit. Hostile agmen, quod Belgradi substitisse narravimus, classe Tibiscum invectum, decima tertia Septembris Titulium aggreditur; postridie labro fossæ occupato, præsidiarios mille sexcentos ad deditionem compellunt; libertatem pactos, contra datam fidem pro captivis Belgradum asportant; præsidium cuniculis accensis in auras evibrant. Assemburgus classis Præfectus pessime audiebat, quod segni otio ad Petro-Varadinum hæserit, tametsi octo bellicas, & sedecim navigia armata præter complures saikas ad manum haberet; nec Herbevillium fama absolvit, cum sex millibus equitum ad Kobilam cunctantem. Uterque tenuitate virium se excusavit, nec objiciendum fuisse palmari periculo Belgradum Titulii causa.

Inter hæc tristia nova clades omnium animos exterruit. Veteranius Lugosiæ inter, & Lipæ ruinas castra metatus, certiorem reddit Electorem, Turcarum exercitum Daciam petere, sibi, & provinciæ maximum malum impendere; nisi suppetias quam primum veniat, cladem nulla ratione evitari posse. Elector raptis legionibus, quarta, & vicesima Septembris Lipam tenuit, cæso jam Veteranio ante triduum. Altero, quam venerant, die quadraginta Turcarum millia sublatis noctu tormentariis suggestis, prima luce grandioribus pilis undique occlusos impetere cœperunt. Curatis corporibus, circa meridiem castrorum munimenta invadunt, pars defensores continenti scloporum displosione arcere, pars admotis scalis aggeres superare, pars valla rescindere, ex omni denique latere inter crebra vulnera, & mortes aditum moliri. Cæsareus miles tantæ multitudini numero impar, virtute, ac munitionibus superior, quinque horis pertinacissime assilientes sustinet, pilisque continenter emissis aggredientium frontem, & latera fodit, nullo telo in irritum cadente. Haud tamen Turcarum ardor, cadentibus circa sociis elanguit, sed clade ferociores, sociorum cadaveribus fossas explent, sauciis vel fessis integri succedunt, decies repulsi, decies in cruentam arenam redeunt, dum Veteranio lethali vulnere prostrato in castra penetrarent. Pro fronte legionis suæ dimicans Dux idem, ac miles, ictus majoris tubi glande in sinistra papilla, semianimis in interiora castrorum amotus est. Vulgato infortunio pugna remisit. Truchsessius, Veteranii Legatus, ut reliquum militem cladi eripiat, duas cohortes

A) Crebras, & felices procursiones susceperunt Hungari, quibus recensendis supersedeo. Cui otium, & facultas, adeat Portam Ottom. Paulus Deakius solertissimus procursor, Turcico, atque Gallico bello multum inclaruit, magna utique Hungarici equitatus gloria.

tes peditum carrorum sepimento includit, & quantum per temporis angustias licebat, communit. Huc delati hostes producto in seram noctem certamine defensores internecione delent. Reliquiae cladis spatium fugiendi nactae, Karanysebesiam, inde praesidio extracto ad ferream portam evadunt. Desiderati dicuntur in hoc praelio ter circiter mille praeter eos, quos agrestes in fuga interemerunt, majore utique quam pro numero jactura, amisso robore veteranorum, ac militiae praecipuis. In uno Veteranio plurimum cladis acceptum est. Caput a praedatore Turca ad Mustapham allatum, hujus jussu cum corpore honorifice conditur. Impedimenta cum omnibus machinis, & multis signis amissa. Ex Ottomanis vero caesa fuisse quinque millia ipsi hostes prodiderunt; nostri, qui pugnae intererant, ad decem millia ampliant. Scriptor Ottomanicae Portae non veretur, denis millibus bina A) addere cum Praetore Thraciae, & Albanorum B) Ductore; ut adeo haec victoria tam caro empta, clades potius dicenda sit. Ne ea tempestate hauriretur Transylvania, Elector citatissimo itinere evolat: subinde vanescente metu, militem peregrinationibus fessum in hyberna dimittit, Vaudemontio Gubernatore Transylvanis imposito. Hyems instaurandis Lipae, Titulio, Karanysebesiae perdiligenter impensa.

A. C. 1695.

Mustaphas Imperator collectis spoliis, & Karanysebesia expilata, eversaque, ac sauciis, quorum ingens multitudo fuit, Temesiam avectis, Orsovam versus exercitum movit. Multa eum a prosequenda victoria retraxerunt. Frigidior autumnus, & Transylvaniae angustiae, quas nisi uno calore perfringeret, Electore propinquante, in Temesiensi provincia sibi hyemandum foret. Unde vero tantis copiis peterentur annonae commeatus? privatae etiam rationes Mustapham agebant, verentem ne fortuna belli, quam amicam expertus est, variet, & infausto exitu victorias corrumpat. Valachiae Principem per suos Chausios certum fecit, se cum omni exercitu per ejus provinciam iturum, utque venturis copiis tutum iter, & annonam praestet, amice admonuit. Rumor Turcici exercitus, tum agrestes Valachos terruerat, populationem suarum villarum timentes, tum praecipue Principem, iram Soltani reformidantem ob intermissam expeditionem Hungaricam.

Sed metu eos non multo post absolvit Mustaphas. Quippe tanta disciplina militari novem dierum iter per Valachiam confecere Turcae, ut non modo oppidorum nulli, sed ne uni quidem rusticorum casae illata vis a quoquam, aut injuria memoretur; si facinus unum excipias, quo duo ex Asia oriundi, favum mellis invito rustico linxerant, qui statim a Mustapha suspendio damnati, reste vitam finivere. Et Princeps multa humanitate exceptus, posteaquam Imperatorem Tornum c) usque assectatus est, muneribus ornatus domum remittitur. Id solum ab Imperatore majorem in modum ei commendatum, ut in administranda provincia legem, aequitatem, & fidem unice in consilium adhibeat. At Tökölium dicitur peracerbe increpuisse, quod hybernorum causa, Valachos veluti hostes divexarit, vicos aliquot irae impotens ambusserit. An ultra acrimoniam verborum processerit? non habeo dicere. M. Leopoldi Scriptor prodidit, eum Byzantium deportatum, & in Hebraeorum vico vitam traxisse. Contra historia Portae Ottomanicae commemorat, eum insequenti anno ad Temesiam tetendisse cum duodecim millibus armatorum. D)

Caeterum Imperator ad Nicopolim superato Danubio, Adrianopolim lentis itineribus pervenit. Exoratus a conjuge sua, quae a civibus hujus urbis centum millia aureorum nummum dono accepit, complures dies hic commorabatur. Subinde triumphantis in morem Byzantium subivit. Praecedentibus Janicsarorum cohortibus capta signa, machinae triginta, tum ter centum Germani sequebantur. Ipse curru eminens, habitu oris vete-

A) Ephemerides Leopoldinae ad diem vigesimam primam Septemb. duodena Turcarum millia caesa affirmant. B) Vulgo Arnautae. c) Tornum oppidum Valachiae urbi Nicopoleos oppositum. D) Porta Ottom. Tom. II. pag. 760. Historia M. Leopoldi Tom. II. Lib. XIII.

A. C. 1695. rum Imperatorum memoriam, apud infinitam populi concurrentis multitudinem non falso revocavit. a) Exiguo intervallo senior, juniorque Soltanæ curru muliebriter culto invectæ, multum splendoris pompæ addidere. Circum Soltanum Vezirius, Purpurati, & primarii quique militum Ductores, equis sublimes vehebantur. Spahii agmen clauserunt. Dici non potest, quanta animorum lætitia, insolitum per tot annos spectaculum hauserint Byzantini, procurrentes ex agris, tectisque, & undique effusi. Auxerunt victoriarum, & triumphi magnitudinem gregarii juxta, atque Præfecti, sparso in vulgus rumore, munitissimis præsidiis expugnatis, admodum prolatos Imperii terminos, cæsum Christiani exercitus robur, captivorum plerosque gradu militari insignes esse, confecta istorum libertate, multum pecuniæ ærario inferendum. Missi quoque ad Persam nuncii, qui reportatas de Confœderatis Christianis victorias significent, falsa veris miscentes; Cæsareis fusis, fugatisque in Temesiensi provincia, Moschos ad Assoviam fractos; Poloniam a Tartaris vastatam, Venetos mari victos, Insula Chio insuper expulsos. Ejusmodi commenta num aliqua portione veri asperfa fuerint? jam nunc dicturus sum.

Veneti in defensionem Peloponnesi, & Chii insulæ, quam nuper occupaverant, quanta nunquam antea solertia, arma, viros, æs, annonam, navigia cogunt; magnopere instant apud Innocentium XII. Pontificem, apud Magnum Magistrum Equitum Melitensium, quot viderentur, in Peloponnesum primo vere trajicerent; posse insulas Ægæi maris alioquin Christianis faventes nullo impendio capi. Omnia festinantibus adversi venti obstiterunt. Interim Mezzomortes a Mustapha Imperatore stimulatus, nona Februarii cum valida classe haud procul a Chio insula stationem capit. Antonius Zenus Architalassus, qui ea in insula substiterat, confestim bellicas jubet procurrere. Priulus, & Pisanus non expectatis septemdecim, quæ reflante vento detinebantur, navigiis, quinque bellicas in hostem movent, ac pugnam magna alacritate capessunt. Una Veneta sive ab ollis igniariis sive aliunde oborto incendio, pulverum vi momento discerpitur; altera flammis correpta, pari infortunio perit, duobus duntaxat nautis ad proximam navim enatantibus. Tertia prope expugnata fuit. Eam Mezzomortes ipse cum expeditis celocibus fatigabat, jamque ter centum Turcæ victoribus propiores, prælium miscebant in ipsa navi, Venetis ad numerum exiguum redactis. Gubernator admoturum se fomitem receptaculo pyrii pulveris minatus, ferociam hostium tantisper repressit, tum explosis machinis in confertos, inevitabili strage plerosque conficit, reliquis deditionem imperat.

Undevicesima Januarii, meliori fortuna Venetorum ad Phocæam iterum concursum est. Spatio duarum horarum, septem hostiles naves grandioribus pilis perforatæ submersæ sunt, tres captæ. Veneta una, proxima periculo fuit; quippe ab hostilibus circumventa captiva trahebatur. Sed a Sebastiano Mocenico post acre certamen rebus integris recuperatur. Mezzomortes amissis duodecim millibus classiariorum, aperto mari fugam inivit. Veneti tanquam ingenti prælio victi, omnia perturbate egerunt. Neque enim raram, dissipatamque Turcarum classem persecuti sunt, neque finitimas insulas invasere, quas præsidio vacuas, & Christiano nomini addictas sine sanguine, sine impensis obtinere potuissent. Imo versis in Chium velis, cum trepide referrent navium Gubernatores, mille septingentos gregarios cum Priolo, & Pisano hac pugna interiisse, & annonam ultra quatuordecim dies haud suffecturam militi, Zenus desperato omni subsidio hyberna tempestate, immaturo sane consilio munimenta urbis portusque everti jussit, ac acceptis in navigia militibus, tormentis, multisque insulanis, Naupliam, quo partem copiarum anno superiore miserat, navigavit.

Mezzo-

a) Imperatores Ottomanici persæpe triumphantes Byzantium ingressi sunt, ut evolventi hæc folia planum est. Postremus, quod sciam, hoc illustri spectaculo recreavit cives suos Solymannus III. anno 1691.

Mezzomortes ad rumorem vacuæ insulæ, sine mora accurrit, depopulatusque hostiliter urbem, spolia veluti de Venetis capta Byzantium avexit. A. C. 1695.

Ussit Rembublicam tanti momenti, tam præpropera demigratione amissæ insulæ cum jactura dedecus, ut Zenum (quod ipse postulasse dicitur) loco, dignitateque moverit A) præfectura classis Alexandro Molino commissa; quocum Steinavius terrestrium copiarum supremus Imperator, in Peloponneso jacturam reparavit, dedecus eluit. Urbem Argos Ibrahimus armorum Præfectus cum viginti millibus pugnatorum obsedit. Incassum verberato castello, populationem profert Naupliam usque. Steinavius, & Molinus acceptis supplementis, & in qua erant omnia, grandi æris summa in militum stipendia, ne se hostis altius in Peloponnesum infundat, decem peditum millia, & mille ducentos Equites Argos ducunt. Decima Junii Turcarum equitatus castris egressus pugnam quærentis speciem præbuit, sed vix collato pede composite, & ex meditato, sinistra ala ad pedites se retulit, ut nempe Venetos avidius insequentes ex aggere castrorum tormentis sternerent. Suspicatus id, quod erat, Stainavius, omisso fugiente hoste, summa vi impressionem facit in dextrum latus e Janicsaris compositum. Eodem tempore Ibrahimus adversus Steinavium turmas aliquot equitum immittit; ipse bis mille pedites, & totidem equites in auxilium rapit. Non ferentes primum impetum Veneti, turbatis paulum ordinibus, vacillare sunt visi. Præsto fuit Steinavius, qui subductis e secunda acie duabus legionibus Grimaldi, & Sallaburgii, restituit trepidis animos. Nec ideo cessere Turcæ, sed castrorum vicinitate, & manipulis sociorum audaciores, novo ardore in prælium ruunt. Nox pugnam diremit. Ibrahimus secunda noctis vigilia tacentibus signis ad angustias Corinthi rediit, quatuordecim tormentis, & multis tentorii, armis præ festinatione relictis. In arena, hostium cadavera censa esse dicuntur ter mille quingenta. Nec fuga sine clade erat. Ab agrestibus suarum villarum incendia vindicantibus mille cæsos, centum quinquaginta captos ferunt. Quot e Venetis ceciderint? Scriptores non meminerunt. Urbs quoque Livadia B) in Achaja posita, ab Antonio Molino uno assultu occupata, post populationem misere deflagravit.

Mari eadem fortuna aspiravit Venetis. Nauplia profecti cum Pontificiis, & Melitensibus juxta insulam Samum anchoras jecere, opperientes commodam occasionem Mezzomortem invadendi, qui reparatis in Chio suarum navium damnis, Ægæum mare infestus percurrebat. Decima quarta Septembris idoneum ventum nacti, post Icariam insulam hostilem classem duodeviginti bellicarum, & triginta trium majoris formæ navium in conspectu habent. Confestim obversis proris in Mezzomortem feruntur. Is non ausus congredi aperto mari, velis, remisque in Chium festinavit. Postridie pudor hostem impulit ad certamen prope Chium. Quatuordecim naves (nam reliquæ furente mari subduci debebant) non sustinuerunt modo inimicam classem, sed etiam duabus bellicis mersis, ingruente jam nocte in Chium repulerunt. Non incruenta victoria Venetis fuit. Nam præter Angelum Bembum Veneti maris Præfectum sexcentos gregarios amisere.

Post quatriduum multo acrius dimicatum est, etsi mare ventorum vi turbatum minime faveret Venetis. Hieronymus Michielius primus in hostem invectus, repetitis machinarum ictibus, ingentem bellicam subito pessumdedit. Felix victoriæ initium dum ardens animi prosequitur, tormenti globo prostratus interiit. Hujus casu nihil deterriti Christiani, prætoriam Tripolitani Begi, aliasque naves multis illatis vulneribus lacerant. Nulla tamen, quod mireris, a victoribus intercipi potuit, repellentibus ventis Venetorum bellicas. Duæ minores a Turcis sponte derelictæ, præmium victo-

A) Imo jussu Senatus in carcerem conjectus, mortem prius obiit, quam absolveretur. Petrus Garzonius P. I. Lib. XIII. B) Livadia, urbs Achajæ, haud procul Naupacto sita, numero civium admodum valida. Provincia Livadia apud veteres Geographos nunc Achaja, nunc Hellas nominatur.

A. C. 1695. victoriæ erant. Pontificii, & Melitenses, quoniam gravior autumnus instabat, Italiam, Veneti suam Naupliam repetiere. Respublica propitio, præsentique Deo solennibus gratiis in templo D. Marci persolutis, militares, aut provinciales dignitates iis decrevit, quos noverat ad has victorias plurimum contulisse. A)

Polonia non minus Tartarorum incursionibus, quam solitis turbarum fluctibus divexata fuit. Comitiis Regni nullo emolumento productis, Tartariæ Chami filius, Cameneco illatis commeatibus, Leopolim cum septuaginta millibus accessit. Eam in urbem e vicinis stativis commodum evocati erant equites Regiæ militiæ, non tam in urbis, quam totius provinciæ defensionem. Ter mille ducenti quinquaginta vincere, aut mori certi venerunt. Cum hoc manipulo ausus est sive urbis, sive equitum Præfectus B) duodecima Februarii & suburbia Leopoleos tueri, & simul numerosum hostem aggredi in campo. Tartari sua multitudine oppressuri paucùlos, eodem, quo campestrem pugnam miscebant, tempore, duobus in locis suburbia impugnarunt. Ter, & decies summa ferocia assilientes, armis oppidanorum, & equitum fortiter repelluntur. Postremo ignominia præcipites, quando nulla spes penetrandi erat, ignem rapiunt, & Cracoviensi c) suburbio admovent. Tum irritati Poloni in campum se se ejiciunt, ac qualicunque acie tumultuario instructa attonitos, nutantesque fugant. Sed vel in fuga tristissima vestigia reliquerunt, vastato omni agro usque ad Tyram. In hoc ancipiti prælio ceciderunt e Polonis centum, centumitem & sexaginta vulnerati. Tartari ter mille partim cæsi, partim saucii narrantur. D)

Æstas pacatior abiit. At autumnus cladem geminavit. Assovia, quam Moschi oppugnatum venere, obsidione liberata, Tartari ea cura soluti, Ukrainam his ultimis annis intactam, hostiliter evastant; ad Kioviam homines, jumenta intercipiunt, ac in servitutem abducunt. Polonis, nondum sedato turbarum æstu, ad propulsandam regionis cladem non satis animorum fuit. Zaporovius, vetus Dux militiæ Polonicæ, Tyram transgressus, hostes trajectu hujus fluvii feliciter prohibuit. Pertæsus stationarium agere, altius se in Moldaviam induit. Prope Niemeroviam fugatis Moldavis, & Valachis mox ipse funditur, proditus a Valachis, qui signis Polonorum in medio certamine desertis, ad hostem defecerunt. Zaporovius male mulctatus, magna trepidatione Tyram repetiit. Hæc erat fortuna Poloniæ.

Præsenti demum anno Moschovia torporem posuit. Petrus Alexovichius Czarus, partim Magni Leopoldi legationibus, partim Polonorum precibus stimulatus, ut olim conventum fuit, vires sui Imperii ingenti spe Confœderatorum in Turcam vertit. Lustratis omnibus copiis, quadringenta millia E) armatorum reperit. Szeremetus, & Mazeppa tantæ multitudinis Duces, antequam Assoviæ expeditionis scopo admoverent exercitum, arcem Kazikermiam, prope ripam Borysthenis sitam, assultu capiunt. Præsidiariis in Moschoviam deportatis, oppidani jure belli in servitutem rediguntur, arx cum oppido evertitur. Pari facilitate Haslanum, Hordekum, Javanum ad præstandam annonam commoda loca expugnant, atque præsidio firmant. Felicibus his initiis animatum militem, Petrus Czarus, qui in castra venerat, Assoviam ducit, decreta jam dudum apud se superbæ, infestæque urbis obsidione. Habet Assovia a flumine Tanai, & palude Mæotidis, aut potius Euxini maris sinu præter mercium opulentiam, validum.

A) Porta Ottomanica, & Petrus Garzonius Part. I. Lib. XIII. hæc talia pluribus enarrant. B) Lengnichius Jablonovio hoc factum attribuit, cursumque præsentis anni compendio dat: „ Dum Varsaviæ, inquit, disceptatur, sexaginta Tartarorum millia undecima Februarii sub Leopoli constiterunt, quos supremus exercitus Dux Jablonovius a Thesaurario Curiæ Regni Mianczynscio adjutus repressit, ut incensa suburbii parte, Tyram versus recederent, omnia, qua iter faciebant, incendentes. „ c) Sic dictum, quod Cracoviam versus porrigatur. D) Hunc numerum reperio in epistola data ad Proskium, Oratorem Poloniæ, ea tempestate Viennæ agentem. E) Porta Ottomanica pag. 731. At pag. 737. centum millia armatorum fuisse narrat.

dum sane contra hostium injurias munimentum. Nam nisi mari, & flumi- A. C. ne arceantur auxilia, terrestrem oppugnationem invicta sustinebit, nec cir- 1695. cumsideri potest sine navigiorum subsidio. Erant in urbe sex mille pedites armorum apparatu, & adversus famem, internum hostem, multa annona instructi. Tanais prægrandibus tribus catenis clausus tenebatur a præsidiariis, ne videlicet Moschi liberam navigationem nacti, & fluvium, & mare sua in potestate haberent, & propius urbem appulsis navigiis, spem accipiendæ externæ opis præciderent. Sed ea solicitudo cœpta obsidione omnino evanuit, quod Moschis nullæ naves adessent, neque per Tanain devehendi alia via suppeteret, nisi in conspectu castelli, muralibus machinis horrentis, haud procul Assovia juxta ripam fluminis exædificati; quo stante salvæ, innoxiæque prætergredi minime possent.

In hoc castellum nimia festinatione vim suam exprompsit Petrus. Namque leviter verberatis mœnibus assilire jussit promptissimos Moschorum. Septingenti aqua collotenus inundante, flumentanam munitionem aggressi, hostium iras primi senserunt. Neque tamen destitere, etsi telis undique peterentur, multique impune caderent. Eodem tempore cum pluribus in locis impressio fieret, & jam scalarum adminiculo, in ipsis mœnibus pugna cresceret, præsidiarii invitati a vicinæ urbis, in quam se reciperent, opportunitate, castellum Moschis concesserunt. Unus Gubernator a militibus quantumvis desertus, non deseruit locum suæ fidei commissum. Liberaliter acceptus a Petro virtutis ergo, in Moschoviam veluti secuturæ mox majoris victoriæ libamentum mittitur. Præter unum, & viginti tormenta, apparatumque belli, & annonæ haud exiguum, illud victoriæ magnitudinem auxit, quod non Tanai solum dominarentur Moschi, sed & castellum in hostili terra obtinerent, ad frænandam Assoviam, & excludendas suppetias, quæ flumine venirent, opportunum.

Verum haud necesse erat urbi in defensionem egregie paratæ, aliunde arcessere suppetias, adeo oppugnantibus omnia deinceps adversabantur. Paludes circum urbem enatæ, plurium dierum insano labore, & multorum, meliorumque militum jactura ægerrime sterni potuerunt. Qui obsidionales vias, aut cuniculos ducerent, pilas ignivomas torquerent, tormenta librarent, pauci aderant, iique primis statim oppugnationis diebus ab erumpente præsidiario vel cæsi, vel terra obruti. Commeatus quoque in dies angustiores fiebant, multitudine fossorum, ac militum horrea depascente. Ob eas res gravissimo mærore dejectus Czarus, uti qui diutino labore inviolata adhucdum Assoviæ propugnacula, ullam usquam vel levem ruinam illatam, nihil quod capiendæ urbis spem faceret, perfectum videret, rejecta in insequentem annum oppugnatione, copias ad Borysthenem reduxit. Scribens ad Leopoldum Imperatorem, enarravit totius expeditionis seriem, quidve in ea peccatum, sigillatim exposuit. Inter alia detrimenta meminit, plerosque machinali scientia claros occubuisse, cum triginta millibus gregariorum. Militum numerum facile instaurari posse, at bellicorum machinatorum, igniariæ artis peritorum sibi nullam copiam esse. Eadem Borusso significavit, a quo non post multo viginti pyrotechnices callentissimos accepit. a) Horum potissimum opera, ut deinde narrabimus, Assovia subacta est.

Mustaphas Imperator delibata victoriæ dulcedine ardens, & inquies, 1696. tametsi belli consultores in Divano multis persuadere niterentur, ut dubiis præliorum exemptus, summæ rerum, & Imperii se ipsum domi reservet, aut si tantus ardor bellandi, Nissæ, vel Sophiæ subsistens, per Celeres exercitum moderetur, mense tamen Maio anni MDCXCVI. cum sua Soltana, & Vezirio Adrianopolim contendit, quo Janicsarorum Aga pedestres copias jam abduxerat. Dimoratus hic, dum Asiæ equitatus adveniret, lentis itineribus, prope exacto Julio Belgradum tenuit. Classis Ottomanica primo statim vere Semendriam advecta, ex decem bellicis, triginta mediocris for-

a) Hæc Porta Ottomanica.

A. C. 1696. mæ navigiis, sex, & sexaginta armatis saikis constabat. Infra Belgradum classiarii pontem imposuere Danubio, deinde Savo. Ad utriusque custodiam dena Albanorum millia accita sunt. Cæsareus miles præter morem celerius ex hybernis emotus, inopia rei cibariæ, & stipendiis sero procedentibus, nullo operæ pretio quadraginta dies ad Szegedinum adhæsit. Propinquis auxiliaribus copiis, Saxo Elector super obsidione Temesiæ ad Heislerum, Capraram, Starembergium, belli Senatores retulit. Gravate eam expeditionem subire videbantur, partim æstatem provectiorem, partim vicinas Turcarum copias memorantes. Sed stetit sententia Electori obsidere urbem, non tam spe illius expugnandæ, quam ineundi certaminis cum Soltano, quem advolaturum cum exercitu non ex vano rebatur. Itaque acceptis quinque millibus Germanorum equitum, & Pauli Deakii legione, Ducum flore comitatus, ipse (ut alienæ fidei, oculisve non multum tribuebat) omnem regionem, ac naturam loci coram perlustrat. Eruperunt semel, atque iterum Temesienses. Signifer captus prodidit, urbi octo millia defensorum inesse, quatuor Bassas, duos Begos pari jure illis imperare, remque publicam curare. Quanquam subinde Transfugæ nimium auxerint defensorum numerum, alii contra minuerint.

Curis inter Duces divisis, Heislerus opportune Titulium A) advenit. Quippe Chiafferes Bassa cum parte classis Tibiscum invectus, expugnato castello, quod Cæsarei ad ripam fluminis erexerant, Titulio nuper admodum novis munitionibus firmato imminebat. Heislerum consecuti sunt cum suis legionibus Marchio Bagnius, Comes Marsilius, Truchsessius, tum Assemburgus cum universa classe. Chiafferes animadversa Cæsareorum alacritate, post aliquot velitationes Belgradum nullo navigio perdito defluxit. Nostræ tamen quatuor bellicæ, sive Assemburgi vecordia, sive hostium jaculationibus; nam variant B) Historici, mersæ sunt. Duodecima Augusti Elctore circa Temesiam castra fixit. Revocato Heislero, Starembergium quindecim millibus pugnatorum ad Titulium præficit cum mandato: classem, Titulium, subvectiones commeatuum tueretur; si Soltanus Daciam peteret, Temesiam rediret, aut si obsidentes aggrederetur, ab tergo veniret barbaris. His ordinatis, quantum per paludes licuit, urbs circumvallari cœpit. Unam duntaxat aggressionem visum est instituere, ut militum sanguini, laborique parceretur. Sex dierum spatio obsidionales meatus fere ad marginem fossæ perducti, tum duo suggestus paucorum cæde exædificati, & incendia ignitis pilis excitata, felix sane principium erant.

Sed intellecto Soltanum cum omnibus copiis Temesiæ appropinquare, soluta obsidione, tridui itinere obviam itur. Prima & vigesima Augusti hostilis equitatus in nostros velites illatus, vix cœpto certamine ad suos se recepit. Eo die e captivis cognitum est: Turcarum castra intra Temesiam, & Begum amnes collocata, utrumque latus profunda palude esse circumfusum; frontem vero castrorum latissimo aggere ex omni machinarum genere horrere. Elector, ut in æquiorem locum eliceret hostes, tribus passuum millibus specie timoris retrocedit. Soltanus dolum dolo elusit. Nam promotis in aciem Spahiis, dum se prælio accingunt nostri, omne illud spatium tanta festinatione Janicsarorum, aggere, & fossa complexus est, ut prius opus absolutum fuerit, quam Cæsarei, quid ageretur, resciscerent. Acceptis intra valla Spahiis, integra die tormentorum certamen tenuit. Sole occiduo ad Begum amnem aquandi gratia Elector copias abduxit.

Demum vigesima sexta Augusti tumultuario concursum est. Sub primam lucem Janicsari, & equites dumetis tecti, Temesiam versus gradum accelerant, ac prævento Electore, qui in barbaros continuo movit, Temesiam inter, & nostrum exercitum metantur. Habebant a tergo Begum fluvium, a dextro latere sylvam, a fronte paludem; sinistrum latus triplici carrorum ordine, & vallo celeriter obmuniunt. Elector etsi quam maxime

A) Vulgo Erdödium. B) Historia M. Leopoldi ait, inscitia Assemburgi tres bellicas amissas; Porta Ottomanica grandioribus pilis quatuor perforatas, & mersas.

me vellet hostem justa acie aggredi nondum producto vallo, tamen cum duo cornua inter se distarent amplius, quam ut in tempore legiones, suos in ordines componeret, ad interturbandum opus sex cohortes peditum, & duas dimacharum legiones Heislero pugnacissimo Duce immittit. Sexta ab meridie hora in Spahios procursores illati, ad currule sepimentum evadunt. Hic enim vero Janicsari carris protecti, continenti iaculatione nudos, expositosque ictibus, adeo percellunt, ut nutantibus signis, plerique receptum circumspexerint. Heislerus, dum trepidos confirmat, fugitivos retrahit, unus ubique prælium accendit, minore pila ictus in crure, exanimis e pugna refertur. Zinzendorffius, Bornstadius Saxonum Ductores, in eandem arenam succedunt; Princeps Vaudemontius duas legiones cataphractorum adducit auxilio. Janicsari quoque duplicant vires, audacissimos collineatis ictibus sternunt. C. Jörgerum Starembergianæ legionis Pro-Tribunum trucidant, Vaudemontium, aliosque Præfectos sauciant. Hi dum ad curanda vulnera ex arena efferuntur, prope erat, ut ad sepimentum strenue pugnantes ab reliquo exercitu avulsi, aut cæderentur, aut in manus erumpentium venirent. Duarum horarum mora tandem universa acies composita fuit, eo prorsus tempore, quo duodecim equitum millia in dextrum cornu impetum fecere. Fugatis ad currule sepimentum cataphractorum legionibus, protritisque Frisiis equitibus, Saxonum cohortes propellunt, ac eodem calore in secundam aciem invecti, magnam stragem minabantur. Danorum, & Saxonum peditatus furentium impetum non fregit modo, sed ad castrorum quoque munimenta retrusit. In extrema ala par discrimen, atque dedecus. Equites rem restituerunt, in castra repulsis Spahiorum agminibus. Rursum Janicsari perpetua pilarum grandine Cæsareos, Danos, Saxones rejiciunt; rursum Spahii furentium instar in perturbatos feruntur, ac in fugam avertunt. Capraræ legio strictis ordinibus, firmo gradu equestrem illam procellam fortiter excepit, ac ad sepimentum retroegit. Ab horum tergo perculsis animi, ordinesque redduntur, mille Spahii a suis interscissi, in cruenta arena trucidantur. Diem vincentibus tenebris, utraque pars prælio quidem abstinuit, ad dimidium tamen noctis in acie constitit.

A. C. 1696.

Soltanus toto pugnæ tempore tribus millibus prætorianorum cinctus, nunc Spahios, nunc Janicsaros in prælium animavit; fugitivos aliquot manu sua interfecisse, mandatumque prætorianis dedisse dicitur, ut palantes sine discrimine obtruncent. Hoc terrore, & nostrorum perturbatione pene victor evasit. Et revera duodeviginti castrenses machinæ, & quinque colubrinæ Christianis eo die ereptæ, victoriæ monumentum non exiguum erant, etsi quidam Historici commemorent pleraque inutilia, & jumentorum cæde destituta fuisse. Numerum cæsorum perinde variant: alii quatuor millia nostrorum cæsa; Turcarum stragem non minorem produnt; alii contra istorum stragem, altero tanto augent, nostrorum minuunt. Mors Heisleri, prospera, & adversa experti Ducis, Szegedini consecuta magnæ instar cladis erat. Polandus quoque cum Spiegelio Saxone altis vulneribus confossus, in castris supremum vixit. Mustaphas non dubitavit laureatis literis Byzantium, & Adrianopolim missis, plenam sibi victoriam tribuere.

Postridie Elector cum curruli sepimento, & vallo terrea propugnacula accessisse conspiceret, miratus munitiones aggressionibus impervias, in priora castra, subinde Olaszinum deducit exercitum. Solicitudo incessit Duces, ne Soltanus in Daciam irrumpat, & provinciam ab omni auxilio nudam persultet. Itaque Rabutinius, qui e voluntate Leopoldi Imperatoris Vaudemontio in præfectura Transilvaniæ successerat, cum suo agmine in eam proficisci est jussus; Truchsessio superioris Hungariæ defendenda obvenerunt. Elector Capraræ tradito exercitu Viennam abiit, copiæ demum annona, & stipendiis deficientibus in hyberna. At Mustaphas relictis ad Temesiam Chiaffère Bassa, & C. Tököljo cum sedecim millibus armatorum,

Pancso-

C. A. 1696. Pancſovam rediit. Inde triginta millia in Sclavoniam expedit oppugnatum Savi præſidia.

Moravicza ignobilis arx, tormenti globo interfectis duobus Centurionibus, & Præfecto, cum bis centum Raſcianis poſt paucorum dierum oppugnationem eſt capta. Brodio Glôſielsbergius cum mille equitibus Germanis, totidem Hungaris maturum auxilium tulit. Nec Turcæ ultra progreſſi, everſa Moravicza ſecundo Savo Belgradum decurrerunt. Muſtaphas finitaneis præſidiis milite, & annona firmatis Adrianopolim diſceſſit, nequaquam, ut anno ſuperiore, triumphalibus applauſibus acceptus. Nam iisdem fere diebus de perdita Aſſovia nuncii advenere. Neque lætiora Byzantio nunciabantur, ubi præter famem peſtilentia in omne genus mortalium ſæviſſime graſſabatur. Unde Adrianopoli hyemem agere conſtituit cum Soltana, quæ enixa prolem, privatum mœrorem imminuit, non item publicum. Alterum agmen ad Temeſiam, poſteaquam Rabutinium ad limites Tranſylvaniæ conſiſtere intellexit, re nulla tentata in Temeſienſi tractu hyberna petiit.

In Croatia C. Petrus Keglevichius Koſztaniczæ Gubernator, ſub dimidium Auguſti menſis Chyapliam non immunitam arcem una aggreſſione ſuperavit; turrim, quo ſe receperant Turcæ, oppugnatu arduam igne ſuccendit, ac delevit. Redux cum multiplici præda aliquot ſigna hoſtium fudit. Felix procurſio C. Adamum Battyanium Illyrici Banum, & C. Simonem Forgachium in ſocietatem armorum attraxit. Uranogræcium A) quinque leucis Caroloſtadio diſſitum præſidium, a Croatis, & Hungaris oppugnatum, vim fortiter tulit. Corrupto fonte, qui unus obſeſſis ſupererat, & injectis majoribus pilis, omnes ſe captivos tradiderunt. Nec Tudorovium, Velkladiſcha minore impendio occupata ſunt. Nam oſtenſis nobilioribus Turcis, qui Uranogræcii capti ſunt, poſita ferocia, Bani præſidium acceperunt. Forgachius in Boſniam populabundus irrumpens, complura loca, modica hoſtium ſtrage, cremavit. Ea procurſione vigor Boſnenſium prope emarcuit. Sigiſmundus Keglevichius cum ſignis, & captivis ad Leopoldum miſſus, aulam Hungarica expeditione dejectam utcunque recreavit.

A Veneta Republica nec magnum quid geſtum, nec detrimenti multum datum, acceptumve fuit. Per Iſthmum Corinthiacum in Bœotiam ductæ copiæ, ad Thebas, hujus provinciæ principem urbem, tumultuario collectos Turcas diſſiparunt, mox ipſam urbem vi nulla admota obtinuerunt. Exuſtis finitimis oppidis, bellum terreſtre ea in provincia conquievit. In Peloponneſo perinde omnia pacata erant. Ægæum mare ſemel duntaxat prælium navale, aut potius velitationem vidit. Veneta claſſe in Andrum appulſa, Steinavius, & Zenus Chium pertentare cogitabant. Sed audito, Mezzomortem ad Eubœam viſum, plenis velis eo feruntur. Mezzomortes haud detrectato certamine naves in altum propelli jubet. Ut intra ictus tormentorum ſtabant, in ſeram noctem fulminantium mutuo machinarum certamen protrahitur. Neutra tamen pars propius acceſſit, neque ut alias, navigia concurrerunt. Nox prælium diremit. Poſtridie Ottomani in Chium trajecerunt. Veneti inſecuti, adverſa tempeſtate in medio curſu detinentur. Quinque navigia Turcarum cum ſexcentis claſſiariis hoc navali certamine perierunt, quadringenti ſaucii, uti & quatuor naves mutilatæ. Veneti centum mortuos, octoginta vulneratos numerarunt. Multæ naves fœdum in modum perforatæ, inter ſpem, & metum in portum pertractæ.

Dalmatica expeditio oppugnatione Olchinii urbis finita eſt. Eam juſſu Reipublicæ corona cinxit Delphinus Dalmatiæ Prætor, quod præſidiarii maritimis ſpoliis infames, navigationem intutam redderent, crebroque levioribus cimbis Venetum mare infeſti percurſarent. Jam ante decem annos huic piratarum receptaculo excidium minabatur Reſpublica, verum ſive alio

A) Munitio hæc a Turcis occupata fuit anno 1562. ut Porta Ottomanica Tom. II. pag. 760. docet.

alio avocarentur arma, sive Prætores metuerent minus prosperum exitum, hoc demum anno Delphinus manum operi admovit. Vix classis Veneta mense Augusto in conspectum venit, cives deserto oppido se in castellum receperunt. Istud ut obsidere tardum, ita oppugnare perquam difficile videbatur propterea, quod collis, cui insidet castellum, saxis, cotibusque horreret, obstaretque fossoribus, seu cuniculos, seu vias obsidionales molirentur. Nihil tamen in speciem deterritus Delphinus, disponendis tormentis commodum locum deligit, fossores jubet cuniculis petere murum procurrentem oppidum versus. Lente admodum procedente oppugnatione, Ductore Omare adsunt duodena millia peditum, mille equites, obsidione depulsuri Venetos. Haud fefellit Delphinum hostium adventus. Castris summa festinatione communitis, stationarios congeminat, destinatis ictibus ut invasores petant, singulos admonet. Turcæ tentata duobus in locis aggressione, ut densis ordinibus vallo successere, ita a fistulatoribus Venetis pro lorica consistentibus passim configuntur. Quærebant tamen inter horridam ex altiore loco in subjectos decidentem glandium tempestatem aditum in castra, donec Fessetes Aulonis Præfectus, qui partem unam invasorum moderabatur, sauciatus pugna excessisset. Eo abeunte non puduit gregarios pedem referre, specie obsequii, fugam tegentes.

A. C. 1696.

Sed erumpentibus Morlachis non ausi frontem obvertere, apertam fugam ineunt. Omar, qui in editiore loco consederat, suorum metu victus, contento in vicinos montes cursu salutem quæsivit. Tentoria aliquot, duodecim signa, penus bellicæ nonnihil victoribus prædæ fuere. Interim multo labore actus cuniculus, solutusque stragem murorum edidit. Sed apparuit intus ad altitudinem murorum enata rupes, incassum tormentis, aut furnulis attentanda. Delphinus pulsis auxiliaribus, & frustra invitato Gubernatore ad dedendum castellum, aggressionem instituit feliciore principio, quam exitu. Namque Veneti repentina incursione ruinis potiti, etsi loricam sibi præstruere festinarent, tamen a præsidiariis capta statione depulsi, cum cæde non modica in castra rejiciuntur. Militum Ductores in eam sententiam convenere omnes, castellum obsidione potius, quam oppugnatione frangendum, & quoniam per hyemem non liceret assidere castello, militem in hyberna dimittendum. Conclamatis vasis oppidum, & hostium aliquot navigia comburunt. Morlachi in sua mapalia, Veneti in sui juris oppida discedunt.

Poloniam postremis his annis misere jactatam, malum afflixit eo gravius, quo magis inopinatum, mors Regis Joannis III. Sobieszkii. Adversa valetudine etsi non raro conflictatus, tamen quo ferebatur in Rempublicam amore, senii, morborumque languores forti animo superavit, ut publicis Comitiis, expeditionibus longinquis interesset, & sua authoritate civium jurgia componeret, suo ductu bellum gereret, quod plaudente Christiano orbe magnanimus, piusque Princeps adversus Ottomanos suscepit. Maturis consiliis optimi Regis non semper, ut vidimus, eventus respondit. Ex hac tot curarum, quæ se domi, forisque objiciebant, contentione, tanta virium dejectio consecuta est, ut neque Comitia pro more cogere, neque expeditionem adornare posset. Tumor quidam toto corpore diffusus in hydropem subito migravit. Neque mors inde accelerata Regi, sed ab humore apoplectico, quo semel, atque iterum decima septima Junii percussus, magnam animam efflavit, anno regiminis secundo, & vicesimo, A) a cœpto bello Ottomanico decimo quarto. B) Quæ postea turbæ Poloniam exceperint in electione Regis? qui comitiorum cursus in campo Varsaviæ? quæ æmulationes exarserint primum in Contium Principem Gallum, & Jacobum Sobieszkium Joannis filium, deinde Fridericum Augustum Saxoniæ Electorem? qui reipsa duobus litigantibus regnum Poloniæ abstulit, mei instituti non est hoc loco dicere. Id solum hic commemorandum; Tartaros, &

A) Regia dignitate ornatus anno 1673. B) Nempe quo fœdus percussit cum M. Leopoldo 1683. Inspice pag. 132.

A. C. 1696.

Turcas, isto, & qui consequitur anno nihil attentasse in Poloniæ provincias; cunctorum nempe oculis, animisque in Moschum conversis, ad quem & ego paulisper deflecto.

Miserat hoc anno ad Leopoldum Imperatorem splendidam legationem Czarus, qua nunciavit se ad subigendam Assoviam appetente vere cum grandi exercitu profecturum, & si feliciter alea cesserit, in Crimæam bellum transportaturum. Eadem Venetis significavit, hortatusque est Rempublicam, ut in Ægæum mare suam classem immittat, Hellesponti angustias infestet, quo Ottomani e Ponto Euxino revocare cogantur navales apparatus, quos in auxilium obsidendæ Assoviæ destinarunt. Gloriæ cupiditate incensum Principem, Confœderati majorem in modum extimularunt, ut ad expeditionem semet accingat, qua & privatas sui Imperii injurias ultum iret, & superiorum annorum cessationem fortibus factis elueret. Nec ille omisit promissis suis, ac Confœderatorum votis facere satis, maxime postquam Joannem fratrem suum, cujus factionem assiduo metuebat, sine hærede decessisse, & in se unum vastissimum Imperium devolutum vidit. Hoc obice amoto, compositisque domi rebus, terrestrem, & navalem exercitum Assoviæ affudit, clausaque vix urbe, navali victoria potitur. Etenim Turcæ ad famam circumsessi præsidii, classem Byzantii instructam, Pontum Euxinum percurrere jubent, atque, si opportunitas detur, integrum militem, & apparatum armorum obsessis ferre. Et vero tulissent, nisi Czarus in tempore consilium, viresque hostium evertisset. Cum enim isti animadverterent Moschorum grandiora navigia per Tanaim propelli non posse in Mœotidem, quod tenuior esset alveus, & venti reflarent, sollicitatis remis, velisque in Assoviæ littus feruntur. Re intellecta Czarus bis mille classiarios minoribus navigiis impositos, per fauces ostii Assoviensis, in hostilem classem festinato educit. Tres bellicæ, quæ primæ occurrerant, universæ victoriæ augurium erant. Una a Moschis, qua nescio machina perfossa, in conspectu omnium fluctibus hauritur, duæ reliquæ vitato certamine fugam capessunt. Decem majoris formæ navigia, dum plenis velis bellicas sequuntur, arenæ impacta, post acrem pugnam abducuntur; totidem haud multo post concremantur. Præter captivos victoribus obvenerunt ter centum majores pilæ ignivomæ, minores quinque mille; sex & sexaginta dolia pulveris nitrati, arma varii generis, & quinquaginta millia aureorum nummum. A)

Nec terra felicius dimicarunt Tartari sub Ducibus suis Naradine, & Galga, qui per castra Moschorum aditum quærebant in urbem. Repulsi cum cæde multorum, nihil deinceps tentare ausi, Assoviam suæ fortunæ reliquerunt. Gemina hac victoria alacriores Moschi, disjectis magnam partem mænibus, & expleta præsidii fossa, & obtento uno propugnaculo, exitium proximum minabantur obsessis. Ad hæc iisdem, quas priore anno victores abstulerant, catenis ostium Tanais, quo præcipitat in paludem Mæotidis, præstruxere, ut ne ea parte auxilia penetrarent. Sauban Gubernator omissa spe auxilii, cujus accessum catenæ submovebant, his pactis a Czaro dictatis Assoviam dedidit: transfugas Moschos, & desertores Christianæ religionis; in primis vero Jacusam hominem exterum, sed in Moschorum castris merentem, nuper ad Turcas transfugam bona fide restituant. Præsidiarii cum armis, & rebus suis, Moschorum navigiis in tutum deportentur. Reperta sunt Assoviæ nonaginta aliquot tormenta ænea, ingens vis pilarum, pulveris pyrii, ac annonæ. Prorutis castrorum vallis, in minorem Tartariam B) translata sunt arma. Precopia, Baclieséra urbes, cum omni Crimæa vastantur. His non minus celeriter, quam prospere gestis, salvas legiones in Moschoviam reduxit, instructaque triumphali pompa, ipse magni-

A) P. Antonius Forestus e Soc. Jesu Historiæ Ducum Moschoviæ inseruit, hanc summam pecuniæ in capta urbe repertam. Tom. III pag. 571. Edit. Aug. MDCCXIX. B) Scriptores alii expeditionem in Crimæam rejiciunt ad sequentem annum; Forestus ad præsentem.

magnifico curru inter devictorum hostium spolia Moscuam urbem invectus est. A. C 1697.

Anno ad nonagesimum septimo supra millesimum sexcentesimum, sub novo Duce meliore fortuna Cæsareus miles in Hungaria pugnavit. Friderico Augusto Electore Saxoniæ, evecto ad solium Poloniæ, Eugenio Principi, Sabaudiæ Duci copiarum imperium in Hungaria est datum, ubi nuper tyro veterana cum prudentia, & fortitudine stipendia fecit; felix alieno imperio miles, suo longe felicissimus Dux. Sub initium Julii provinciam aggressus, etsi maxima cura eniteretur, ut quamprimum exercitus in campo foret, perficere tamen haud potuit, ut ante calendas Augusti omnes copiæ convenirent. Ab aula hujusmodi typus expeditionis designatus est: veteranis legionibus, & ærario inprimis parcendum, atque adeo cruentis oppugnationibus Belgradi, aut Temesiæ omnino abstinendum; prælium, nisi certa spes victoriæ, omni ratione declinandum; satis, superque consultum iri Hungariæ, si Dacia, & Danubiana monumenta defenderentur. Rem pro imperio gesturus Princeps, Futakinum promovet exercitum quinta & vicesima Julii, quo fere tempore Mustaphas Imperator Belgrado appropinquavit.

Nil is per hyemem industriæ omisit, quo Cæsareorum lentitudinem prævertat. Duæ res moram obtulerunt festinanti; seditio Arabum, & Persarum Legatus. Arabes anno præterlapso Bassoram A) urbem nec diu, nec magnis impensis oppugnatam deditione ceperunt. Præfectus deditionis præproperæ reus, cum metueret Byzantium proficisci, aut in Imperio Ottomanico subsistere, duobus millibus stipatus, in Persidem discessit. Rebelles viribus aucti, Asiam omnem ingenti formidine concussere. Schachus, sive Rex Persarum, Arabum patrocinium suscepisse est visus, & veluti denunciato bello per Legatum, hostilia in Mesopotamiam movere. Ea de causa Bagdati Gubernatori mandatum, ut ad limites evigilet; at in urbis defensione, salutem Asiæ ponat. Et quamvis a Perside nulla hostilitatis signa edita dein fuerint, tenuit nihilominus solicitudo Mustapham, ne subito novus hostis, Orientis provincias invadat. Nec seditiosi ultra fines Arabiæ protulerunt arma, contenti suam patriam, suosque penates omni clade belli vastare. Placati tandem Mustaphæ literis, ad obsequium redierunt.

Hoc metu liberi Asiani milites, duplici præterea stipendio invitati, ad arma capessenda, in Europam frequentes transfretarunt. Imperator, & Vezirius, mense Junio cum quindecim duntaxat millibus Constantinopoli profecti, partim ex Albania, partim ex Asia properantibus, octoginta millia probi militis ad Belgradum recensuerunt, præter classiarios, quorum utique magnus numerus repertus, cum sedecim bellicæ, triginta navigia, centum sexaginta saikæ Danubio innatarint, nautis, & militibus armatæ. Belgradi portentosæ magnitudinis currus adornati stabant, ad vehendas naves, & pontium apparatus. Unde suspicabantur Cæsarei Duces, bellum ad Danubium non fore. Illud vero prorsus incertum, an Transylvaniam, aut superam Hungariam, vel Sclavoniam meditaretur Soltanus, adeo consilia apud barbaros tegebantur. Exeunte Augusto Vaudemontius e superiore Hungaria, Aurspergius post tentatum frustra Bihacsium e Croatia cum legionibus Germanis, & Hungaris in castra advenerunt. Calendis Septembris Kobilam inter, & Titulium metatur Eugenius. Censu inito sex & viginti millia pugnatorum numerabantur, non accensis duodeviginti millibus ad custodiam Petro-Varadini dimissis. E Transylvania robur equitatus in dies exspectabatur. Sed quanto magis augebatur militum numerus, tanto angustiora fiebant omnia; præcipue res cibaria, pabula equorum, & vehicula. Si in Daciam, aut superiorem Hungariam, affectandus fuisset Soltanus, e sola vehiculorum inopia nulla futura erat expeditio. Solertia Pauli Eszterhazii Pro-Regis Hungariæ annona sublevata, secutoque mox felici prælio ad Szentam, e maximis difficultatibus emersum est, ut jam narrabo.

A) Bassora, sive Balsora urbs Arabiæ desertæ, ad confluentes Euphratis, & Tygris.

A. C. 1697. Eugenius prope Kobilam metatus, ut primum ab exploratoribus accepit, Mustapham in alteram oram Danubii evasisse cum copiis, classem Szalankemenum appulsam, conjecit illico in Tibisci confluentem hostilia parari. Assumptis Starembergio, ac Commercyo ipse Titulium advolat, oppidum, simulque Petro-Varadinum turmarum aliquot, & cohortum præsidio communit. Nehmium strenuum, & scientem militiæ Ductorem admonet, ut loco non cedat, nisi extrema necessitate compulsus, se cum omni exercitu in tempore adfuturum, si quid hostes attentarint. Inde Transylvanicis copiis tertium jam Deva accitis, ubi Rabutinius firmissimis castris se continuerat, securitatis causa obviam progressus, paludes juxta Tibiscum pontibus stravit, per quos Rabutiniani celerius iter prosequerentur. Absente Eugenio cum robore exercitus, spem concepit Soltanus Nehmianum agmen, & si superis placet, Petro-Varadinum opprimendi. Posuerat Nehmius ad ostium Tibisci firmi operis terreum castellum, illudque defendendum attribuit bis centum fistulatoribus, additis sex colubrinis. Hostium classis Tibiscum invecta, simul e navibus, simul e litoreis suggestibus munitionem tormentis infestant, repetitis impressionibus pene defensores obruunt. Nehmius cum duabus cohortibus, & manipulo equitum accurrens, tanto impetu a classiariis invaditur, ut Cusano veteri legionis Paciæ Pro-Tribuno nequidquam auxilium ferente, magni instar emolumenti fuerit, Titulium effugisse. Hac quoque statione a Rasciano deserta, cum se imparem videret tantæ multitudini, obversa in hostem fronte, clausis ordinibus, post acerrimam unius diei dimicationem, ad pontem Petro-Varadini pervenit, amissis quadringentis gregariis, & aliquot Præfectis. Soltanus victor Titulio disjecto castra Kobilam transfert.

Summo in discrimine versabantur copiæ ad Petro-Varadinum, ipsumque adeo præsidium, si Turcæ trajecto Danubio universis viribus castra oppugnarent. Eugenii celeritas, tanquam Deus e machina, omne discrimen prospere discussit. Namque paludibus in viam militarem accommodatis, & duobus pontibus Tibisco impositis, festinato cursu reditum maturat. Superatis Sirakiensi, & Thomæa paludibus, æstu, sitique vexatos milites nocturna quiete reficit. Rabutiniani eadem nocte se conjungunt. Postridie, ut præverteret hostem Petro-Varadinum tendentem, iter plenum laboris, atque periculi continuat. Erat necessario profectio instituenda ante hostium castra, qui haud procul ab Romano, ut vocant, aggere A) consederant. Ne quod incommodum acciperetur, providit Eugenius. Septima Septembris una post noctis dimidium hora, levis Ungarorum equitatus iter ingreditur, sequuntur pedites Germani, equitibus mixti composito agmine, ut si quid prælii oboriretur, explicata continuo staret acies, & ad pugnam expedita. Sub primam auroram turmæ Spahiorum effuderunt se quidem castris, in sinistram invectæ alam, sed duplicatis ordinibus, qua procella imminebat, illico pugna omni abstinuerunt, ut adeo intra teli jactum incedentes nostros, ne immisso quidem velite ad diripienda impedimenta, præterire, ac ad paludem Petro-Varadino oppositam eluctari paterentur. Ea modestia nostro militi suspecta erat, & Turcico vulgo ingrata, quod Mustaphas universam aciem non eduxerit in ægre molientes gressum. Ille sponte sua cupidus pugnæ, haud dubie prælium commisisset, nisi Purpuratorum consilium prævaluisset, suadentium, ut Szegedinum, Cæsareorum horreum opprimat; quo utique facto, ajebant, hostem irreparabili damno affectum iri, & Turcis sine pugnæ discrimine in superiorem Hungariam expeditum iter fore. Eadem adhuc die isthoc consilium evolutum fuit. Quippe vix impedimenta Petro-Varadinum translata erant, cum Nehmius solicite Eugenio significat, docetque: *pulveream ex arce nubem conspici, non dubiæ profectionis argumentum.* Mittuntur extemplo, qui certiora referrent, e

Deakia-

A) Agger, de quo sermo, juxta Tibiscum ad Danubium fere porrectus, a Romanis olim est ductus, quo uliginosis in locis expeditior esset Sirmii cum Dacia commeatus. In quibusdam chartis Geographicis expictum habes.

Deakiana legione promptiſſimi, ſimul de extremo agmine nonnullos intercipereut. Horum confeſſione proditum eſt, Muſtapham Szegedinum contendere. A. C. 1697.

Animatis ad ſubitum iter militibus, eorum veſtigiis inſiſtit Eugenius. Ut Szegedino quoquo modo conſuleret, C. Schlickio mandat: cum expedita militum manu antevertat locum ingredi, & opera vetuſtate collapſa, pro præſente neceſſitate inſtauret. Ipſe Sirakiam, & Thomæam paludem incredibili celeritate emenſus, ad Pôcſium caſtra defigit. Hic certior fit a Kulio (aliis Kælio) impigro Centurione: Turcas juxta Szentam caſtra feciſſe, maximas eo loco munitiones excitare, regionem longe, lateque vaſtare. Qui certiora renunciarent de hoſte, expediuntur Procenturiones duo, ſigniferi quinque cum velitari agmine, onerati promiſſis, ſi quos captos adducerent. Poſtero die, id eſt undecima Septembris, in Turcas exploratores incidentes, prælium illico capeſſunt. Sed quoniam iſti numero præſtabant, per expeditum equitem orant celeres ſuppetias. Adſunt in tempore ſigna aliquot Huſſarorum, coguntque jam feſſos, ac repentino turbatos occurſu fugere. Multi interfecti, nonnulli capti. E captivorum numero nobilis Præfectus erat, quæ moliretur Soltanus, arcanorum conſcius. Metu mortis adactus, omnia bona fide recenſet: Imperatori ſuo in animo fuiſſe Szegedinum aggredi, ab eo tamen conſilio depulſum, quod intellexerit, locum militum præſidio, & machinis apprime firmatum, & Eugenium cum omni exercitu inſtare, in præſentiarum Tranſylvaniam recta meditari, idcirco pontem a Gallo miro bellicorum operum fabro Belgradi elaboratum, Tibiſco injectum, jamque Muſtapham cum equitatu in ripam alteram tranſiiſſe, peditatum in citima feſtinatis operis caſtra obvallare. Quibus rite exploratis, Eugenius jubet pedites multo itinere feſſos paululum interquieſcere, & corpora curare, ipſe cum levi, gravique equitatu in hoſtem movet. Poſtquam peditatus, quem exſpectabat, convenit, in hunc modum inſtruxit copias: dextrum cornu inferam, lævum ſuperiorem Tibiſci oram complexum eſt; medium in ſemilunam recedebat. Extremæ alæ conduplicatis ordinibus firmabantur, ne facile perfringi poſſent.

Starembergius, Vaudemontius, Corbellius dextrum cornu, ſiniſtrum Heiſterus, Gronsfeldius, Truchſeſſius regebant; mediam aciem Eugenius aſſumptis Commercyo, Bőrnero, Rabutinio, Reylio moderabatur. Quarta ante ſolis occaſum bis mille Spahii e munitionibus erumpunt, quibus levi pugna repulſis, canentibus ſignis omnis acies caſtris admota eſt. Ut intra tormenti jactum conſtitit, ex utroque vallo machinarum ignibus impetitur, verum quod juſto altius librarentur, nullum fere detrimentum illatum. Caleſcente undique pugna, animadvertit ſive Eugenius, ſive Starembergius, nam Hiſtorici A) variant, pontem fugientium partim, partim opem feſtinantium multitudine fluctuare, atque vallo nondum ad flumen uſque producto, quinquaginta fere paſſuum hiatum patere. Confeſtim acceſſitis aliquot tormentis pontem verberari jubet, ſimul cum delectis cohortibus inter denſiſſimum pilarum imbrem, per hiatum in caſtra irrumpit. Eodem tempore media, & dextra acies valla invaſit. Haud omiſero ſingularem equitum virtutem, qui equis deſilientes peditum partes præclare egerunt. Æmulatione accenſi univerſi, ligone, ſecuribus, omni inſtrumentorum genere valla proruunt, ac in hoſtes ſe concitant. Achmete Vezirio, & Aga cum flore Præfectorum cæſis, cæterum vulgus neque noſtrorum impetum ſuſtinere potuit. Cuncti clade attoniti, nihil imperio, neque conſilio agere, ad carros, ultimam ſalutis arcem, fugere. Hoc quoque munimentum victores ſuperant. Itaque in arctum compulſi, & ponte interrupto fuga excluſi, laniena poſt hominum memoriam inaudita hauriuntur. Nulli in caſtris victor pepercit, etſi abjectis armis ſe dederent, auroque, qui ſupere-

A) In epiſtola Principis Eugenii ad Leopoldum Cæſarem ſcripta, intermiſſa eſt mentio Starembergii. Porta Ottom. pag. 780.

A. C. 1697. perierant nobiliores, vitam mercari vellent. Perpauci inter cadavera occisorum, aut in navigiis dejecti pontis reperti captivi fuere.

Neque Tibiscum pacatiorem experti sunt. Multi seu viribus confisi, seu metu, aut desperatione acti in fluvium se immisere, pauci in oram alteram natatu eluctati. Fama est cadaverum acervis ita constratum fuisse, ut pedibus calcari ad medium alveum posset. Postero primum die de magnitudine victoriæ est cognitum. Castra, & ripa fluminis cadaveribus oppleta erant. Capta sunt signa equina, & vexilla majora, sexaginta cum Principe Janicsarorum, vastissimus papilio Mustaphæ cum ærario castrensi, & omnibus tentoriis, Ottomanici sigillum Imperii e Vezirii cadavere detractum a Quæstore a) Dacico, atque Eugenio, ab hoc Cæsari datum. Currulia ex ære tormenta centum, castrensia sexaginta. Sex mille currus, equorum septem millia, jumentorum viginti millia, maxima præterea armorum vis cum multo commeatu. Turcarum tria & triginta millia vario lethi genere periisse consentiunt Historici. Ingens profecto victoria, qua in annalibus vix legas aut clariorem, aut minore impendio emptam, desideratis nostrorum non amplius tredecim ad sexcentos (alii quadringentos ponunt) vulneratis mille quingentis octo, & septuaginta. Vaudemontium victoriæ nuncium, C. Dietrichsteinius cum signis, & spoliorum parte consecutus est.

Dum victoriæ dulcedine fruuntur Cæsarei, Soltanus, ad quem clades, & dedecus potissimum pertinebat, non vulgari dolore dejectus mœrebat. Is, ut nuper memini, traductis in adversam ripam equestribus copiis, occupatus repentina aggressione, cum per convulsum pontem auxilium ferre non posset suis, & victoriam ad Cæsareos inclinare videret, metuens, ut ne restituto ponte victores viam fugiendi præciperent, Temesiam cum Tökölio, & bis mille quingentis equitibus, inde Belgradum profugit. Cæteri tardius fugientem consequuntur, in quos immissi primum Hungari, deinde Klökelspergius cum leviore equitatu, e postremo agmine multos conciderunt. Post hanc palmarem victoriam, solicito versabat animo Eugenius, quam in partem promoveret arma, haud ignarus facile victis redire animos, & victoriam imminui, si victores minus prospere quidpiam attentarent. Temesiam obsidione hyemali cingere, aut oppugnare, regionis periti magnopere dissuaserunt, quod paludes, quibus obsepta est urbs, humido autumno vehementer intumescant, & obsessores procul arceant. Hyeme vero gelu adstrictæ auxiliis expeditam viam præbeant. Et jam per eos dies, quibus ad Szentam substiterant, coortis imbribus late stagnantes aquæ sese diffundere cœperunt. Visum adeo est Eugenio, cæterisque Ducibus, victorem exercitum in hyberna dimittere, cadente donec hyeme opportuniore tempore ad obsidionem evocetur miles. Rabutinius suos legionarios Daciæ reddidit, Heislingenius ad custodiendam superiorem Hungariam cum Vaudemontianis abiit. Reliquæ copiæ Veresmortanium abductæ.

Commodum forte evenit, ut Kyba Tribunus, Gubernator Brodii, huc advolaret, sive gratulaturus victoriam, sive de Sclavoniæ, & Bosniæ rebus Principem edocturus. Hic inter cætera narrat: Bosniæ populum victoriæ fama perculsum trepidare, regionem apertam, una expeditione in provinciam redigi posse, sibi loca omnia perspecta, quid validum, quid infirmum tota Bosnia, se ad unguem callere. Placuit uti hominis consilio, & opera, quem virtus militaris notum reddidit. Adscitis Comitibus Starembergio, Commercio, Herbersteinio, Principe Vaudemontio, ad expeditionem deligit Eugenius dimachas ad quatuor millia numero, fistulatores, & pyrobolarios ad duo millia quingentos, tormenta duodecim, mortaria duo assumit. Hac manu Eszekino Brodium profectus, inde duodecima Octobris Savo superato Bosniam ingreditur. Præcursores tripartito circummittit ad exploranda itinera, & hostium vires. Kyba inter primos reversus nunciat: Bosniæ Præfectum paucos ante dies mortem obiisse, de adventu Cæsareorum nihil ad hostes emanasse. Id ea ratione intelligi, quod nulla

a) Eadem epistola Principis Eugenii.

nulla signa edidissent fumo, aut igne per montes, ut in rebus novis facere consueverunt. Iis rebus cognitis, Kyba jussu Principis cum suo manipulo, & centum equitibus Dobajum, permunitum castellum inter anfractus montium, claudit, secutoque mox exercitu, & admoto machinarum terrore ad deditionem cogit. Arx Maglaja paulo firmioribus muris instructa, pari celeritate se tradidit. Schebzea gemino vallo, & Bosna fluvio satis secura, rejecto de deditione colloquio, defensionem parabat. Eugenius tormentorum vi palatione perfracta, quadringentos pedites munimentum jubet invadere. Primis, qui ausi sunt obsistere, occisis, reliqui arma posuerunt. Arx cum oppido incensa.

Interim Kihaja, sive Legatus Bosniæ Præfecti, audito Christianorum adventu tumultuario copias coegit, castrisque ad Brandackum collocatis, saltus vix pediti pervios, cæsis arboribus, & grandioribus saxis impeditiores effecit. Præmissus Kyba cum ducentis peditibus, & modico equitatu obstacula perrupit. Adortus subinde equites, qui Schebzeam arcem ingredi festinarunt deditionis ignari, magnam partem trucidat. Kihaja audito tormentorum fragore, amissa statione aufugit. Eugenius successu animosior, Sarajum mercatu celebre emporium petiit. Interfecto tubicine ab oppidanis, quem præmiserat ad deditionem postulandam, ulturus injurias, exercitum admovet. Barbari asportatis in arcem, aut vicinos saltus, quantum per festinationem licuit, rebus, oppidum deseruere. Pauci Christiani, & Hebræi victores opperiebantur. Miles ad populationem versus in seram noctem apothecas, subterraneas cellas expilavit. Tum subito incendium obortum sex domuum millia, Moschearum centum & quinquaginta A) vastavit. Facinoris author compertus nemo. Arx cum omni provincia subigi poterat, nisi adultior autumnus obstitisset. Eversis, quæ capta erant, munimentis, exercitus amplissimis spoliis onustus, eodem, quo venerat itinere, rediit, ac calendis Novembris Brodium tenuit. Eugenius Viennam profectus insolitis ubique plausibus exceptus est.

Antequam Ottomani ad Szentam, & in Bosnia vincerentur, Bihacsium irrito conatu impugnatum fuit. Jacet hæc urbs B) Croatiæ in pulcherrima planitie, Unna fluvio circumdata. Muris vetustis, at firmi operis, & profunda fossa præcingitur. A castello tamen e quadrato lapide exædificatum primum munimentum habet. Multæ inde procursiones fiebant iam ab anno millesimo quingentesimo nonagesimo secundo, in finitimas Croatiæ provincias, quarum opes eo in loco depositæ erant. Hoc vero ipsos Croatas, & Aurspergium Principem, qui in propinquo fundos possedit, alliciebat ad spoliarium illud evertendum. Aurspergius Dresniko, & Isoliczio deditione captis, quanta potuit maxima celeritate, sine tubarum, tympanorumque strepitu cum sex legionibus Bihacsium properavit. Croatarum, & Hungarorum copiæ a Comitibus Adamo Battyanio, & Simone Forgachio clari nominis Tribuno adductæ. Nona Junii initium datum est oppugnationi. Verberati muri, & cuniculis subruti, quinquaginta fere passuum ruinam duxerunt. Fossa palustris, qua oppidum ambitur, & pali defixi aggressore, ab invasione deterrebant. Sed Aurspergius celeritate utendum ratus, spe victoriæ animatos milites secunda, & vicesima Junii assultum facere jubet. Bis mille ducenti e Germanis, Croatis, Hungaris se in fossam præcipitant, vallum partim rescindere, partim superare summis viribus frustra contendunt. Amissis quingentis, cæteri consternati infelicem oppugnationem abrumpunt. Non multo post obsessi acerrima erupitione facta stationarios, & operas profligant. Geminata clade perculsos tristior nuncius in desperationem conjecit: Bosniæ Prætorem cum exercitu imminere, vixque unius diei itinere Bihacsio distare: cladem evitari non posse, ni soluta obsidione receptui canatur. E re fore minime existimarunt Duces, mœstas, imminutasque legiones novo hosti objicere. Itaque impedimentis, machi-

nisque

A) Ingens profecto numerus in Porta Ottomanica pag. 789. Apud alium Scriptorem sex duntaxat fana exusta; quod vero similius, legi. B) Vide annum 1692.

A. C. 1697. nisque per contabulatas paludes promotis, Croatæ suas stationes repetierunt; Germani, & Hungari longum iter ingressi, finiente Augusto ad Tibiscum constitere. Hæc in Hungaria, & Croatia gesta.

Veneti sub Alexandro Molino, Venetæ classis Præfecto, ter navali prælio in Ægæo mari concurrerunt cum Mezomorte Architalasso. Primo prælio ad insulam Lemnum duæ hostiles bellicæ quinquaginta & amplius tormentorum, acceptis multis vulneribus perierunt. Reliquæ in Tenedum festinarunt. Altero, juxta Andrum majore hominum strage, quam navium pugnatum est. Retulerunt postea transfugæ, & captivi, duo millia Turcarum eo in certamine occubuisse; longe plures vulneratos, atque inter hos ipsum Mezomortem numerari. Hujus ingentem Prætoriam nobiles Veneti Bonvicinus, & Fosculus suis cum navibus assidue fulminantibus fatigabant, cæsisque magnam partem classiariis in eam se saltu projicere parabant, cum admotæ aliæ, atque aliæ naves hostiles, Mezomortem e præsentissimo periculo eripiunt, ac simul velocissime in Chium navigant. Inopinato infortunio factum est, ne fugitivis insisterent victores. Nani navigium fortene, an dolo libratoris? repente conflagrare cœpit. Restinguendo igni frustra operam adhibuere classiarii. Innocentius Tenzus Tribunus cum sua legione, & C. Martinonio Melitensi Equite, miserabili sane incendio combustus est. Per hanc moram (nam multi ad opem undique accurrerant) classis Ottomanica in Chium se recepit. Tertium certamen eodem in loco exarsit, & pari pertinacia utriusque partis plures in horas protractum. Mezomortes fugere jam assuetus, nullo navigio amisso Chium suam repetiit. A) Terrestres copiæ, nescio, quo Duce? B) ad Isthmum Corinthiacum castris positis, ab omni invasione hostili Peloponnesum tutati sunt. Tentabat quidem Seraskerius per eas angustias militem suum infundere, verum una displosione fistularum adeo animis concidit, ut sine mora in Bœotiam profectionem adornarit, ubi reliqua æstate operæ nullo pretio consedit. Veneti defensione contenti, hostem persequi extra Peloponnesum minime censuerunt. In Dalmatia, quod sciam, nihil memorabile actum, nisi quod Antonius Canagettus Tribunus, diebus duodecim Bosniam perpopulatus fuerit. Hæc mari, & terra Venetorum fortuna.

Apparandis armis consumpta hyeme, Moschi septem, & septuaginta millia armatorum, sub dimidium æstatis in campo habuerunt. Copiis moderabatur Alexius Simon Scheynius absente Czaro, qui ea tempestate varias regiones, Principumque aulas circuibat, remoto plerumque famulorum, clientumque comitatu. c) Positis ad Assoviam castris, de inferendo bello non agitat; quieturus haud dubie, nisi priores arma Tartari inferrent. Isti tametsi Poloniam intestinis turbis convulsam, uno impetu possent proterere, tamen sua potius tueri, quam aliena vastare malebant, versisque in Moschum curis, vires omnium Principum Tartariæ ei opponebant. Mustaphas in omnia belli, pacisque consilia consociatus, & frumento, & bellico apparatu, & peditum legionibus Tartaros adjuvandos statuit, ut ne a potentissimo hoste oppressi, ab Ottomanica aula secessionem facere cogerentur; neve Moschi ultra Assoviam Imperii sui terminos proferrent.

Byzantio classe appulsa in Crimæam, Galga præcipuus Tartarorum Regulus omnem multitudinem in hostem movet. Prima Augusti prope Moschorum castra constitit. Tartari, ut est gens inquieta, & spoliorum avida, coerceri haud poterant, quin illico prorumperent, & stationarios Moschorum lacesserent. Turcæ meliori disciplinæ assuefacti, ante omnia castris locum capiendum, & munitiones erigendas monuerunt, ut si forte prælio vincerentur, aut hostis ultro aggressionem pararet, haberent in patenti campo arcem, qua se, suaque defenderent. Sed jam Scheynius educto equitatu cum Tartaris manus conseruit, pedites explicatis late vexillis instru-

A) Porta Ottomanica, & Petrus Garzonius Part. I. Lib. XX. B) De Steinavio post annum 1696. nullum vestigium in Porta Ottomanica. Garzonius pag. 749. meminit illius ad Sinum Corinthiacum. c) Quos Principes adierit, diffuse narrat Forestus, & Garzonius laudato loco.

instructa acie sequebantur, ac signum prælii expectabant. Posteaquam tribus admodum horis inter equites ancipite Marte pugnatum est, Moschorum peditatus integer in hostem processit. Illico turbatis ordinibus acies inclinavit. Turcæ rem paulisper sustentarunt. Verum pulsis equitibus, cum vim perferre non possent, & ipsi in fugam vertuntur. In ea fuga longe maxima cædes est facta. Ubi ad ripam fluminis post undecim horarum prælium lassi pervenerunt, abjectis armis magno numero se in flumen præcipitarunt, atque ibi vel ferro, vel aquis perierunt. Quot millia eo die desiderata fuerint hostium, non constat, uti & illud incertum, ad quem fluvium fugitivi A) cæsi. Apud Moschos pro victoriæ celebritate vix ullum detrimentum acceptum. Septem, & septuaginta nobiliores vulneribus decori, prælio excesserunt: cæsorum numerus perinde ignoratur. Vulgata victoria, missisque in Moschoviam captivis, ac omnis generis manubiis, festis ignibus, aliisque lætitiæ signis secundum prælium omnes provinciæ celebrarunt.

A. C. 1697.

At toto Imperio Ottomanico, non secus ac si victor Thraciam popularetur, omnes mœrore, luctuque torpebant. Stragem Tartarorum ad Assoviam, & aliquot legionum Ottomanicarum, tametsi mæstis auribus acceperint, concoxerunt tamen forti stomacho illud infortunium; spebus in uno Imperatore, & exercitus robore defixis. Ubi vero peditatum internecione deletum, Præfectos clari nominis occisos, Imperatorem cum paucis equitibus perniciem effugisse, fama attulit, tum enim vero communem patriæ, suamque cladem sinceris lacrymis deplorarunt. Neque enim meminerant Imperium Ottomanicum sive hoc bello, sive superioribus annis majorem hominum, rerumque jacturam fecisse, aut hostes potentiores uno tempore habuisse. Imperator Belgradi tantisper dimoratus, cum paucis, qui aderant, Purpuratis consultationem instituit. In ea Belgradi Gubernatorem, Amidshaoglium celeberrimi illius Kiuperlis Germano natum, annis, meritisque gravem, Vezirium dixit; suppletisque variis, qui desiderabantur Præfectis, militiam cæpit componere. Sed deerant gregarii, in quos exercerent imperium. De authoribus subinde tantæ cladis est habita quæstio. Omnes in Vezirium, & Agam Janicsarorum culpam transferebant, quod solita lentitudine Cæsareorum confisi, peditatum non traduxerint in ripam alteram Tibisci; pontis utrumque caput non communiverint castellis terreis, ac tormentis. Unde pronum erat Cæsareis, disjecto ponte ab transitu prohibere auxilia, & fugatos pedites ad oram fluminis interficere. His, atque aliis argumentis, cladis, invidiæque onus in eos deponebant, qui fato suo jam functi, feralem sententiam præverterunt. Cæterum cum victores Danubio appropinquare intelligeret, ratus Belgrado obsidionem illaturos, commendata urbis defensione novo Gubernatori, Adrianopolim abscessit. Nec sine periculo: nam Rasciani, & Hungari equites mille ducenti insidiati impedimentis Soltani, quæ Belgradi comparaverat, cæsis aut captis custodibus in Servia, magnam partem diripuerunt.

Renovatus est luctus Adrianopoli, & Byzantii, dum attenuata non magis valetudine, quam specie illa, majestateque fortunati alias Imperatoris, silentibus signis, & mæstis circum prætorianis, civibus suis se reddidit. Nulli arcus triumphales, nulla pegmata, nulla ignium hilaria conspecta. Et erat aliud quoque malum, quo celebriores Ottomanicæ urbes premebantur. Vis pestilentiæ in omne genus mortalium hoc anno desæviit. Non sexus, non ætas periculo vacua. Accessere crebriores terræ motus, queis Asiæ maritimæ urbes, & ipsum Byzantium in novos terrores conjectum. Multæ domus prorutæ stragem mortalium auxerunt. In aere nocturnis horis persæpe ignei globi visebantur. Maxime Byzantii, quæ omnia metu, & superstitione capti in exitium suæ gentis trahebant. Unde tanto ardentius

 pacem

A) Neque enim Scriptores hujus expeditionis, seu provinciam, seu fluvios produnt, ubi pugnatum, adeo in tenebris oberrandum est. Porta Ottomanica Kalganszkium amnem annotavit, Æque obscurum.

A. C. pacem desiderarunt, quanto plura in dies pericula succrescebant. Mustaphas, quive prima instrumenta aulæ erant, etsi pacem Imperio Turcico pernecessariam ducerent, caverunt tamen diligentissime, ut ne priores contra dignitatem, armorum inducias flagitasse arguerentur. Visum est adeo Anglorum, Hollandorumque opera uti, qui incassum aliquot jam annis aditum quæsiverunt. Sic comparatis Turcis, Confœderati diuturno bello fessi proniores animos in pacem ostenderunt, quæ anno insequenti cudi cœpta, altero post perfecta est. Sed antequam pacificationis negotium dicam, quoniam Historiæ interest, ea mihi narranda veniunt, quæ Turcæ, & Confœderati ad bellum continuandum sive in speciem, sive serio egerunt.

1697.

1698. Mustaphas Imperator bello magis, quam prælio victus, ne deteriorem suam conditionem redderet neglectu armorum, curas omnes solicitando militum delectui, fabricandis navigiis, convehendæ annonæ tanto pronius intendit, quanto certiorem spem concepit, se per eum apparatum honestam, utilemque Imperio pacem a Confœderatis Principibus obtenturum. Kasachis senior Soltana experrecti, & solertis ingenii mulier, ut flagrantissime amabat filium, ita præcipuam exprompsit industriam, quo iis in angustiis attenuatas vires Imperii resarciat. Opes suas ærario fatiscenti sponte addixit, servitia ad pendendam summam pecuniæ coegit, agendi dexteritate, dicendique vi, Purpuratos, civium ditiores permovit, ut ære suo publicas necessitates levent, recreentque. Asiæ Præfectos suis stimulis ad festinanda supplementa militum excitavit. Hujus consilio Savi adversa ripa palis munitur, alia ex aliis munimenta ad Belgradum fiunt. Qui in Bulgaria stativa occupaverant, jubentur non sine strepitu Savum transire, capta in hostico statione, Sclavoniam, aut Hungariam tributis, populationibus haurire, ubique speciem bellum inferrentium præbere. Adrianopoli more gentis depacta cauda equina, belli signum propositum fuit. Eodem in loco de futura expeditione cum maritima, tum terrestri consilium celebratum fuit, cui Tôkôlium, Mezzomortem maris Præfectum, & Seraskerium Peloponnesi præter Vezirium, & Purpuratos primi nominis interesse volebat. Sed Tôkôlius in morbum delapsus, domi suæ semet continuit. Mezzomortes, quæ his annis non infeliciter egit adversus Venetos, in Senatu enucleate recitavit, falsa veris immiscens. Addidit: post tot maritima prælia sibi militem, classem non modo integram esse, sed hostili multo superiorem. Verteret proinde Imperator Asiæ, Europæque vires in Cæsarem, Moschum, & Polonum, se cum veterano suo exercitu mari, & Peloponneso depulsurum hostes. Tracta in complures dies consultatione, nuncii advenerunt e Persia, bellum indicturi Ottomanis.

Eo rumore usque adeo animis conciderunt Purpurati, ut non dubitarint Imperatori suadere: ad restinguendam hujus belli flammam, ipse accurreret in Asiam, aut quibusvis pactis sive cum Confœderatis, sive cum Rege sine ambagibus transigeret. Cum e Mesopotamia nihil hostile nunciarent Præfecti, Persiæ terrores paulatim evanuerunt. Imperator tamen novo hoste nimium exterritus, Guilielmum Pagettum Angliæ Regis, & Jacobum Colyerium Batavorum, ad Ottomanicam Portam Oratores clam admonuit: *ut sine mora apud Magnum Leopoldum, aliosque Confœderatos pacem solicitent, sibi statutum ab armis discedere, modo æquæ conditiones ferantur.* Habebat Pagettus a secretis hominem solertem, aulicis artibus perpolitum, nomine Priorium. Hunc allegare Viennam tanto videbatur convenientius, quanto minore verecundia Ottomanicæ aulæ ab emendicanda pace desisti posset, si Cæsar obfirmato animo bellum vellet. Interim hyeme media tum Belgradum, tum Temesia in quamvis diuturnam obsidionem rebus omnibus comparantur: majore, quam unquam alias strepitu ad limitanea loca milites migrant. Insuper Belgradenses sex mille transmisso Danubio, Tibisci, & Marusii accolas nova trepidatione, & fuga complent. A Cæsareis repulsi, paucis post diebus eundem tractum numero valentiores invadunt. Csanadiam arcem, plura oppida uno die armis occupant: ferro

pro

pro more suo, ignibusque in tecta, & homines sæviunt. Temesiæ præsidiarii sociorum successu animati, diversa non minus parte, quam fortuna ad limites nempe Transylvaniæ prædas egerunt. Nam in reditu ab agrestibus, & hybernante milite conclusi, plerique cum spoliis vitam amisere. Qui ex ea strage subterfugere, ab Hussaris prope mænia Temesiæ cæduntur. Plures per hyemem hujusmodi procursiones & Turcæ, & Cæsarei prædarum cupidine fecerunt.

A. C. 1698.

Eodem tempore jussu Soltani, Uipalankam, Pancsovam A) superiore autumno a Rabutinio capta loca, & eversa, Belgradi Gubernator instauravit; Titulium quoque ex improviso aggressurus, nisi Guidobaldus Starembergius, & Nehmius Petro-Varadino cum expedita militum manu advolassent. Adventantes sensim ex Asia copias, Vezirius Byzantii collegit. Tum profectus Adrianopolim cum modico exercitu mandata accipit ab Imperatore: evigilaret in primis, ne munitum aliquem locum eripiant Cæsarei: Belgrado, Temesiæ nervis omnibus consuleret: dimicatione, nisi spe certa victoriæ, abstineret: unicam defensionis rationem præ oculis haberet. His mandatis instructus, ad exitum Junii Belgradum abiit cum equitatu, quem Aga Janicsarorum trahens aliquot millia peditum serius consequi est jussus. At Imperator Adrianopoli subsistere decrevit, sive metueret belli aleam, sive ut extra armorum strepitum commodius pacis negotium proveheret. Et observatum est ab aulicis molliores aditus habuisse Anglum, Hollandumque ad Mustapham, quam alios antehac Oratores; convivio, ludis, sæpenumero adhibitos, omni humanitate, & muneribus cultos. Imperatore viam sternente ad concordiam, Vezirius bellum spirare est visus ad Belgradum. Vetera castra ingressus Savum, & Danubium defendendum suscepit. Classis supra Belgradum in anchoris stetit, ad omnes motus Principis Eugenii intenta.

Is ad Veresmartonium non sine jactura temporis, Cæsareum militem præstolatus, primum mense Septembri Danubium, & Tibiscum ponte trajecit. Ad Becskerethiam paludem metatus, consilia hostium speculatur. Intellecto duodecim millia Spahiorum cum annona festinare Temesiam, venturo agmini obviam ire constituit. Præmissis, qui hostem carpendo morentur, Hussaris, dum gravior equitum acies accedat, ipse præfecto castris Starembergio, cum aliquot legionibus Temesiæ clam succedit. Isthæc expeditio per exploratores prodita, successu caruit. Nam Spahii relecto confestim itinere, ad oram Danubii substitere, & præsidiarii in Eugenianos effusi, post leve certamen intra muros se recipiunt. Elusis hunc in modum insidiis, Eugenius receptui cecinit, copiasque in castra reduxit, quo iisdem diebus supervenerunt Comites Oetingius, Schlickius, & Marsilius, Turcici idiomatis apprime gnarus, destinati a Cæsare pacificatores. Horum adventu admonitus Princeps, expedito Futakinum equitatu Starembergio Duce, ad communienda loca, quæ haud dubiæ pacis beneficio, Leopoldo Cæsari obventura essent, oculos, animumque adjecit. Aradinum, infirmus cæteroquin locus, quam maxima festinatione legionariorum, & operarum munitiones varias accepit. Lippam porrexerat curas, cum nuncii induciarum intercessere. Vezirius in eodem, quem castris occupaverat locum, adeo quietus permansit in serum autumnum, ut ne velitem quidem extra vallum emiserit. B)

Veneti classem suam ad Andrum appulerunt sub dimidium Junii. Eam secuti sunt Nauplia suis cum navigiis Delphinus, Duadus, & Bonvicinus, genere, rebusque gestis Nobiles Veneti. In ipso cursu, Manettæ Tribuni nepos Turcicam navim, tributum insularum vehentem, aggressus, cum omni pecunia, & nautis victor occupavit. Apud Andrum recensitis copiis, reperit sub signis Alexander Molinus classis Gubernator, amplius undecim

A) Uipalanka, Pancsova munimenta in tractu Temesiensi prope Danubium, variam fortunam hoc bello experta. Ea cepit Rabutinius ante, quam in Transylvaniæ hyberna concederet anno 1697. Uipalanka a Turcis eversa est 1738. B) Porta Ottomanica.

C. A. 1698. decim millia armatorum. Mari propitio usus, universam classem faucibus Hellesponti admovet, & Mezzomortem intra eas hærentem, occinentibus tubis, solutisque machinis ad certamen evocat. A) Ille sive Imperatoris mandato constrictus, ne manus conserat, sive nondum militibus firmatus, eodem in loco tribus fere mensibus quievit. Nec Molino animus fuit angustias ingredi, utrumque litus non ex vano formidans. Igitur dimisso cum parte navigiorum Delphino in Lemnum insulam, & Cornaro ad Andrum evigilare jusso, ipse ad angustias perstitit. Delphinus sua celeritate consilium insulanis, defensionemque præripuit. Loca ut erant aperta, divisis copiis nullo se hoste objiciente, per otium expilantur, homines, pecora ad naves compulsa, messis in herba corrupta.

Evastata Lemno, aliisque insulis maris Ægæi, prope Mitilenen classis Veneta anchoras jecit. Mezzomortes spolia erepturus, superatis angustiis, trigesima Septembris sua navigia in certamen educit. Memorabilem victoriam obtenturi erant Veneti, nisi unius navis Præfectus, sive fumo præpediente aspectum, sive metu consilium vincente, Venetam, stragem, & fugam in Turcicas ferentem, pro hostili aggressus fuisset. Namque statim in principio pugnæ, tres inimicæ naves, quæ primæ occurrerant, tormentorum ignibus male acceptæ, diffractis antennis, militumque multis amissis, ægerrime se ad reliquam classem retulerunt. Quartam Delphinus non uno vulnere perfossam jamjam merserat, cum alia Veneta velocissimo cursu in Prætoriam Delphini invecta, hujusque malo antennis implicito, Delphinum cum classiariis in extremum naufragii discrimen conjicit. Id conspicati Turcæ veluti ad certam prædam suis navigiis convolant, ac luctantem cum gemino hoste fere in triumphum abducunt. Circumsessus a magno navium numero, ingenti sane fortitudine eam diu defendit Delphinus. Laboranti undique suppetias venere Contyus, Zobelius, Albertinus, Angerellus, Marigonus, & Soarius suis cum navigiis; Ottomani quoque vires congeminant, & cum auxiliaribus acerrimum prælium committunt. Bonvicinus, qui postremum agmen cogebat, admotis aliquot navigiis, hostiles quatuor bellicas suo adventu illico fugavit, & pugnam utrique parti cruentam diremit. Turcæ amissis quatuor millibus suorum, in Chium vela dederunt. Veneti in ipso loco certaminis perstiterunt, quorum e numero Nobiles & gregarii desiderati sunt supra quadringentos viginti; saucii sex, & septuaginta. B) Delphini sauciati fortitudinem, ipsi etiam hostes miris laudibus celebrarunt; at Præfectus infortunii reus dignitate est motus. Postremam hanc maritimam pugnam pax Carlovicensis excepit.

In Peloponneso, & Dalmatia parva aliquot prælia non sane memorando in partem ullam exitu contigerunt. Isthmum Corinthi Franciscus Grimanus cum sex peditum millibus insedit, atque adversus Seraskerii invasiones, ut anno superiore propugnavit. Mocenicus in Dalmatia copiarum Imperator, nihil non egit, ut Bosniæ Præfectum, quem appropinquare agrestes nunciabant, retruderet ante, quam auctior viribus, potiorque fieret. Circummittit adeo in diversas partes C. Canagethum, & Metrovichium Morlachorum Ductorem, qui locorum naturam explorent diligenter, & hostem excutiant. Uterque in aperta regione prædas facere, quam per montium juga armatos vestigare maluit. Retulit tamen Metrovichius, Kihajam Bosniæ in provinciam Popocco irruptionem attentasse, sed a Tribuno Cacolo cum exigua militum manu depulsum. Bosniæ Præfectus non post multo ad urbem Cetinam emersit cum sex equitum, totidem fere peditum millibus, eamque obsedit. Præter Venetum præsidium, ipsi oppidani arma sumpserunt in defensionem patriæ, spe auxilii a Mocenico, & Zeno Dalmatiæ Prætore promissi sustentati. Nec procul aberat auxilium. Vix enim Turcæ intercepto ponte, & duabus turribus ad pontem expugnatis, muros quatere cœperunt, Morlachi a Zeno expediti, occultis itineribus

A) Garzonius P. I. L. XVI. B) Sigillatim recensentur Nobiles saucii, & cæsi apud Garzonium, & Portam Ottom. pag. 812.

bus urbem intrarunt, & Mocenicus copiarum partem ad solvendam obsidionem festinavit. Bosnensis desperata urbis expugnatione, ne gloria, rebusque vacuus suam in provinciam rediret, equites ad depopulandum agrum immisit. Agrestium spoliis onustos Bruischius primo congressu fugavit in castra. Neque hic diutius dimorari ausi metu adventantis Mocenici, conclamatis propere vasis in Bosniam iter maturant. E postremo agmine non pauci capti, cæsive. Nobiles Veneti Andreas Balbus, Joannes Brigadinus, Marcus Priulus, dum repugnantes urgent, fortuitis glandibus ceciderunt. A)

A. C. 1698.

Fridericus Augustus Polonorum Rex, posteaquam Contium Borbonium Principem, spe sceptri dejectum in patriam repulit, & Contio adhærentes suas in partes traduxit, B) compositis utcunque turbis, bellum duobus annis intermissum, novis copiis, novisque animis reparare contendit. Camenecum oppugnare in votis habuit, quo capto multum sibi gloriæ, multum utilitatis Poloniæ regno accessurum existimavit. Sed omni sua industria evincere haud potuit, ut Lithuani, & Poloni priores, & rite instructi in campo apparerent. Solita celeritate usi Tartari, tribus agminibus inermes provincias percursant. Ad Podhaicios oppidum, quatuordecim leucis Leopoli dissitum, viginti, & amplius millia Duce Saba Gereyo consederunt. Felix Potoczius Palatinus Cracoviensis, & minor Dux Polonorum, militum sex millia in castris continuit prope Podhaicios, admonens Regem per nuncios, ut iter cum suis acceleret. Substiterat ille Leopoli, ubi a præcipuis Regni Senatoribus persalutatus, de futura expeditione consultabat; qui fundos suos per Tartaros quotannis evastari gravissime ferebant. Camenecum inprimis exscindendum suadebant, quo jam Saxonum copiæ profectæ sunt; alii Valachiam, aut Moldaviam petendam existimabant, ut bellum procul Polonia geratur; alii in pacem proniores ab armorum consiliis abhorrebant. Consultationem abruperunt nuncii a Potoczio missi. Igitur sine mora signum profectionis est editum Podhaicios versus. Sapieha, Dux Lithuanici exercitus, cum suis copiis, & flore Nobilitatis Regem comitatus est. In itinere Poloni, Cosaccique equites in prædatores Tartaros incidentes, multos cædunt, universos in fugam præcipitem avertunt. Præter cæteros Murzam nobilem hujus agminis Ductorem capiunt. Ex quo eadem cognita, quæ Potoczius significavit. Rex illico admonuit Principem Würtenbergicum Saxonum Ductorem, ut festinatis profectionibus Potoczio auxilium ferat, copiasque suas Polonis conjungat.

Sed antequam Saxones, aut Lithuani Podhaicios pervenirent, Sabas Gereyus omni vi Potoczii castra aggressus, ipsis initiis faventem fortunam habuit; nobili victoria potiturus, ni prædandi nimia cupiditas obstitisset. Nam Tartari, pulsis Polonorum excubiis, in castra nullis operibus communita infusi, stragem, & fugam, quocunque se verterant, intulerunt. Septemdecim signa Polonorum, quæ præsenti animo hostem excepere, posteaquam castra capta, socios palantes videre, omisso prælio fugam capessunt. Apud Potoczii tentorium a pauculis excubitoribus adeo acriter repugnatum fuit, ut fugitivi non animos modo, sed & amissa castra recuperarint. Etenim Tartari veluti confecta victoria ad diripienda spolia conversi, socios etiamnum dimicantes cum Potoczianis destituerunt, rati paucos a multis pari fortuna victum iri. Verum Poloni visa sociorum constantia, & victorum licentia, Potoczianis semet aggregant, & infesti sparsa agmina invadunt. Nec pugna diu prædatores tenuit.

Multi, ut erant sarcinis onusti, spoliorum magis, quam victoriæ cura, in tutum evadere conati sunt; alii abjectis sarcinis, quo expeditiores ad fugam essent, socios contento cursu sequuntur; reliqui modo prædam, modo se tuentes fugientium vestigiis insistunt. Tumultuario hoc certamine Polonorum facile mille ceciderunt, quos inter sexaginta majores, minoresve Præfecti. Eodem tempore Tartarorum manus evitato Regis exercitu, in

A) Porta Ottomanica. B) Hæc, atque alia e Scriptoribus rerum Polonicarum petenda.

A. C. 1698. in Leopolitanam provinciam evecta, annonarias domos concremavit. Arctiores inde commeatus apud Polonos, maxime postquam Saxones, & Lithuani Potoczii castra intrarunt. Præter rerum inopiam rursum simultates enatæ sunt Regem inter, & Senatores; rixæque quotidianæ, & odia gregariorum ultra remedium processerunt. Rex, ut ne in apertum bellum utriusque nationis miles prorumpat, exercitus in hyberna dimisit. Gereyus ad Camenecum aliquandiu dimoratus, per Valachiam cum multiplici præda copias in suam ditionem reduxit. A)

Moschi anno superiore cœptas victorias ingenti clade hostium continuarunt. Princeps Dolgorukius B) Moschorum, & Mazeppa Cosaccorum Ductores, conjunctis copiis prope Assoviam castra fixerunt. Tartari novis Janicsarorum cohortibus animati, quo vastitatem a suis regionibus depellerent, maximo numero apud urbem Precopiam convenerunt. Frumentandi, pabulandique causa multa prælia vario successu quotidie agitabantur. Missis cæteris, quæ aut similem, aut sane non commemorandum exitum habuere, unum hoc loco visum est delibare. Greges equorum, quibus maxime abundant Tartari, pabulationis ergo in vicinos campos dimittunt: adduntur octo equitum millia, firmum, ut putabant, præsidium. Sed isti neglectis vigiliis passim per herbam strati, nec frœnatos equos, nec arma expedita habebant. Dolgorukius eam manum oppressurus improvisa celeritate imparatos invadit. Pauci indutis armis vim parabant, cæteri fugere alioquin assueti, sua mapalia trepidi petierunt. Cædes in eo tumultu minor, quam victoria, & præda fuit, quippe non nisi bis mille cæsi, at equorum quadraginta millia in Moschorum castra abacta. Laureatæ literæ ad Petrum Czarum Viennam perlatæ (nam lustratis diversis Europæ provinciis huc se contulerat) non Moschos modo, sed & Viennenses maxima voluptate perfuderunt. Ea opportunitate usus magnus Leopoldus; editis spectaculis, crebrisque conviviis victoriæ famam augere, & Confœderatum Principem non tam sibi, quam rei Christianæ arctius devincire adnitebatur. Mei instituti non est dicere, quo apparatu dies Divorum Petri, & Pauli honoribus sacer, actus fuerit, quandoquidem ad præsentis historiæ contextum non pertineat, & hujusmodi lacineas operi adjicere, nec Lectoris festinatio, nec diversa literarum studia, quibus identidem fatigor, patiantur. Cæterum commune multorum gaudium Moschorum repentinus tumultus c) interrupit, ac Czarum in patriam revocavit.

Interea Dolgorukius cum numeroso suo exercitu (centum viginti pugnatorum millia numeravit) ad Precopiam oppugnandam apparatus maximos comportari mandavit, castris haud procul ab urbe collocatis. Ad eam servandam, quidquid virium Tartariæ fuit, in arma concitatur. Kazis Gereyus Sabæ filius, pugnandi avidissimus uno prælio debellare ardebat, nec cunctatione perniciosius aliud sibi, suisque persuadebat, sive partem victoriæ, quam spe præceperat, communicare nollet cum Patre e Polonia festinante, sive nuperam cladem quantocyus eluere vellet. Itaque equestres suas turmas admissis habenis in Moschorum castra impetum facere, & ne fugæ locus pateret, vias omnes occupare jubet. Mazeppa Cosaccorum Dux equitatum suum propere objecit, ac sincerum prælium equestre aliquandiu fecit. Multitudo Tartarorum, ingentia agmina Gereyo emittente, vix sustineri poterat, ut vero Dolgorukii peditatus in aciem processit, absterruitque continenti glandium displosione temere effusos, primo barbari segnius permittere equos, deinde stare, ac dedecore magis, quam spe victoriæ Moschis repugnare; postremo non cohortibus solum cedere, sed ne turmas quidem, peditis præsidio audentes, sustinere.

Et jam omnis acies Moschovitica signis late explicatis appropinquabat, tum vero Tartari non expectata impressione, quocunque aut error, aut fortuitus animi impetus tulit, admissis habenis fugam capessivere. Cosacci

A) Lengnichius. B) Aliis Dolhorowszkius. c) Authores tumultus sane numerosos exquisitis suppliciis affecit, alios in Siberiam deportari jussit.

ſacci perſecuti fugientes fœdiſſima ſtrage omnia compleverunt. Quadraginta hoſtium millia eo die cæſa dicuntur, equorum triginta millia intercepta. Gereyus cum octo circiter millibus Precopiam evaſit. Victor Dolgorukius ſine mora urbem circumvallavit, & quoniam exploratum habuit obſeſſæ multitudini paucos in dies annonam ſupereſſe, ſtatuit quam minima ſuorum jactura obſidionem adornare, unice intentus, ne ſubita eruptione cladem accipiat. In Tartaris quidquid reliquum animorum erat, Dolgorukii celeritas oppreſſit; inedia ſubinde preſſi cum neque domi, neque foris auxilia apparerent, ſe, urbemque clementiæ Moſchorum dedidere. Poſt hujus anni expeditionem Confœderatis Principibus ſatis ſecundam, Turcis adverſam, non lentis paſſibus ad concordiam pars utraque properavit, cujus enarrationem nunc aggredior.

A. C. 1698.

Muſtaphas II. quive ante hunc Imperatores rerum potiebantur apud Turcas, poſt tot terra, marique infelices pugnas, fracta nimium potentia, mitiores pacis cogitationes ſuſceperunt, a qua etſi Vezirii, Purpurati, militum primarii Ductores minime abhorrerent, imo attritis provinciis perneceſſariam exiſtimarent, tamen de induſtria petitione pacis abſtinendum ſuadebant, ne ſi priores Confœderatos compellarent, bello victi viderentur, & quas dare mallent conditiones, accipere cogerentur. Cum vero Cæſarem juxta, atque Venetos, cæterosque Confœderatos, in armis perſeverare, ac belli molem in dies creſcere animadverterent, vicerunt animos, ſuumque calculum adiecerunt, bona fide Oratores mittendos ad Confœderatos, atque pacem, aut inducias aliquot annorum pangendas. Solymanus III. jam anno octogeſimo octavo A) Sulifarem Effendium cum Maurocordato, nobiliſſimo aulæ Byzantinæ interprete, e Scarlatorum pervetuſta familia, Viennam; Varſaviam, Venetias alios, atque alios Oratores ad pertractandum pacis negotium ablegarat. Verum quod iſti crudas admodum conditiones obtruderent, & dictatorio modo leges ferrent, fila pacificationis vix cœpta, illico abrupta ſunt. Effendius Pottendorffia in arce multo tempore dimoratus, ſpem boni eventus haud poſuit. Niſſenſi B) prælio modeſtior, multum a cruditate remiſit. Oborto ſubinde bello Gallico in Imperio, Italia, & Belgio, vires Cæſaris dividendæ, & Chriſtianorum Principum auxiliares copiæ, ad Rhenum, Padum, Moſam revocandæ erant. Unde Effendius motis Gallorum armis elatior, bellum præ pace maluit, rebusque infectis Conſtantinopolim repetiit. Variante fortuna, qui Effendium dein conſequebantur, non felicius in eadem arena verſati ſunt Oratores Turcæ.

1699.

Guilielmus Rex Angliæ, & Hollandi, iisdem fere annis, ad ineundam concordiam Ottomanos inter, & Confœderatos Principes, operam ſuam non minus ſtudioſe, atque libenter adhibuere. Erant illi Leopoldi armorum ſocii adverſus Gallum; C) cumque ſentirent in bellum admodum ſterile immenſam pecuniæ vim annis ſingulis profundi, privatis inſtitoribus plurima navigia eripi, Gallum victorias ſuas explicare latius, omnem curam eo verterunt, ut compoſito bello Ottomanico, Cæſari liceret, univerſis viribus in Gallum agere. Accepta itaque poteſtate a Confœderatis Principibus, Huſſeyum Anglum anno ſupra milleſimum ſexcenteſimum nonageſimo primo Conſtantinopolim ad emolliendam pacificationis viam dimittunt. Multa humanitate acceptus a Solymano III. & Achmete II. Imperatoribus, dum ſedulus rimatur aditum apud Achmetem (Solymanus eodem anno extremum vixit) Vezirium, Caimacanem, aliosque Purpuratos, atque lineas pacificationis adumbrat, non ſine ſuſpicione veneni repente extinguitur. Poſt hujus fata Colyerius Hollandus D) Confœderatorum partes ſumma moderatione Byzantii egit. Haud multo poſt feſtinatis itineribus Viennam, inde Petro-Varadinum advolavit Harborsdſius Eques Angliæ

A) Vide pag. 286. B) Anno 1689. illud commiſſum eſt, ut narravi pag. 293. & ſeq. C) Bellum adverſus Cæſarem, Hollandum, Anglum, Hiſpanum erupit anno 1689. D) Hic Colyerius jam ante Huſſeyum Conſtantinopolim venerit, res ſuæ Reipublicæ curaturus: a morte Angli pacificationi cudendæ admotus.

A. C. gliæ Legatus. Fiduciariis literis Petro-Varadini instructus, posteaquam as-
1699. sonantibus tormentis festos inter applausus Turcarum, Belgradum subiit, duodecima Augusti, secundo, & nonagesimo anno ejusdem seculi immatura morte sublatus est.

Nihil inde segniores Angli, Hollandive, suscepto Conciliatorum munere fungi perrexerunt. Sine mora Milordum Pagetum, & Hemskerkium, illum Anglum, hunc Hollandum, tractandis in negotiis magnæ solertiæ viros, Byzantium proficisci jubent A) cum mandatis: elaborarent in primis sedulo, ut Vezirium, Purpuratorum Principem, qui unus in potestate Imperatorem habebat, sibi concilient, omni artificiorum genere, muneribus, queis humanæ voluntates ægre resistunt, ad mitiora consilia flectant. Duumviri isti non eadem fortuna legationem inivere. Hemskerkius obtentis publici commeatus literis prior Belgradum tenuit. In colloquium Vezirii admissus, Italo sermone sui adventus rationem reddidit: tum ad pacis commoda delapsus, insigni facundia omnium animos commovit. Non secus Adrianopoli apud Imperatorem, & primi nominis ministros suæ Reipublicæ nomine, pacificationis negotium sapienter urgebat.

Biennio post Hemskerkius, B) sive utilior futurus alibi suis popularibus, sive pertæsus Turcarum tergiversationes, obtenta redeundi potestate, non sine luculentis benevolentiæ signis, ab Imperatore Achmete, Vezirio, primoribusque Turcarum mense Aprili dimissus est. Abeuntem cum numeroso, & splendido comitatu multis laudibus prosecuti sunt Purpurati, quod notissimas inter factiones aulæ, ne alterutram læderet, admirabili prudentia medius incesserit. Belgradi perinde honorifice habebatur a Chiaffere armorum Præfecto. Id tamen permolestum accidit festinanti in patriam, quod sex, & amplius mensibus eodem in loco dimorandum fuerit, ea fortassis de causa, ne paratus bellicos, typum expeditionis illius anni, quæ utique viro sagacissimo explorata erant, ad Cæsarem deferret. Sexto decimo Novembris, præsidio Janicsarorum Petro-Varadinum deductus, duodecimo Decembris Viennam pervenit, summamque legationis Leopoldo Cæsari exposuit. At Pagetus, qui paulo serius legationem inivit, media fere hyeme inter plurima viarum incommoda Adrianopolim ingreditur. Ottomani nihil quidem omiserunt honoris, qui Angliæ Regis Oratorem addeceret, verum adeo mala fide compluribus annis actum est cum eo, ut omni aditu exclusus, neque Imperatori, neque Vezirio colloqui potuerit. Crebrioribus libellis, queis sui Regis in concilianda pace æquissimum studium, Coefœderatorum voluntates in concordiam pronas, Turciæ ærarium sumptuum magnitudine, & diuturnitate, jacente mercatura, exhaustum, aliaque hujusmodi complexus est, præter altum silentium nihil obtinuit. Cum enim Mustaphas II. pugnacissimæ indolis Princeps prima expeditione victor rediisset ex Hungaria, C) alteram æquato Marte confecisset, D) dici haud potest, quantopere Turcæ superbia, ferociaque intumuerint, existimantes militarem virtutem, fortunam ipsam a Cæsareis recessisse, atque in suum Imperatorem, gentemque immigrasse.

Commissa fatali pugna ad Szentam, qua robur peditatus Ottomanici miserabili strage absorptum est, intellectoque Gallum cum Cæsare, & præcipuis Europæ Principibus pacem Rysvici pepigisse eodem anno, E) usque adeo omnium animi conciderunt, ut desiderium pacis luculentis indiciis proderent. Colyerius, quo Purpuratos perinde, ac plebem magis incitaret, Rysvicensi in arce compositam pacem, festo apparatu Constantinopoli celebravit. Ministri aulæ aversati Galliæ Oratorem, qui belli in tot annos protracti non postremus author erat, varios honores in Pagetum, & Colyerium congerunt, convivio, ludis recreant, affectata prorsus humanitate Anglos, & Hollandos toto Imperio colunt, utque viam ad paciscendum aperiant, non in speciem hortantur. Illi operam, æquitatem, ut alias, large

A) Anno 1692. B) Hemskerkius iste ad accelerandam Risvicensem pacem multum contulisse videtur anno 1697. C) Anno 1695. D) Anno 1696. E) Videlicet 1697.

large addicunt, admonent Cæsarem, Moschum, Polonum, Venetos: *Turcas tædio bellorum fessos, serio ad pacem respicere, mitterent quamprimum Legatos, locumque designent, ubi tuto de rebus controversis tractari liceat, sperare se, diuturnum, cruentumque bellum amica pace compositum iri.* Magno Leopoldo non minus, ac Confœderatorum singulis, graves causæ aderant cum Ottomanis paciscendi. Carolus II. Hispaniarum Rex, morbis misere per omnem vitam conflictatus, solicitum tenuit Cæsarem, ne deflagrante bello Turcico humanis excedat. A) Moschum domestica seditio, exteras gentes visendi ardor, Assovia in libertatem asserta, Pontus Euxinus undique apertus, ad prosequendum bellum segniorem reddidere. Poloni, & Lithuani pertinacibus ab Rege, & mutuis inter se odiis divisi, sterilem militiam, & plerumque ipsorum clade insignem, dudum aspernati, bello Turcico exitialius nihil putarunt. Respublica Veneta terrestribus, & maritimis expeditionibus fessa, etsi iisdem animis, quibus cœpit, bellum gereret, tamen quod Peloponnesum, & aliquot insulas Ægæi maris sui juris fecerit, ab armis haud gravate discessura erat, ne sociis in portum enatantibus, ipsa in alto temere colluctans, victoriarum triste naufragium patiatur.

A. C. 1699.

Omnium itaque animis in pacificationem inclinatis, Legatos primo quoque tempore Carloviczium, Sirmii oppidum, mittendos decernunt. Communi Fœderatorum voluntate is locus delectus est, ut Cæsari, cujus jurisdictionis oppidum erat, gratificarentur, reipsa Belgradum, aut quamcunque urbem Turcicam nolebant, quod non ex vano conjicerent, Ottomanos domi suæ imperiosius dominaturos, & nisi ad votum fluerent omnia, quovis modo Legatos vexaturos. Ad gravissimum, summeque intricatum negotium designati fuerunt ab Cæsare, Wolffgangus Comes Oetinganus, Imperialis aulici Consilii Præses, vir longe integerrimus, alter Leopoldus Comes Schlickius domi, militiæque clarissimus. His additus est Comes Aloysius Ferdinandus Marsilius manu, consilioque promptus, ac linguæ Turcicæ, aulæque Byzantinæ callentissimus. A Polonia Stanislaus Malachovius Posnaniensis Palatinus. Carolus Ruzzinus a Serenissima Republica Veneta. A Petro Alexovichio Procopius Bogdanovizius Vosnizinus, Czaro ab arcanis consiliis. Ab aula Byzantina Mehemetes Reys-Effendius, magnus Imperii Cancellarius, & Alexander Maurocordatus, e nobili Scarlatorum familia. Quo celerius infiniti obices, qui occursuri prævidebantur inter paciscendum, removerentur, annuentibus quoque Turcis Conciliatores adhibiti fuere, Angliæ quidem Regis nomine Guilielmus Pagetus Bellideserti Dominus; Hollandorum Jacobus Colyerius, uterque obitis legationibus Europæ notus, & ea tempestate, ut narravimus, apud Mustapham Imperatorem Orator.

Quinta decima Octobris B) apud Futakinum aderant Cæsarei, ubi aliquot armatæ legiones jussu Principis Eugenii substiterant, Moscho, Polono, Veneto jam ante Petro-Varadinum appulsis. Ottomani, ut fidem facerent, se minime simulata mente pacis desiderio teneri, nondum cognito Legatorum adventu, primi armorum cessationem promulgarunt, statuta capitis pœna, si quis Danubio, aut Savo defluentes naves, aut agrum Illokium inter, & amnem Moravizam hostiliter invaserit. Eugenius ea super re ab Oetingano consultus, cum ingravescente autumno in Bosniam duceret, eadem, qua Turcæ, formula inducias proclamari jussit. Quarta, & vicesima posteaquam Principum Christianorum Legati Carloviczium ingrediuntur, Mehemetes, & Maurocordatus commeatu accepto, non procul inde dissiti, eodem plane tempore cum aliquot signis equitum, peditumque advenere. Sed visa paucitate Cæsareanorum, quo æqualis foret utrisque numerus excubitorum, sine mora equites Belgradum remiserunt.

Nondum manum operi admoverunt, cum permolesta pugna Polonum inter & Moschum oborta est. In medio campo, tumultuario labore

A) Carolus II. Hispaniarum Rex sine Hærede vivere desiit 1700. Quæ bella subsecuta sint? e publicis monumentis disces. B) Anno 1698.

A. C. 1699. ædes ædificari ſunt cœptæ, arcendis frigoribus non minus, quam habendis congreſſibus accommodatæ. a) Malachovius magno æſtu primum a Cæſareis locum ſibi vendicandum duxit; non ſegnior Procopius eandem ſtationem turbidus inſedit. Ne ferro litem deciderent, reliqui Legati, ac Conciliatores ſuam authoritatem interponunt. Jubent præterea metatores, tabernacula eum in modum collocare, ut ſingula æqua fronte poſitam in medio Prætoriam domum reſpiciant, miſſisque irritamentis honorum, inter ſtationes nullum diſcrimen faciant, ne vocabula primæ, ſecundæve ſtationis uſurpent. Iſthac cautione irritatior Polonus, locum, quem a Cæſareis primum exiſtimavit, per ſua ſervitia non ſine jurgiis occupat. Moſchus rei indignitate commotus, ſui Principis cauſam acriter tuetur, ac occupatores ſtatione dejicit. Poloni dedecore affecti, ut ne cedere viderentur Moſchis, prope Prætoriam ædem ſua tentoria defigere moliuntur; communi omnium ſententia prohibiti, cœpto deſiſtunt. Graves inde querelæ in Procopium, cujus imperio ſuos non loco modo depulſos, ſed verberatos quoque invidioſe criminabatur, negabatque ſe in terram excenſurum (ſuo in navigio hærebat) niſi ad unguem ſibi, ſuisque ſatisfieret. Pertinax propoſiti, non paucis diebus ſæva inter frigora, ventorumque injurias perſeverat, quidquid agerent Legati, & Conciliatores, qui ægerrime ferebant, alieniſſimo tempore æmulationem in dies protrahi, & graviſſimis negotiis moram injici. Poſtremum, cum obfirmato animo inter anguſtias navis hæreret, & neſcio, quas minas jactaret, ſinguli de ſcripto admonent hominem: videret, ne ſoluto conventu ſua pervicacia ſpem Europæ evertat, ſe ad graviora intentos nolle odioſam litem decidere, non inſiſtendum extremis rituum apicibus, ubi de regnorum, provinciarum ſalute agitur. Ea omnium conſenſione obrutus, & jam cavillorum feſſus, e navigio pacatus egreditur, neque inpoſterum Procopio gravis fuit.

Vix hoc obice amoto, novæ difficultates enatæ ſunt. Moſchus, & Polonus ut nuper ſumme inter ſe diſſidentes, ita nunc mire conjuncti; pacificationis fundamentum Cæſareis quæſtuoſum, ſuis Principibus, ut ajebant, pernicioſum multis criminationibus traducebant, illudque nervis omnibus everſum ibant. Fundamentum porro ad veterem modulum concinnatum erat, ut videlicet partes belligerantes in poſſeſſione captarum urbium, provinciarum permaneant, ſolumque limites controverſi in quæſtionem veniant. Hac formula retroactis temporibus plerumque pax cum Turcis inchoata, deinde ut partibus viſum, confecta. Polonus, niſi Camenecum reddatur Reipublicæ, nunquam ſe congreſſui interfuturum conteſtatus eſt. Idem minabatur Moſchus, niſi arx Kercza, ad Boryſthenem fluvium ſita, ſuo Principi quamprimum reddatur. Denique ſe nec fiduciarias literas prompturos, nec Angli, Hollandique opera uſuros ante, quam æquiſſimis poſtulatis fieret ſatis, dictatorio modo enunciant.

Cæſarei irritabilem nimium Polonum, quam molliſſime tractandum exiſtimarunt. Revocant ei in mentem: *fundamentum neque Moſchis, neque Polonis exitioſum eſſe, imo univerſis Confœderatis perutile, cujus firmitate, quidquid Turcis armorum ſucceſſu ereptum, Fœderatis addictum ſit, neque propterea caveatur, ut ne Polonis, aut Moſchis liceat urbes, aut arces repetere, quas Ottomani ſeu vi, ſeu fraude avulſerunt. Cæſareos omnem lapidem moturos in pacificationis curſu, ut Camenecum jugo Ottomanico eliberatum, ad Rempublicam redeat. Cæterum ſi Poloni votis ſuis multo minores fructus tam diuturni belli in præſenti numerent, non tam fundamenti vitio, quam variis domeſticis morbis attribuendum. Videret etiam, atque etiam, num ex arena ſecedentibus ſociis, conducibile ſit Reipublicæ cum eo hoſte decertare, cui poſtremis his annis vix quatuor Confœderatorum exercitus pares erant. Nihil Ottomano optatius, ac ſolum cum ſola Polonia decernere,*

a) Typum iſtarum ædium videre licet in Porta Ottomanica Tom. II. pag. 820. Pace confecta Leopoldus Cæſar ædificium meliori forma inſtauratum, ceſſit Patribus e familia S. Franciſci, impoſito nomine: Maria pacis.

nere, regione nimirum patente, neque validis munimentis, ut Hungaria, incincta, & , quod caput rei, plerumque in plures factiones misere scissa. Meminisset Senatorum cum Rege simultates, Lithuanorum adversus Contium studia nondum penitus sublata. FACILE ignem concipere, quæ paulo ante extinctæ sunt faces. Splendidis Moschorum promissis minime fideret. Non adeo incuriosos fore suarum rerum, ut Poloniæ causa maximis impendiis bellum trahant, opes, militem, victorias denique superioris anni ancipiti fortunæ committant. Nosse alioquin Polonos, quam mutabiles rationes præseferant. Fœderi illigatos, annis aliquot nec pacem habuisse, nec bellum A) *cum Turca. Neque deinceps pugnaciores fore, aut constantiores. Imo ut primum messem suam in horrea comportarint, quiescent, socium destituent, Poloniæ interitum, ceu aliena damna spectabunt. Quare cum Cæsar suis provinciis pernecessariam pacem existimet, & Veneta Respublica Cæsaris sententiæ non invita accesserit, ipse quoque afflictæ Poloniæ rebus mature prospiciat, cum Cæsareis consilia sua mutuo conjungat, ut qui bellum concordes una gesserint, ad pacificandum una, & veluti conserta acie accedant. Ita pacem Confœderatis & decoram, & utilem obventuram.*

A. C. 1699.

At non propterea mitigari visus est Malachovius; & fortassis perseverandum putavit, ne videretur sine causa oppugnasse fundamentum; QUASI sit rectæ sententiæ inconcussum argumentum, si non cito ab ea recedatur. Conciliatores non levi solicitudine perstricti, quid agerent, dicerentque, haud satis intelligebant. Effendius sui vix potens, Byzantium se propediem abiturum edixit, nisi Polonus, & Moschus fundamento subscribant. Cæsarei, ut necessitatem imponerent Effendio dimorandi Carloviczii, pollicentur se pacificationi initium daturos, ea tamen adjecta conditione; vim nullam, aut robur obtentura omnia, ni simul sociorum postulata processu temporis rata habeantur. Jactabantur quoque ex obliquo sermones, unius, aut alterius inani tergiversatione, universum pacificationis negotium interturbari haud posse. Cognita Cæsareorum, & Venetorum firmitate, Effendiique exulcerato animo, solicitudo incessit Malachovium, ut ne Fœderati sub manu suas lites componant, sibique uni cum Turcis in senatorio illo campo colluctandum sit. Abruptis itaque moris, examinandas, permutandasque fiduciarias literas profert, fundamentum omnino probat, Anglum, Hollandumque Conciliatores adoptat. At Moschus mensem integrum omni congressu pertinaciter abstinuit. Offendit primum Maurocordatum, quod ipse in literis Cæsareorum, ab secretis epistolis, non item consiliis Ottomanicæ Portæ diceretur, cum tamen utroque munere fungatur, & Consiliarius primi ordinis toto Imperio habeatur; innuebatque præterea, sibi pergratum fore, si e Scarletorum nobili familia B) oriundus in cæteris literariis instrumentis compellaretur. Notatum præterea, quod in iis nulla fundamenti fieret mentio, cum tamen illud basis utique esset totius pacificationis. Ad inexpectatam, & fortassis noxiam moram redimendam, Pagetus vadem se dedit, præter mentem Cæsaris vitio scribarum hæc neglecta; alias propediem, qua vellet formula, fiduciarias affuturas. Placato Maurocordato, fit operis initium.

Ne vero rerum cursus cujusquam fraude, aut justa de causa interrumpatur, leges moderandæ pacificationi conduntur. In primis statutum, salutationum cerimoniis solennibus prorsus abstinendum, omittendas honorum, alias usitatas, significationes. Deinde capita pacificationis, in quæ partes convenerint, ne rursum immutentur, aut rescindantur cum ingenti temporis jactura, Conciliatoribus tradenda, denique cum singuli authoritatem concludendi amplissimam a suis Principibus acceperint, curas omnium eo vertendas, ut ne fictis nominibus dies tererent; imo conjunctis studiis moras

A) Ab anno 1689. quo Moschi in Tartaria cæsi, usque ad annum 1695. fere pacem habebant cum Ottomanis. B) Hujusmodi honorum vocabula Maurocordato ipse Imperator Mustaphas attribuit in literis fiduciariis, quas Effendius accepit ad transigendum cum Moscho. Habentur in Porta Ottom. Tom. II. pag. 816.

A. C. moras omnes præſcinderent. Quod ſi quis juſtis rationibus motus, diſce-
1699. ptando moras traheret, id minime fraudi vertendum, quo amotis litibus ad alia gradum faciat; interim liberum foret cæteris, res ſuas proponendi, tractandique, modo diſceptanti parti de ſecuritate, communioneque pacis caveatur. Hæc legum formula ſæpe numero cuſa, & recuſa, omnium tandem calculo probata eſt. In ipſo limine pacificationis illico omen eſt captum, conventum diuturnum fore, & impacatis animis omnem negotiationem decurſuram. Non dubitavit Effendius cæteris poſtulatis inſerere, ut Tranſylvania eo loco reponatur, quo alias fuerat, cum ſuos Vaivodas, aut Principes habuit; id eſt ut ſpecie libertatis tributum pendat Ottomanis. Poſtulatum iſthoc precibus magis, quam minis urgebat apud Conciliatores, nec facile deſtiturus videbatur, ne videlicet, ut ajebat, amiſſis validiſſimis præſidiis, hoc qualicunque dominatu exuti, pacem infeliciſſimo bello deteriorem perpetuo lugeant. Iniquiſſimæ petitioni acerrime obſtitit Oetinganus, quod ea fundamentum pacis, cui omnes ſubſcripſerant, convelleret; præciſeque negavit, e dignitate Cæſaris fore, nobilis provinciæ poſſeſſione decedere, quam multo ſuorum ſanguine, immanibus impenſis, & ipſius Belgradi jactura e ſervitute nuper eripuit. Cæſarem meliore jure & Temeſiam, & Belgradum, & Serviam, & Bulgariam repetere potuiſſe; ejusmodi tamen petitione conſulto abſtinuiſſe, quod intelligeret eam fundamento apertiſſime pugnantem. Nihilo ſedatior hac oratione Effendius, huc illuc ſe contorquere, nunc argumentis, nunc precibus, nunc promiſſis pugnare, ut honorarium tributum a Tranſylvanis pendendum extunderet, quo amiſſionem pulcherrimæ provinciæ leniore, ut ajebat, ſtomacho concoquat Imperator, orareque ad extremum, ne gravaretur Viennenſem aulam hac ſuper re per Celeres conſulere.

Oetinganus tædiorum feſſus, diſertis verbis renunciavit Effendio: ſpatio unius diei deliberaret, ediceretque ſine ambagibus, inprimis velletne in præſenti bona fide tractatum proſequi ad fundamenti normam? alterum, quotnam menſes decurſuros exiſtimet, dum ultimam manum acciperet pacificatio? Demum ſi hyemem non poſſet agere ſub papilionibus, nominaret locum extra Imperii Turcici ditionem, quo omnium voluntate demigretur, pacisque negotium tot inutilibus moris dilatum, Europæ commodo acceleretur. Hæc ni definiat, abrupta ſpe pacis conventus ſolvetur. Hoc accepto reſponſo, non ultra obnitendum ratus, pollicetur ſe inſequenti die congreſſui interfuturum, ac examinandis poſtulatorum capitibus initium daturum. Tertia decima Decembris in præſentia Conciliatorum, rurſus fundamentum omnium conſenſu approbatum eſt, ſancitumque, ut voce potius, quam ſcripto poſtulata expenderentur, quod eo modo commodius explicarentur ambigua, refellerentur objecta. Pacta tamen conventa publici ſcribæ in tabulas referrent. Prima, eaque præcipua lis extitit inter Cæſareos, & Turcas de locorum limitibus. Effendius, & Maurocordatus fertilem diſceptationum materiam in tempus aliud, aliosque qui ſubinde provinciarum finibus accurate inſpectis, ſuo arbitratu limites ſtatuerent, rejicere cupiebant, cauſati montium, fluviorumque ignorantiam, quibus ſive Tranſylvania, ſive Croatia cingatur.

Ex adverſo Cæſarei minutim, diſtincteque omnia tabulis inſerenda contendunt. Non enim ignorabant, ſuperiore ætate limitum controverſias cum incredibili damno vicinarum urbium compoſitas, nonnunquam novi belli fomitem extitiſſe, ſæpe earum occaſione Regios fundos in media pace, omnia belli incommoda perpeſſos. Unde multo vehementius inſtitere, ut ad deſignandos ſumma accuratione, regionum fines Ottomanos pertrahant. Iſti etſi complures dies tergiverſati, poſtremum authoritate Conciliatorum victi, opus multis difficultatibus implicitum aggrediuntur, atque ut eventus oſtendit, nullo Cæſaris emolumento, non levi Legatorum invidia, abſolvunt. Tranſylvaniæ cauſa vix quidpiam litis obortum eſt, quod ea alioquin in poteſtate Cæſaris eſſet, & circumvallata perpetuis montibus,

&

& sylvis, limites suos minime controversos haberet. Nec consultum erat vetustos provinciæ fines proferre, aut imminuere, ne scilicet Valachi, & Moldavi æternam odiorum sementem nacti, cruentis certaminibus pacem violent, Transylvaniam, seque mutuo infestent.

A. C. 1699.

Verum Temesiensis Banatus ut certis spatiis circumscriberetur, multorum dierum labor fuit. Urbs Temesia omni ex parte ita obsessa tenebatur a Cæsareis, partim stationibus militum, partim munitis præsidiis, ut non nisi militaris via pateret ad Danubium, qua commeatus, aliaque necessaria tuto accipere posset. Quippe ad amnem Marusium nostri obtinebant Lippam, Aradinum, Csanadiam. Ad Tibiscum Szegedinum, Kis Kanisam, Becskerediam, Sabliam, & qua Tibiscus in Danubium præcipitat, Titulium. Daciam versus, Lugosiam, Karanysebesiam, tum agrum Almasiensem ad Valachiam, & montes Orsovæ porrectum. Hæc loca ne amitterentur cum adjecto agro, aut everterentur, magnopere cavebant Cæsarei. Turcæ contra ad proferendos Temesiæ fines intenti, pertinaci clamore institerunt: memorata loca veteribus Dominis reddenda, Temesiam olim omnibus illis dominatam, ac jus dixisse, quidquid munitionum ad ripas utriusque fluvii reperitur, aut inter montes Valachiæ, & Transylvaniæ intercipitur, Temesiensi urbi subjectum esse. Miserum fore Præfectum urbis, qui perpetuo circumsessus, vix extra pomœrium tuto prodire posset. Cæsarei fundamento adhærentes, negant se vel latum unguem cessuros: Cæsarem justa possessione dejici non posse, cui felicia arma, & fundamentum publica fide sancitum, eorum locorum dominatum dedere. Effendius appellata Kinskii epistola (quam suis postulatis favere & falso credidit, & pertinacius contendit) cum inter quotidiana jurgia nihil proficeret, semel, atque iterum e medio conventu turbidissime avolat; testatus sibi integrum non esse quidquam de postulatis remittere, & ni molliores fierent Cæsarei, haud dubie rebus infectis discedendum. Ejusmodi inter disceptationes non hac, non illac promovebatur pacificatio. Oetinganus, & Schlickius pertæsi tricarum, atque una soliciti, ne Effendius impotens sui, repentino discessu cœpta abrumperet, id, quod secundo loco in mandatis acceperant, post plurium dierum disceptationes acerrimas, Almasiensem tractum, & Lugosiæ, Karanysebesiæque demolitionem addicunt, ea tamen conditione, ut Marusii, & Tibisci utraque ripa cum omnibus præsidiis, & adjacente agro Cæsari cedat.

Istud Cæsarei tanto ardentioribus animis in congressibus urserunt, quanto ampliora commoda e possessione ripæ utriusque, Hungariæ, & Transylvaniæ obventura prævidebant. Nam si Marusius, & Tibiscus firmis præsidiis obtinerentur a Cæsareis, tuta foret navigatio, liberque omnis commeatus e Transylvania in Hungariam; vicissimque illi e provinciis Hungariæ æs, annona, miles, quæve bello gerendo necessaria sunt, submitti possent. Extorta Lugosiæ, & Karanysebesiæ demolitione, longe ferociores Ottomani citimam ripam utriusque fluvii postulant, & ni impetrent, quantocyus se Belgradum renavigaturos conclamant. Sincero pacis desiderio eos non teneri, qui ob sterilem ripam novo bellorum incendio Hungariam, & Fœderatorum provincias objiciant. Hæc adeo concitato, obfirmatoque animo non semel testatus est Effendius, ut conclamatis vasis abiturus crederetur. Interposuerunt authoritatem suam Conciliatores, præferocemque multis rationum momentis, ad æquiora flectere conabantur. Nullum operæ pretium tulere. Quare Cæsarei necessitate adacti, lævam Tibisci, & Marusii oram in potestatem Mahometis transferunt, iis legibus, ut plenum jus navigandi, annonam, paratusque belli vehendi penes unum Cæsarem esset, eidem omnes insulæ, & Aradinum subessent. Caverent proinde Turcæ, ut ne alterutrum fluvium in plures discinderent alveos, neve molendinis, aliisque operibus viam navigaturis præstruerent, aut excitatis castellis commercia turbarent, interim aquandi, aut piscandi causa fluvios ingredi, minoribus navigiis percurrere accolis liceret. Denique ut securitas præstare-

A. C. 1699.

tur Temesiensibus, conventum est, ut Lippa quoque, Csanadia, Sablia, Pócsium, Becskeredia munimentis suis in perpetuum nudarentur. Idem fatum Titulium habuit a Mustapha captum, desertumque postremis his annis. A)

In circumscribendis Sirmii, Bosniæ, Croatiæ finibus pervicacia Effendii perinde æquitatem vicit. Petierunt Cæsarei fertilissimum agrum Sirmii ad Danubii, & Savi ostia protensum; quo obtento procul dubio jactura Almasiensis tractus cum fœnore resarciri, & jurgia, quæ e varietate jurium, & possessorum oboriri solent, plane extingui potuissent, Præter spatium quatuor milliarium nihil impetratum est. Utque Cæsarea ditio ab Ottomanica discreta foret, recta linea a Danubiana ripa perducenda erat ad Savum. Mitrovizam tamen in triumphum nuper abreptam ab Imperatore, sibi vendicarunt Turcæ, nostris non admodum renitentibus, quod Raczka Cæsareum munimentum, & Savum, & Drinum amnes tueretur. Inde a Bossuti ostio ad Unnæ confluentem designatus limes, adeo amplus pro Ottomanis, ut non Bosniæ modo præsidia ab Eugenio, & Banis B) subacta, sed & Croatiæ, & Sclavoniæ quædam loca reddenda fuerint, aut solo æquanda.

Incredibili dolore afficiebantur Croatæ, cum viderent deduci præsidia, everti munitiones, angustiorem in dies reddi suam regionem, quam sanguine suo, suis plerumque opibus, captis hostium munimentis, feliciter ea tempestate dilatarunt. Nec Vienna facilitatem Legatorum probavit, vitioque datum Oetingano, quod ab imperioso, præferocique homine se duci, agique sineret: minis, terriculamentis illico expugnatus, præcoce nimium indulgentia voluntati illius subscriberet; postulata rebus Cæsareis exitiosa non minus, quam indecora pro imperio fere acciperet. Potuisse ejus pertinaciam frangi longioribus moris, constantiaque. E nimia facilitate nihil relatum aliud, nisi ut obtentis primis, licentia efflagitandi ampliora provocaretur, & votorum ubique compotes se victos ad extremum oblivíscerentur. Fortius egisse Venetum Legatum, qui pro passu omni Peloponnesi, improbo conatu decertavit, vicitque.

Cæterum non leves causæ suberant, cur Cæsarei faciliores se præberent Ottomanis in designandis Imperii limitibus. Constabat Byzantinæ aulæ annua conversio, qua exauthoratis præcipuis ministrorum extera perinde negotia, atque domestica momento temporis miscentur, quæve in placido portu stare videntur, rursus in altum rapidissime feruntur. Et jam certa indicia proruperant futuræ mutationis. Præfecturam Vezirii administravit Amidshaoglius potentissimi Kiuperlis Germano prognatus, vir exacta ætate, placida indole, morum candore insignis, & gratia Principis sui nulli secundus. Hic uti perspectos habuit morbos Imperii Turcici, nihil curarum amisit, quo pacem afflictis provinciis redderet, grandesque titulos Pacificatoris, bellicosæ suæ familiæ assereret. Factio adversa non parum obstitit. Vix Carloviczium condictum erat, cum ex improviso ipsius Legatus (Kihajam appellant) cujus opera unice utebatur in arcanis Imperii, Hierapolitanæ præfecturæ admovetur. Surrogatur alter eo gradu indignissimus, & quod mordebat Vezirium, ambiguæ, fluxæque fidei. Alioquin gravem æmulum agnovit, sensitque Hassanem Bassam nuper Hierapoleos Gubernatorem. Erat iste a teneris enutritus in palatio, ob formam oris pervenustam Principibus fœminis acceptus, ac ad summas præfecturas uno veluti cursu provectus. Nunc Caimacanis munere ornatus, opportunis ad promerendam gratiam sermonibus brevi in amoribus esse cœpit apud Mustapham adeo, ut Soltani gener, Vezirii locum primum prope adæquaret, superaturus denique non ex vano crederetur, si vel exiguæ belli scintillæ erumperent. Nec deerant in aula, qui occultis machinationibus pacis consilia evertere collaborarent: multorumque animis ea opinio insedit, quin & pignoribus certarunt:

A) Titulium in Mustaphæ ditionem venit anno 1695. mox eversum cuniculis, rursum instaurari cœpit. B) Nempe a Comitibus Nicolao Erdödi, & Adamo Battyani, mihi sæpe memoratis.

runt: pacificationis negotium in ferale bellum exiturum. Horum conscii Legati, maxumopere sibi cavendum existimarunt, ne protracta sine fine disceptatione, novae turbae oborirentur Byzantii, ruptisque induciis bellum exardesceret, aut Effendius limitum causa irritatus domum avolaret; id quod omni moderatione evitandum fuit; satis utique gnari, quidquid sinistri accidisset in eo colloquio, Caesaris cunctationi attribuendum fuisse. Confoederatorum quoque dissidium, animos addidit Turcis, qui abstracto Moscho a reliquis sociis, Polono Camenecensi urbe placato, eliso magno illo foedere, haud dubie superiores erant. Descripto eo, quo diximus, modo utriusque dominatu, ad alia gradum fecere Caesarei, quae suo loco memorabo.

A. C. 1699.

Eodem tempore Moschus, Polonus, Venetus res suas magno strepitu agitarunt. Procopius quidem variis legationibus per Asiam, & Europam gestis quantum existimationis sibi peperit, tantum omnino deperdidisse videtur Carloviczii, adeo arrepti semel consilii tenax, ut non sociorum precibus, non hostium minis de eo deturbari posset. Fiduciarias literas mense integro pertinacissime pressas, sexcenties admonitus, cum stomacho tandem exhibet: serius Conciliatores adit, spretis Caesareis, & Veneto; deserto Polono, cum Turcis creberrimos congressus habet: Kerczam, munimentum Borysthenis, multo clamore repetit. Cum nihil extunderet nudis postulatis, pollicetur sub manu: Principem suum, quantamcunque vellent, depositurum pecuniae summam, modo ea munitione potiatur. Regulum Crimaeae, ad quem jure pertinet, hanc conditionem ambabus ulnis amplexum. Reposuit Effendius: Chamum Tartariae, Soltani mancipium nihil juris habere in Kerczam. Si tanta cupiditate illius tenentur Moschi, restituerent praesidia superiore bello expugnata. Turcarum morem non esse, arces sive mercari, sive vendere. Hoc modo elusus cupidissimus nundinator, alio vertit consilia. Rejectis in tempus opportunius pacificationis capitibus, duorum annorum inducias paciscitur, quibus praeterlapsis, nisi pax concluderetur, armis jus suum persequeretur. Interim utriusque partis milites omni hostilitate abstinerent, neve limites controversos infesti incursarent Cosacci, aut Tartari, quorum rapacitatem singulari lege constringere visum est. Quinta, & vigesima Decembris A) signatae tabulae arcanum prodidere. Conciliatorum opera neglecta, inconsultis Caesareis, inducias inivisse Moschum, ac relictis quodammodo hostium arbitrio sociis, suas sibi seorsim res confecisse, indignissime ferebant omnes, praecipue Malachovius Polonus, qui primum senserat egregie sibi illusum. Caeterum ne Foederati suos sive timores, sive solicitudines nudarent, laeti inter se gratulati sunt, permolesto capite se aliquando liberatos. Effendius divulso a reliquis Moscho, tametsi pro sua libidine nondum leges imponere posset Foederatis, id tamen commodi coepit ex ea inopinata mutatione, quod animadverteret, nihil facilius esse quam privatis colloquiis multorum foedus solvere, & post unius secessionem caeterorum animos suspicionibus, tectis odiis, mutua diffidentia sponte impleri. Unde imperiosius actum cum Caesareis, & Venetis, ceu maximo bello victis, eorum postulata fastu barbaro rejecta; si paulo fortius Principis sui causam tuerentur, veluti universae pacificationis turbatoribus bellum, omniaque belli mala, tristi, atrocique sententia dictata. Haec talia exhaurienda erant nobilissimis viris, & forti stomacho concoquenda.

Malachovius, Poloniae Orator, meliore fortuna transegit. Regi pro suorum finium securitate, Camenecum necessarium, atque illud integrum, & munitum postulavit, quod si addiceretur, spondebat reliquorum capitum pacificationem inoffenso pede ad celerem exitum perventuram. Non semel Ottomani nunc dejectis, nunc integris munitionibus B) Camenecum Joanni Sobieskio, pugnacissimo Regi, obtulerunt, rati ea dulcedine escae delinitum, illico arma, irasque posituram. Et multi Senatorum eo inclinabant,

A) Anno 1699. B) Vide annum 1692. ad finem.

A C. bant, quod putarent per tot annos satisfactum fœderi, nulloque pacto tene-
1699. ri socium invitis civibus, adversa fortuna bellum trahere. At Rex singularem pacem toties obtrusam, ut rem sua fide, suaque constantia indignam obfirmato animo excussit; & quemadmodum primus ad afflictæ Reipublicæ Christianæ periculum ingenti charitate accurrit, ita constans, dum vixit, fidissimi socii partes, maximas inter curas, immanes sumptus, & vitæ discrimina explevit. Sed hæc, aliaque suis locis dedimus. In præsenti Effendius de restituendo Cameneco diu occlusas aures habuit; testatus in publico congressu se patria lege obstringi, ne validum adeo munimentum Imperio Ottomanico detractum, æmulæ nationi reddat; neque passurum Mustapham, ut in annales referatur, se Imperatore tantam Imperii esse factam diminutionem. Camenecum, Valachiæ, & Moldaviæ januam, armis occupatum, armis recuperandum. Oravit propterea Conciliatores, & Cæsareos, qua valerent authoritate, deducerent hominem ab ea mente, secus spem omnem pacificationis eversum iri. Addidit tamen præter morem pacato animo: inerme, & sine penu bellica reddendum oppidum, si Poloni Moldaviæ loca evacuaverint, provinciamque non mutilatam suo Principi cesserint.

Multis diebus obluctatus Malachovius, quidquid agerent Fœderati, & Conciliatores, cum videret Cæsareos lites suas componere, post statos limites provinciarum alia, atque alia capita discutere, & firmare, veritus ne Regis causam deteriorem redderet sua cunctatione, Cæsareorum amica opera uti instituit. Nec segnius isti accomodavere, brevique omnis controversia dirempta est. Loca Moldaviæ alioquin haud magni momenti, & prima impressione amittenda, in jus, ditionemque Vaivodæ transcribuntur, Camenecum suis cum munitionibus, machinis, Poloniæ addicitur. Malachovius non secus, ac si nobilissima victoria potitus fuisset, suæ felicitati gratulari, maximis lætitiis incedere, Cæsareorum studium ad cœlum extollere. Princeps controversia pari pertinacia diu agitata, his plane conditionibus sublata est. Poloniæ Regnum veteres suos limites habeat. Moldavicis præsidiis, oppidis, rebus integris relictis, militem abducat. Podoliam, Ukrainam cum præsidio Cameneco, duabus duntaxat Moscheis solo æquatis, recipiat. Institoribus, oppidanis fas esto demigrare, quo libitum fuerit. Mense Martio A) depacta loca sine mora evacuentur, quo tempore nuncii Byzantium expediendi. Digesta hac difficultate, ad cætera postulata facilior fuit Effendius, paxque sine disceptatione coaluit.

Veneti Oratoris negotium prope in dies intricatius fiebat. Typum adumbratæ pacis tribus potissimum capitibus complexus est Effendius. Venetæ ditionis sit Peloponnesus ad Isthmum Corinthiacum, & Hexamilii muri rudera, quidquid extra Peloponnesum in continente obtinent, nominatim Prevesam, sive Nicopolim, tum Naupactum Locridis (vulgo Lepanthum) cum Dardanellis, seu arcibus, quarum altera in Ætolia Molicreum, altera in Peloponneso sita est ad frœnandum Corinthiacum sinum, quo ante bellum fuerunt, loco reponant: id est Nicopolim, & Molicreum munitionibus spolient, Naupactum milite evacuent. Dalmatiæ fines per Curatores Geometrices peritos ad hodiernæ possessionis formulam describantur. Gravissimas conditiones, imperiosus, quo proponebantur, modus acerbiores multo reddidit. Namque superbe adjecit: aut præcise respuendas, aut sine exceptione subeundas, disceptare de iis integrum non esse. Ruzzinus ex adverso, eodem in congressu pugnantia prorsus postulavit hujus sententiæ. Montes extra Isthmum procurrentes Venetæ ditioni accedant: e præsenti possessione nihil omnino decerpatur, nec ulla arx, nec ullum munimentum reddatur. Dalmatici fines in tabulas minutatim referantur. Addiderat: hæc talia ejusmodi esse, quæ suo arbitratu, suaque authoritate immutare non queat. Impotens iræ Effendius in postrema verba involat: *nihil sibi negotii futurum cum homine nulla authoritate publica instructo;* quo dicto, concitato

A) Nempe anno 1699.

to gradu se turbidus in suum tentorium recipit, ut minabatur, abitum comparaturus. A. C. 1699.

Ex hoc tam longe inter se dissidentium conditionum conflictu conjecerunt omnes, aut congressum subito abruptum iri, aut certe multos menses elapsuros, dum de extremis remittant, mediaque via incedant Ruzzinus festinato Venetias nuncio, Reipublicæ significavit, quo res loco forent, quidve sibi agendum, anxie quæsivit. At Cæsarei, & Conciliatores furentem Effendium mollioribus verbis placare, amice hortari, ne præpropero suo discessu universæ pacificationis negotium affligat. Perpenderet tantisper, quam ægre futurum, ut semel solutus congressus repetatur denuo. Haud errasse Venetum, qui ad fundamentum appellet; eo subruto, non abs re timere stragem maximam. Fœderatorum curam præcipuam esse, ne ullius pax ante, quam omnium coalescat. Nisi sociis satisfiat, nisi ii pacem velint, Cæsarem etiam cum detrimento suarum provinciarum nunquam discessurum ab armis. Amplius exæstuans Effendius ajebat: sibi sanctitatem fœderis, Cæsaris integritatem quam optime perspectam; verum Venetum omni fœdere, omni amicitia indignum videri, qui communem pacem sua duntaxat pervicacia moretur, & fortassis Confœderatos pernicioso bello involvat. An tanti sint montes steriles, nulloque præsidio communiti, quorum causa rursum Danubius, Tyras, mare Ægæum sanguine hostili fœdentur? urbes, provinciæ integræ ferali incendio hauriantur? Naupactum ignobilem urbem sponte nuper a Turcis desertam; amissis autem duobus castellis, non maris, non Peloponnesi dominatum amissuros Venetos. Se quidem, velis, remisque vitaturum fuisse congressum, si vel leviter suspicatus esset, adeo difficilem fore Oratorem Venetum. Non minus se vexari cruditate postulatorum, quam inclementia cœli.

Et erat mense Decembri asperrima hyems in regione aperta. Multi e servitiis, partim sopitis vi frigorum sensibus, animaque expulsa obriguerunt, partim naribus, pedibusque ambustis vitam dimidiam ægre retulerunt. Ipsi Legati, & Conciliatores in rerum omnium penuria, hyemem gravissimam senserunt. Quotidianis tamen disceptationibus in seram noctem productis sæpenumero incaluere. Calendis Januarii A) Venetiis redux cursor parum læta attulit. Rempublicam de montibus ad Isthmiam Peloponnesum adjacentibus omnino immobilem. Non opinato responso exulceratus Effendius exclamat: omnia belli mala subeunda potius, quam ut hoc dedecore afficiatur Turcia, seque de medio cætu turbatissime ejicit. Postridie opera Cæsareorum in conventum retractus, petiit ne de montibus verbulum fieret. Vixdum convenerant, cum elata voce ad Venetum: ediceret tandem sine fuco, animum pacificendi, ac facultatem habeat? se quidem non excessurum consilio, nisi re Peloponnesi confecta, aut bello decreto. Ruzzinus pari contentione vocis: ni montes Veneto juri permittantur, pacem confieri non posse. Æstu doloris abreptus Effendius, multa contumelia hominem lacerat. In ea animorum concitatione prudentem potius, quam fidelem interpretem egit Maurocordatus. Inter hæc jurgia ad sua tentoria deducuntur, veluti ad nova consilia capienda. Defervescente ira, eodem adhuc die congressum repetunt, ac Conciliatorum opera in hunc modum transigunt: Hexamilio quidem Venetorum imperium terminetur, nec tamen limes a partium alterutra ducatur. Quinta Januarii de Nicopoli, Naupacto, castello Molicreo, sive Rumeliæ, tractari est cœptum. Venetus demolitionem sive Nicopolis, sive Naupacti addicit; Effendius Naupacto decedendum; Nicopolim, & castellum e fundamentis eruendum contendit. Decem admodum horis pertinacissime dimicatum est. Statuuntur Veneto ad deliberandum quinque dies. Obtestantur Conciliatores hominem, ne ignobilium trium locorum causa, universum pacis negotium eversum eat. Polonus, & Moschus gravioribus impedimentis jam præmissis, propediem

A) Anno 1699.

C. A. abituri videbantur; circumstant adeo tergiversantem, ut postulatis subscri-
1699. bat, aut quod Effendius, & Maurocordatus suaserunt, inducias pangat, deinde ut libitum fuerit Viennæ, Byzantii, vel Venetiis pacem conficiat. Addit Polonus: plurimum Reipublicæ interesse, ut Principem suum quamprimum conveniat, belli, aut pacis nuncius; quod ab isthoc colloquio quidpiam boni sperarint Poloni, lentiores fieri armorum paratus, darique opportunitatem Tartaris semisopitos opprimendi. Surdis auribus hæc talia accepit Ruzzinus, immobilis de suis postulatis.

Communi assensu rursum quindecim dies Veneto conceduntur, intra quod spatium difficultates suas digerat, digestas pacificationi accommodet. Si rem differat, reliqui pacis tabulas signent, nec tamen ante robur vimque obtineant, quam & ille pacem, aut inducias nomine Reipublicæ pepigerit. In hanc sententiam pedibus, manibusque ibant Ottomani, gratulantes inter se, quod paucorum dierum intervallo post diutinam jactationem in portu constituri essent. Illud quoque commodi eventurum Turciæ prospiciebat Effendius, si semel vagina gladium condidissent Cæsarei, & Poloni, ardui moliminis futurum, eos de quiete excire, parumque solicitos fore, quid Veneto fieret, si bellum persequi vellet. Interim Cæsarei gravi verborum pondere Ruzzinum hortantur: conditiones neque noxias, neque indecoras Reipublicæ acceptet; non aliam curam se priorem ducere, quam ne iniquius habeatur, aut indignius. Per eosdem dies rumor spargitur Carloviczii: in frequenti Divano præcise decretum, Veneto nihil omnino cedendum, in eo verti Turcici nominis dignitatem. Si abnuat, bellum paret. Hoc ariete prostratus, e formula Byzantio submissa paciscitur: Peloponnesus Venetorum esto; Naupacto præsidiarii deducuntor, Nicopolis, seu Prevesa cum castello Rumeliæ diruitor, quidquid extra Isthmum occupatum est, Turcis redditor. Insulæ Ægina, & S. Mauræ cum capite pontis (vulgo Paraccia) in potestate Veneta sunto, ab insulis Ægæi maris ne quid tributi in posterum exigitor. De finibus Dalmatiæ biduum tenuit disceptatio. Cum nec hac, nec illac affectæ pacis negotium promoveretur, Effendius haud dubie jam superior in illo campo litium feraci, ceu alter Popillius a) duodevicesima Januarii arcte admodum circumscribit Ruzzinum: ageret, sine ambagibus enunciaret, velitne designatos limites, an bellum? alterutrum eodem in congressu deligendum. Ita circumclusus Venetus constanti animo reponit: *belli, pacisque summo Moderatori Deo causam magis permisero, quam ut inconsulta Republica, vel latum unguem de postulato abeam.* Dederat autem ea in mandatis Ruzzino, ut cum in Græcia Turcarum aviditas quæpiam loca eripuerit Venetis, in Dalmatia detrimentum isthoc præstaretur. Nominatim petiit, ut inde Cicluto, ac Narenta fluvio ad castellum novum perpetuus ditionis Venetæ limes esset; eo fortassis consilio, ut aditu urbis Ragusæ terra arcerentur Turcæ, et si fortuna benignior aspiraret, illius provinciæ incolis plena libertas redderetur.

Sed quamcunque in partem se verteret Venetus, ab imperioso, suæque mentis tenacissimo nihil impetrare potuit. Post plurima tædia, & cavillos, Conciliatores pepigere: Ragusa, ut ante bellum, cum Porta Ottomanica amicitiam habeat, tributumque de more pendat. Maritima loca Dalmatiæ hoc bello a Venetis capta, in eorum potestate maneant cum agro. Reliquam Dalmatiam Turcæ obtineant, atque ne finium causa lites serantur inter oppidanos, limites a peritis regionum Martio mense ducantur. Rebus in hunc modum compositis pax in propinquo erat. Contestatur Ruzzinus, se pertinacia Effendii, & nimia Legatorum indulgentia in has angustias conjectum. Equidem signaturum se tabulas, ea tamen conditione, si Respublica ratam habuerit Dalmatiæ, & Græciæ imminutionem. Non recusavit conditionem Effendius, modo Veneti trigesimo die post, quam solutus

a) Popillius Leanas Antiochum Epiphanem virgula circumscripsit. Damus verba M. Velleii Paterculi Lib. I. C. X. „ Regem deliberaturum se dicentem circumscripsit virgula, jussitque prius responsum reddere, quam egrederetur finito arena circulo. „

lutus fuerit congressus, pacta Ruzzini sua authoritate firment, aut inducias in longius tempus prorogent. Sexta, & vicesima die gratulantibus inter se tanti operis perfectoribus, primum pax Cæsarea, deinde Polonica, postremum Veneta, subscripta est, disertis verbis adjecta conditione, si Veneta Respublica eam probaret. Eodem tempore minoris momenti capita conclusa sunt Cæsareos inter, & Turcas, quæ Lectoris gratia commemoranda duxi. A. C. 1699.

Utrique parti licitum sit veteres arces, præsidia instaurare, milite, annona communire, iis duntaxat exceptis, in quorum demolitionem jam conventum fuit. Ad excolendum agrum sive ad Tibiscum, sive ad Savum cum Cæsareis, tum Turcis integra potestas esto colonias ducendi, oppida condendi, dummodo nullum munimentum excitetur. Ut vero finitimi coloni sincera pace inposterum fruerentur, sublata est priorum temporum consuetudo, qua limitaneis militibus, veluti in medio bello se mutuo infestare, prædas agere alieno in solo licebat. Decretum adeo: ejusmodi procursores publicis armis coercendos: captos exquisitis suppliciis mactandos: læsæ parti ad assem satisfaciendum: Præfectos militum, nisi severe in nocentes animadvertant, fortunis, & vita exuendos. Qui e Transylvania, & Hungaria fervente hoc bello in Turciam concesserunt, ac in Mustaphæ fidem, clientelamque recepti sunt, finibus utriusque Imperii perpetuo arceantur. Tôkôlius, ejusque socii non armis, non milite juventur. Omni jure civium Turcicorum gaudeant. Horum si quis in patriam redierit, Præfectis Ottomanicis plectendus restituatur. Uxoribus, non item liberis, potestas fiat maritos exules sequendi, quibuscum in designatis Græciæ urbibus vitam degant. Publici grassatores, libertini, ac vagæ fidei homines, nullisque stipendiis authorati, in ordinem redigantur, capti pro flagitii magnitudine castigentur, molliores Præfecti loco moveantur. In limitibus pari numero resideant Commissarii, sive Judices, æqui, bonique amantes, qui colonorum jurgia componant, regioni secundum leges patrias jus dicant. Si gravior causa emerserit, suos Imperatores consulant.

De captivis, & Religionibus multa salubriter sancita sunt. Erat ingens numerus eorum in omnibus provinciis Imperii Ottomanici; Byzantii præprimis nobilissimi quique publicis in carceribus detinebantur, validiores alii ad triremes, aut agrorum culturam damnati, morte ipsa multo duriora quotidie perpetiebantur. Utramque corporum, & animorum libertatem ut quamprimum recuperarent miseri, Leopoldus Imperator suis Legatis magnopere commendavit. Effendius nullis rationibus permoveri potuit, ut isthoc negotium pertractaretur in eo conventu, causatus fortunam captivorum in manibus Soltani, aut privatorum hominum versari, cum iis transigerent Cæsarei, ut visum fuerit; sibi nihil juris, nihil authoritatis esse, ea super re quidpiam statuendi. Maurocordatus Christiano nomini apprime addictus, non modo suam operam spopondit ad asserendam miseris libertatem, sed & leges permutandi, aut redimendi captivos descripsit, minime ambigens gratum fore suo Imperatori, si Turcæ variis belli casibus intercepti, ac cum jactura, & dedecore universæ gentis etiamnum vinculis constricti, patriæ suæ, & libertati redderentur. Res in hunc modum definita est. Publici captivi, quique Soltani Quæstoribus traditi sunt, Turcis ejusdem conditionis, & ordinis permutentur. Si pars una plures numeraverit, ac permutari possint, amicitiæ causa sine omni lytro liberos dimittet. A Tartaris, privatisque Heris præsenti ære redimantur. Ut ne isti turpissimum quæstum more suo exerceant, atque aucto nimium pretio, multorum libertatem retardent, aut penitus præcidant, Judices locorum pro sua authoritate ejusmodi hominum avaritiam reprimant, singulis capitibus pretium statuent. Quod si nemo Turcarum, ad conquirendos captivos suæ gentis in Hungariam, & Austriam mitteretur, præsidiorum, arcium Præfecti intentiore cura in numerum, in conditionem eorundem inquirant, ac fide integra Oratorem Ottomanicum de omnibus certiorem reddant. Interim

A. C. dum census sive in Turcico Imperio, & Tartaria, sive in ditionibus Cæsa-
1699. reis ineatur, liberalius quam hactenus habeantur. Hæc pacta Effendius suo silentio probare est visus. A)

Romana Religio tametsi barbarorum jugo misere pressa, multis tamen in locis per Palæstinam suum nomen, & ritus obtinuit. Juvat hic, quoniam res, & locus postulant, illius vicissitudines cursim denarrare in præsentia, quod utique eo consilio feci, ne videlicet Religionis negotia inferendo, bellicam narrationem non sine Lectoris tædio cogerer intersistere. Patres Divi Francisci pro suo in rem Catholicam studio, partim ære, partim precibus peramplas immunitates a Principibus Turcarum cum sibi, tum peregrinis impetraverunt, quos ardor ad visendam regionem veteribus monimentis inclitam, ac tot prodigiorum feracem inflammavit. Pluribus annis & Religio, & illius custodes alta pace fruebantur, inque spem boni omnes venerant, res Romanas, inter tot præsidia Imperatorum eundem cursum, eandem tranquillitatem perpetuo habituras. Evertit spem nova tempestas a Græcis Monachis concitata ad annum millesimum sexcentesimum trigesimum octavum. Namque isti odio in Romanos stimulati, pertractis in suas partes provinciarum Præfectis, armata manu templa, domos per summam injuriam occupant, vixque tantillum otii concedunt, ut veteres coloni supellectilem domesticam colligerent, ac sublatis rebus alio demigrarent. Vitam extulisse e tanto naufragio in lucro erat.

Inopinata clades sacris illata, non modico dolore perculit Principes Europæos sinceræ Religioni addictos. Legatos, & deprecatores persæpe adhibuerunt apud Soltanos, ut iniquissimi invasores omnibus locis dejicerentur. Verum præter splendida promissa nihil impetratum est. Ludovicus XIV. Galliarum Rex Religionis, ac Patrum causam cordi habebat adeo, urgebatque contentione tanta, ut negaret se quibuscunque conditionibus renovaturum fœdus cum Mahomete IV. (quod læsum videbatur Cretensi B) bello per auxiliares Gallorum copias) nisi depulsis Græcæ Religionis hominibus, templa, aræ, cœnobia per vim occupata Romanis redderentur. Orator Gallus Nointelius anno primo, & septuagesimo supra millesimum sexcentesimum Byzantium profectus, sui Regis postulata apud seniorem Kiuperlem Vezirium edidit.

In primis Sodales Divi Francisci in integrum restituantur. Gallus C) Patribus ejus familiæ, quæ a laxiore capitis tegumento indigitatur (vulgo Capucini) liberum sit Galatæ in urbe sacras ædes instaurandi, quindecim ante annos exustas. Romano-Catholicis per omnes provincias Imperii Ottomanici potestas fiat incendio, aut vetustate collapsa templa, cœnobia pro suo arbitrio suscitandi, quin ea causa a locorum Præfectis vexentur. Item Romano Catholici, cujuscunque demum nationis, aut linguæ, sub tutela Christianissimi Regis ubivis locorum Imperii Ottomanici agere, mercari sine injuria permittantur, atque is omnium omnino Patronus ab ipsis Turcis habeatur. D) Præter hæc capita Religionis de re mercatoria, deque Asiatica navigatione pauca in medium attulit Nointelius. Kiuperlis Cretico triumpho elatus, & perossensus Gallis, quod obsessæ insulæ auxilium tulerint, nec pro dignitate tanti Regis, nec pro vetere amicitia, quæ inter utramque gentem ad eum diem intercessit, Oratorem habuit. Jamque Ludovicus arma versurus in barbaros canebatur, cum repente florentissimos exercitus in Belgium E) effudit, ac Turcis, Græcisque spatium concessit alias, atque alias sedes Romanorum invadendi.

Eodem fere tempore in urbe Hierosolymitana, Servatoris nostri sepulchrum religione celeberrimum, Græci Monachi occuparunt. Facinus istud superioribus annis persæpe attentarunt homines infensissimi nomini Roma-

A) Hæc pleraque ex Historia Magni Leopoldi Authore P. Francisco Wagner e Soc. Jesu. B) Vide pag. 73. C) Sacerdotes Latini ritus ab Ottomanicis Franci compellantur. D) Porta Ottomanica ad annum 1671. pag. 133. E) Anno 1672. Consule Historicos illius ætatis, qui causas, & progressiones hujus belli literis commisere.

Romano. Sed quoniam Reges Hiſpaniarum, quo erant in ſacra Romana animo, tantum auri, argentique bonis Patribus quot annis miſerant, quantum ad explendam Præfectorum avaritiam, & devinciendos primi nominis aulæ miniſtros poſtulabatur, Græcorum ſive fraudes, ſive vis aperta, ſperatum ad exitum minime pervenerunt. At poſteaquam Panagiottus apud Mahometem IV. Imperatorem, ſummus linguarum interpres, ac Religionis Græcæ, quam a pueritia profitebatur, præcipuus fautor, fidam, utilemque operam in rebus difficillimis Imperii Ottomanici poſuit, facile id, quod tot annis incaſſum tentarunt Græci Monachi, ſua gratia, & authoritate apud Kiuperlem, & Mahometem effecit. Poſt atrociſſimum bellum Cretenſe, cum quæſtuoſam Turciæ pacem ſua eloquentia, qua nobilis inſula (ſi perpauca, eaque tenuia loca excipias) Ottomanis ceſſit, eblanditus fuiſſet, impenſæ operæ, fideique non aliam mercedem petiit, quam ut pulſis Romanis, Græcæ Religionis hominibus Hieroſolymitanum templum juſſu Imperatoris committeretur. A)

A. C. 1699.

Subſcripſit illico petitioni Mahometes, eo fortaſſis etiam conſilio, quod haud dubie provideret animo, tam palmari erga Græcanicam gentem benevolentia vetus odium hanc inter, & Romanam ſuſcitandum, ac ſi qua fuit concordia, magno emolumento Turciæ plane abrumpendam. Panagiottus Imperatorium diploma, quo auguſtiſſimum ſepulchrum Hieroſolymis, & juxta urbem loca quæpiam Latinis adempta, pleno jure in Græcos translata ſunt, quoad in vivis erat, callide preſſit: metuebat nimirum homo vafer Europæorum Principum ardentiſſimum ſtudium adverſus ſinceram religionem, a qua ſi amicis legationibus, aliisque mitioribus remediis depellere non poſſent injurias, vim certe, atque arma cum maxima invidia Græcæ gentis exprompturi eſſent. Verum a fatis B) Panagiotti, repertum diploma, adnitentibus Græcis Monachis, paulo ante ferias redivivi a morte Servatoris noſtri memoria ſolennes, Hieroſolymis promulgatum eſt.

Loci Præfectus, & Juris periti templum, atque templo adſitum domicilium Latinorum, Græcis adjudicant, ac pro ſua poteſtate uno calore Patres ejicere conniтuntur. Ingens multitudo hominum diverſis ſtudiis inflammata undique accurrit, correptisque temere telis, unam civitatem in duas ſcindit. Pars templum, pars forum inſidet. Græci Monachi fuſtibus armati in interiora templi penetrant. Latini pro aris, & focis, etſi numero pauciores, uſque adeo conjunctis animis, viribusque repugnant, ut invaſores ſemel, atque iterum repulerint. Sed tandem iſti, Franciſcanis inſolito furentium impetu perterritis, & cædem haud dubiam omnibus imminere ratis (quippe nonnulli ſauciati aras ſuo cruore reſperſerant) partim fuga, partim latebra ſibi conſulere coactis, templum, cœnobiumque victores obtinent. Non tamen propterea afflictæ Religionis cauſam Latini deſeruerunt. Supplicem libellum porrigunt Mahometi: orant, obteſtantur, ut ne ſinat antiquiſſimo jure Latinos exui, neve patiatur privilegia, beneficio ſuorum Majorum, familiæ D. Franciſci conceſſa, atque tot annorum curriculo nunquam imminuta, aut violata, Græcorum fraude everti. Latinorum impenſis utrumque ædificium aſſurrexiſſe. Penes hos omne jus, curamque Eccleſiæ permanſiſſe ad præſentem diem. Principes Turcarum non modo nihil in veteres Dominos turbulentis licet temporibus moviſſe, ſed potius multis, liberalibusque diplomatis eos ornaſſe, & ſi non omni, maxima ſane ſervitutis parte exemiſſe propterea, quod complura argumenta haberent, cuſtodes ſacrarum ædium publicis negotiis, turbisque abſtinere, privata duntaxat curare, eorumque probitate vitæ, multa mortalium millia ex omni Europa in Palæſtinam allici; e tanta vero hoſpitum frequentia, veluti perenni fonte in Imperatoris ærarium multum pecuniæ quotannis derivari. Num paria ſperari poſſint inpoſterum per Græcos non minus lingua, quam mori-

A) Anno 1671. B) Mortem obiit Panagiottus Orientalium Linguarum præcipuus interpres in aula Byzantina anno 1673. cui ſucceſſit Maurocordatus peritia Linguarum, & gratia Imperatorum ſuppar.

A. C. moribus, religione, fide in Deum, & Principes suos ab Europæis diversos,
1699. non immerito dubitari.

Hæc controversia ad Divanum rejecta, neminem unum Patronum est nacta. Namque Græci, ne capta statione moverentur, multa largitione causæ suæ patrocinium adjungunt, & quod futurum non ex vano conjectarunt, omnium Consultorum sententia, jus possidendi alienos fundos obtinent. Nihilo segniores Latini, opem Gallici Oratoris implorant, aulæ ministros, quo molliores aditus habeant apud Mahometem, multo auro, telo nempe fortissimo barbarorum animos in quamvis partem flectendi, oppugnant, expugnantque. Rursum in examen vocantur utriusque partis momenta, Gallus Regis sui perpetuam amicitiam pollicetur, si lis Religioni Romanæ fortunatum exitum sortiretur. Verum quod Græci non cessarent suffragia Judicum quolibet pacto nundinari, & Patriarcha Constantinopoleos annuum tributum a suarum partium Sacerdotibus dependendum polliceretur, iniquissima causa iterum triumphavit. Equidem Latini Patres secuturis annis sæpenumero capita contulerunt, & unde unde spes affulgeret recuperandi sacra loca per Palæstinam præprimis Hierosolymitana, & Bethlehemitica (nam & ista multo antea Græcorum factio sibi vendicavit) tamen, quod sciam, omnia pertentando nihil egerunt.

Ergo opportunitate Carloviczensis pacificationis in novam spem erecti pii exules, ad Cæsareos Legatos in auxilium pronos solicite confugiunt, suæque causæ æquitatem majorem in modum commendant. Oetinganus non tam Patrum precibus permotus, quam Leopoldi mandato impulsus industriam, sedulitatemque, quantam potuit, maximam impendit, ad instaurandam avitam Religionem per loca Palæstinæ. Nam Leopoldus eam in primis curam aliis, atque aliis literis imperaverat, non utique in speciem, ut Legatorum in extorquendis veteribus privilegiis pertinacia patefecit. Post infinitas disceptationes tandem Maurocordatus suæ gentis studiosissimus victas manus dedit, atque in has pactiones consensit: Edicta, privilegia Imperatorum Ottomanicorum, quocunque pacto Romanæ Religionis hominibus indulta, injuria temporum partim imminuta, partim extincta in integrum reponantur. Religionis causa, vectigalibus, tributis, aliisque oneribus nemo vexetur. Vetera ædificia, templa, aras, fas sit instaurare, ac ritu Romano sacra obire. Oratori Cæsareo jam nunc data potestas intelligatur de Hierosolymitanis ædibus in aula Byzantina sigillatim agendi.

Reliqua pacificationis capita hæc fere erant. Res mercatoria peritorum hominum opera certis legibus stabiliatur. Negotiatores cujuscunque nationis, Cæsaris commeatu instructi perinde, ac aliarum gentium, jure, privilegiis in ditionibus Ottomanorum gaudeant. Vetera pacta, nisi præsentibus abrogentur, vim suam habere censeantur. Ut amicitia inter utramque partem firmetur, primi nominis Legati non sine muneribus mense Junio labentis anni mittantur: ad limites Sirmii solitis cerimoniis accipiantur: acceptis victus quotidiani dimensum, ac pecuniæ modus, ut superioribus annis factum est, præbeatur. Liberum sit iisdem sua postulata edere, urgere. Cæsarei quocunque vestium genere utantur; primoque loco inter quosvis Legatos habeantur. Eorum nunciis, cursoribus ut ultro, citroque tuto commeare possint, fiduciariæ literæ Imperatoris nomine dentur. Curatores designandorum finium secunda, & vicesima Martii in Sirmio adsint. Pacis tabulæ trigesimo abhinc die ratæ habeantur, atque a Conciliatoribus permutentur. Quinque, & viginti annos pax duret, quibus evolutis, si visum fuerit Imperatoribus, prorogetur. Chamus Crimeæ, aliique Principes Tartariæ, perinde omni hostilitate abstineant. Pacificatio isthæc a Cæsareis latine, a Turcis Turcice conscripta Carloviczii signata est. Tabularum exemplar utriusque linguæ Viennam perlatum præcipuos interpretum multum fatigavit. Duo inprimis offenderunt: alterum, quod in Latino aliqua dubia, nonnulla obscura reperirentur, ob verborum non necessariam trajectionem, quæ facile in aliam sententiam pro Turcarum commodo trahi

hi possent. Istud dolo Maurocordati factum callidiores conjectabant, verebanturque, ne sub ejusmodi verborum involucris, vaferrimus Graecus surdum aliquod bellum procuderet, quo in limitum forte divisione, multa mortalium millia non in necem quidem, sed servitutem cum Caesareis ditionibus abriperentur. Alterum, quod in Turcico exemplari legeretur: se amicitiam servaturos, modo a parte adversa nihil hostile fieret. Quae verborum clausula multam solicitudinem incussit consultoribus, non abs re existimantibus, Ottomanos in aditu pacis sementem bellorum spargere, & quamcunque injuriam, dum eorum rebus conducat, pro hostilitate arrepturos. His malis, ut obviam iretur, annuente Effendio, Latino exemplari annexum est: Turcas non secus, atque Caesareos pacis tabulas interpretaturos, & latinae formulae praecise adhaesuros.

A. C. 1699.

Interim & apud Venetos typus pacificationis multa solicitudine excutitur, & summa omnium voluntate probatur. Nec quidpiam in eo, quod mireris, jurium suorum tenacissimis immutare visum est, nisi quod aeternam pacem in quinque, & viginti annos duraturam, ad Caesaris nempe normam redegerint. Poloni quoque recuperato Cameneco laeti, sine tergiversatione Malachovii acta firmarunt. E tam prompta omnium Confoederatorum in pacem conspiratione maximam voluptatem cepit Leopoldus, tum quod bellorum taedio fessus, Hungariae Rempublicam in meliorem statum vellet componere, tum quod difficile bellum ob haereditatem Hispaniarum propediem exarsurum animo praesagiret. Itaque praecisis, quae rei laetissimae exitum vel tantisper morari possent, quarta decima mensis Martii, A) pacificationis tabulae Confoederatorum Principum authoritate roboratae, atque per juniorem Comitem Strattmannum perlatae, a Conciliatoribus permutantur apud Szalankemenum Sirmii oppidum, ac tandem pax tot eversis urbibus, classibus aut mersis, aut exustis, caesis aliis, atque aliis peditum, equitumque legionibus, provinciis amplissimis cum incredibili strage hominum vastatis, frustra quaesita, Carloviczii reperta est.

Laus conciliatae pacis penes Pagetum, & Colyerium fuit, qui devoratis infinitis taediis in hoc nimis quam implicato negotio, quod texere coeperunt filum, felici manu pertexuerunt. Utriusque ferream patientiam, ac singularem in emolliendis Turcarum animis prudentiam Leopoldus Caesar meritis praemiis ornavit. Memoriae prodidit Portae Ottomanicae B) author, Colyerium ob praestita officia in censum Comitum Hungariae adlectum (rectius scripsisset apud Hungaros civitate donatum) Regis, Regnique gratia. At primum consuetudini aperte adversatur, alterum inter numerosos Hungariae indigenas nusquam reperio. Effendius quoque tametsi durum asperumque se praebuerit, munera tulit facile triginta millium imperialium pretio aestimata; paria fere accepit Maurocordatus; cui etiam, nescio quae monumenta Historiae, a Caesarea Bibliotheca deprompta, submissa sunt. c) C. Oetinganus rebus e sententia confectis, jam antea Viennam rediit, quem C. Schlickius cum tabulis pacificationis, manu ipsius Mustaphae signatis, consecutus est. Effendius, Maurocordatus cum Conciliatoribus, & Ruzzino Veneto Legato Belgradum discessere. Pagetus & Ruzzinus unius diei itinere praevertentes Colyerium, tormentis laetum sonantibus, ac disposito in armis toto praesidio (dena millia partim equitum, partim peditum erant) urbem ingressi sunt. Postero die Colyerius eadem plane pompa accipitur. Observatum a peritis rerum Turcicarum, nunquam alias Ottomanos hujusmodi exquisitis honorum significationibus in Principum Legatis sive excipiendis, sive dimittendis usos fuisse, neque Regulis Tartariae ampliores exhiberi. Ex quo intelligas, Conciliatorum operam, in componenda pace gratam omnino extitisse Turcis, & multo ardentius eam desiderasse, quam palam postremis his annis praeferrent. Mustaphas certe Imperator ad conclusae pacis literas, insolitae signa laetitiae dedit.

Is,

A) Anno 1699. B) Tom. II. pag. 836. c) Scriptor Portae Ottomanicae commeminit Maurocordato missum fuisse *Corpus Historiae Nyzantiaci*: rectius fortassis Corpus Historiae Byzantinae.

A. C. 1699. Is, dum bonus nuncius Adrianopolim intraret, venatu, condimento nempe Imperialium curarum, se oblectavit. Redux in urbem, affusam undique civium multitudinem in principem Moscheam suo exemplo pertraxit, ubi persolutis Mahometi precibus, Mufftium commoda pacis meditatis verbis explanantem audivit. Inde in palatium digressus, convivium celebravit cum Purpuratis, sub majorum, minorumque machinarum explosione saepius repetita, laeto tympanorum, fistularumque cantu. Nuncio decem imperialium millia numerari jussit, Effendio praeter alia munera tres phalerati sonipedes dono missi. Maurocordato annuum stipendium, & honorum tituli aucti. Ejus filius Portae Ottomanicae extra ordinem interpres, cum stata pensione nominatus. Adrianopolitani perinde gaudio perfusi, hilaria in seram noctem continuarunt. Cursores denique in omnes Imperii provincias festinati, ingenti hominum gratulatione excepti sunt, ut adeo ipsi Ottomani affirmaverint, nullos vel ab Imperio condito jucundiores nuncios venisse Byzantium, atque in praesentia Carloviczensem pacem perferentes, per quam nempe quindecim annorum formidinem, quatuor potentissimorum Principum foedus dissolutum, & spe sua feliciorem exitum e fatali bello, cui terra, & mari impares jam erant, integra majestate Imperii intellexerunt.

Supererat limitum designatio, quo molestius, eo cautiore manu pertractandum negotium. Huic peficiundo impositus est C. Marsiglius Geometrices callentissimus, & factis per Hungariam multis stipendiis controversorum finium apprime peritus. Additur socius taediosi laboris C. Volkraeus. Exeunte Martio Carloviczium profecti, parum aberat, quin uterque occideret. Ad Kecskemetinum in globum praedonum impacti, supellectilis jacturam faciunt, e famulitio, corporumque custodibus non paucos amittunt: ipsi beneficio tenebrarum (nam altera post dimidiam noctem hora erat) aegre cruentas manus evadunt. Magni Leopoldi Historia meminit, Marsiglium femore sauciatum pro mortuo relictum, id quod Portae Ottomanicae Scriptor silentio transit. Sed idem iste Scriptor hunc Marsiglium simili infortunio mulctatum in suos annales retulit ad nonagesimum primum annum. a) Dum enim pacificationis viam indagaturus Belgradum cum Chausio quodam contendit, a Rascianis ex insidiis prorumpentibus subito occupatur, & antequam nosceretur, quis esset (nam vestem Turcicam indutus fuit) secundum caput, & humerum geminum vulnus accipit. Sed quidquid sit de sauciatione Marsiglii, continuato itinere cum praesidio bis centum equitum, sexta decima Aprilis Carloviczium perventum est. Aderat jam eo in loco, Comissarii nomine quispiam Effendius, homo non admodum duri ingenii, & auri fulgore facile versatilis. Et tamen finium descriptio nonnisi evoluta aestate insequentis anni confecta, atque in tabulas relata est; quae quoniam ad formulam nuper recitatam fere concinnata sit, ne rursum pleraque hic cogar repetere, ad alia transeo.

Imperator Mustaphas post diutinam commorationem Adrianopolitanam, Byzantium, veterem sedem Principum Turcarum, triumphantis in morem repetiit. Hoc in itinere atrox discrimen adiit. Pons sublicius superandus erat, cujus tabulae sive carie exesae, sive tignis parum firmiter connexae, cum equi vestigio premerentur, subito dissolutae & equum, & sessorem in fossam praecipitant. Purpurati, quive in illo nobilissimo comitatu erant, inopinata conversione in luctum mutantur, miserabili casu exanimatum rati. Accurrentium manibus exceptus, sine noxa repertus est. Gratum se illico exhibuit Mahometi, cui salutem suam ambitiosa superstitione adscripsit. Multos captivos vinculis exemit; in egenos grandem pecuniae vim impertiebatur, Mecham proficiscentibus perbenignus fuit. Byzantini cives adventu Imperatoris, & pacis nuncio recreati, pompae militaris & splendorem, & laetitiam variis ludis, & festis ignibus eo die auxerunt. Senior Soltana Kasachis, mater Mustaphae, ante paucos dies non minore apparatu

a) Tom. II. Pag. 584.

paratu rerum, ac civium lætitia urbem ingressa est. In illo ingressu novum argumentum est datum, quantam voluptatem aula Byzantina hauserit e pace confecta. In magna mortalium frequentia, ad spectanda hilaria Constantinopolim confluentium, aderat Colyerii Conciliatoris soror, a marito Smyrnæo Consule A) Hochpieda appellata. Hæc famulitii, equorumque splendore prætervectæ Soltanæ oculos in se facile avertit, jussaque propius accedere, Turcico sermone hæc paucis complexa est: patrem suum annis quindecim legatione functum apud Mahometem IV; fratrem, præcipuum instrumentum compositæ nuper pacis extitisse, maritum suum complures jam annos Smyrnæ Consulem agere. Soltana protracto colloquio dimidia hora, ac non parce distributis in Hochpiedam, ejusque familiam muneribus, satis ostendit, quo animo esset erga sororem pacis Conciliatoris. Junior Soltana perinde benevolentiæ indicia dedit, Principemque filium spectandum exhibuit. Janicsarorum Aga, qui Soltanas præsidii causa cum milite assectatus est, spontene, an jussu Kasachis? incertum; Hochpiedam in aulam magnifice deduxit.

A. C. 1699.

Veneti pace non minus utili, quam gloriosa læti, Divino Numini in ædibus S. Marci solenni cultu grates persolverunt. Exinde versi ad deligendum Legatum, quem Byzantium expediant, collatis suffragiis Joannem Landum, S. Marci Curatorem nominant. Sed is excusata valetudine, splendidæ legationi semet subtraxit, atque Laurentium Soranzum, virum claritudine generis, & testatis meritis illustrem, accedentibus Patrum votis substituit. Ad regundos Dalmatiæ limites Franciscus Grimanus eodem tempore dimittitur. Uterque pro dignitate Reipublicæ munus obivit. Cornarus Dalmatiæ Præfectus nondum publicatis, sed jam initis induciis, hostiles aliquot naves interceperat, quas subinde rebus integris mercatoribus remisit. Hæc Cornari promptitudo Osmanem Selictarem dividendorum finium curatorem usque adeo emollivit, ut mira facilitate postulatis Grimani cesserit. B)

Poloniæ Regnum gemina pax, domestica nempe, & externa, singulari voluptate affecit. Illa c) Præsulis Vilnensis, & Jacobi Flemingii; hæc Malachovii industria coaluit. Camenecum, ut conventum erat, mense Martio a Turcis in hunc modum evacuatum est. Gubernator præsidii eductis militibus in præsentia Vilnensis, & Kioviensis Palatinorum, ab iisdem diploma accipit traditi præsidii. Tum jussit Janicsarorum Agam claves adferri, quas ipse Vilnensi, hic Kiovszkio, delecto Cameneci Præfecto, consignat. Inscensurus equum Gubernator, inter lachrimas fertur dixisse: quam mallem me trucidato Camenecum periisset! his dictis Tyram versus suum militem abduxit. Poloni validissimo hoc præsidio per pacificationem occupato, quemadmodum pepigerant, omnibus Moldaviæ locis sine mora excesserunt, gratulati inter se, limitaneam arcem septem, & viginti annorum intervallo sæpenumero obsessam, oppugnatamque, postremum nullis impensis Poloniæ accesisse.

Apud Moschos, tametsi induciæ conclusæ essent, veluti in medio bello omnia armis perstrepebant. Miles late per provincias sparsus, & victoriis tumidus nondum abstersa hyeme Assoviam convenit. Juherzkius, alter Dux armorum, ad Lithuaniæ fines excubans, quoniam nullus metus a Polono erat, cum omnibus copiis eo evocatur. Fiunt apparatus navales multo ampliores, ac superioribus annis. Classiarii, milites in expedito esse jubentur, quasi propediem Byzantium navigaturi. Obtestantur Petrum Ductores: ne intempestivo ardore inducias abrumpat, sibique uni Ottomanos hostes, id est exitium creet. Confœderatos jam arma posuisse, nihil ab illis auxilii sperari posse. Moschoviæ fines pace magis, quam bello pro-

A) Hujusmodi Consules diversæ nationis per Imperium Ottomanicum complures numerantur ad lites decidendas, si quæ oboriantur Christianos inter, & Turcas. B) Hæc, & alia e Petro Garzonio Part. I. L. XV. c) Inter Polonos, & Lithuanos pax coaluit sedecim capitibus, quæ legere licet in Porta Ottomanica pag. 835.

A. C. 1699. latum iri. Eadem suadebant Tartariæ Reguli, quos vicinum adeo periculum prope exanimavit. Petrus seu reipsa hostilia cogitarit, seu præcise voluerit eo apparatu quæstuosiores conditiones extundere, non incursione, non incendiis Tartaros, Turcarum socios, divexavit; misitque Oratorem Constantinopolim, qui cœptam pacificationem absolvat. Is armato navigio invectus Byzantinum portum, sex, & triginta tormentis inopinato explosis, urbem insolita trepidatione complevit. Quotquot stabant in portu instructæ naves confestim jussæ procurrere, Moschoviticam hostilem in modum circumdant. Jamque arma expedita erant, cum Hollandus navigii Præfectus, omissa jaculatione intempestiva, adventus causam significat, omnia amica spondet. Verso in hilaritatem repentino illo irarum, armorumque apparatu, Oratorem in portum accipiunt. Habuit is suo in comitatu præter classiarios, & bis centum pedites Anglorum more vestitos, nobiles Moschos, quos inter dicitur latuisse Petrus Alexovichius Moschoviæ Dominus, ut Byzantii portus, urbisque situm securius exploraret. Haud tamen crediderim sapientissimum sui ævi Principem tam aperto discrimini, se, suumque Imperium commisisse.

Mustaphas graviter tulit Oratoris audaciam, quod videlicet non petita venia, portui appropinquare sit ausus, civitatem, Imperii sedem, tanto tumultu concusserit, viamque Moschoviticis navigiis ostenderit, qua adeunda Constantinopolis foret, si secuturis annis novum bellum inter utramque gentem exardesceret. Unde hominem pene pro captivo habuit. Anglorum, Hollandorumque authoritate, & opera (qui hanc causam avidissime susceperunt, ne quid litium se non appellatis in hac pacificatione componeretur) non modo Legatorum more perhumaniter exceptus est in aula, sed & conditiones, quales voluerat, abstulit. Conventum est adeo, ut Assovia, præter loca extra Tartariæ provincias capta, Moschis in perpetuum cedat; castellum, sive portus, ad Assoviam militum festinatione hoc anno exædificatus, dejiciatur; A) Precopia Chamo reddatur. Pax ad annum decimum prorogetur. Dolebat Ottomanico populo Camenecum, & Assoviam, vetus patrimonium Imperii, contra leges Alcorani, B) pacis nundinatione Turciæ detracta, mirabanturque facilitatem Mustaphæ, cum Moscho a Fœderatis avulso iniquissimas conditiones dictare posset. Verum quod Africani Reguli inter se scissi domesticas turbas alerent, & a Persia novi terrores venirent, pacem maturandam jactura etiam præsidiorum censuit. Quanquam Africani paucos intra menses in amicitiam redierint, & Persia nihil adversus pacem attentarit.

Interea Comes Oetinganus munere pacificatoris feliciter functus, ad magnam legationem pro majestate Leopoldi Cæsaris obeundam, laute, magnificeque omnia curavit. Mense Septembri longo agmine Nobilium, ac famulorum comitatus (tercentenos excessisse ferunt) effusa undique civium multitudine aulam Cæsaream ingressus, Leopoldum, ac Carolum ArchiDucem postremum salutavit. Pompa, quantam nemo Legatorum ad ea tempora adhibuit, cunctis admirationi fuit. Sed super omnia, insolita vestitus ratio, spectantium oculos, animosque confudit. Nam plerique omnes ex eo comitatu vestem mediam Turcicam inter, & Polonicam habebant, retorta supra labrum superius ad decorem barba. Ipse Legatus eodem genere indumentorum usus, pileum ad morem Hungarorum pennis ardearum insignem, ornamentum capiti adjecit, dextra clavam auro, gemmisque cælatam gestavit, reliquus apparatus, arma, Ottomanicorum quam simillima erant. Hæc vestimentorum non necessaria mutatio, urbem totam admiratione, & quemadmodum assolet, sermonibus complevit, cum in postrema pacificatione legem conditam non ignorarent, Cæsareis Legatis apud Portam Ottomanicam, quo libuerit vestium genere, suo, an alieno

A) De his capitibus sermo redibit ad annum 1702. ubi pacem in annum trigesimum prorogatam leges. B) Si fides Ottomanicæ Portæ, legibus Alcorani vetitum est, Turcis præsidia, pacis causa abalienare.

no uti licere. Exiſtimatum aliis, Oetinganum de induſtria ſe, ſuosque more Turcarum veſtiviſſe, ut ſcilicet cavillos, riſus, & jurgia evitaret, in quæ barbari admodum faciles, viſa varietete veſtium. Multis perſuaſum, eum voluiſſe eludere ſuperbæ gentis conſuetudinem, qua introductum, ut ne ullus armatus in conſpectum Soltani veniat; cum vero turpe ſit Germano, tantique Principis Legato ferrum ponere, ex compoſito Turcam induiſſe; cui nunquam ferrum ad latus, præterquam belli tempore. Et ſane poſtero anno Galliarum Orator Feriolius expertus eſt, ne Legatis quidem Fœderatorum Principum, armatis aditum patere ad Soltanum. A. C. 1699.

Dum enim ſplendido Gallorum, Turcarumque ſatellitio cinctus in aulam progreditur, præmiſſis eo ingentis pretii muneribus, quæ a ſuo Rege attulerat, prope palatium Imperatoris a Maurocordato juſſus eſt ponere ferrum. Negat ille ſe id unquam facturum; rem admodum indecoram fore, ſi Orator Galliarum inermis aſſiſteret Soltano, cum ante non multos annos Trumbalius Angliæ, Colyerius a) Hollandorum Legati, armis ſuccincti in alloquium Mahometis IV. admiſſi ſint; nec ſibi memoria excidiſſe, Caſteauneum b) ſui Regis Oratorem, armatum apparuiſſe. c) Sed nihil uſpiam ratiocinando profecit. Cum nihilominus cœptum iter proſequeretur, parum abfuit, quin ab irruente Capighio viribus prævalido, gladio exueretur. Feriolius jura gentium violata exclamat, intuensque Maurocordatum rogat: *hoſtesne, an amici eſſent?* crebreſcente tumultu adeſt Eunuchus ab Imperatore cum nuncio: niſi gladium ponat, nunquam alloquium habiturum. Gallus nihil cunctatus, inſalutato Imperatore cum muneribus, unde venerat, rediit. Ne quid ejusmodi accideret, veſtimentorum mutatione ſapienter præcaviſſe Oetinganum, homines acuti arguebant. Crediderim ego adverſus hyemem, quam ad Carloviczium nimium aſperam ſenſit, id indumentorum ſumpſiſſe, ſeque hyberno tempori provide accommodaſſe, quod & alios in prægelidis regionibus, ſine diſcrimine nationum factitare videmus. Adulto Septembri ſexaginta navigiis ſecundo Danubio Budam defluxit. Inde miſſo Belgradum curſore, acceptoque, intelligit Ibrahimum ortu Genuenſem, Cameneci olim Præfectum, tum adverſus Venetos Corinthi defenſorem ſtrenuum, multarumque linguarum peritum, a Muſtapha Oratorem delectum, haud procul Belgrado abeſſe. Feſtinato Petro-Varadinum profectus, ab Starembergio Eſzekini, & Sclavoniæ Gubernatore duo millia equitum, Eugenii dimachas, & Kolloniciſii Huſſaros præſidii cauſa accipit. Confecto Cerimoniarum ordine a Cæſareis, & Turcis, quinta Decembris Oetinganus a Starembergio; Ibrahimus a Belgradenſi Præfecto æquatis pro more paſſibus, ad columnam in limitibus Cæſareæ ditionis infra Szalankemenum d) defixam deducuntur, militibus feſta fiſtularum diſploſione plaudentibus.

Hic exiguo tempore inter ſe collocuti per interpretes, ſtatimque diviſi, Ibrahimus Petro-Varadinum, Oetinganus Belgradum diſceſſit, comitante illum Starembergio, hunc Belgradenſi cum magna Nobilium, & armatorum manu. Non ſecure modo, ſed etiam magnifice, ac ſplendide ubique locorum excepti ſunt, præcipue in præſidiis, quorum Gubernatores nihil venerationis omiſerunt, quæ tantorum Principum Legatos addeceret. Ut Belgrado appropinquavit Oettinganus, obviam proceſſit Gubernatoris filius, gratulaturus ejus adventum. Ad pontem Savi, ſexcenti partim equites, partim pedites armati ſtabant. Tormentorum ictus centum quinquaginta auditi, ut refert ſcriptor Ottomanicæ Portæ. Altero die Legatus, filium ſuum cum Lakaviciſio interprete ad conſalutandum Gubernatorem dimiſit; ipſe ſubinde urbem ingreſſus inter ordines Janicſarorum, & Spahiorum, convivio recreatur. Datis, acceptisque muneribus, ac transacta die mutuis

a) Hic Pater erat Colyerii Pacificatoris, de quo nuper. b) Scriptoribus nonnullis Caſtagniere. c) Comiti Lesleo Cæſareo Oratori anno 1665. peculiaris poteſtas data, ut armatus ad veſtibulum uſque Palatii Imperatoris accederet. d) Szalankemenum, ut e limitum deſcriptione patet, Cæſaris erat.

A. C. mutuis honoribus, Danubium repetiit. Secunda navigatione discedens,
1699. ad oppidum Vidinum ventorum vi sævissime jactatus, in ipso portu intempesta nocte decem navigia nullo nautarum, vel militum desiderato, amisit. Illud, quo vehebantur munera, jamjam fluctibus hauriendum erat, nisi oppidani certatim affusi, maturum auxilium, accurrissent. Uno, atque altero die subsistere coactus, acerbiora, atque Carloviczii frigora perpessus est. Devolutis glaciei crustis, & sævis turbinibus furere incipientibus, ne navigatio in dies difficilior redderetur, Turcarum remigum labor duplicatur. Ad urbem Nicopolim exscensione facta, reliquum itineris terra confectum est. A)

1700. Principio mensis Februarii Byzantium tenuit Legatio. Ad pontem parvum B) bidui quietem indulsit suis Oetinganus, eoque temporis spatio, quæ ingressuris urbem splendorem possent addere, adhibitis in consilium Anglis, & Hollandis, ordinavit, transegitque cum aulæ ministris. Octava Februarii præeuntibus bis centum Spahiis, tum Angliæ, Hollandiæque Oratorum famulitio, Legatus Cæsareus equo insidens, ac suorum Nobilium manu stipatus Byzantinis civibus pucherrimum spectaculum præbuit. Quatuor grandia vexilla auro, & argento fulgentia prælata sunt Honorariis, atque militibus Oetinganis longo ordine procedentibus. Janiciarorum aliquot cohortes agmen clauserunt. Exquisitissimam pompam Imperator ipse cum Soltana spectavit, miratus decora arma, vestiumque ornatum vel in ultima familia. Eodem, ac insequenti die ad domum Legati concursus fiebant gratulantium adventum. Paucis post diebus Vezirio convento, deportatis in aulam muneribus, ad Soltanum invisit. Interprete Lakovicsio exposita legationis summa, reposuit Maurocordatus in præsentia Imperatoris: *Ottomanos sancte servaturos pacem, modo Cæsarei eam non violent. Descriptionem finium quantocyus terminatum iri. Captivorum causam Mustaphæ cordi futuram.* Officiis defunctus octo circiter, quibus Constantinopoli versabatur, menses, solicite impendit redimendis captivis. Piorum liberalitate grandis summa pecuniæ conflata est, qua multi Christiani durissima servitute exempti sunt. Austria, Styria, Moravia collatis aliquot millibus Imperialium, suis civibus subsidio erant. Kollonicsius Purpuratus Pater præ foribus templorum stipe corrogata, Oetinganum curis, carceri mancipatos calamitate levavit. Nongenti adeo diversæ nationis captivi libertate recuperata in patriam ad conjuges, ad liberos suos læti remigrarunt. Plures subinde eorum Patrum opera, pietateque vincula posuerunt, quorum princeps cura, miseros barbarorum jugo oppressos, quovis lytro in libertatem asserere.

Cæterum Oetinganus apud summos, infimosque ob morum gravitatem, ac eximiam in rebus agendis prudentiam summis honoribus, muneribusque cultus, legatione non minus splendide, quam sapienter obita, eadem, qua urbem intravit pompa, egressus, Viennam rediit. Eodem tempore Polonæ, & Venetæ Reipublicæ Oratores ad pacem firmandam Constantinopolim pervenerunt, tanta lætitia omnium ordinum accepti, raro ut ampliora indicia communis gaudii in annalibus Turcicis reperiantur. Nam qui hanc pacem cum superiorum annorum fœderibus conferebant, probe meminerant, nunquam tot Principes Christianos concordibus votis amicitiam pepigisse cum Turcia; hoste uno pacato, alios in odio, in ira perstitisse, Turciam vel terra, vel mari impugnasse. Nunc vero omnes Europæ Principes abjectis armis pacem amplexos, tempestatem nullam ab exteris metuendam Ottomanico Imperio summe gaudebant. Simul ingenti spe cunctorum animi implebantur, hanc concordiam tot cæsis exercitibus, mersis classibus, provinciarum vastationibus refertam, diuturnam fore, & ultra statos quinque, & viginti annos prorogandam. Sic Turcæ præsenti gaudio perfusi, & spe perennaturæ pacis occupati, non unum argumentum publicæ lætitiæ edide-

A) Istud e Porta Ottomanica Tom. II. pag. 852. B) Haud procul Byzantio.

ediderunt, sive cum lætos ignes per oppida instruerent, sive cum Oratoribus insolitos honores haberent. A. C. 1700.

Ibrahimus A) Mustaphæ Legatus apud Austriæ oppidum Swechetam dimoratus, trigesima Januarii designata a Cæsare die superbissimo comitatu Viennam invectus est. Sexta decima B) sequentis mensis, in aulam Cæsaream devectus, a Magno Leopoldo, primariisque ministris magnifico apparatu, uti addecebat Orientis Imperatoris Legatum, excipitur. Transactis cerimoniis amplissima munera nomine Soltani sui tradidit. Erant illa ab arte, & pretio multum commendata, neque unquam retroactis temporibus ab aula Byzantina nobiliora submissa; tum sonipedes stragulis gemmatis, aureis, argenteisque superbi, ex ultima Asia allati. Primores quoque aulicos, consultores belli donis Asiaticis pro more affecit. Id ipsum præstitit Constantinopoli Oetinganus, qui juniorem Soltanam, Kasachem Mustaphæ matrem, septem Vezirios, C) Muffitium, Effendium, Maurocordatum regie prorsus muneratus est. Frustra enim desudabis in aula, nisi hæc prima negotiorum instrumenta tibi conciliaveris; id quod factu promptissimum auro, & argento.

Iisdem fere diebus, quibus Oetinganus se in viam dedit, Ibrahimus Vienna discessit, mire acceptus Leopoldo Cæsari, summisque aulæ ministris, ob cultissimos mores, multarumque linguarum peritiam. Sæpe auditus inter convivia, sermones miscere de supremi Numinis providentia, qua rebus humanis cum universis, tum singulis consulit, de naturæ arcanis acute philosophari, e Græcis, Romanisque Scriptoribus facta illustria prompte, apteque recensere, festivo denique, & elegante suo ingenio, omnium gratiam, amoresque aucupari. Hoc condimento cæteris suis dotibus adjuncto, res Principis sui e voto gessit, atque priorum Legatorum mores singulari urbanitate correxit. Intercessit tamen aliquid in Sirmio, quod hominis existimationem imminuit. Conjecerant se in abeuntis navigia ingenti probro Christiani nominis, aliquot adolescentes suis cupiditatibus capti, quo liberius inter barbaros, ut putabant, agerent. Commonefactus: vilissima capita, ut amice reddat, tergiversatur primum, negat denique se ejusmodi merces vehere. Ad Valkovariam Starembergii jussu navigia sistuntur: angulus omnis quam diligentissime excutitur, sedecim comprehensi, vi abripiuntur. Ibrahimus audax facinus acerbissime perstringit: immani ausu Imperatoriam majestatem in Legato violatam, jura gentium contemerata incondito clamore jactat, detestabile factum omnium Principum odiis, & vindicta dignum videri. Starembergius causæ æquitati confisus Judices sibi dari postulat. Lite instructa Szalankemeni, delecti ex utraque parte pronunciant: recte egisse Starembergium. Nec Legatus pertinacius obstitit, turpe patrocinium aversatus. Sopita controversia, in amplexus redeunt Oratores, atque eodem, quo primum convenerant, loco inter festas scloporum, tormentorumque displosiones amicissime divelluntur.

Rem non ingratam lectori me facturum existimo, si de Emerico Tôkôlio, cujus utramque fortunam in narratione rerum Ottomanicarum dederam, pauca adjecero. Natus est Emericus Stephano Tôkôlio, viro militari, ac prædivite, & quod nolles, Regi suo admodum infesto. Acta pueritia inter armorum tumultus, quibus ea ætate Hungaria ardebat, visoque subinde bellico apparatu Patris, in Leopoldum Regem clam comparato, Martialem prorsus animum in prima juventute hausit. Civili bello oborto, in arce Kuszia a Regiis obsessus, D) decedente Patre, cum Petroczio, paucisque necessariis in Transylvaniam ad Michaelem Apaffium elabitur. A natura præclaris corporis, animique dotibus instructus, brevi Principem, omnemque Daciam in se convertit. Fundorum amplissimorum Dominus, adolescentes Nobiles e provinciis Hungariæ, suis opibus in Transylvaniam

 pertra-

A) Ephemerides Leopoldinæ eum Ismaelem nominant. B) Ephemerides Leopoldinæ ad decimam sextam Februarii. C) Inter hos eminet authoritate Magnus Vezirius summus armorum Præfectus. D) Anno 1670.

A. C. pertrahit, jam tum vasta consilia agitans, quo Leopoldi imperium enervaret, seditionem in Hungaria aleret, sibi per æqua, per iniqua decus, authoritatemque adstrueret, & si quid super hæc fortuna obtulisset, dominandi appetentissimus, non segniter involaret.

1700.

Privatus adhuc, magnis Principibus parem numerum asseclarum, tum rei domesticæ splendorem habuit. Quingentos Nobiles lateri ejus hæsisse ferunt. Hoc ille manipulo grandes exercitus per Hungariam coegit. Anno tandem millesimo sexcentesimo septuagesimo octavo, seditiosi educto exercitu adversus Regem, ab Apaffio copiarum Ductorem postulant, accipiuntque Michaelem Telekium, cui Emericus additus est socius. At Telekius non ferens cavillationes Gallorum, qui ad res novandas certatim se in Hungariam e Polonia conjecerant, relictis inopinato castris, in Kővarium, sui juris castellum, discessit. Haud diu disceptatum inter militares Præfectos, quem sibi, copiisque præficerent. Tőkőlius, quod Pater ejus hostilia ausus, neque post infelicem conspirationis exitum constantiam perdiderit, ipso rebellis familiæ nomine placebat.

Belli Imperator ab universis delectus, paucos intra dies, numerosum exercitum sub signis censuit, atque in superiorem Hungariam progressus, non minus calamitosi, quam pertinacis belli initium fecit. Tum primum in aciem prodeunti celeritas profuit, qua oppressis Regiis, ad auriferas usque valles suum imperium protulit. Principatu seditiosorum, ac flagrantissima Kara Musthaphæ Vezirii gratia inflatus, ductaque in conjugem Francisci Rakoczii A) Vidua, in dies validior, ad occupandam Hungariæ coronam oculos, animumque adjecit. Evocato in auxilium Turca, qua fortuna sedecim annorum spatio partim suis auspiciis, partim suo ductu bellum gesserit, suo loco non indiligenter commemoravi. Fervente Carloviczensi pace, Effendium, atque Maurocordatum callide circumegit, ut pertinacissime postularent Daciam eo loci reponendam, quo retroactis temporibus fuerat, cum Principes, sive Vaivodæ, sub Imperii Ottomanici clientela imperitarent. Id si concederet Cæsar, speravit se amissos Transylvaniæ fundos, favore Principis recuperaturum; si negaret, pacificationem abrumpendam putabat, atque rursum turbatis rebus bellum exarsurum. Spe utraque dejectus, atque animo fractus, cum uxore sua, ac reliqua familia inter Ottomanos vitam agere constituit. Impetraverat ille pro se, & sequacibus publicum commeatum (Turcis Athname dictum) a Mahomete IV. aliisque Principibus Byzantinis, quo jurejurando Imperatores Tőkőlium, ejusque socios in perpetuam fidem, clientelamque receperunt. Unde in tractatu pacificationis, neque Tőkőlius, neque socii perduelles compellantur, ne videlicet Musthaphas ejusmodi hominum patrocinium suscepisse, ac alieno in regno rebellionem aluisse legeretur, id quod nomini Imperatorio probrosum foret. Confecta demum pace, Constantinopolim se contulit Tőkőlius, benevolentia Musthaphæ, & Purpuratorum acceptus in eo fortunarum naufragio. Eo in loco menses aliquot exegisse inde conjicio, quod Portæ Ottomanicæ author tradat, eum legationem Comitis Oetingani e sui palatii fenestra cum Rakocziana spectasse.

Sed non diuturnam quietem portus ille misero indulsit. Præcipua fere pacis conditio perlata erat, ut Tőkőlius procul arceretur ab Hungariæ limitibus, ne turbas vixdum sopitas majore malo Reipublicæ excitet. Byzantium etsi remotum a finibus Hungariæ, tamen quod in eo negotiorum theatro, variorum Principum Oratores agerent, & Rasciani mercium causa ultro, citroque commearent, visum est Imperatori, caput inquietum ab aulæ conspectu in perpetuum amovere. Itaque honorati secessus nomine, Nicomediam Bithyniæ urbem cum uxore, & familiaribus demigrare, ac in castello Campifloro B) sedem figere jubetur. Hic annis admodum quatuor cum laute, tum eleganter vixit. Anno tertio hujus seculi XII. cal. Martii Helenam uxorem, fœminam virilis animi, amittit. Cadaver Galatam avectum,

A) Anno 1682. Consule pag. 121. B) Campiflorum duabus circiter leucis Nicomedia dissitum.

A. C. 1700.

ctum, in templo Societatis Jesu est conditum. Tumulum ornavit nobili epitaphio Franciscus Benierius e Soc. Jesu, natione Gallus. A) Secundum fata conjugis suæ, statuit, Francisco Rakoczio, Privigno suo semet adjungere, civile bellum in Hungaria, & Transylvania magnis animis reparanti. Evocatus erat tum literis, tum nunciis ex Asia, procul dubio grande momentum, atque vires additurus partibus, ni morbi ex ordine succedentes, deinde mors ipsa veterem arenam suo non minus, quam Regiorum sanguine fœdatam, cum suis clientibus repetentem oppressissent. Achmetes III. Imperator B) Turcarum, sive nescierit hominis propositum, sive dissimularit, non effugit quorundam sermones, Tôkôlii iter longe secus interpretantium. Certe in fœderis leges peccasse Achmetem ipsi Purpurati arguebant, qui ad fovendas in alienis provinciis turbas, instrumentum adeo utile non edicto, non custodia coerceret. Mustapham multo sanctius coluisse pacem, cum auditis Rakoczii molitionibus, minaci denunciatione confestim jusserit Tôkôlium consiliis, armisque abstinere, in carceres sine mora retrudendum, si Nicomedia, seu Campifloro, pedem extulerit.

Itineri accinctus in graviorem morbum incidit anno quarto ad millesimum septingesimum. Quapropter rejecta in insequentem annum profectione, per aulicos suos admonuit Rakoczium, atque Nicolaum Bercsenium, ut si in conventu Schemniczienſi pax concluderetur, exulum Hungarorum causam non postremo loco habeant, atque inprimis Leopoldum Cæsarem ad dependendos centum mille Imperiales nummos adigant, sibique transmittant Nicomediam; se ex amplissimis Tôkôliani juris ditionibus in fiscum redactis, præter hanc summam nihil ultra petiturum. Verum quod Rakoczius in eo conventu per suos Legatos Karolyum, Radajum, Janokium immodica peteret, & veluti victor leges imponeret Leopoldo, frustra adnitentibus Anglis, Hollandisque, pacificatio cum Tôkôlii postulatis adhæsit. Revolutis itaque Rakoczianis ad arma, Tôkôlius desperata valetudine humanas curas composuit, ac Idibus Septembris anno quinto c) hujus seculi fato concessit.

Suprema voluntate in Georgium Rakoczium Privigni sui minorem filium, quem per Legatum e sacro fonte suscepit, vetera jura Tôkôlianæ familiæ, arces Likavam, Arvam, Letavam, oppidum Solnam, aliasque possessiones, sed alterius jam Domini, transcripsit cum centum millibus florenorum; ea tamen conditione, ut abdicato Rakoczii nomine, Tôkôlianum præferat. Bercsenio Enyiczkam in provincia Abauivarienſi castellum; confessionis Augustanæ Gymnasiis, non contemnendam vim pecuniæ; Francisco Rakoczio arma, vestes, apparatum mensæ, factum, infectumque aurum legat, atque hunc ipsum testamenti curatorem nominat, & post hujus mortem in Hungaria Bercsenium; in Transylvania vero Laurentium Pekrium, & Michaelem Mikesium, tum Feriolum Galliæ Regis Constantinopoli Oratorem, veterem suum, fidumque amicum, qui tabulas testamenti signavit.

Opera Sacerdotum, quos olim ferro, & igne persecutus erat, Luthero nuncium misit, seque Romanæ Ecclesiæ reddidit. Apud Benierium superioris vitæ erratis confessione expiatis, inter ardentissimos in Deum affectus, omnibus Christiani, Catholicique hominis functus officiis, animam efflavit. Corpus Armenorum templo, Nicomediæ funebri pompa illatum. Epigraphen marmareo tumulo adjecit Benierius. Supellex omnis Rakoczio legata, primum Byzantium, dein Belgradum jussu Imperatoris deportata, indeque per Petrum Ghillanyium, Joannem Pongraczium, & Joannem Markocsanium, qui cum duodecim equitibus Belgradum excurrerunt, fide integra ad Rakoczium perlata est. D) Petrus Garzonius Nobilis Scriptor rerum Vene-

A) Legere illud licet apud Gerardum Cornel. Drieschium in Historia magnæ Legationis Cæsareæ Lib. IV. pag. 492. B) Achmetes III post Mustapham rerum potiebatur. c) Epitome Chronologica P. Samuelis Timon anno quarto eum decessisse vult. D) Hæc pleraque e literariis instrumentis Gabrielis Kolinovicsii Senquiczensis, viri patriarum rerum non minus periti, ac studiosi.

A. C. Venetarum, suæ historiæ A) non dubitavit inserere: Tőkőlium in villa By-
1700. zantio centum leucis dissita, adeo a fortuna desertum miseram duxisse vitam, ut cauponem sua in domo egerit, peregrinis vinum, atque cibaria vendiderit. At pretiosior supellex in Hungariam missa, atque facultates in servitia ultimis diebus large distributæ, paupertatem satis, superque refellunt; nisi fortassis homo vaferrimus in speciem eam personam gesserit, quo Turcarum liberalitatem, quorum utique commodo in hunc malorum labyrinthum se, suosque conjecit, provocaret, ac senilibus annis suffecturum subsidium, præter amicorum benevolentiam (QUÆ procedente tempore plerumque extinguitur) sua in potestate haberet.

Hunc exitum sortitus est Emericus Tőkőlius, vir profecto pugnacis animi, ac ad quidlibet audendum projecti; sed supra modum turbidus, & ambitiosus, Regique suo perpetuo adversus. Ab ipsis periculis, in quæ se temere induit, multo ferocior, audaciorque. Impetu magis, quam consilio sæpenumero arma circumferens, per ancipitia, belli aleam tentavit. Temeritas, qua primis, & postremis annis prælia inivit, impune ei fuit, interdum & in gloriam vertit. Suo equitatu ingentia terrarum spatia emensus, hostem aut elusit, aut clade affecit. Unde raro pedites sub signis censuit, una celeritate dimicare assuetus. Frigoris, ac caloris patiens; affixus equo, dies, noctesque traducere consuevit. Societatem Turcarum adeo obfirmato animo amplexus est, ut tametsi bis in vincula conjectus, multa indigna perpessus fuerit, nunquam fidem mutarit. Ferax illi consiliorum animus, neque quidpiam majoris momenti in Divano agebatur, illo non audito; sed fallente plerumque successu suis ipse consiliis est captus. Absumptis bello viribus, Byzantium compulsus frigide ab Imperatore, a Purpuratis accipitur. Malæ adeo gratiæ causas inde repetunt alii, quod author oppugnandæ Viennæ præcipuus fuerit. Ego justius in Deum vindicem retulero, claro exemplo docentem: PERFIDIAM etiam apud barbaros vilescere, & sine præmio mori. Post Carloviczensem pacem æger non minus animo, quam corpore, exilium cum conjuge sua fortiter tulit. Cæterum vitia, quibus laboravit fervente civili bello, in confinio vitæ, mortisque constitutus, sinceris lacrimis eluere conatus est, ejurataque hæresi, quam cum lacte hauserat, felici exitu vitam clausit. Hæc de Tőkőlio.

1701. Confecta pace, ut narraveram, Turcicus miles, qui in Servia, Bulgaria, atque Thracia hybernavit, in Asiam abductus est. Classis aucta navigiis, & in Ægyptum navigare jussa, belli speciem Venetis præbuit. Sed Mustaphas Imperator Oratorem Reipublicæ admonuit: *nihil hostile in Venetos parari: nec admissurum, ut pax vixdum inita, æquo, rectoque posthabito, rumpatur. Armorum apparatum in temporum fortuita fieri, vasto, disjectoque Imperio nunquam defuturos hostes. Et jam e Persia alios, atque alios nuncios advolasse, Regem militum delectus habere; ad limites Turciæ armatas legiones movisse. Constare alioquin Reipublicæ turbas superiorum annorum in Arabia Persarum consiliis, ac molitionibus obortas, seditionis principes ab iisdem in fidem receptos, denique Persas inter, & Moschos fœdus intercedere, utique adversus Ottomanos, quorum potentiam depressam cupiant. Ne deprimatur æmulorum improvisis armis, se navium, militumque numerum auxisse.* Verum non multo post patuit, vanum rumorem de bello propediem erupturo Byzantium allatum: neque enim is erat Persarum Rex, ut quietis circum Principibus, unus Turciam invadat, molemque belli suis impendiis, suo milite imprudens sustineat, qui toties B) a Moscho invitatus ad arma, ne velitem quidem in agrum hostilem emiserit. Itaque cum nihil moveret Persia, pacato omni Oriente, mercaturæ studium tanto alacrioribus animis apud populos Asiæ resumptum est, quanto majora detrimenta mercimoniis illata, navigante tot annis per mare Ægæum bello. Classis ad comitandas onerarias illico destinata, piratarum greges

A) Part. II. Lib. XII. pag. 543. B) E fidis instrumentis didici, Persas hisce annis persæpe invitatos in societatem armorum, nihil tamen hostilitatis tentasse.

greges toto mari dispersos abegit, ac terris suis reddidit. Ea peste extincta, liberum mare Europaeis navigiis patuit: neque aliud hoc anno intentiore cura Byzantii actum, quam ut commercium inter Europaeos, & Asiaticos in pristinum vigorem restituatur. A. C. 1701.

Petrus Moschoviae Czarus ab Augusto Saxoniae Electore, ac Rege Poloniae adversus Carolum XII. Suecorum Regem in foedus pertractus, adeo infeliciter praelium commisit ad urbem Narvam, quam obsederat, ut castris, & impedimentis omnibus exutus A) octoginta omnino millia suorum partim caesa, partim capta die uno amiserit. Immani hac clade profligatus, cum victor Suecus blandiente fortuna bellum prosequeretur in Polonia, dein Saxonia, ne Turcae, aut Tartari confractum invaderent, per suos Oratores Constantinopoli de proroganda pace sedulo egit. Mustaphas alternas belli vices expertus, & quoniam perutiles conditiones offerebantur, non illibenter Czari postulato subscripsit, paciscendique facultatem Caimacani, & nonnullis Purpuratis, qui Byzantii morabantur, attribuit. Quinta Julii praesentis anni, quatuor, & decem capitibus transactum est. Mutua injuriarum oblivio esto, & pax ad tricesimum annum inita habeatur. Quatuor urbes B) ad Borysthenem sitae solo aequentur, nec fas sit Czaro eas instaurandi; ager omnis istarum urbium Ottomanis cedat. Utrique genti liceat in eam regionem coloniam ducere, urbem fundare, non tamen bellicis operibus emunire. Urbem Assoviam Moschi possideant, tantumque agrorum civibus adjiciatur, quantum eques spatio duodecim horarum conficere potest. Limites a peritis regionum statuantur ad vitandas lites colonorum, sive Moschis, sive Turcis flumen Borysthenes ad piscatum, & aquationem ad Assoviensem usque portum pateat. Crimaei Tartari libera pascuatione utantur extra fines suae Precopiae. Moschi, quive Moschis quocunque jure subjecti sunt, potissimum Cosacci, non terra, non mari Ottomanos vexent; Pontum Euxinum suis navigiis non oberrent, non insidias parent navigaturis. Sed liberam navigationem institoribus Turcis concedant. Eodem jure Moschi gaudeant. Mustaphas Crimaeorum populationes pro sua authoritate coerceat, atque Chamum severe admoneat, sanctius ut in posterum amicitiam colat. Unde ad redimendas populationes, aliaque belli incommoda nihil aeris dependet Moschovia. Captivi bona fide mutuo reddantur. Merces emere, aut vendere utrique nationi liceat quocunque in portu, urbeque Moschis sacra loca Palaestinae adeuntibus, ea causa nulla vectigalia imponantur. Orator Moschoviae eodem, quo Christianorum Principum Oratores, loco apud Ottomanos habeatur. Ad firmanda haec pacta Legatus primi ordinis Adrianopolim proficiscatur. His conditionibus pax ante duos annos primis duntaxat lineis deformata, incredibili utriusque populi laetitia stabilita est. Adfuit subinde nona Septembris Adrianopoli Moschoviae Legatus apud Mustapham, ac praeter morem multa humanitate acceptus, tabulas pacificationis ejus nomine signatas in Moschoviam abstulit. 1702.

Isthoc negotium Reipublicae impensum, supremum erat Mustaphae. Namque a seditiosis civibus post aliquot menses captus, ac in carcerem detrusus anno insequenti obiit. Digna res, quam e commentariis Antonii Foresti, & Petri Garzonii curatius adscribam. Dolebat genti Ottomanicae Carloviczensi pace urbes multas, multas provincias ab Imperio Turcico avulsas, maxime Peloponnesum, & Hungariam, quae duorum seculorum victoriis Mahometi, Solymano, atque aliis Imperatoribus steterant. At dolorem sua in potestate habuerunt, dum a Persia bellum timebatur, & Mustaphas Constantinopoli agebat. Evanescente metu belli Persici, atque Mustapha sedem Imperii Adrianopolim transferente, dolorem, iramque eatenus pressam majore, quam alias, tumultu prodiderunt. Et forte per eos dies Muftius rapinis more suo intentus, commotos militum, civiumque animos magis accendit, ac seditionem imprudens maturavit. Erat is natio-

A) Anno 1700. B) Enumerat illas Petrus Garzonius Part. II. Lib. XVI. pag. 829.

A. C. 1702. natione Persa, sed literis, ac religione apud Turcas a pueritia Constantinopoli excultus, legum peritia nulli secundus, fama ingenii summos, infimosque in sui admirationem traxit. Translatus in aulam, illico se Mahometi IV. & Soltanæ probavit; quam processu temporis adeo sibi devinxit, ut apud eam primum locum obtinuerit, & annuente Mahomete, filii Mustaphæ Imperii hæredis præceptorem egerit. Ad omne artificium suomet ingenio compositus, brevi in amoribus esse cœpit apud Principem, mansitque eodem loco, & gratia, postquam Mustaphæ captivo, summa rerum conversione, Imperii administratio delata est. Mufftii dignitate ornatus, ac favore aulæ tumidus, in civium fortunas non modo viscosas manus intulit, sed multos quoque fictis criminibus Byzantio exturbavit. Tanto acerbiora hæc erant civibus, quanto in dies hæc mala latius serpebant. Commonefactus Imperator, ut hominem magistratu illo tam amplo, tam sacro moveat, aut rapacitatem terrore legum refrœnet, cum utrumque negligeret, odium ministri in semetipsum derivavit.

Et alioquin Byzantinorum animi aversi erant a Mustapha, quod Adrianopolim cum omni aula migrarit, eaque migratione commercia urbis imminuerit, ingenti utique detrimento institorum, qui absentiam Principis ante alios sentire solent, & ære vacui promptis querimoniis damnant. Eodem fere tempore Quæstores stipendia militum intervertisse deprehensi, majores turbas conciverunt. Janicsari, & Spahii, qui Byzantii substiterant, societate inter se inita, multis agminibus per omnes vias in maximum forum armati conveniunt. Ne quid per seditionem agere viderentur, palam edicunt, se nihil moliri in Mustapham Principem suum, haud tamen quieturos ante, quam stipendia ad assem usque dependerentur, & corruptum aulæ regimen in meliorem formam mutaretur. Ad comprimendos motus profectus Kiuperlis Caimacanes, Imperatoris nomine stipendia, quæ debebantur, liberaliter pollicetur, impetratque ab iratis, ut ne continuo pignoris loco urbem occupent, aut prædivitum mercatorum apothecas, quod alias fecere, cum strage hominum, tectorumque invadant. Verum sive astu, sive vacuus tam grandi ære, cum promissa differret in aliud, atque aliud tempus, rati suas minas a Caimacane, & ipso Imperatore contemni, furiose conclamatis armis iterum in foro conveniunt. Hic tumultuose consulitur, in quos arma vertenda? decernente ferocissimo quoque non sententiis magis, quam clamore, & strepitu. Non jam foro se turbæ continent, sed passim totam urbem pervadunt. Complurium vox audiebatur: *Mufftium invasorem omnium fortunarum, e medio tollendum, hunc magicis incantationibus Soltani, Soltanæque benevolentiam sibi conciliasse, perniciosis consiliis, Reipublicæ tanquillitatem convulsisse. Imperatricem vero, validum ad perdendos Mustaphæ mores instrumentum, Seraglio circumscribendam, potentiam hujus nimis gravem Imperio, ac Imperatori.*

Gliscente seditiosorum numero, Caimacanes corrasa undique pecunia, ac sparsa in Principes seditionis, furentes placare solicitus nitebatur. Sed cunctando nuper, magnam gratiæ, pretiique partem corruperat; præsenti vero facilitate, ac largitione, animi ambiguos seditiosis adjunxit. Septem hominum armatorum millia nullo consilio, nullo certo Duce momento jam confluxerant; artifices, operæ, mercatores tumultu exciti, arreptis, quæ aut in manibus erant, aut sors offerebat, instrumentis, istorum numerum, & iras augent. Caimacanes hactenus prodire ausus, suadente periculo, domi se tantisper continuit. Mufftius animadverso eam tempestatem in suum caput effusum iri, maturata fuga Adrianopolim abscessit, quem strenue secutus est Caimacanes, relicta urbe sine Gubernatore. Patefacta utriusque fuga, Byzantini suarum fortunarum direptionem non ex vano metuentes, ad deligendum Gubernatorem procedunt, pertractis in eandem sententiam militibus, quos juvabat socios rebellionis habere cives; culpæ societate utique tutiores futuri. Erat inter seditiosos stolidæ audaciæ Janicsarus, odio in Mufftium clarior, quam factis bellicis. Is urbis, &

armo-

armorum Præfectus acclamatus inconditam multitudinem usque adeo obsequentem habuit, ut non modo nulli civium cædes, sed ne uni quidem mercatorum officinæ illata vis a quoquam, aut injuria memoretur, si domum Mufftii excipias, quæ jussu Præfecti direpta, ob parati æris vim ingentem repertam, urbem admiratione, & variis, ut fit, sermonibus implevit. Triginta milliones florenorum protractos fuisse, apud populum fama obtinuit. Ea species modestiæ validissimum fuit vinculum, quo cives militibus arctius adstricti, suas vires, animosque in omne discrimen promptissime offerrent. Roborata hunc in modum factione, mittuntur Adrianopolim e militari, civilique ordine ferociores, qui querelas Byzantinorum deferant ad Mustapham, eumque severe admoneant: *ut Constantinopolim sedem Imperii, quamprimum repetat, Reipublicæ consulat, avaritia quorundam hominum oppressa, de Mufftio omnium malorum fonte sine mora supplicium sumat, Soltanam matrem suam in ordinem redigat.*

A. C. 1702.

Vix defuncti legatione, fraude Mufftii pars in carcerem compacti, pars vario mortis genere sublati. Tam barbaro facto, irritati Byzantini, ad vindicandam tot illustrium virorum cædem capessunt arma, junctisque dexteris mutuam sibi ad mortem usque fidem vovent. Novum Vezirium, Janicsarorum Agam, atque alios militares Præfectos suis suffragiis, sua authoritate legunt. E publicis armamentariis populo dividuntur arma: machinæ majores, minoresve ad vim inferendam, propulsandamque magno numero evehuntur: signis propositis, veluti furialibus tædis, in civile bellum inflammantur. Mustapham exauthorandum, aut ignavæ instar pecudis trucidandum uno calore pronunciant. Bis centena hominum millia ex Asiæ oppidis feruntur Constantinopolim venisse ad turbas ciendas. Eo animorum æstu utendum rati Principes, omnem illam multitudinem in campum educunt, ac Adrianopolim versus acceleratis itineribus, ne videlicet ipsa mora populares iræ refrigescerent, promovent. Mustaphas post Carloviczensia pacta, deposita Reipublicæ cura, segnem vitam in Seraglio, aut profundis nemoribus ducebat, imitatus patrem, qui sylvas præ curia adamaverat, rejecto in ministros, quidquid dulce otium interpellare posset. Unde multa avare, crudeliterque patrata per Imperii provincias, maxime Byzantii, quæ demum populi patientiam ruperunt. Intellecto factiosorum tumultu, eadem, qua posuerat, facilitate ad arma, ad Rempublicam moderandam rediit. Mufftium more suo in nobilium bona grassantem in vincula A) conjicit. Hac publici odii victima multorum iras placavisset, si integra authoritate, integris rebus occupasset, quod nunc necessitas expressit. Adrianopolitani nimii verbis, & linguæ feroces non secus, ac extero hoste urbi appropinquante, correptis ferociter armis pro Imperatore, pro aris, & focis se pugnaturos conjurabant; Mustaphamque hortabantur, ut victoriæ securus Prætorianos armet, copias celerrime contrahat, militaris disciplinæ rudes occupet; se neque fortunis, neque sanguini parsuros, quo rebellium furori Principem suum eripiant.

Nec diutius cunctatus Mustaphas, posteaquam rebellium copiæ in Adrianopolitanis campis consederunt, discrimini turbidus occurrit, nihil dubitans ad conspectum Imperatoriæ majestatis, & veterani militis plebem nullis præceptis bellicis condocefactam signa deserturam; & suapte refrigescente æstu omnem illam multitudinem sine prælio ad obedientiam rediturам. Sexaginta facile millia in aciem educit, relictis pauculis ad urbis custodiam, & commeatus præstandos. In campis igitur Adrianopolitanis vires totius Imperii collectæ ad prælium accinctæ stabant, atque hic delectus est locus, in quo robur, potentiaque partium sese collideret, ac tum denique de Imperatore, deque regimine decerneret. Achmetes, frater Mustaphæ, militaris animi Princeps, rerum suarum solicitus, ut viam sibi ad Imperium

A) Quem dies vidit veniens superbum,
Hunc dies vidit fugiens jacentem.
Nemo confidat nimium secundis. Seneca Thyeste.


A. C. perium emolliret, ad Duces rebellium copiarum in tempore literas dedit,
1702. benevolentiæ plenas, in quibus perstricta Mustaphæ ignavia, jura sua in Ottomanicum Imperium quam lenissimis verbis declaravit, addiditque: *Spem sibi firmissimam esse, tam amplam hæreditatem nunquam in alienum Dominum delaturos; se vero tanti beneficii æternum memorem fore, atque in ipso aditu regiminis æquissimis ipsorum petitionibus sine mora satisfacturum, si dejecto Mustapha, liberis exercitus totius suffragiis jura confirmarint.* In eandem sententiam scripsit ad Vezirium novum cognemento Achmetem, cui præter supremam armorum præfecturam multa pollicitus, servili prorsus ingenio Imperatoriam dignitatem aucupabatur.

Clandestinis his literis Mustaphæ filios spe omni, si quam habebant, imperandi evertit, & seditiosos ad capessendam alacrioribus animis pugnam incendit, veluti pro legitimo Principe dimicaturos. Et vero vix majoribus tormentis agi cœptum est, cum aliquot cohortes Janicsarorum ruptis primis ordinibus ad seditiosos transfugiunt; hos modico intervallo alii, atque alii tum pedites, cum equites sequuntur, aciemque Mustaphæ admodum tenuem reddunt. Cives inopinata veteranorum defectione perculsi, abjectis armis sine Ducibus, sine signis diffugiunt. Prætoriani in medio deserti, ne a circumfuso hoste clauderentur, cum Mustapha Imperatore non intermissa pugna, urbem repetunt aditus palatii firmaturi. Sed jam victores disjecta plebe portas, & fora occuparunt, incendio, ac cæde abstinentes propterea, quod nemo oppidanorum victoriam moraretur, timerentque ejusmodi facta perpetrare per licentiam belli, quorum ultor est, quisquis composita pace succedit. Mustaphas ut vidit palatium curcumsideri ab armatis, & prætorianos dilabi, repugnare non ausus, Imperii insignia sibi ipsi detrahit, ac fortunæ suæ inter lacrymas ingemiscens, potestatem facit Achmetem fratrem gubernaculis Imperii admovendi. Nec plura locutus accurrentibus majore numero seditiosis captivum se ultro tradit. In carcerem illico traductus sive mærore animi, sive veneno extinguitur. A) Exauthorato Mustapha, milites utriusque exercitus amicitiam veterem læti instauraverunt, sicque civile bellum maximo tumultu conflatum, sine multo civium sanguine sublatum est. Novus Vezirius ad inaugurandum Achmetem Constantinopolim festinans, omnes copias nulli oppidorum infensus, aut obnoxius eo deduxit.



ACHMETES III.
IMPER. OTTOM. XVII.

1703.



Chmetes inter armatas legiones urbem ingressus, in principe Moschea ferrum, velut jus necis, vitæque civium de more gentis accipit. Inde in palatium recta profectus, donativum militi exsolvit; quo beneficio militarem ordinem, dum vixit, mire sibi obstrictum tenuit. Et opus habebat militum studio ad ea exequenda, quæ animo destinaverat. Suo infortunio expertus erat, ut Mahometem IV. parentem suum conjurati throno dejecerint, dejectum ergastulo incluserint, seque nullius criminis convictum, nisi quod infelicis patris filius esset, socium calamitatis addiderint.

A) Anno 1704.

rint. Nunc Mustapham fratrem suum in potestatem seditiosorum redactum, & non nisi precario vitam abstulisse vidit. Hæc audaciæ exempla ferro, & igne vindicare quamprimum statuit in contumaci gente, ne roborata ejusmodi factorum turpitudine, pro suo arbitrio deferant illam, quam singulis natura ipsa nationibus inseruit in Principem suum fidem; & potentissimi toto orbe terrarum Domini, non appellati, non conventi apud aliquos causæ arbitros, pro libidine vilissimorum capitum suis fortunis, suo Imperio excidant. Quare incidendos populo nervos existimavit, nihil ut deinceps vel si velit, movere possit in Principes suos. A. C. 1703.

Factionis præcipua capita ex omni Asia, & Europa citra tumultum Byzantium, quasi ad præmia navatæ operæ, convenire jubet. Spe ista illecti plures, atque evocati erant, sui fati ignari advolarunt. Hi omnes navigiis impositi, subinde suppliciis misere torti, semivivi in mare Euxinum præcipitantur. Militum Præfecti clam in aulam pertracti, a mutis lictoribus obstricto collo necati sunt. Obscuri nominis cives, sed in rebellionem proni, spectante populo elisis cervicibus trucidantur. Cadavera stipitibus alligata in foro, terrori simul, & ludibrio fuere. Multi suppliciorum metu perterriti, relictis opibus sedes mutarunt. Achmetes Vezirius quibus præstigiis necem vitarit, Historici non produnt. Id constat, eum arcanorum omnium conscium, in aula gratiosum vixisse. Mufftius avaritiæ, & crudelitatis accusatus, reste vitam finiit, magna gratulatione Byzantinorum; quos tribus circiter annis dirum in modum divexavit. At Kasachis, mater Achmetis, nihil mutata veteri fortuna, qua apud Mustapham florebat gratia, & authoritate, eandem quoque deinceps retinuit.

Tot civium impendio punita conjuratione, pacatum Imperium habebat Achmetes, tametsi in Hungaria memorabili bello vinceretur. Adeo in principio regiminis, succisis ferocientium capitibus, hydram rebellionis perdomuit. Militari, & civili statu composito, ardentissimum pacis studium præferebat, illudque sibi perpetuo cordi futurum jactantius, quam verius apud Legatos, & Proceres suos narrabat. Leopoldum Cæsarem primis statim diebus certiorem reddidit, se Turcici Imperii habenas moderari, summisque votis id unum habere, ut pax Cæsareos inter, & Turcas æternum duret. Ad Rempublicam Venetam adulta æstate Mustapham quendam expedivit, cui honoris causa obviam missus Nicolaus Erizzius, nomine Senatus prima officia præstitit. In Senatum introductus binas literas exhibuit. Alteræ erant ab Achmete Imperatore, a Vezirio alteræ, queis significabant: Mustapha exauthorato Achmetem publicæ pacis quam studiosissimum rerum potiri apud Ottomanos, velleque utrumque amicitiam renovare cum Venetis. Isti Carolum Ruzzinum eadem officia cum Achmete peracturum, Constantinopolim paucis post diebus legarunt, etsi jam antea Ascanius II. Justinianus Orator Reipublicæ, in palatio Imperatorio numerum gratulantium auxerit. Ruzzinum haud vulgari pompa aulam ingressum, Imperator, & Vezirius de sanctitate pacis disserentem magna approbatione audiverunt. Convivio adhibitus, Carloviczense fœdus manu Vezirii signatum accipit. A) 1704.

Ita pax multa contentione Carloviczii confecta, semel, atque iterum, ac tertio firmata, omnium animos ingenti spe implevit, amicitiam non diuturnam modo fore Ottomanos inter, & Venetos, sed prorogandam quoque ultra statos quinque, & viginti annos. Accesserunt subinde variæ legationes, commercia item toto mari repetita, firmamenta utique fœderum; mansura tamen inter æmulas nationes, quamdiu annuerit infinita dominandi cupiditas. Et vero vix copias novis supplementis instauratas vidit Achmetes, ut ne inglorius, aut obscurus in otio ætatem ageret, & usus, vigorque armorum obtorpesceret, belli materiam sedulo circumspexit. Equidem patebat in grandes triumphos Persiæ Regnum, disciplina militari collapsa sub ignavo Principe. Ejusmodi bellum Europa summo favore prose-

 cuta

A) Petrus Garzonius Part. II. Lib. VIII. pag. 394.

A. C. 1704. cuta fuisset, nemo fœderis rupti arguisset Achmetem, quod Persæ multa hostilitatis indicia dederint. Sed nimirum longinqua itinera, Arabiæ steriles campi, præ Peloponneso non minus Byzantio vicina, quam nobili provincia displicuere. Ad hanc recuperandam dudum oculos, animosque conjecit Achmetes, & nisi Borealium regionum bella intercessissent, primis haud dubie annis Peloponnesum invasurus erat.

1708. Carolus Suecorum Rex, quemadmodum supra narravimus, A) immani victoria de Moschis obtenta; subinde Augusto Electore Regno Poloniæ dejecto, ac Saxonia tributis exhausta, B) in Petrum Alexovichium Moschorum Principem rapidissimis profectionibus contendit, alium Czarum in media Moschovia Russis daturus. Cosacci, genus hominum infidum, & omni aura mobilius, cum Duce suo Mazeppa partes Sueci amplexi; Baturinum, fere ad Borysthenem situm munimentum tradunt. Numerosæ copiæ in vastis solitudinibus brevi famem sensere. Rex Carolus Lôwenhauptium e Livonia vehentem annonam iter accelerare jubet. Is felicitati sui Regis omnia tribuens, cum octies mille carris commeatu omnis generis onustis, & duodeviginti armatorum millibus in Regia castra properat. Ad amnem Proniam prope oppidum Lecznoviam ab ipso Moschorum Principe in pugnam extractus, vincitur. Septingenti majores, & minores Præfecti cum bis mille sexcentis gregariis; tum signa pedestria quadraginta, equestria decem, sedecim tormenta, omnesque onerarii currus a Moschis capiuntur. Reliquæ copiæ Suecorum, & Cosaccorum internecione deletæ. Lôwenhauptius, & Mazeppa amisso milite, & Baturino, e cruento certamine caput extulisse in lucro habuerunt.

1709. Suecus, ut ne fame periret in sterilibus Kioviæ campis, urbem Pultavam, unicum horreum in iis regionibus, obsidione cingit. Confestim accurrit Alexovichius pugnacis animi Princeps, cum robore copiarum. Septima & vicesima Junii pari calore uterque suos in aciem educit. Mediæ horæ spatio tanta clade funduntur hostes, ut ægerrime Rex, pede altero saucius, Moschorum manus evaserit. Vix nobiliorem victoriam in annalibus reperias. Octo mille nongenti septuaginta octo, in certaminis loco cecidisse memorantur, ter mille capti cum centum sex, & triginta militaribus signis, & omnibus impedimentis. Princeps Menczikowius cladis reliquias persecutus, ad Borysthenem fluvium Lôwenhauptium adeo arcte conclusit, ut is necessitate ultima victus se captivum dediderit cum octodecim millibus pugnatorum. Rex Carolus tribus duntaxat signis comitatus, Borysthene superato Oczakovium, Turcici juris præsidium, petiit, frustra insequente Menczikowio; inde transgressus fluvium Tyram Benderam urbem intravit, a Gubernatore loci in ea rerum calamitate perbenigne acceptus. Hunc in modum fulmen illud Boreale evanuit quidem; at in Turcia ferale incendium non multo post conflavit. Pulso, fugatoque Rege Sueciæ, Senatores Poloniæ ad recipiendum Regnum Augustum Saxonem evocarunt. Ille nihil cunctatus, Julio mense exeunte in Poloniam pervenit, ac viribus Sendomiriensium Confœderatorum auctus, plerasque urbes deditione accepit. Crassavius, Suecorum, qui in Polonia remanserant, Dux, Regis adventu, & suorum infortunio fractus, ne cladem clade cumularet, se turbidus in Pomeraniam ejecit. Stanislaus Leschinskius Posnaniensis Palatinus, nuper a nonnullis Poloniæ Nobilibus Rex renunciatus, cum partes suas vehementer imminui cerneret, Nobiles dilabi, aut redire in gratiam Augusti, patria cedere, spemque Poloniæ in præsentia deponere statuit.

1711. Achmetes Imperator sive victus Caroli precibus, sive occasionem belli ultro arripiens, quam duorum Regum triste exilium obtulit, bellum denunciavit Moschis. Tartari, non expectato Turcarum exercitu, primi hostilia intulerunt. Per notos calles c) in mediam Moschoviam penetrantes aperta oppida, & vicos continenti incendio vastant. Kioviæ insuper

Vai-

A) Anno 1702. B) Anno 1703. & insequentibus duobus hæc patrata. c) Adi tabellam Moschoviæ a Joanne Baptista Homanno concinnatam.

Vaivoda Stanislao addictus, Bielocerkioviam, magni momenti præsidium, inopinata aggressione invasit. Aliquot hebdomades tenuit oppugnatio, sed irrito conatu. Nam & obsessi spe auxilii animati acriter repugnarunt, & Gallizinus cum parte copiarum advolans Vaivodam ab obsidione depulit. Tartari relictis barbari furoris ubique vestigiis eodem tempore Moschovia excessere. Alexovichius præsidiis Livoniæ superiore anno A) expugnatis, fama Ottomanici belli permotus ad Moschoviam tuendam accurrit; & quoniam a suis provinciis belli incommoda procul habere avebat, victrices copias in Moldaviam rapit, inde Danubium petiturus, atque in Achmetis ditionibus ferro, & igne hostilia repensurus. Sed jam Vezirius Istrum ponte transgressus, diu, noctuque festinatis profectionibus ad Pruthum fluvium (veteribus Hierasum appellatum) pervenit, & prope Fatezinum, ignobilem vicum, castra metatus, uno prælio debellare ardebat. Unde vigesimo Julii universas copias in ampla planitie ordinatas, in conspectum Moschorum lento gradu promovet, oppugnaturus castra, si intra munimenta persisterent. Alexovichius pugnæ aleam, a qua nec Turcæ abhorrerent, subeundam constituit. In apertum campum progressus, exercitum omnem suos in ordines distribuit, tanta verborum fiducia Præfectos, atque milites allocutus, velut certam victoriam manu teneret.

A. C. 1711.

Fuit hæc pugna, si unquam alia, admodum cruenta. Decem millia Turcarum in ipso certaminis loco cæsa feruntur, nec pauciora Moschorum. Pars utraque æstu Solis, & pertinaci labore fatigata, in castra semet recepit, ac, ut fit, publicis gaudiis victoriam celebravit. Postero die Vezirius eandem arenam cadaveribus stratam repetiit. Alexovichius sive hesterna clade perculsus, sive jam pacem animo volveret, satius habuit ferociam hostis, castrorum munitionibus frangere. Quater assilientem valla, non sine Janicsarorum clade rejecit, ac in castra compulit. Non tamen propterea spem victoriæ amisit Vezirius. Instructis copiis, occinentibus præliarem in modum signis, novum certamen eodem in campo Moschis indicit. Verum Alexovichius, quod penuria commeatuum in dies premeretur magis, ne Sueci fortunam in campis Moldaviæ suo malo æquaret, rebus adhucdum integris de induciis compellavit Vezirium. Is facilem se præbuit, postquam Assoviam cum omni instrumento bellico in expeditionis præmium accepit. Pactis induciis Czarus ad subjugandam Pomeraniam festinavit; Vezirius triumphanti similis Byzantium rediit. Ita bellum una æstate absolvitur. At Venetum, & Hungaricum post annos quinque multo pertinacius est gestum, quo Reipublicæ nobilissima provincia Peloponnesus cum duobus, quæ supererant in Creta, præsidiis erepta est; Ottomanis Temesia, & Belgradum periit, ut jam narrabimus.

1714.

Achmeti Vezirio successerat his annis in præfectura Alyus, homo præferocis animi, & Christiani nominis acerrimus hostis. Hic armorum gloria incensus, Imperatorem ad bella alioquin pronum levi impendio in Venetos irritavit, quod in speciem multa argumenta adferret, queis omnem invidiam rupti fœderis in Rempublicam derivaret. Palmare illud erat: *Venetos contra pactiones, naves Ottomanorum* (piratarum dicere debebat) *expugnasse, atque præsidia in locis maritimis interfecisse; seditiosis in Albaniam auxilia missa a Dalmatiæ Prætore. Rempublicam immensam auri, argentique vim a Constantino Brankovajo* B) *Valachiæ, & Moldaviæ Principe accepisse, atque in suum ærarium, frustra intercedentibus Turcis, intulisse. Alia non minoris momenti addidit. Quod Mustaphas necessitate adactus Peloponnesum cesserit; ea provincia ab Imperio Ottomanico avulsa, veterani milites suam hæreditatem, suum patrimonium perdiderint: Veneti immania lucra quot annis inde evehant, in fraudem Turciæ, classes ædificent, fœdera conquirant.* Confecit denique: *Reipublicæ superbiam minime ferendam, sed jugum Peloponneso impositum, quamprimum excutiendum.* Hac usus oratione in Divano, plerosque Consultores belli in suam sententiam pertraxit.

Muff-

A) Anno 1710. B) Aliis Brankovanius.

A. C. Muftium, & Janicſarorum Agam ab ingenio mitiores, deque fœderum ſan-
1714. ctitate palam differentes, non modo magiſtratu movit, ſed etiam ad mare Euxinum deportatos grandi ære mulctavit.

Nec felicius cauſam Venetorum egit Soltana ſenior, quæ filium a maritimis expeditionibus partim blanditiis, partim ſua authoritate avocare nitebatur; poſtea neglecta, res privatas in Seraglio curavit. Andreas Memmus Byzantii Legatus, ſuſpicatus id, quod erat, Rempublicam per idoneos nuncios commonefecit; bellum inevitabile Peloponneſo inſtare; ſpem retinendi provinciam unice in armis eſſe. Septimo Decembris ad Vezirium evocatus; bellum in Venetos decretum intelligit, juſſus propterea intra triduum cum mercatoribus, aliisque ſuæ nationis hominibus Conſtantinopoli, & toto Imperio excedere. E palatio Vezirii redux in vile hoſpitium captivus abripitur, atque arcta cuſtodia circumdatus, menſe primum Julio libertatem recipit, dum inſtitores Turcæ e Venetis portubus vita, fortunisque ſalvis Byzantium venere.

Eodem fere tempore in Brankovajum tempeſtatem commovit Vezirius, quem meditati transfugii ſive ad Cæſarem, ſive ad Venetos inſimulavit. Miſer cum omni familia ſæviſſime tortus Ottomanicæ crudelitatis exemplum erat. Stephanus Cantacuzenus ſucceſſor cum majore natu filio, & patre Conſtantino eandem fortunam ſubiit Byzantii. Infelix mater cum reliquis innocentibus liberis, ope Anglorum ægerrime necem evaſit; facta omnium rerum jactura, Siciliam, Romam oberrans, Viennæ portum reperit. A) Iſtis ſuffectus eſt Nicolaus Maurocordatus, Alexandri Maurocordati filius, aulæ Ottomanicæ addictiſſimus. Valachia, & Moldavia firmo præſidio adverſus Cæſarem, & Polonum, ſi quid Venetorum cauſa in eas provincias attentarent, communitis, in claſſem armandam principem curam intendit: tum terreſtres copias in Aſia, atque Europa ſub ſigna cogit, miſſis ad provinciarum Gubernatores mandatis, ut primo vere Conſtantinopoli adſint.

1715. Apparatus armorum, qui fiebant in Turcia, ſolicitos habuit Melitenſes Equites, ne ipſorum inſulam peteret Achmetes, & male comparatam ſucceſſu meliore, ac Solymanus II. oppugnaret. B) Inde ad defenſionem converſi, quidquid virium habebant, anxie in inſulam contraxere, feſtinatisque nunciis ad Hiſpanum, ad Venetos, opem adverſus Turcam implorarunt. Sed hyeme miteſcente, a metu reſpirarunt, poſtquam Vezirium cum exercitu in Macedoniam profectum, & claſſem in inſulam Chium appulſam Jancongia c) architalaſſo intellexere. Erat iſte ſuperiore bello apud Imbrum inſulam a Nicolao Markovichio captus, atque ad triremes damnatus, ſeptem omnino annis inter remiges ſervitutem ſervivit. A familiaribus ſuis centum aureis nummis vinculis exemptus, ob peritiam rei maritimæ, comparandæ, regendæque claſſi Vezirii juſſu præficitur. Venetos cura belli Turcici magnopere angebat. Fiducia enim fœderis, nihil timentes a Turcia, nec militem, nec claſſem armatam habebant. Veteranæ copiæ præſidiis impoſitæ, adeo attenuatæ erant, ut delectibus non tam ſupplendæ, quam de integro reſtituendæ forent. Pleræque legiones infra dimidium decreverant. Nec Peloponneſi loca, milite, annona, armis proviſa, ut obſidionem plurium menſium perferre poſſent. In tantis rerum anguſtiis, miſſi, qui in Dalmatia delectus faciant, a Principibus Italiæ, Germaniæ, multo ære pedites, equitesque ſtipendiarios conducant. Ad Clementem XI. Summum Pontificem Nicolaum Duadum; in Poloniam, & Moſchoviam Joannem Dolphinum, ad Carolum VI. Auguſtum Cæſarem Michaelem Moroſinum, & Victorem Zaneum, ad alios Principes, alios auxilii petendi cauſa ablegant. Pontifex ad grandia æris ſubſidia, amplam poteſtatem dedit, e poſſeſſionibus Præſulum, fundisque ſacris certum tributi modum in graviſſimum bellum exigendi,

A) Hæc accidiſſe videntur anno 1716. B) Revolve ea, quæ ad annum 1665. narravi Tom. I. pag. 183. & ſeq. c) Hieronymus Ferrarius Continuator Garzonii Lib. I. pag. 27. eum Janumcogiam nominat.

gendi, & suo exemplo Christianorum Principum pietatem excitaturus, præ- A. C. ter pecuniæ summam naves bellicas submisit. Moschum, & Polonum par- 1715. tim domesticæ, partim Sueciæ Regis turbæ, Boreales provincias fœde convellentes, ab hoc bello deterrebant. Cæsaris res nondum ita comparatæ erant, in bellum ut erumperet illico.

Et in sanctiore consilio plerique existimarunt, sine armorum strepitu omnem controversiam compositum iri; Ottomanos certe in amicitia mansuros, modo Cæsar Achmetem pactorum Carloviczensium admoneat, & inter minas arma ostentet, non inferat. Itaque ad Oratorem suum Anselmum Fleischmanum Constantinopolim nuncios expedit cum mandatis: *Achmeti pacem jurejurando a Mustapha Imperatore firmatam in mentem revocet, ac Cæsaris nomine præcise edicat: si Respublica adversus pacta egisse convincatur, si quem vicum Turcici juris diripuerit, naves mercatorum expugnaverit, spoliaverit cives, damnum omne ad unguem resarciendum. Cæsarem Carloviczensis fœderis vadem, & sponsorem cum Anglis, Hollandisque esse. At palam constare, nulla injuria Turcas affectos. Pacandis rebus promptissimam rationem fore, si classis, legiones e Peloponneso revocentur: id ni fiat, Cæsarem arma inhibiturum armis, & sociis fæderum in tempore opem laturum,*

Non latebat Vezirium, neminem Principum ad conturbanda Turciæ consilia, Cæsare plus valere. Inde nondum illata hostilitate, Ibrahimum Agam Viennam proficisci jussit, qui causas belli Veneti edat, simulque spondeat, in Cæsaris provincias nihil moliri Soltanum, unius Reipublicæ superbiam armis castigaturum. Mense Majo apud Principem Eugenium legatione perfunctus, responsum accepit: *Venetos Cæsari Confæderatos esse, bellum utrisque commune fore. Haud tamen eo loco res esse, ut ab armis duntaxat medela quæratur. Si qua lis interesset, arbitrum Cæsarem deligerent, pro jure, & æquo arbitraturum.* Sed lenioribus his remediis nihil profectum est apud Turcas, qui perspectis Venetorum morbis, Peloponnesum ante subjugandam sperarunt, quam exercitum, aliaque bello necessaria ab Italia accipiat.

Et jam tempestas Peloponneso affusa late deseviit. Jancongias, ut narravi, in Chium profectus, Africanas naves suæ classi conjunxit, primusque hostiliter fecit. Tenum A) insulam, Miconen inter, & Tenedum jacentem aggressus, post brevem obsidionem, in suam potestatem redegit. Milites, & Græci Mercatores cum omni supellectili Epidaurum migrarunt. Bernardo Balbo immaturæ deditionis reo, jussu Senatus Veneti vincula induntur. Insulani opulentiores in captivitatem abducti, in minore Asia agrorum culturæ, aliisque durioribus servitiis appliciti fuerunt. Interea Vezirius in Macedonia substiterat eo fortassis consilio, ut, si Cæsar Temesiam, aut Belgradum invaderet hoc anno, partem exercitus in Serviam traducat, ac ea præsidia tueatur. Verum intellecto, Cæsarem nondum Venetis accessisse, missis aliquot millibus in Serviam ad limitum custodiam, & relicto Imperatore iisdem in castris cum centum millibus pugnatorum, cæteras legiones per Isthmum in Peloponnesum infudit.

Ne a tergo urbem Corinthum relinqueret, eam centum millibus armatorum obsedit. Quadringenti Itali, bis centum Græci, & loco, & suppetiis, quas sperabant, freti, rejecto de deditione colloquio, ad defensionem se strenue compararunt. Cœpta non acri minus, quam constanti verberatione, apertaque multis jam locis urbe, obsessi auxilia flagitant ab Alexandro Bono Peloponnesi Gubernatore. Sed ille Naupliæ suæ metuens, & longe inferior rebus omnibus, admonuit Jacobum Minotum Corinthi Gubernatorem, dederet urbem Vezirio bonis conditionibus, & se, militemque servaret Reipublicæ. Datis, & acceptis obsidibus, dum pacta cuduntur, recuduntur que, Venetis neglecta murorum custodia quiescentibus, Jani-

A) Una ex Cycladibus; vulgo Tine, & Teno; antiquis Hydrusia, & Ophiusia.

A. C. 1715. cſari portas occupant, reſiſtentes promiſcua cæde hauriunt. Minotus fruſtra implorata Vezirii fide, cum nobilioribus captivis Smyrnam deportatus, ab Hochpieda Colyerii Hollandi Oratoris ſorore grandi ære in libertatem aſſeritur. Urbs pluribus diebus direpta præſidium Janicſarorum accepit.

Capta per fraudem Corintho, Naupliæ Argolidis urbi ſine mora victor exercitus admovetur. Jancongias univerſam claſſem jam antea huc egerat. Duodecima Julii vis omnis in montem Palamidæ, validis munitionibus egregie firmatum, converſa eſt. Ad propugnandum montem, urbemque aderat Alexander Bonus, & Antonius Zaccus armorum Præfectus cum mille ſexcentis peditibus, quatuor turmis equitum Croatarum, aut potius Albanorum, qui per inopiam pabuli interfectis equis peditibus immixti, præſidiariorum numerum auxerunt. His mille cives plerique Itali pro aris, focisque dimicaturi arma ceperant. E Græcis pauci admodum in urbis defenſionem conſpirarunt, etſi in dies ſingulis aureus nummus penderetur. Propugnaculum montis ſex dierum verberatione multis locis apertum terna aggreſſione a Turcis invaditur, occiſo Antonio Cardoſa loci Præfecto cum non paucis gregariis. Sed Alexandro ſuppetias ferente captis ſtationibus pelluntur invaſores. Eo die improviſa clades accepta eſt inſigni vecordia Salii Tribuni. Hic cohortes aliquot prope civitatem tendere animadvertens, nihil ſolicitus hoſtilesne, an Venetæ forent? tormenta magno numero in eas diſplodi jubet. Machinatores obſecuti fœdiſſima ſtrage ſui ſecuras momento involvunt. Siniſtro hoc caſu perturbati præſidiarii, ſive proditionem, ſive majora mala veriti, in caſtra Turcarum paſſim transfugiunt. Non poſt multo Salii juſſu in duobus caſtellis A) juxta urbem poſitis, machinæ defixis clavis corrumpuntur, annonæ, pulveris pyrii vis magna crematur, dulciores aquæ ingeſta humo obruuntur. Plura attentantem in exitium utique obſeſſorum, Alexander Bonus occupat, ac in cuſtodiam tradit. Sed non propterea jactura hominum, aut rerum compenſata eſt. Præſidiarii, ac cives, qui ſupererant tot malis conflictati, ſpem retinendi ſive montis, ſive civitatis penitus amiſere.

Ottomani contra non ignari, quo loco res Nauplæorum eſſet, dies, noctesque nunc ſubterraneis ſuffoſſionibus, nunc aſſultibus aditum in caſtella, in urbem quærebant. Vulnerato Zacco, nihil e lege militari actum. Excuſſo demum per cuniculos Palamidæ propugnaculo, Turcæ nihil morati, ſumma vi in ruinas enituntur. Pauci obſeſſorum ſuſtinere impetum irruentium, plures tanquam deſperato munimento, urbem circumſpectare, omnes cunctari magis, quam arma opponere. Alexander Græcorum precibus permotus, e turribus candida vexilla ſuſtulit. At ejusmodi ſigna deditionis victori militi ſemper inviſa ſunt, ne videlicet prædam, quam manibus tenet, pactis conventis amittat. Nec Alyus, nec Jancongias odio Chriſtiani nominis ſtimulati militum ferociæ moderari volebant. Itaque occupato Palamidæ monte, urbem terrore captam, non uno loco aggrediuntur, ac nemine reſiſtere auſo obtinent. Archi-Præſul Carlinus e familia Divi Dominici, cum multis Sacerdotibus trucidatur. Præfecti minorum gentium, tum multi gregarii, & cives e latebris protracti, per ludum capite plectuntur; quam Vezirii ſævitiem Mufftius acerba oratione inſectatus eſt Byzantii, celerem vindictam Divini Numinis animo præſagiens. Alexander Bonus ſecundum humeros framea percuſſus, Antonius Zaccus, Angelus Balbus, Joannes Badoerus, Nicolaus Barbarus cum ſuo filio, ſanguine, aut militaribus præfecturis illuſtres, ad Achmetem in triumphum ſunt miſſi. Alexander non tam vulneris, quam animi dolore confectus, ludibrium fortunæ celeri morte Thebis evaſit. Hoc modo urbs non minus vaſta, quam opulenta poſt annos triginta, queis Venetæ Reipublicæ paruit, in poteſtatem Turcarum pervenit. B)

Poſt

A) Belvedere, & Romelia dicta. Hieronymus Ferrarius pag. 49. B) Uti commemoravi ad annum 1687. pag. 260.

Post Naupliam urbs Methone ad ictum designata est. Jancongias mari, Vezirius terra copias suas eo promovent. Vincentius Pasta veteranus Ductor, in principio Peloponnesiaci belli urbem pro temporis angustiis, gemino palorum ordine communiverat, & valla, aliaque opera in ruinam prolapsa instaurarat. Ad famam venientis Vezirii, Hieronymum Dolphinum, Venetæ classis Præfectum per nuncios oravit, ut classem quamprimum Methonen versus propellat, hostiumque vires distrahat; secus præsidium adversus immanem barbarorum vim defendi non posse; simul perditam Naupliam edocet. Hærebat classis ad Zacynthum insulam in anchoris, & numero navium, & classiariorum multo inferior Ottomanica. Discruciabatur animo Dolphinus, militum paucitate tristibus undique nunciis occurri haud posse. Tamen ut nobilissimam urbem tantisper a servitute vendicaret, & præsidiarios sui præsentia ad ferendam fortiter obsidionem accenderet, dum Melitenses, & Pontificiæ naves advenirent, Methonen accessit. Capta statione in aperto mari, cum Turcæ oppugnationi intenti nihil moverent, & annona gravior fieret, versis subito velis Zacynthum repetiit. Tertia decima Augusti erectis tormentariis suggestibus, magno temporis compendio, & laboris, maxima vi ignium urgetur oppugnatio. Milites ad eam tempestatem adeo animis conciderunt, ut dedendam urbem uno ore conclamarent. Auxit metum Gubernatoris infelix casus. Dum more suo stationes perlustrat, minore pila frontem trajectus subito corruit. Lethale vulnus medentium magna sane industria, peritiaque mitigavit. At milites desperata perinde Gubernatoris, ac urbis salute, negant se inposterum vigilias obire, aut hosti repugnare. In Præfectos arma expediunt, deditionem urgent. Hæc omnia ad Turcas perlata exitium maturarunt. Mittuntur ex urbe, qui conditionibus transigant, Legati. Responsum triste accipiunt: *Vezirium statuisse armis Methonen Achmeti Imperatori asserere.* Vix altero die regressis Legatis, datur signum invadendi laceros muros; Veneti abjectis armis diffugiunt, ac liberrimam viam interiora urbis penetrandi, Turcis relinquunt. Cum nemo victoriam moraretur, nulla cædes perpetrata est. Præsidiarii in servitutem abrepti, suæ perfidiæ pœnas dederunt. Vincentius Pasta, minoresque Præfecti ad restem damnati per Vezirium, Jancongia intercedente Constantinopolim captivi deportantur.

A. C. 1715.

Vezirius Peloponneso dominans, & cui ob armorum felicitatem jam audacem esse licebat, classem in Cretam insulam navigare jussit ad Sudam, & Spinalongam arctius obsidendam, quæ duo præsidia Veneti A) ex omni insula obtinuerunt; Seraskerium vero cum non contemnenda peditum manu ad oppugnandum castellum Rhium in litore Achajæ positum dimisit. Uterque faventem fortunam habuit. Jancongias vix excensione facta, Venetos in deditionem pronos reperit, nulloque impendio, utrumque præsidium victor accepit. Castellum Rhium sex dierum oppugnatione fractum se dedidit. Milites cum armis, telisque, atque omnibus impedimentis emigrare permissi. Petrus Marcellus castelli Præfectus, cum aliquot nobilioribus Venetis, qui serius loco excesserant, a Janicsaris contra, ac conventum erat, detinetur. At Seraskerius memor datæ fidei, Janicsarorum licentiam compressit, atque Venetos non sine militari præsidio dimisit. Reliqua oppida Peloponnesi eadem facilitate in manus Turcarum venere, ut adeo vastissima insula, tribus, & ultra seculis partim impugnata, partim defensa adversus Turcarum impetus, spatio duntaxat unius, & dimidii mensis, jugum sibi imponi potuisse miraretur. Insula S. Mauræ, veteribus Leucas appellata, jussu Dolphini vi pulverum pyriorum per Marcum Loredanum eversa, cladem Venetorum cumulavit.

In Dalmatia, & Albania, ubi primum bellum erupit, populationes, & prælia fiebant. Montenigrini, seu Valachi montium incolæ, Albaniæ populus, sive injuriis exagitati, sive spe melioris fortunæ in arma conciti, ad

A) Carabusam proditione amiserunt, ut retulimus pag. 334.

A. C. ad recuperandam libertatem magnis animis ferebantur. Albaniæ Præfectus 1715. summa festinatione quadraginta hominum millibus collectis, montium loca, quæ rebelles insederant, undique claudit, ac occupatis viarum angustiis, tantam stragem in ea armatorum multitudine egit, ut gens prope universa internecione deleta fuerit. Belli scintillæ continuo finitimas Reipublicæ provincias corripuere, quod Veneti arguerentur, Montenigrinos consilio, pecunia, milite ad defectionem concitasse, ac alieno in regno seditionem aluisse. Indicto propterea bello, Angelus Emus Prætor Dalmatiæ, & Albaniæ limitaneis præsidiis quam celerrime consulit, Morlachos, Dalmatas spe præmiorum ad arma capienda in veteres hostes hortatur, veteranas legiones in unum contrahit. Sed Turcæ, ut erant ad bellum inferendum comparati, oppida Venetorum in Albania, & Dalmatia urebant, tametsi nunc a Morlachis, nunc a Venetis male mulctarentur. Ad Singam, sive Sfingam, firmis operibus, & præaltis rupibus circumdatum præsidium, illorum fortuna adhæsit. Huic loco obsidionem intulit hoc anno Dalmatiæ Seraskerius, a) utque minima suorum jactura victoriam ordiretur, nondum ductis obsidionalibus viis, benigna ad deditionem invitamenta præmittit, datis ad Emum, ad Georgium Balbum literis, quarum alteræ Latine, alteræ Italice scriptæ erant, a minis abstinens, ac propior admonenti, ceu victoriæ securus. Balbus, qui loco præerat, communicato epistolæ tenore cum præcipuis Ductoribus, omnium nomine reposuit: *obsessos vitam potius, quam præsidium daturos.* Fortibus factis dicta æquarunt.

Septimo die Augusti oppugnationi initium est datum, tanto intentiore cura, quanto alacrioribus animis defensores procurrebant. Erecto duplici suggestu, multo pilarum injectu, ac nocturnis suffossionibus mænia annonariæ domui vicina cum magna strage hominum tentata fuerunt. Ollis ignariis haud minora detrimenta illata. Ea pestis omnia tecta absumpsit. In partem operosæ defensionis non cives modo, sed & sacri viri venere; in subtrahendis sauciis, apportandis telis, pulveribus operam suam probare certantes, maxime dum assultus fiebant. Insignis erat Stephani de Hungaria institutum S. Francisci professi fortitudo; sinistra simulacrum Servatoris nostri, dextra acinacem præferens; subinde tormenti, pila discerptus ingenti obsessorum mœrore animam egit. Eodem lethi genere periit præcipuus machinatorum magister cum multis Præfectis, & gregariis. Balbus periculorum avidus sauciatur.

Postrema aggressio feliciore principio, quam exitu suscepta est. Placuit Seraskerio pluribus in locis assultum instituere ad fatigandam nempe, distrahendamque urbem. Hunc in finem, agrestium opera maximum numerum scalarum fabricari jussit, quarum adminiculo integra etiam propugnacula conscendi, ac super ipsos muros certamina possent contrahi. Arnautæ, sive Albani, in ruinas eluctati, primi tempestatem minorum, & majorum glandium exceperunt. Eodem tempore pleræque munitiones invaduntur a cæteris peditibus, minore tamen impetu, atque calore, quod spem nullam haberent iis in locis capiendi præsidium. Unde defensorum vis in Albanos conversa est. Pugnabant isti inter lapidum struem, nulla lorica protecti. Repulsi inter cædem fortissimorum, novis rursum animis decus ulturi, aggressionem instaurant. Tribus horis cruento, ancipitique Marte dimicatur, Balbo nondum curato vulnere, exemplo, & voce suos extimulante. Albani continenti pugna attenuati, cum neque perrumpere aggeres, nec se obvallare possent inopia fascium, saccorumque, primum veluti jussi pedem referunt; deinde in apertam fugam effunduntur, frustra accurrente Seraskerio cum omni equitatu, ac fugitivos in pugnam retrahente. Post hunc assultum minus prosperum, in obsidione perseveravit Seraskerius; verum accepto rumore Emum appropinquare, conclamatis trepide vasis, nocte intempesta in tutiora copias reduxit, relictis in prædam præ festinatione in-

a) Plures Seraskerii, sive armorum Præfecti his annis apud Ottomanos erant.

instrumentis fossoriis, & majoribus pilis. Reliquum æstatis procursionibus mutuis transactum est in Dalmatia, & Albania; deinde in hyberna reditum. A. C. 1715.

Achmetes Imperator in veteribus castris subsistens, atque in Cæsarem intentus, dici non potest, quantis lætitiis incesserit, e capta Peloponneso in Dalmatiam bellum deportatum esse. Distributis per Serviam, & Thraciam copiis, haud procul Adrianopoli in Seraglio, aut potius æstivo palatio otium captavit. Huc Vezirius Peloponnesiacis victoriis clarus advenit, ab omnibus ordinibus magnifice acceptus. Muneribus excultus, filiam Imperatoris sibi matrimonio junxit. Nuptiarum solennia in publica illa Ottomanorum lætitia, multa celebritate sunt obita. At hilaria immodice turbarunt nuncii ex Hungaria: numerosum militem secundo Danubio defluere, præsidia novis operibus, novis cohortibus firmari, ad apparandam defensionem totis conatibus incumbere Cæsareos, denique inevitabile bellum præ foribus adesse, nisi Peloponnesus Venetis reddatur. Hæc tametsi explorata forent Vezirio, tamen ejusmodi rumores in speciem contempsit, unice solicitus, ut ne novum hostem timere, a suis argueretur.

Magis eum perculit fama Jancongiæ Architalassi apud summos, infimosque celebrata, cui plerasque victorias se debere professi sunt, ut adeo æmuli sive potentiam, sive gratiam non ferens, eum omnino sternendum apud se constituerit. Criminandi materia divitiæ erant, quas in victis urbibus Peloponnesi ab ærario Imperatorio avertisse, atque in suum derivasse ingenti detrimento Reipublicæ objecit. Nec multum abhorrebat illius vita ab ejusmodi criminibus. Certe a Nauplæis civibus, ac mercatoribus pecunias, & merces, admoto etiam tormentorum metu crudeliter extortas ipsi gregarii commemorabant. Sed Mufftius hoc vitium dissimulandum putavit in bellicoso homine, Veziriumque oblique perstrinxit, quasi ipse gravioribus furtis ærarium publicum defraudasset, opulentioribus navigiis Smyrnam expeditis, ubi raræ magnitudinis palatium ad Asiæ delicias ea tempestate ædificare instituit. Imperatrix quoque, si quam habuit, authoritatem suam saluti Jancongiæ sedulo impendit. Horum patrocinio exitio proximus, vitam, & dignitatem retinuit. Multo facilius Reipublicæ Venetæ interpres Naon oppressus est. Arcanis de rebus epistolam scriptam in castris interceperat Vezirius. Ea ad Caimacanem Constantinopolim missa, suspicione aspersit Naonem, deinde laqueo innexuit. In judicium accersitus cum a se conscriptam fateretur, in furcam agitur.

1716. Peloponneso deturbati Veneti, ad Dalmatiam, Albaniam, insulasque maris Jonii propugnandas, omnes cogitationes converterant. Corcyra inprimis, totius Italiæ scutum, Reipublicæ curas intendit, quam universis Imperii viribus invasurus ferebatur Achmetes. Huc robur militiæ injectum, commeatuum, bellicæ supellectilis vis ingens convecta. Præsidium a validissimis operibus tota Europa notum, Mathias Josephus Comes Schulenburgius, copiarum terrestrium Imperator, excitandis, ac defendendis arcibus perinde promptus, externis quibusdam molibus, ad omnem disciplinam militarem extructis, in hostium perniciem communivit. Valla quoque vallis addit sudium objectu horrida, ex quibus defensores tuto sua tela emmitterent. Erant autem hæ novæ munitiones inter se miræ implicatæ, & connexæ, ut si forte loco uno cedendum foret propugnatoribus, in alium se illico recipere, pugnamque ex eo redintegrare possent, ut adeo omnis passus multo sanguine hosti emendus foret. In classe ornanda æque dies, & noctes desudatum. Hujus præfectura translata est in Andream Pisanum Dolphino Venetias revocato. Romanus Pontifex, quo erat animo in Christanam religionem, legiones suas cum aliquot bellicis auxilio misit. Genuensium Respublica, magnus Dux Hetruriæ, aliique Pincipes Italiæ, exemplo Pontificis excitati, militem, navigia armarunt. Melitenses, perpetui Turcarum hostes, pro more suo subsidium tulerunt. Lusitanus, & Hispanus non ære solum e sacris fundis collecto, sed navalibus quoque

A. C. 1716. suppetiis vires maritimas auxerunt. A) Respublica viginti millia probi militis partim in Dalmatiæ, & Albaniæ præsidia, partim in insulas cum omni apparatu belli immisit; totidem fere millia classi attribuit. In hasce copias, quoniam non exigua pars illarum a Principibus conducta erat, multa aureorum millia impendi debebant. Ad sumptus sustentandos, Reipublicæ cives pro sua in patriam charitate tantum æris contulerunt, ut singulis annis duodeviginti milliones aureorum nummorum pro stipendiis, & bello necessariis pensi fuerint; neque tamen trium annorum spatio ærarium exaruerit. His adjumentis a præsenti adeo exitio res Veneta vindicata est.

Tandem Carolus VI. Imperator societatem armorum amplexus, cervicibus imminentem hostem detraxit; bellique mole in se aversa, non jam salutis, sed victoriæ spem maximam fecit. Id quemadmodum evenerit, nobis sedulo, accurateque enarrandum. Superiore anno Cæsar ad suum Oratorem Fleischmanum Constantinopolim mandatum dederat: admoneret Achmetem, *bello adversus Venetos abstineat, discordiarum finem Cæsaris arbitrio committat, si pergat injuriam inferre, se non defuturum Reipublicæ.* Orator quam mollissime Cæsaris animum detegit, nihil pacati refert. Vezirius insuper victoriis ebrius oggerit: *Cæsarem contra fæderis leges præsidia munire, belli, & annonæ paratus in Hungaria facere, copias undique cogere. Hæc non pacis, sed belli indicia manifesta esse. Turcas nihil in Cæsarem moliri, si tamen is prior bellum intulerit, se lætos occasionem accepturos perditas urbes recuperandi; vivere etiamnum multos, qui Viennæ urbis mœnia scandebant. Turciam neque Cæsaris, neque quorumvis hostium fortunam metuere.*

His, atque aliis Viennam nunciatis, Cæsar desperata pace in bellum inclinavit. Accessit invitamentum a summo Antistite Clemente XI. qui concitatis jam in Ottomanum Principibus Italiæ, vim, bellumque objecturus in Hungaria, non cessabat hortari Carolum Imperatorem, ut adversus fœderis violatorem, quotidie altius in Christianæ Reipublicæ provincias sævientem, expeditionem suscipiat, qua jugum a Fœderatorum cervicibus depellat, ac detrimenta Religioni illata suis potentissimis viribus in Hungaria compenset. Pontificis vota multum provexit Eugenii Ducis dominantis in Senatu, & apud Cæsarem infinita authoritas, qui victoriis per Europam reportatis inclytus, bellum Turcicum unice spiravit; adeo scite, partiteque disputans in consultationibus, quas complures Cæsar habuit, de milite ducendo, deque tota expeditione, ut nemo omnium de felici armorum progressu dubitaret; plerique grandes victorias Christianæ Reipublicæ jam tum gratularentur.

Itaque novum fœdus percussum est adversus Ottomanos, illudque nona Aprilis in præsentia Christiani Augusti Saxonis purpurati Patris, & Archi Præsulis Strigoniensis, Spinolæ Nuncii Apostolici, tum Grimani Veneti Legati vulgatur, ac demum tabulæ eo ipso B) die, quo Leopoldus Princeps primam lucem aspexit, solenni ritu subscriptæ, signatæque. Multorum opinio fuit, Achmetem pacatiora arrepturum consilia, ut primum rumor novi fœderis Byzantium pervaserit. Ea de causa festinatur cursor ad Fleischmanum. Rei novitate nihil commotus Vezirius, belli nuncium prima, & vicesima Maji in carcerem conjicit; Fleischmano abitum paranti vim infert; Purpuratos magni nominis pacem suadentes securi feriri jubet, eorumque capita ferreis pilis præfixa in foro proponit. Denique caudas equinas more Majorum præ foribus Byzantini palatii constituit. Interea Eugenius, cui rerum summa, bellique rationes permissæ sunt, nihil ultra exspectandum ratus, ex Italia, Belgio, Imperio, cæterisque provinciis Cæsareis, legiones peditum, equitumque in Hungariam arcessit, ad Futakinum castra designat, delectus maximos in Bohemia habet, anno-

narias

A) Jam anno præterlapso hæc subsidia sunt expedita; at per longitudinem viarum, & maris tempestates sero nimium adfuere. B) Nempe decima tertia Aprilis.

ñarias domos in Hungaria erigit, Eſzekino, Budæ, Petro-Varadino, Albæ Juliæ, ſive Carolinæ, anno ſuperiore firmari jam cæptis, ultimam manum imponit; cumque intelligeret magno uſui futuram in Danubio claſſem, ad cibariorum, & bellici apparatus ſecuritatem actuarias reficiendas, & bellicas, quales nempe vaſtus, profundusque Danubius fert, ædificandas curat, evocatis præcipuis machinatoribus ex Anglia, & Hamburgo, Anderſonio, & Foke Gerſenio cum navalibus ſociis.

A. C. 1716.

Non minore cura, impendiisque bellum adornabat Vezirius. Ad cuſtodiam Peloponneſi pleroſque tyronum reliquit. Jancongiæ claſſis Præfecto, tantum militis attribuit, ut ſpes ſatis probabilis eſſet, Corcyram expugnandi lectiſſimo præſidio, multis machinis refertam. Ad infeſtandam Dalmatiam, & Albaniam, earum regionum Præfectis alioquin ad manum erant legionarii. Ipſe numero, & virtute validas turmas, cohortesque, id eſt robur militiæ Europeæ deligit, claſſem ad frænandum Danubium comparat, omnis generis penum bellicam e vicinis urbibus, e Byzantinis armamentariis ſumit. Ad ſuſtentandos ſumptus, ærarii immenſas opes propemodum exhaurit. Menſe Junio in expeditionem profectus, Sophiæ ciendis Aſiæ copiis intentus dimoratur.

Per eosdem dies Muſtaphæ Gubernatori Belgradi nominatim præcepit: ut ne hoſtilitatis initium faceret; ſubditos tamen Portæ Ottomanicæ omni, qua poſſet, induſtria tueretur. Byzantii quoque Achmetes ſcriptum edidit, quo ſignificavit, Turcicis navibus Danubium inſideri; copias Belgradum deduci propterea, quod immanes Chriſtianorum exercitus ad limites Hungariæ metentur, jamque procurſionibus in agrum Turcicum, hoſtilitatis ſignum primi extulerint. Igitur, quando non ſua voluntate, ſed vi, atque injuriis Germanorum in bellum trahatur, connitendum omnibus, qui ſartum, tectumque velint Ottomanicum Imperium, ut arma armis opponantur, & turbatores pacis publicæ, juſtiſſimo bello frangantur. Ita Achmetes fœdus violatum ſive a Cæſare, ſive a militibus noſtris perſuadere ſuis cupiebat, cum tamen Turcæ Danubium primi infeſtum reddiderint, tela in ſtationarios conjecerint, immanem exercitum in armis contra Cæſarem haberent, & Venetos fœderis ſocios terra, & mari oppugnent. Procurſionum vero in hoſticum hæc erat occaſio. Baro Löffelholzius Petro-Varadini Præfectus, animadverſo per Mitroviczam, contra ac permiſſum fuit in pacificatione Carloviczenſi, armatas legiones commeare, eductis menſe Majo cohortibus, locum Turcici juris occupat. Nec ſegnius Langletus notæ fortitudinis Tribunus, cum tribus millibus delectorum ad Savum contendens, Raczkam ad Drinum fluvium propugnaculum intercepit, ne ad pontem ſtruendum eo præſidio uterentur hoſtes. Hoſtilitatis initia utramque procurſionem interpretabantur ii, qui jam hoſtes anno ſuperiore fuerunt.

At Vezirius exeunte Julio Savo flumini appropinquans cum ducentorum hominum millibus, omnem ſpeciem amicitiæ amovit. Fruſtra vado multis locis tentato, injecto celeriter ponte, copias in alteram ripam traducit, locumque Semlinum inter, & Vanoviczam caſtris opportunum legit. Mox Petro-Varadinum cum parte copiarum accedit, admonito ſtatim Gubernatore, ut ni triduo poſt deditionem fecerit, nullum locum gratiæ fore. Löffelholzius præſidii magis, quam ſui cauſa ſolicitus hominis ferociam contempſit. Adhuc Futakini A) in caſtris, recipiendis legionibus operam dabat eo temporis Eugenius, cum de trajectu fluminis, ac obſidione urbis certior, Comitem Joannem Palffium, virum & manu ſtrenuum, & conſilio promptum, prima Auguſti cum mille quadringentorum manu ad explorandos hoſtium conatus mittit. His poſtea addidit petente Palffio duas eque-

A) Futakinum locus opportunus caſtris ponendis. C. Joannes Palffi, de quo nobis hic ſermo, poſt plurium annorum decurſus, ſupremus copiarum Imperator, ad memoratum Futakinum metatus eſt anno videlicet MDCCXXXVI. ut adeo illud Claudiani de Conſul. Mallii Theod. ex vero potuerit dicere: Terribiles rurſum lituos *Veteranus* adibo.

A. C. 1716. equestres legiones. Explorata longe, lateque regione, ad Carloviczium utriusque Imperii limites, a quadraginta millibus barbarorum inopinato circumfusus, suos in aciem quadratam condensatis ordinibus cogit, quatuor horis sextum incurrentes Spahios non sustinet modo, sed etiam clade mille a) capitum mulctat. Amissis duobus equis in ipso conflictu, in tertium eluctatus, victor rediit cum quinque signis equestribus; desideratis suorum simul, & vulneratis non amplius quadringentis. Comes Sigefridus Breünerus lapsu sonipedis excussus, atque a supervenientibus captus, victoriæ dulcedine frui non potuit. Ex hac velitatione omen captum est universæ expeditionis.

Eugenius occursurus hosti, ad Danubium progreditur. Tres erant flumini pontes impositi ad Petro-Varadinum, sed jam duos Turcæ corruperant, tertium Löffelholzii virtus incendio eripuit. Per hunc legiones traductæ, vetera valla, ab Ænea Caprara superioribus annis Petro-Varadino prætensa, tertia Augusti intrant; eaque summa festinatione reficiunt. Illico Vezirius concubia nocte sexaginta peditum, nec pauciora equitum millia, clivos castris Cæsareis vicinos occupare, tum aggeres, vias obsidionales facere, omnia denique ad oppugnationem urbis, castrorumque maturare jubet. Illucescente die prægrandes machinæ, minores fistulæ in valla Cæsareorum assiduo detonuere, a nostris rariores, at magis collineati fiebant ictus. Unde plura funera apud Turcas. Nihilominus isti opera sua in dies promovere, Cæsareos circumvallare summa contentione adlaborabant. Movebat Eugenim Imperii majestas, & ardor militis, cui plurimum tribuebat, ne barbari animos, aut gloriam capiant, a se circumsideri Cæsareos certamen detrectantes. Hac de causa convocato Senatu militari, pugnam edicit.

Quarta Augusti sole occumbente ordo pugnandi est editus. Alexander Princeps Wirtembergicus cum sex suis cohortibus extra valla castrorum progressus, pugnæ initium daret. Dextrum cornu Maximilianus Starembergius, & Princeps Beveranus; sinistrum Regalius, & Harrachius regerent; equitatum, in cujus virtute victoriam collocarunt, Palffius; mediam aciem Löffelholzius moderaretur. Alyus cognito Eugenii consilio, lætus occasione certaminis, aciem celeriter instruit. Erat regio multis collibus interstincta, ubi prælium commissum. Superiora loca Janicsarorum, convalles Arnautarum cohortibus occupat. Turmas equitum plerasque in dextro latere locatas Palffio opponit. Castra curruum sepimento communit. Quantus numerus pugnatorum fuerit, mire variant Scriptores. Sunt, qui scribant, hostilem exercitum centum quinquaginta millium fuisse; alii ducenta millia numerarunt. Nummi certe post reportatam victoriam cusi, hunc numerum etiamnum referunt. Eugenio sexaginta millia in acie fuisse, fama percrebuit, & Historici consentiunt.

Postridie sub horam septimam matutinam Wirtembergicus ardore plane Martio in hostem procurrit, & continente fistularum displosione adeo Janicsaros percellit, ut iis in fugam actis decem tormentis potiretur. Eodem tempore in Palffium illati Spahii levi certamine loco moventur, ac profligantur. Obversis machinis in Janicsaros, & sinistra acie in hostium opera promota, lævum cornu victoriam conclamavit. At dextrum magno in discrimine versabatur. Prorutis vallis, peditatus octo agminibus procedens, multo angustiorem campum habuit ob hostium munimenta, quam ut sese explicare posset. Janicsari lorica protecti, & sociis, quos Wirtembergicus emoverat, auctiores, in sparsos, & nondum satis ordinatos tantam ignium procellam effundunt, ut omnino pedem referre, & proruta valla repetere cogerentur. Instant Turcæ perculsis, & in castra ferocissime irrumpunt.

In tanta rerum perturbatione, Eugenius quatuor legiones equitum Duce Palffio in apertum Janicsarorum latus jubet impetum facere, dum se pedi-

a) Hæc candida narratione refert P. Valentinus Kéri in serie Banorum Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ edit. Tyrnav. anno MDCCXXXVII.

peditatus colligeret. Wirtembergicum, & Löffelholzium admonet, ut in sinistram Turcarum aciem suas cohortes immittant. Neque equitum, neque peditum vim sustinuerunt Janicsari. Fugato omni equitatu, pedites iræ victorum expositi omni telorum genere obruuntur. Amissa spe victoriæ tanta universos trepidatio invasit, ut evitatis castrorum munitionibus pars effusissime fugeret, pars in fossas semet præcipitaret. Utrobique a victoribus cæsi. Alyus seu cladi suorum superesse nollet, seu reformidaret iram Achmetis, in confertissimos ordines equum concitat, ac fortiter pugnans ante valla castrorum occumbit. Eodem fato functus est Janicsarorum Aga, tum præcipui nominis quindecim Purpurati, quorum cadavera a fugientibus Belgradum rapta. Hungaricus equitatus inter multiplicem stragem Carloviczium persecutus est hostem.

A. C. 1716.

Hoc prælio cæsa dicuntur vicena millia Turcarum; dena millia Savi vorticibus hausta. Captorum numerus perquam exiguus. Militaria signa centum quinquaginta novem capta cum quinque caudis equinis, machinæ formæ variæ centum quadraginta, & novem; papilionum quinquaginta millia; pulverum nitratorum, & pilarum vis ingens. Bis mille cameli, bubalorum aliquot greges, tum annona tanto exercitui par. Victores, quod vero similius, ad tria millia ceciderunt, vulnerati bis mille. Ipso meridie ingressus Vezirii tabernaculum Eugenius, exercituum Domino gratiis persolutis, militari prandio Duces excepit. Breüneri corpus, quem in procursione Palffiana captum meminimus, capite truncatum juxta tabernaculum fœde jacebat. Laureatas literas cum signis captivis per Comitem Kevenhüllerum ad Cæsarem dedit. Isthæc victoria non Hungariam, & Italiam solum, verum & universam Europam mire recreavit. Summus Pontifex palam facturus, quid utilitatis rei Christianæ accesserit hac felicissima pugna, sacrum ensem, & pileum Victori Eugenio in Purpuratorum consessu decrevit. A)

Cæso, fugatoque hostili exercitu, Palffius, & Wirtembergicus confestim expediti sunt cum parte copiarum ad Temesiam claudendam. Visum est hanc urbem propterea aggredi præ Belgrado, quod præsidium istud hybernis, & æstivis mensibus assiduo communiverint Turcæ, æstimantes e bellicarum navium apparatu, quem constituisset Cæsar, præcise ad Danubium bellum fore, & si Cæsarei campo vincerent, haud dubie Belgradum obsessum iri. Temesiæ suæ minus metuebant, quod procul a Danubio dissita, præcipuum robur a Bego fluvio acciperet, qui coorta tempestate, ut in autumno fieri amat, ob soli declivitatem omnes campos latissime pervadit, & continentes paludes efficit. Unde palustres circum campi, aquis obtinentibus omnia, propemodum inaccessi, Temesiam adversum quosvis exercitus tutam faciunt. Sed eo anno insolita siccitas, hoc robur civitati ademit. Quippe arida præter modum æstate, usque adeo omnis uligo exhausta est, ut prægrandia tormenta propius admoveri, accessuumque opera perfici potuerint. Prima Ductorum cura fuit, vias, unde auxiliorum accessus ad oppidum, milite, atque terreis munitionibus præsepire. Sexto, & vigesimo Augusti transmisso ad Szentam Tibisco, adfuit Eugenius cum universo exercitu, urbemque omni ex parte circumvallat. Æstimatis munitionibus contra Aradinensem portam, sive Palankam, oppugnationem instituit, quod ea pars præsidii ad septemtriones protensa nunquam obrueretur aquis, quantumvis Begus intumescat. Prima Septembris initium est datum fossionibus, erectique suggestus ad verberandam Palankam. Est Palanka munimenti genus

A) Jaurini subinde in principe Ecclesia operante ad aras Stephano Kontor Electo Episc. Tribunic. hæc ornamenta magnifice juxta, ac reverenter accepit. Juvat hic adjicere, quæ habet R. P. Franc. Pagius Tom. IV. in Vita Urbani VI. §. LVII. „ Antiquitus, inquit, Ensis & pileus in nocte nativitatis Domini a Pontifice benedicebantur, sed nunc hæc benedictio fit in quocunque festo solemni; anno enim 1716. Clemens XI. cum Ensem, ac pileum ad Principem Eugenium de Sabaudia misit ob victoriam ab eo de Turcis ad Varadinum eodem anno relatam, eos benedixit in Ecclesia S. Mariæ de Populo die VIII. Septemb. Idem donum Innocentius XI. antea miserat Joanni Sobieskio Poloniæ Regi, & Alexander VIII. Francisco Morosino Venetiarum Duci. „ Eleganter, apposite de magnis istis Heroibus, a me non uno loco commemoratis.

A. C. 1716. nus Turcis familiare. Præaltos aggeres, sive tumulos e terra extruunt, eos que cespite, ac vastis arboribus extrinsecus obmuniunt adversus grandiores pilas. Vim omnem machinarum hoc agresti opere eludunt. Huic Palankæ fossam sat profundam addidere, Bego flumine inundatam. In hoc propugnaculo edomando multorum labor dies, noctesque desudavit. Nam & eruptiones fiebant in fossores, atque stationarios, & vineæ non raro inflammabantur.

Dum hæc ad Temesiam aguntur, Turcarum omnis multitudo, quæ e prælio aufugerat, Belgradum confluxit, Veziriumque sibi delegit Mustapham urbis Præfectum. Hic confirmatis suorum animis, quoniam per exploratores compertum est, urbem quotidie magis urgeri, ad eam obsidione eximendam quamprimum ire constituit. Itaque raptis in eam expeditionem Janicsaris, & Spahiis, ingenti fiducia Temesiam versus contendit. Babocsaius legionis equestris Hungaricæ Tribunus hostis adventum Palffio, qui trans Begum fluvium excubabat, hic Eugenio significat. Confestim Eugenius cum parte equitatus Begum superat, jubetque aliquot cohortes consequi cum viginti castrensibus machinis. Janicsarorum Aga in equites invectus, munitioni Palffianæ appropinquare nitebatur. Spahii, nunc ad Begum, nunc ad aggeres effuso cursu feruntur, omnia tumultu miscent. Verum Eugenio, & Palffio propugnatoribus nihil uspiam proficiunt. Omnia experti, desperato meliore successu, & amissis fortissimis peditum, Belgradum mæsti repetunt. Pulsis auxiliaribus, Eugenius oppugnandæ urbis curas resumpsit.

Ter mille operæ, viis obsidionalibus ducendis destinatæ, inter crebras eruptiones Janicsarorum, inter quotidianas mortes decima septima Septembris ad fossæ labrum pervenere. Derivata celeriter aqua, lateque subruta tellure, quæ ante tegebatur, pontes injiciuntur fossæ. Eugenius circumlustratis accessibus, in primam Octobris aggressionem Palankæ pronunciat. Aggressuris Wirtembergicum, Ahumadium, Brounium Duces imponit. Palffium jubet trans Begum, maximum, quam posset tumultum excitare, defensorumque vires distrahere. Sub octavam matutinam solutis omnibus machinis signum editur oppugnandi. Pro sua Palanka vitam posituri, omnis generis missilia, & saxa in subeuntes provolvunt, fistulis, frameis rem fortiter agunt. Ea repugnantium rabie nihil territi Cæsarei, in valla eluctantur, ac cominus certamen ineunt. Brounius in sinistro latere hostem primus submovit, stationemque firmavit in propugnaculi ruinis, tum traductis per pontes integris cohortibus, Ahumadius, & Wirtembergicus Palanka potiuntur. In urbem conjecti Janicsari semel, atque iterum, ferocissime impetum faciunt in nostros, facibus, malleolis tecta incendunt; amissam stationem extremis viribus recuperare contendunt. Hos legionarii firmo gradu excipiunt, partem eorum ferro concidunt, quadringentos, & sexaginta ad urbis portam intercipiunt. Decem horis pro Palanka dimicatum multis utrinque cæsis. Ter mille hostium eo die cecidisse ferunt, nostrorum totidem. Alii minuunt hunc numerum.

Expugnata in hunc modum Palanka, urbs adversus vim Cæsareorum defendi diu non potuit. Festinatis operis, queis in præsentia plus aliquanto, quam militi tribuebat Eugenius, excavatis non uno loco furnulis, adeo obsessorum curas distraxit, ut qua parte sibi caverent ignari, ubique trepidarent. Ad hæc admotis tribus, & quadraginta tormentis, tum compluribus igniariis ollis, ea tempestate ignium obruebantur, ut supremo oppugnationis die, ter mille septingentæ pilæ majores in mænia, & urbem evibratæ fuerint. Gubernator urbis non ausus in publicum prodire, cum nobilioribus subtus murorum fornices semet condidit, dum ignea procella deferveseeret. Duodecima Octobris vis incredibilis ignium, & pilarum deditionem extorsit. Missis acceptisque obsidibus in hæc pacta conventum. Turcæ salvis corporibus, & fortunis Belgradum deducantur, captivi sine

lytro

lytro reddantur, mille plaustra ad subducendam supellectilem præstentur, machinæ, omnesque paratus bellici, fide integra victoribus reddantur. Postero die duodecim millia armatorum sine signis, sine ordinibus excesserunt. Ita Temesia Ottomanicum jugum, quod anno millesimo quingentesimo quinquagesimo secundo A) accepit, nunc demum posuit, rediitque ad Regem suum cum nongentis, & octoginta oppidis. Fleischmanus Orator Cæsareus, captivus primum Semendriæ, dein Belgradi, libertatem recepit, agente plurimum Temesiæ Gubernatore, Eugenii fidem integerrimam nuper experto. Constitutis hybernis, relictoque Comite Claudio Florimundo Merzio, sive ut alii scribunt Mersio Legato, Princeps ad Cæsarem abiit. Jussit vero procursiones fieri in hostium provincias, ac munimenta Danubio adsita expugnari, ut flumen in potestate Cæsareorum foret, ademptaque navigatione, Belgradum arctius clauderetur. Merzius non tam Eugenii imperium, quam indolem suam secutus, cum legionariis mense Novemb. Pancsovam accedit. Loci Præfectus aggredientium alacritate expugnatus, traditis armis Belgradum discessit. Ui-Palanka pari celeritate deditionem fecit. Orsova frænum Danubii, post amissam Temesiam novis munitionibus, & milite firmata, per inclementiam hyemis impugnari non potuit. At insequenti anno ab Hungaro est capta.

A. C. 1716.

In Croatia, & Sclavonia iisdem diebus maxima detrimenta illata sunt hosti. C. Joannes Draskovicsius Pro-Banus Croatiæ, per suos Præfectos Dubiczam, Perkoviczam, Oszrosoczium, atque alia oppida Ottomanorum, omni clade vastavit, erectas ad Savi ripam turres ligneas, tum frumentum in usum exercitus comportatum, pluresque annonarias domos exussit. Altera parte Baro Petraschius, B) vir magnæ virtutis, & animi, Gradiscam, Brodium, Velikam ad Savum; tum Dobajum, & Doborium, præcipua munimenta Bosniæ, partim prompta deditione, partim vi admota in deditionem accepit. Incensis, eversisque omnibus (quippe in hostico sita absque valido exercitu defendi haud potuissent) cum amplissimis spoliis in hyberna rediit. Doborii Præfectus, quod arcem dediderit munimentis integram, conjugem, & liberos suos venundari vidit, dein ipse securi percussus. C. quoque Rabatta Carolostadii Gubernator, cum mille peditibus, quingentis equitibus hostium provinciam ingressus, complura oppida igne delevit, atque abactis pecoribus, quæ primæ divitiæ illarum regionum, copias reduxit incolumes. Eadem fortuna usus est Quintana Pro-Tribunus.

Verum e Valachia multo nobilior præda ablata est, nec scio, an uspiam locorum res e Republica felicius sit gesta. Eam provinciam, ut nuper commemoravi, administravit Nicolaus Maurocordatus, homo ut Ottomanis addictus, ita a Cæsareis aversus. Hic Nobiles viros Valachiæ (vulgo Bojaros) & Sacerdotes, quos Austriacarum partium esse cognoverat, Bucherestum veluti obsides abripi jussit, atque arcte custodiri. In non paucos etiam ferro, & laqueo grassabatur, quo cæteros in officio contineat, atque suppliciorum metu ab amicitia Austriacorum revocet. Aliquot e numero Nobilium, elusis Maurocordati insidiis, ad C. Stephanum Steinvillum in Transylvania armorum Præfectum per asperas rupes evasere, questique de tyrannide hominis, sibi, suisque auxilium postularunt. Modum quoque ostenderunt, quo imminentem omnium fortunis, & vitæ opprimat, ac provinciam Cæsari addictam servituti eximat. Is collaudato Nobilium studio, Stephanum Dettineum Pro-Tribunum cum peditibus Germanis, atque delecta equitum Hungarorum, & Rascianorum manu Bucherestum immittit ad Maurocordatum intercipiendum.

Dettineus silentibus signis, nocturnoque itinere profectus, prius Bucherestum tenuit, quam hostis eum sciret e Dacia movisse. Quo factum est, ut Isacius, & Dragojus militum Ductores, Tartaros, & Turcas, qui

A) Temesiæ expugnationem dedi Tom. I. Imp. Ottom. pag. 170. B) Hic B. Petraschius supremus vigiliarum Præfectus fuit; utique alter ab illo Petraschio, de quo infra.

A. C. vallis praeerant, imparatos offenderent, iisque subito aut dispulsis, aut oc-
1716. cisis munitiones terreas occuparent. Eodem tempore Dettineus in oppidum irrumpens, Maurocordatum pugnam trepide cientem, juxta palatium capit cum conjuge, & quatuor filiis. Nemo civium arma corripuit in defensionem Principis sui, quem diris omnibus devotum ob insignem avaritiam, & crudelitatem, captivum in Transylvaniam abripi laetis oculis conspexere. Nobiles e carceribus dimissi, beneficii in posterum memores vixerunt. Ex his non pauci jugum Turcicum exosi, cum octingentis familiis in ditiones Caesareas abierunt. His maxima celeritate peractis, in Daciam reditum est, nulla injuria oppidanis illata. Maurocordatus Cibinii arcte custoditus, altero anno libertatem consequitur.

Paucis post diebus Byzantio adfuit Bucheresti Maurocordati Germanus, provinciam Valachiae administraturus. Vir ingenio ut erat minime crudo, & aspero, Steinvillum per Oratores convenit pacis ineundae causa. Annuente Vienna, hujusmodi conditionibus transactum est: *Valachia adamnem Alutam protensa Caesari pareat. Populationes Caesareorum Valachi redimant. Nobilibus Valachis jus esto, quocunque vellent, migrandi.* Verum haec pacta Ottomani suis procursionibus adhuc eodem anno convulserunt. Clades insuper aliqua in Moldavia accepta est Ernavii Centurionis temeritate. Hic provinciam hostiliter ingressus, fusis ad Jassium Turcis, ac Tartaris, fugientem Vaivodam acrius, ac par erat, in suspecta regione, persequebatur. Moldavi conspecta Germanorum paucitate, e montibus, & cavernis, quo primus eos pavor abdiderat, ad signa redeunt, atque Ernavii vagum militem momento fugant, caeduntque. Plus tamen dedecoris, quam cladis illatum.

Dum haec a Caesareis secundo plerumque Marte aguntur, Venetorum fortuna respiravit. Angelus Emus Praetor Dalmatiae, & Albaniae, accepto ex Italia novo supplemento militum, utramque provinciam adversus repentinas hostium procursiones communiit, limitanea praesidia Norinum, & Opuntem, quibus obsidio timebatur, rebus necessariis instruxit, Narentae munitiones, quod eo in loco morbi grassarentur, jussu Reipublicae evertit. Omni denique nervorum contentione incubuit, ad devinciendos sibi Dalmatarum animos, quorum virtuti bellicae plurimum tribuebat. Erat autem miserrima conditio Dalmatarum. Anno superiore crebris populationibus adeo vastabantur cum Venetae, tum Turcicae ditionis oppida, ut horreis ubique combustis, regnum totum ingens cum summa caritate frumenti penuria afflixerit. Insolitae famis impatientia plebem prope in tumultum egit. Morlachi rapinis vivere assueti, cum neque domi, neque in hostili agro quidpiam remedii viderent, herbas, radicesque in cibos verterunt. Emus ut praesentem inopiam levaret, ac fidissimum populum suae Reipublicae arctius innecteret, de re frumentaria providit, missisque navigiis in Italiam, tritici non levem copiam Dalmatiae portubus invexit. Sfinga, & Novo castello munitis, castra fecit ad Clissam, numero militum superior Ottomanis, quos bellum Hungaricum imminuit. Verum & Emus jussu Senatus legiones aliquot Corcyram dimisit, satisque habuit evigilare, ne in provincias irruptiones fierent.

In hunc modum procurata Dalmatia, rursum omnium curae in insulam Corcyrensem sunt versae, quod Jancongias non semel jactarit: expeditionis maritimae, sumptuumque tantorum, & copiarum solam Corcyram dignum esse praemium, qua capta ipsas Venetias, omnemque Italiam jugum Ottomanicum accepturam. Itaque ad firmandum hunc Italiae aggerem, hoc rapagulo cohibendam barbarorum eluvionem dies, noctesque incumbitur. Locus alioquin firmissimus, a Schulenburgio ita brevi rebus omnibus instructus est, ut vim quantamvis elusurus non ex vano censeretur. Obsederat eum septimo, & trigesimo supra millesimum quingentesimum annum A) potentissimus Imperatorum Solymanus II. cum Barbarossa classis Prae-

A) Vide Tom. I. Imp. Ottom. pag. 142.

Præfecto, sed irrito conatu, insulam tamen qua late patet incendiis fœdavit. Post Solymanum nemo hostium Corcyræ obsidionem inferre est ausus, sive Peloponnesum prius expugnandam esse existimarent, sive magnitudine rei suspensi, vererentur, ut oppugnatio quibuscunque copiis cœpta, exitum prospere sortiretur. A. C. 1716.

Jancongias in Corcyram dudum intentus, postquam Vezirius in Hungariam movit cum terrestribus copiis, ipse quoque vires maritimas in Venetos convertit. Prætervectus Peloponnesum ad Zacynthum insulam anchoras jecit, admonuitque Prætorem insulæ: se validissima classe Corcyram petere, sperareque navigationi propitios ventos, & obsidionem feliciter cessuram. Proinde prompta deditione sibi, insulanisque consulat, ne, si vim experiri malint, privilegiis amplissimis, fortunis, vita ipsa exuantur. Hoc intellecto, Pisanus Architalassus Venetæ classis, ad Andream Cornarum Legatum suum, nuncios expedivit, ut quantum posset numerum navium quamprimum cogat, atque Corcyram insulam tueatur. Vix Veneta classis ad Corcyram apparuit, cum Jancongias pugnam declinans, versus Africam vela flexit. Rediit subinde navigiis auctior, atque ad Hydruntum refecta classe Aulonem profectus est. Hic accepto e finitimis agris frumento, in plures menses suffecturo, quinta Julii cum duobus, & viginti majoris formæ navigiis; totidem fere Africanis, & Alexandrinis, ad angustias Buthroti sinum Corcyrensem plenis velis intravit; Venetis, ubi resciverunt, admiratis Jancongiæ consilium, qui se admodum arduo, nec processuro negotio implicuisset, exercitumque munitissimam apud insulam indubiæ cladi objecisset.

Pisanus partitus cum Cornaro classem, Jancongiam secundo Austro prævertit, invectusque portum Corcyræ, insulanis maturum auxilium tulit. Sed veritus, ne impressione Turcicæ classis in iis angustiis cladem accipiat, sublatis anchoris cursum direxit ad Cornarum. Jam auxiliares naves Hispanæ, Pontificiæ, Melitenses, Florentinæ se Cornaro conjunxerant pugnandi avidæ, & paratæ. Habito Senatu omnium sententia erat: universis viribus sinum Corcyrensem, quo secundi venti invitant, recta petendum, ac barbaros in conspectu præsidii invadendos. Disposita acie, extensaque classe Christianorum, in ipso Corcyrensi sinu, Jancongias sua quoque navigia in certamen educit. Pugnatum utrinque ardentius, quam perseverantius. Nam Ottomani id unum in votis habebant, ut ne e sinu pellerentur; cæterum contenti Venetorum impressionem morari, aut eludere; & Veneti satius ducebant eminus, ac per intervalla pugnare, bellicis, reque tormentaria superiores; & haud dubie laceraturi inimicam classem, si majoribus duntaxat machinis certaretur. Ludovici Flangini, & Ludovici Diedi grandes bellicæ, pilarum tempestatem primæ exceperunt, inque hostem mutuo miserunt. Duas horas densissimum inter fumum perpetuis ictibus tormentorum se se fatigaverunt multis militibus cum nautarum grege mutilatis, aut occisis. Acceptis, illatisque vulneribus fessi, advolantibus cum suis navigiis Marco Antonio Diedo, Daniele Dolphino, & Cornaro respiravere. Jancongias parem numerum navigiorum suis auxilio misit, pugnamque languentem accendit. Eo die Christianorum classis nobilem victoriam reportatura erat, si, ut imperatum fuit, proposito certaminis signo, major pars navium in hostilem classem concitata fuisset. Unde Centuriones aliquot in vincula dati, neglecti imperii pænas solverunt. Sed isti præfecturis suis postliminio redditi malaciam incusarunt, quæ calente prælio tanta repente oborta est, ut se movere loco minime possent. Pisanus, & Cornarus remittente ob noctem pugna, classem in Corcyræ portum reducunt; subinde vicinæ A) insulæ admovent eo consilio, ut, si occasio ferat, navale certamen redintegrent, & cum obsessis eundem hostem distineant.

A) Historicis ea insula Scoglio di Vido. Pugnæ locum, & Corcyram oppugnatam distinctis coloribus edidit Homannus in tabulis Geograph. Schulenburgio dicatis.

A. C. 1716. Jancongias etsi male mulctatus, quia tamen loco depulsus non erat, pro victore se ferebat. Abeunte Veneto, confestim triginta peditum, tria equitum millia in insulam Corcyrensem exponit. Equites celeri cursu provecti, terrorem tota insula sparserunt. Princeps eorum industria fuit, munitiones Schulenburgicas, si possent, explorare cominus, aut oppidanos excipere, e quibus rescirent, quid validum, quid infirmum in præsidio. Designatis castris, ac obsidionali apparatu e navigiis deportato, summa celeritate aggeres, tum subterraneæ fossiones fiunt. Sub exitum Julii e binis suggestibus urbs, & classis in insulam adjacentem subducta, infestari est cœpta. Classis nihil detrimenti est passa, quod pilæ quantacunque vi impulsæ, ægre admodum perferrentur ad naves. Placuit tamen Jancongiæ non desistere ab hac irrita oppugnatione, quo videlicet famam sui intenderet, veluti perinde classem, ac Corcyram obsessam teneret.

Utiliorem operam posuit in oppugnandis montibus Abrahami, & S. Servatoris, Corcyra sat procul dissitis. Utrique castellum impositum fuit. Schulenburgius adventu Turcarum cognito, quadringentos Græcos, centum Dalmatas præsidii causa ad montem Abrahami dimisit. Servatoris castellum cohortibus Germanis custodiendum attribuit. Turcæ montem Abrahami corona circumplexi, excidiumque loco interminati, ad deditionem invitant præsidiarios. Ab his non sine stomacho rejecti, aggressionem maximo ardore animorum adornant. Utrinque tanta pertinacia concursum erat, quasi in unius montis expugnatione fortuna Corcyrensium veteretur. Cum non modica clade, & ignominia invasores depulsi, palmam concessere Christianis. Haud omisero militare factum Isaci Audale hominis Hebræi. Hic extra munitiones progressus, quamcumque in partem se flecteret, terrorem, fugamque hosti intulit. A validissimis octo Janicsaris circumventus, in orbem pugnare cogitur. Uno, atque altero interempto, ipse lethali vulnere sauciatus, ad extremum occubuisset, ni Decurio Dalmata auxilio accurrisset. Consanato vulnere Christiana sacra amplexus, Joannis Baptistæ Soranzii nomen, & Centurionis munus accepit. Turcæ a clade ferociores paucis post diebus aggressionem retentant. Mainæo Tribuno in æstu prælii trucidato, & plerisque Dalmatarum concisis, Abrahami castellum, eodemque ardore Servatoris munimentum occupant, præsidiariis aut cæsis, aut captis.

Duobus his montibus potitus Jancongias, vi omni in Corcyram obversa, obliquis appropinquationum viis, cuniculis cavandis omne tempus impendit. Opinione celerius promotis operibus, e festinatis novem suggestibus mænia, urbisque tecta adeo diebus, noctibusque verberata sunt, ut omnia in ruinam abirent. Schulenburgius, ut diversarum nationum in defendenda urbe æmulationem accenderet, singulis ductorum certam stationem, munitiones propugnandas designat. Itaque ne a suis, aut hostibus in eo bellicæ virtutis theatro vincerentur, incredibili constantia, quam propugnandam accepere stationem, tuebantur. Et quoniam nitratorum pulverum vis ingens in urbe aderat, multo e propugnaculis igne repugnarunt machinatorus, ut adeo solutis tot centenis prægrandibus tormentis, non insula modo, sed dissita quoque loca nutantibus ædificiis trepidarent. Continuatis fossionibus ad extimum valli labrum jam pervenerant Turcæ, occupatisque atroce plurium dierum oppugnatione munitionibus, quas Schulenburgius objecerat, ipsis propugnaculis imminebant.

Pisano eæ vires accreverant (quippe a Principibus Italiæ, quos videlicet Corcyræ discrimen solicitos tenuit, nova auxilia advolarunt) ut pelli hostem, urbem servari posse existimaret. Ergo hostem obsidione depulsurus semel, atque iterum universam classem in pugnam componit, ac plenis velis Corcyram contendit. Verum reflantibus repente ventis, non jam cum hoste, sed mari luctandum erat. Hoc modo classis bis educta, toties inter tempestates in insulam reduci debuit, Turcis in tanta propinquitate nihil hostile movere ausis. Obsessi eo alacrioribus animis ad defensionem urbis semet

met compararit, quo planius perspectum habebant, maritimas vires non A. C. tam ad vota Architalassi flecti, quam ventorum, tempestatumque furore 1716. circumagi. At Turcæ non levi cura soluti abeunte classe, oppugnandæ urbi summis viribus incumbunt.

Post assultus in molem portæ principi A) præstructam infeliciter tentatos, producta aliquot diebus verberatione ampliatæ fuerunt ruinæ. Tum subterraneis fossionibus, & cuniculis solutis succussa magnam partem mœnia retentandam aggressionem suasere. Ne sudium vallo hiatum explerent obsessi, in ruinas, in urbem perpetuo fulminatum est. Multa pilarum millia in interiora præsidii e mortariis evibrata. Jancongias de extero hoste securus, supremam oppugnationem in diem undevicesimam Augusti edicit. Omnibus ad tantum opus necessariis magna solicitudine curatis, pridie ejus diei ante solis occasum peditum cohortes e castris evocat, densissimo fumo excitato, ne quid agatur, ab obsessis posset conspici. Schulenburgius e rei novitate malum auguratus, præsidium omne in armis, murisque hiantibus esse jubet: singulos Ductorum fortitudinis admonet, gregarios, cives, & semetipsum, velut in ultimum discrimen comparat. Illucescente die, flos Janicsarorum in ruinas uno cursu evadit, & Germanum peditem repentina impressione turbatum profligat. Itali, Dalmatæ sociorum strage perculsi inter pugnæ, & fugæ consilium, in vicinas munitiones se retrahunt. Palam cedentibus Christianis, crescunt animis Turcæ, prorutisque vallis in propugnaculum erumpunt; insequuntur magno numero subsidia, læto clamore victoriam ingeminant. Triginta signis per ruinas defixis, prope erat, ut eo die urbs caperetur. In eo discrimine Schulenburgius, Antonius Loredanus, Franciscus Mostus, Antonius Sala, & primarii quique Ductores, tractis secum integris cohortibus, ad ruinas convolant, tanto quidem celerius, quanto tristioribus nunciis aliis super alios, evocabantur. Horum adventu redintegrata est pugna, si unquam alias, ferox, & memorabilis. Super mœnium ruinas robur hostium, & præsidiariorum constitit, animo truci, deliberatoque, diem illum aut victoriæ primum, aut vitæ supremum destinantium.

Ære campano, & frequenti tormentorum sonitu excitati cives, pars in invasores ruere, pars tela pugnantibus ministrare; ipsæ fœminæ sexus sui oblitæ, nunc tela in hostem emittere, nunc saucios maritos efferre; nec cadentium fremitu, nec suis vulneribus loco, vel animis moveri. Religiosorum non pauci, pugnantium manipulis immixti, voce, & exemplo animum suis, terrorem hosti incutere; alii cum Augusto Zaccho ædes sacras adire, & opem Divinam ardentibus votis implorare. Turcæ nihilominus, quantacunque contentione repugnarent Corcyrenses, quas ceperant, stationibus persistere immoti, novis subsidiis perpetuo affluentibus. Post cruentum sex horarum certamen, cum Janicsari aggesta tellure defensi, nulla vi ignium detrudi possent, Schulenburgius, e Dalmatis, & Italis octingentos B) carptim deligit, miscetque. Hos in aciem compositos contenta voce hortatus, ut præsenti animo pugnam capessant, inopinato hostium latus petere jubet.

Ad eam vocem, tanquam prælii classicum, concussis ferociter armis, ipso Schulenburgio Duce promptissimi erumpunt, & repetitis fistularum displosionibus Martiam hanc scenam magnopere commutant. Nam confertis ordinibus pedetentim progressi, dein in duo agmina divisi, e castris accurrentes glandium procella rejiciunt; tum Janicsaros diutino certamine, & vulneribus fessos ea fortitudine invadunt, ut qua cæsis, qua fugatis, amissum propugnaculum recuperarint, simulque viginti signa, ut erant defixa, ceperint. Loredanus, atque alii Duces eodem tempore acrius invecti, stragem a fronte, & altero latere edunt. Ita in medio deprehensi Janicsari, ad satieta-

A) Alias Regia Porta a Scriptoribus nuncupata. B) Ita Hieronymus Ferrarius pag. 130. Alii scribunt quatuor armatorum millia in hostem erupisse.

A. C. satietatem cæduntur. In ipsis ruinis bis mille cadavera reperta sunt, cum
1716. instrumentis omnis generis. Nemo e præsidiariis fuit, ad quem pugnandi ordo non rediisset; multique e Dalmatis periculorum avidi, telis oppressi. Schulenburgio tum oppidani, tum hostes decus servatæ urbis merito tribuerunt.

Post infelicem hanc oppugnationem, nihilo fractior Jancongias, alteram adornavit. Verum eo die ventis violentius incumbentibus, tempestas tam præter solitum atrox oborta est, ut ingenti fragore effusis imbribus, & fulminibus omnia permiscentibus, Turcæ supremum sibi diem illuxisse trepide conclamarent. Et sane miseranda facies castrorum erat. Tentoria pleraque ventorum, aut aquarum impetu proruta, in valles profundiores volvebantur. Impedimenta increscentibus aquis, hinc illinc ferebantur; tanta vero celeritate tota insula contecta fuit, vix ut spatium fuerit hominibus, & jumentis in sublimiora evadendi loca. Ea alluvione omnium animi conciderunt. Ipse Jancongias Superum iram interpretatus, unice in votis habuit, maturare fugam ad classem.

Neque diu ausus subsistere in insula, posteaquam intendentibus se tenebris tempestas desiit, nullo edito proficiscendi signo copias ad navigia reduxit, ac eadem adhuc nocte vela in altum fecit. Postridie cum machinæ silerent, nullumque navigium appareret, Schulenburgius insidias veritus, præsidiarium in armis continuit. Exploratum missi Dalmatæ, repererunt castra rebus omnibus referta, & non paucorum Turcarum corpora aquis suffocata. Ad nuncios rei jucundissimæ, urbs omnibus lætitiis incessit, ac exercituum Domino solennes habuit grates. Multi captivorum beneficio noctis, & insolita trepidatione hostium usi, libertatem recuperarunt. Ab his cognitum: ea nocte visas per cœlum concurrere acies, rutilantia arma, & subito nubium igne collucere præsidium. In ipsis mænibus apparuisse virum magnitudine eximium, Sacerdotali cultu more Græcorum ornatum. Sanctum Spiridionem fuisse, cujus corpus Corcyræ pie colitur, cives credidere. Hoc plerique Turcarum in metum trahebant; omnes celerem ex insula discessum urgebant.

Effusi in castra oppidani juxta, & milites, prædam multiplicem receperunt. In armamentarium publicum illata sunt septuaginta tormenta, mortaria dena, quinquies mille bellici pulveris dolia, duo, & viginti majorum, & minorum pilarum millia, capti bis mille equi, sedecim millia boum, terna millia papilionum varia supellectile instructa; tum frumenti vis ingens direpta. Præcipuis defensoribus a Republica honores decreti. Schulenburgii armata effigies ex ære captivo conflata, in principe foro Corcyræ ad immortalem defensæ urbis memoriam erecta est; quinis millibus aureorum nummum singulos in annos stipendium adauctum. Loredanus in Ordinem equestrem D. Marci A) relatus. In Franciscum Mariam Cittadelam, ob amissum fratrem, & duos filios, amplissimi fundi translati. Pisanus, & Cornarus gestientis Italiæ laudes cum perpetua nominis sui gloria abstulerunt. Isti simul ut cognovere, Jancongiam obsidionem solvisse, levatis anchoris fugientem insecuti sunt. Verum adversi primum venti, deinde discordia Hispanos inter, & Melitenses exorta, navigationem retardarunt, classe Ottomanica ad fauces Hellesponti revolante. Pisanus non multo post insulam S. Mauræ, sive Leucadem, a Turcis metu desertam, in suam potestatem redegit; & quoniam autumnus ventis, atque pluviis fœdus graviora minabatur, militem in hyberna reduxit. B)

1717. Annus, quem ingredimur MDCCXVII. perinde Cæsari, & Venetis victoriarum ferax decurrit. Hyems pro more multa consultatione, legationibus, militum delectu, ædificandis, reficiendisque bellicis exacta. Byzantini infelici bello fracti, desiderio pacis languescebant; neque Mustaphæ novo

A) Ornamenta hujus illustris Ordinis in lucem edidit perelegans Scriptor e nostra Societate P. Josephus Pintér Anno MDCCXLII. typis Tyrnav. Inscriptio libelli: Conspectus equestrium Ordinum per Europam omnem florentium. B) Hieronymus Ferrarius Lib. II.

vo Vezirio eadem vel alacritas, vel authoritas, qua torrentem hunc animo- A. C. rum sisteret. Ipse Imperator, non secus ac bello victus, armorum cessa- 1717. tionem unice optabat, veritus opinor, ne populus amissione Temesiæ exasperatus, turbas per Imperium misceat, & novum Principem pro sua potestate throno imponat. Ad avertendum hoc malum, Purpuratos, ac militares Præfectos, quos infelicis belli authores, Byzantini omnibus diris insectabantur, uno die strangulari jussit, eorumque cadavera in forum raptari. Extincti quoque Vezirii clientes, partim elisis faucibus, partim cervicibus abscissis, suæ amicitiæ, & properati belli mercedem accepere. Istorum opes ærario Imperatoris illatæ.

Hunc in modum noxiis capitibus sublatis, urbs meliora sperare potuit. Spem alebat Achmetes armorum jam satur, pacisque desiderium palam præferens. Venerat Byzantium Milordus Wortlæus Angliæ Orator, qui diu versatus Viennæ, negotiandæ pacificationis spei quidpiam attulisse est visus. Cum hoc Imperator crebro consultabat, qua ratione bellum Vezirii imprudentia cœptum, pace componi, aut Veneti a Cæsaris fœdere avocari possent? Wortlæus non ignarus, qui apparatus fierent per Hungariam ad continuationem armorum, postremum edixit: Cæsarem superioris anni victoriis illectum, nihil pacati ad aures, animumve admissurum; nec Principem Eugenium belli occasione lætissimum, militem collectum a signis dimissurum sine prælio. Belgradum haud dubie Cæsareis in præmium victoriarum cessurum, nisi Turcæ nervis omnibus obsistant. Venetos vero eo dementiæ nunquam delapsuros, ut deserto Cæsare, cujus societate ab interitu nuper vindicati sunt, iras, armaque deponant; pacem ineant alienissimo tempore, & suam ipsi fortunam corrumpant. Et reapse qui Venetias expediti sunt ad conciliandam Rempub. oleum, operamque perdiderunt Turcæ, etsi quæstuosas conditiones nimis, quam liberali animo offerrent. Imo hæc anxia solicitudo Ottomanorum, omnium mentes ad prosequendum bellum inflammavit.

Vanescente induciarum spe, quod unum supererat, ad vim, ac bellum animum applicuit Achmetes, ut multi interpretabantur, non invitus. Ne tamen bellum alere sua sponte videretur; quæ cum Venetis egerit, quas conditiones pacificationis causa ultro obtulerit, quam dictatoria pompa Veneti pacem repudiarint, in vulgus spargit. Tum accito Purpuratorum senatu, quid in his difficultatibus consilii, ab singulis exquirit. Duæ factiones erant in aula, quarum Principes Mufftius, & Vezirius: ille in pacem, hic in bellum diversa via ferebatur; habebatque uterque e prima nobilitate suos clientes. Mufftius multitudine populi pacem anhelantis longe superior, Vezirii molitiones oppressurus erat, si Confœderati in semestres, aut annuas inducias semet proclives ostendissent. Cum vero & Cæsar, & Veneti arma summis viribus appararent, internuncios pacis, veluti intempestivos nundinarores, cum stomacho rejicerent, Vezirii factio tanto validior in Senatu evasit, quanto certius relatum erat, bellum inevitabile Turciæ fore. Mufftius e re minime existimavit, plerorumque sententiæ intercedere, ne se invito aliquid conficeretur in senatu, aut certe noxia altercatione segniores redderentur Byzantini ad bellum propulsandum. Igitur omnium consensu, qui consultationi intererant, fatalis equi cauda, & grande Mahometis vexillum Byzantii proponitur; adversus Cæsarem, atque Venetos, pacis osores, bellum continuandum edicitur, provinciæ omnes in militiam jubentur commigrare, classiarii undique coguntur, Belgradum, Semendriam, Vidinum, Nissam, aliaque in præsidia juxta Danubium, libratores, operum magistri cum bellica penu mittuntur, nova tributa Latinis, Græcis, & Hebræis imponuntur, magna Syriæ, magna Ægypto, Macedoniæ, omnique Græciæ imperata pecunia, omnia denique hybernis mensibus tanta industria Præfectorum curantur, ut primo vere in campis Adrianopolitanis bis centena millia pugnatorum censa fuerint, non adnumeratis iis, qui ad custodiam classis Danubianæ dati.

A. C. 1717. Non minus maritimæ vires, Jancongiæ infinitis curis, per hyemem augebantur. Exercitum ad Corcyræ muros magnopere fractum numerosis supplementis instaurat, e Peloponneso rem tormentariam accersit, in Ægyptum frumentarias naves festinare jubet, cum primariis Ducibus de oppugnanda rursum Corcyra multum deliberat, horas omnes belli curis unice attribuit. Jamque disposito navali apparatu, vela facturus erat, cum ea improviso Imperatoris jussu præfectura exuitur, ac Coronen in exilium deportatur. Præcipitem actum æmulorum invidia, quos ei seu dignitas muneris, seu insita arrogantia plurimos conflaverat, non anceps conjectura est. Nec defuit illis criminandi materia, qua hominem teterrime apud Achmetem depingerent. Arguebatur inprimis: opulentiores captivos in Asia clam divendidisse, qui jure belli capti Quæstori Imperatorio tradi debuissent; cum Venetis mancipiis A) familiarius agere, atque hostem deceat, iisdem alimenta, pecuniam large præbere; in septem turribus aliquot nobilium captivorum custodias laxasse, ut scilicet cum istis ad Venetos fugam arripiat. Ejusmodi criminibus credulas Imperatoris aures occuparunt. Antequam accusari se suspicaretur Jancongias, in vincula est traditus. Subinde non tam imperio Achmetis, quam æmulorum odio tormentis subjectus, opes hoc bello corrasas vi dolorum prodidit, & amisit.

Parem classi Gubernatorem, nec promptum Imperatori tunc erat invenire, nec diu per otium quærere permittebat necessitas festinandi; quippe Venetæ naves Flangino moderatore Ægeum mare jam infestum reddidere. E multis qui præfecturæ inhiabant delectus est Ibrahimus Alepi Gubernator, rei quidem maritimæ haud ita peritus, sed magnæ authoritatis inter suos, & divitiis præpollens. Antequam iste in Flanginum moveret, Duchir Vainiczæ Gubernator, S. Mauram, ab Ottomanis superiore anno trepide desertam, intercipere voluit. Spem intercipiendæ insulæ murorum ruinæ nondum obstructæ fecerant, & tenue præsidium. Re comperta Pisanus, qui ad Corcyram in anchoris stetit, confestim misit Antonium Loredanum cum aliquot signis peditum, ad instaurandas ruinas, locumque defendendum. Duchir horum omnium ignarus cum sex millium Epirotarum agmine, insulæ appropinquat, exploratoque sinu maris partem, equitum, atque peditum in insulam trajicere cœpit. Itali sub Fulvio veteri, fortique Tribuno adeo firmis ordinibus subeuntes excepere, ut nemo hostium in insulam penetrarit, plerique acceptis vulneribus mediis in aquis misere perierint. Postridie impetu, quam successu majore, ipse Duchir in adversum litus ferebatur. Sed glande confixus, momento expiravit. Quo viso Ottomani multo celerius, quam venerant, in Epirum se ejecerunt. Penes Venetos futura erat ejus diei plena victoria, si perculsis, palantibusque insistere licuisset. Navigiis destituti truci duntaxat fremitu fugitivos prosecuti sunt.

In mari Ægeo multo pervicacius dimicatum a Turcis. Octava Maji Flanginus cum quatuor, & triginta navigiis e Corcyrensi portu discedens, secunda navigatione in Ægei maris insulas pervenit. Istud eo consilio egit Flanginus, ut bellum a Reipub. oppidis procul arceat, hostesque ad sua potius tuenda, quam aliena invadenda adigat. *NULLO* quippe telo mortales facilius ab alienarum rerum invasione coercentur, quam si ad sua defendenda curas, viresque revocare cogantur. Divisa tripartito classe, navalia hostium celeriter percursat, insulas, ut erant præsidio nudæ, populatur; captisque aut exustis non paucis navibus, tantum terroris sparsit, ut naves aliquot ad frænandum Danubium destinatæ, pro faucibus Hellesponti locatæ fuerint, dum universa classis e portu Byzantino solveret. Constabat illa quadraginta duobus navigiis diversæ formæ, rebus omnibus egregie instructis. Duodecima Junii juxta insulam Imbrum simul ut in conspectum Venetorum advolavit, prælium commisit, non tam strage hominum, naviumque, quam rara

A) Inter captivos numerabatur Vincentius Pasta, qui dedita Methone in servitutem lapsus est. Vide res gestas anni 1715.

rara pertinacia memorabile. Nam in seram noctem protractum fuit. Cæcis ictibus vitam amiserunt e Venetis bis centum, sauciati quingenti. In hostibus vix major strages edita.

A. C. 1717.

Depulsis vixdum tenebris, apud Lemnum insulam, quo se recepit Flanginus, rursum signa cecinerunt. Promotis in altum navigiis, hesterna dimicatione irritati, ingentibus animis in pugnam se comparant. Jam fere sub tormentorum ictus successerant, cum adverso vento repente exorto, navium cursus turbatus est. Ibrahimus illico in portum, unde discessit, renavigavit, maris perinde, ac Venetorum iras metuens, Flanginus, quia diutius persistit in delecto certaminis loco, veluti victor suam stationem repetiit. Triduo post faventibus utrique classi ventis, iterum ad manus venerunt. In Flangini bellicam vis omnis Turcarum incubuit. Sed ea militum robore, tum majorum, minorumque tormentorum copia instructa, quo se cunque vertebat, terrorem, & cladem inevitabilem spargebat. Multæ igitur hostium naves lacerabantur. Quo viso Ibrahimus receptui cecinit, atque in Lemnum insulam remis, velisque trepidus aufugit. Victoria haud dubie Venetorum fuit; ei tamen multum decerpsit lethale vulnus Flangini, quod in ipso æstu certaminis accepit. Ne ducis casu refrigesceret pugna, Antonius Benussius, vir spectatæ militiæ, suis consiliis, & egregiis factis perfecit; a Senatu Veneto in Ordinem Equestrem S. Marci relatus. Flanginus ad extrema deductus, in loco pugnæ biduum exigere statuit. Verum inopia dulcioris aquæ, Naupliam versus navigandum erat. Hic jactis anchoris, dum in naves Africanas aggressionem edicit, maximo mœrore universæ classis vivere desiit.

Interim ad Pisanum in portu Corcyræ hærentem auxiliares naves pervenerunt; quatuor Pontificiæ, Florentinæ duæ, quinque Melitenses bellicæ cum duobus navigiis. His omnibus moderabatur Balius Bella Fontana. E Lusitania adduxit novem majoris formæ bellicas viris juxta, atque armis validas, Comes de Rivos. Confestim in Zacynthum vela dederunt. Insulani diversa retulerunt de Flangino; alii narrabant: eum magno prælio devictum a Turcis, classemque amisisse; alii victorem ad fauces Hellesponti penetrasse, omnesque insulas maris Ægei populatione hausisse. Rerum incertus Pisanus, multas inter curas nuncios operiebatur. Tandem navis (duæ ab Africanis piratis interceptæ erant) citatis remis advolavit, mortem Flangini, & res dubias viduæ classis patefaciens. Eam regendam suscepere Marcus Antonius Diedus, & Franciscus Correrus classiariis uterque percharus, quod veteres militiæ non ære, sed virtute bellica præfecturas adepti sint. Isti, ne quam cladem ab imminente Ibrahimo acciperent, ad Tænarium A) promontorium firmissimam stationem ceperunt.

Pisanus, cæterique Duces haud diutius expectandum rati, ad opem quantocius ferendam omnia accelerarunt. Auxiliares primum, dein Venetæ naves, anchoras levarunt, ventisque prospere flantibus, in portum Mainotarum, quem petebant, feliciter venerunt. Mainotæ sive metu præsenti sive veteri amicitia erga Venetos impulsi, quæ in usum classiariorum erant, sponte sua in naves comportarunt, ea promptitudine suorum agrorum populationem redimentes. Ante omnia præcipua Ducum solicitudo fuit, ut se ante conjungant minori classi, quam Ibrahimus reparatis viribus e latibulis prodiret. Is post ultimam pugnam ad resarcienda suarum navium damna, Thessalonicam classem subduxit, missisque cursoribus ad Imperatorem, & Vezirium, impudenti vanitate suas victorias, suos triumphos nunciavit. Mendax rumor non modo in Turcarum castris, sed in præcipuis etiam Europæ aulis fidem reperit. Sinistris sane locutionibus, Reipub. fama, velut non optima fide agentis, apud Viennenses vapulabat, auditæque voces: *in Cæsarem belli summam devolutam; integrum esse Ottomanis, quantas libe-*

A) Tænarium promontorium Peloponnesi, Geographis Cabo Matapon, fabulis Poetarum nobile.
B) De Mainotis hoc Tomo egimus pag. 47. 255. & seq. Mainotarum portus alio nomine etiam Quaglia nominatur.

A. C. 1717. *ret, copias in Serviam, in Hungariam infundere dormientibus Venetis; eorum classiculam prope inermem ad Corcyram stare; complicatis manibus Cæsareorum infinitos labores Rempub. spectare; id unum agere, ut militi, impendiis parcat; alienis viribus pugnet, & vincat.*

Putidum rumorem diluerunt cruenta prælia mari, & terra conserta. Diedus, & Correrus, ut jussi erant a Pisano, appropinquante Ibrahimo majori classi accedere nitebantur sævissima tempestate jactati, prope erat, ut ab inimica classe circumfunderentur. Ducum, nautarumque experientia discrimen evaserunt. Jam utraque classis conjuncta, navigiorum numero, atque militum par Ottomanicæ erat. Unum torquebat Duces, quod immanes bellicæ ægerrime regi possent, neque eundem cursum cum navibus tenerent. Authores nonnulli erant Pisano: recedendum quamprimum ad Zacynthum insulam, ibique commodam stationem capiendam. Negavit Pisanus e re, vel gloria Christianæ classis futurum, si trepidis velis, veluti victi retrocederent; fugientium tergis hæsuros barbaros, etsi non victoriam, certe *FAMAM*, qua bella constant, ingenti probro Christiani nominis erepturos. Quin imo hostem longinqua navigatione quæsitum, repertumque universis viribus invadendem.

Sed Ibrahimus e sinu Coronensi, ubi tantisper substiterat, undevicesima Julii, instructis ad pugnam navibus erumpens, hanc gloriam Venetis eripuit. Lusitana navis, quæ vicinis ex insulis commeatus advexit, solutis tormentis advolantem prodidit. Itaque ad arma tota classe conclamatum est. De præripiendo invicem vento; cum eoque conspirando, multum certaminis fuit, quem denique Turcæ velocitate navium suas in partes traxere. Primus Diedus præsenti animo sua navigia in aciem disponere connisus, Cytheram versus cursum deflexit. Pisanus, Balius, Correrus, Comes de Rivos, aliique Præfecti eum strenue secuti, classiarios ad pugnam animabant. Nondum classe instructa, Daniel Dolffinus proximus hosti, properati prælii occasio fuit. Diedus, & Correrus pugnas maritimas sæpius experti, Dolffino ad classem refugiente, sua navigia continuo objecerunt. Turcarum naves non minus spe, quam vento tumidæ, in hæc acriter invectæ, ter non sine strage velorum, atque hominum repulsæ sunt. Eodem tempore aliquot bellicæ hostiles, facto circuitu a tergo aggressionem fecere adversus Melitenses, Pontificios, & Florentinos, qui secundam aciem formabant.

Jam totis simul classibus ab omni parte pugna conserta erat. Mediam aciem Diedus cum socio, fortissime non sustinuit modo, sed & utrique cornu in tempore auxilium tulit. Bina navigia multis tormentorum ictibus fatiscentia, e manibus hostium eripuit; eoque facto usque adeo Veneti accensi sunt, ut quatuor omnino naves prælio inhabiles reddiderint. Ne in triumphum abducerentur ab immissis *Brulottis* (sunt naves fundendis incendiis repertæ) ignes injecti in *Brulottos* prohibuere. Pisanus in hoc acerrimo, sed simul confuso certamine, partes optimi Imperatoris implevit. Cum fratre suo Carolo prætoria vectus, ubi plurimum periculi, intrepidus accurrit, voce, exemplo languidos incendens. Et quoniam Turcæ vento superiores, contempta suorum cæde undique incumbentes ordinem navigiorum vehementer turbaverant, fratrem Carolum cum Gallio vigiliarum Præfecto, classem circuire jussit, ac navium gubernatores admonere, ut instaurato ordine, novo animorum ardore proras obvertant.

Verum quantumcunque conniterentur Veneti, nihil e sententia cessit. Vastis, ictuumque capacibus bellicis, globo nusquam aberrante plurimum detrimenti illatum est a Turcis. Prætoria quatuor lapideis pilis percussa, princeps velum, & gubernaculum amisit. Aliæ claudæ, mutilæque, parum aberat, quin præda fierent. Octo horas ambiguo Marte extractum certamen abrupit Ibrahimus, a C. de Rivos in fugam abactus. Cæteræ naves, posteaquam Lusitanorum classem e secundo ordine progredientem, & Ibrahimi prætoriam vela dantem conspiciunt, sublatis raptim dolonibus (ut erat Secundus petentibus Cytheram ventus) fugam capessunt. Quot

Turca-

Turcarum, aut Venetorum læsi, vel occisi? haud reperi apud Scriptores. Id constat: Christianorum classem male mulctatam, navesque non paucas mutilatas. Bellicam, cui nomen a sacro fœdere, igne correptam periisse; navigium, quo vehebatur Ballus Bella Fontana periculo proximum (nam a tribus navibus circumventum fuit) virtute Comitis Hieronymi Savorgnani vindicatum. Strages maxima edita est in velis, funibus, & gubernaculis, raraque navis sine vulnere rediit. A. C. 1717.

Hac difficillima pugna defuncti Veneti, haud ultra tempestati obluctaturi, quæ per eos dies acrius cœpit furere, in Zacynthum, deinde Corcyram renavigarunt. Ibrahimus reparata classe, ad Corcyram retentandam oculos, animumque adjecit. Is rumor Pisanum, Schulemburgium, cæterosque Duces ad insulam firmandam incitavit. Jamque prætervectus Peloponnesum, Zacyntho appropinquaverat, cum tristibus nunciis Byzantium festinare jubetur: quippe cæso ad Belgradum Vezirio, Bulgariæ, & Thraciæ male metuebat Imperator. Hoc metu solutus Pisanus, cum Schulemburgio pedestrium copiarum supremo Præfecto Nicopolim obsedit. Loci Gubernator nullum jam effugium conspicatus, cum septingentis Janicsaris ferro sibi viam aperire contendit. In urbem rejectus, sine conditionibus se, & militem victoris arbitrio permisit. Præter commeatus varii generis capta tormenta triginta, & unum. Vainicza perinde maritimum oppidum una impressione in Venetorum potestatem venit, Turcis extra mœnia fusis, fugatisque.

Aloysius Mocenicus, Angeli Emi in Dalmatia successor, sat prospere provinciam administravit. Commissis aliquot velitationibus ad limites Herczogovinæ, in eam regionem se altius immerserunt Veneti, queis se addidere Morlachi magno numero. Quinto, & vicesimo Julio Imoschium oppugnari est cœptum. Viis omnibus occlusis spes nulla suppetiarum erat obsessis, & strages murorum a cuniculis imminebat. Præfectus facile expugnatus candido signo deditionem obtulit. Præsidiarii armis induti cum omni suppellectili, ut transactum fuit, dimissi. Multæ familiæ jugum Ottomanicum pertæsæ, ea occasione in oppida Veneti juris migrarunt. Herczogovina prope omnis a Turcis avulsa. Subinde Antibaro A) Adriatici maris oppido admotæ copiæ, menses aliquot nullo operæ pretio triverunt. Nam Græci partim mercede conducti, partim sponte in castra confluentes, cognito Scutaris Præfectum cum exercitu adventare, desertis Venetis discessere, neque ullis sive minis, sive precibus revocari poterant. Mocenico tantæ vires non erant; ut simul urbem mari, & terra impugnet, simul hostem ab invasione castrorum arceat. Quapropter retractis silentio noctis grandioribus machinis obsidionem solvit. Hæc Venetorum belli fortuna.

Carolus Imperator cum certis nunciis accepisset, Achmetem accisis licet viribus, bellum redintegraturum, ipse quoque futuræ expeditioni administro Eugenio Principe curas omnes impendit. Subsidiarium æs ab Imperii Principibus Ratisbonæ petitum, ac impetratum. Res tormentaria, annona in tempore procurata; supplementa etiam legionibus decreta, novique militum delectus per omnes provincias sunt habiti. Præter ingentem numerum tyronum, e flore Nobilitatis Europeæ ad signa convolarunt, Sobieskius Regius Poloniæ, Emanuel Lusitaniæ, Carolus, & Ferdinandus Bavariæ, unus, atque alter Gallicus Regii sanguinis, tum e Germania complures, aliique triginta Principes, auspiciis & ductu Eugenii prima belli rudimenta in Hungaria posituri, aut veterem militiam continuaturi. Copiis ad Futakinum convenire jussis, Eugenius secundo Danubio in Hungariam delatus, die primo & vicesimo Maji ad exercitum pervenit, e centum millibus armatorum conflatum. Iis diebus Baro Ernestus Petraschius, celebris procursor, munimentum Sirmii Lischiczam appellatum, assultu cepit, cæsis ad interneci-

 nem

A) Antibarum urbs Dalmatiæ Turcicæ, edito, & petroso loco sita, sic appellata, quod Bario urbi Neapolitanæ objecta sit.

A. C. 1717. nem præsidiariis, ac munitione eversa, signa hostilia, veluti majoris victoriæ augurium; in castra attulit. Ad decimam Junii profectione indicta, castra mota sunt Belgradum versus, quod Cæsar, & Eugenius in Senatu Bellico ad ictum destinarunt. Sed arduum videbatur, munitissimam urbem Danubio, & Savo assidentem, omni ex parte concludere propterea, quod classis Ottomanica utrique fluvio dominaretur; frustra vero a terra obsideretur, cui commeatus, ac subsidium omne per Danubium, aut Savum pateret. Eugenius ut utrumque flumen sua in potestate haberet, jam anno superiore Comiti Merzio Legato suo, in mandatis dederat, ut exerrantis Danubii alveum (vulgo Dunaviczam) quatuor supra Belgradum leucas, tantundem curaret augeri, quantum satis esset ferendis navibus majoris molis aquarum magnitudo. Is hyeme tota fossorum incredibili labore alveum ampliorem, navigabilemque reddidit, perfecitque, ut bellicæ in alveum immissæ, evitato hostili præsidio, ex quo navigia facile lacerari potuissent, infra Belgradum in Danubium rursum deferrentur. A)

Superatis Tibisco, & Bego fluviis, exercitus ad Pancsovam infra Belgradum, ubi Dunavicza majori Danubio miscetur, consedit. Eodem fere tempore Merzius tres bellicas, aliaque navigia militibus, atque omni telorum genere probe instructa, per notum alveum prospere devexit, atque ripæ, quam noster exercitus occupaverat, applicuit. Hic in conspectu sexaginta millium Turcarum adversam ripam insidentium, transmittendus erat. Ne clades acciperetur in tanta hostium propinquitate, caute admodum transitum adornavit Eugenius. Tribus bellicis ad vicinas insulas impulsis, ut trajecturis præsidio forent, si quid Orsova, aut Belgrado tentaret hostis, quatuordecim centuriæ pyrobolariorum, decem peditum signa pontonibus recepta, Duce Merzio B) periculorum avido, in oppositam ripam contendere sunt jussa. Ubi medium fluminis tenuere, soluta castrensi machina, ut conventum erat, socios admonuerunt, qui subito concussis armis, atque ingenti clamore C) edito, inter tubarum strepitus, tantum terroris incusserunt hostibus, ut deserta statione, præcipiti fuga semet receperint partim Belgradum, partim Semendriam. Merzius sine prælio, & sanguine potitus ripa, terreis operibus sese obmunit, remissisque celeriter pontonibus, aliæ, atque aliæ pedestres legiones eo adhuc die, postero autem equestres cum re tormentaria, omnibusque impedimentis transportantur. Hunc in modum traducto per vastissimum flumen exercitu, Eugenius sine mora copias Belgrado affundit, intra Danubium & Savum castra metatus.

In eum hostium munimenta explorantem cum Turcæ magno numero ex urbe incurrissent, conserto acri certamine, a pyrobolariis repulsi sunt. Nec meliore fortuna biremes, cæteræque naves usæ fuerunt, quæ e Savo, & Danubio continente explosione machinarum nostros impetierunt. Namque excitatis ex imperio Eugenii tormentorum suggestibus ad ripam utriusque fluminis, hostium navigia majorum, minorumve pilarum grandine sub urbis munimenta non sine clade repulsæ erant. Ad claudendum Danubium, pontem solidissimum e navigiis propius urbi admovet. Duæ bellicæ ad custodiam pontis, refrænandasque hostilis classis incursiones datæ, haud procul a ponte anchoras jecere, minoraque navigia contra urbem collocata, ut videlicet vim arcerent, si rescindendi pontis causa armata navigia essent a præsidio immissa. Tertia bellica ad Temesii ostium excubare est jussa, ne quid a tergo adversus pontem molirentur hostes. Intercluso Danubio, speque commercii omni a Semendria præsidiariis adempta, Savus quoque Hau-

beni

A) Simile quid attentaverat olim, prospero perinde successu, Alexander Farnesius Parmæ, ac Placentiæ Dux III. Belgii Gubernator, dum Antverpiam obsedit, ut narrat noster Famianus Strada Deca. II. Lib. VI. B) Lib. III. de rebus gestis Eugenii Principis a Guidone Ferrario Soc. Jesu conscriptis lego, Brounium primas cohortes transvexisse, prioremque apprehendisse ripam, post eum Mersium. C) Vetus hæc consuetudo fere omnibus gentibus, ut ante pugnam clamorem tollerent. Sic C. Julius Cæsar Lib. III. de bello Civili ait: „Neque frustra antiquitus institutum est, ut signa undique concinerent, clamoremque universi tollerent, quibus rebus & hostes terreri, & suos incitari existimaverunt.„

beni opera binis pontibus est stratus, ea firmitate, ut communicatis, quæ in utraque ripa fuerant, castris, peditum, equitumque copiæ cum oneratis plaustris, ac machinis castrensibus ultro, citroque ex usu commearent. Supra Belgradum fere eo in loco, ubi Savus confluentem efficit, haud procul a Semlino, naves duas majoris molis, a) tutelam pontium, Schwendimanius gubernavit. Non minorem curam muniendis castris Eugenius impendit. Vallum geminum festinatis operis erigi imperavit, quorum altero a Savo ad Danubium prope urbem ducto, præsidium arctius clausit, spemque omnem intercepit externæ opis accipiendæ; altero in angulum excurrente, castrorum terga adversus suppetias adeo valide e disciplina militari præmunivit, ut uni præsidio plura opposuisse diceretur. Namque crebris per intervalla castellis, & interjecta militum statione, ac centum sexaginta tormentis in aggere dispositis, vallum præcipue extimum firmavit. Addidit præterea cæcas suffossiones, furnulos frequentes pulvere pyrio fartos, aliasque munitiones, quas ingeniosa industria ad nocendum invenit, ut auxiliarium aggressionibus omnino impervium censeretur.

A. C. 1717.

Præsidiarii tanto acriores animos ad se, urbemque defendendam sumpserunt, quanto arctius terra, & aquis in dies premebantur. Injecerat in eam Vezirius primo vere validissimas legiones peditum, atque equitum, quorum numerum ab ora Danubii nuper depulsi adeo auxerant, ut in principio obsidionis, Janicsarorum vicena, Arnautarum, sive Albanorum quaterna, Spahiorum terna, Tartarorum arcu, & sagittis minacium bina millia censa fuerint. Nec minus firmamentum aderat a Gubernatore Mustapha, viro militiæ impigro, atque inprimis audente. Ingens præterea annonæ copia, nitrati pulveris; murales machinæ fere sexcentæ, mœnia, propugnacula firmissimi operis, tum Vezirii cum grandi exetcitu adventantis rumor, & depacta per circuitum murorum DCCC. rubei coloris vexilla, si non victoriam, certe diuturnam, cruentamque fore Christianis oppugnationem pollicebantur. Denique classis numerosarum navium, ac reliquus apparatus navalis in perniciem pontium multa industria conquisitus certissima spe illos alebat, Danubium continuo aperiendum, ut primum navali certamine congressi fuerint. Atque ut erant fræni Danubio injecti admodum impatientes, non diu cunctati, in pontem infra Belgradum extructum vires suas majoribus animis, quam fortuna verterunt. Molas, navigia oblonga, pice, sulphure, pulvere pyrio, aliaque materia partim alendo incendio, partim inferendæ stragi opportuna farciunt, ac emicante undique flamma secundo Danubio in nostrum pontem, & naves inevitabili ruina, ut putabant, hauriendas propellunt. Verum molæ rectoribus suis destitutæ, a nostris nullo negotio interceptæ, harpagonibusque in ripam attractæ, non sine ludibrio nautarum, pestem innocue evomuere; navigia adversante vento in eandem ripam propulsa, suo incendio absumpta gratum spectaculum accurrenti militi præbuere.

Major subinde tempestas incubuit in bellicas, quæ ad Semlinum, ut demonstravimus, ex imperio Eugenii stationem obtinebant. Ad explicandum Danubium, & Savum sat numerosam classem pro Belgrado excubantem, veterano armatam milite, expediunt hostes. Schwendimanius ut primum sensit molimina Turcarum, binas suas bellicas ad pugnam comparat, ac magno animo certamen capessit. Turcis res nulla ad virtutem defuit. Quinquaginta facile naves adverso Danubio inter inconditos clamores nautarum, militumque adventare conspiciebantur. Pars earum in duas nostras maxima vi devehebatur, pars Janicsaros, & Spahios ripæ exposuit ad invadenda castra, ne Schwendimanio suppetiæ mitti possent. Sed is quamcunque in partem immanes navigiorum moles verterat, illuc minas, terrorem, ac cladem late spargebat, raro aberrante globo in conferta Turcarum navigia emisso

a) Bellicas majoris molis Danubio immisit Marchio Fleury, dein Assemburgus. Vide pag. 332. & 341.

A. C. ſo. 1717. Biremis Turcica ad repetitam emiſſionem pilarum ſubmerſa, non levem trepidationem injecit navigiis, nunc a tergo, nunc a latere incuſantibus bellicas. Ubi vident lignea illa caſtella ictuum quidem capacia, at citra vulnera, integra perſtare, ſua vero navigia fœde lacerari amiſſo certamine multa celeritate fugam arripiunt Belgradum. Qui ſe in caſtra infuderunt, ab Haubeno, & Sekendorffio fortiter excepti, ardentius, quam perſeverantius noſtrorum impetum ſuſtinuerunt; viſa demum ſuorum trepidatione, ac fuga, veriti ne reditu intercludantur, contento curſu navigia ſua inter promiſcuam cædem trepidi petierunt. Depulſo hoſte Schwendimanius, cujus virtuti potiſſimum hæc victoria debebatur, in conſpectu hoſtilis urbis nobilem triumphum, editis ingentis lætitiæ ſignis, collucentibus feſtivis ignibus, ac machinarum repetita exploſione egit, Divinæque clementiæ grates perſolvit; navali corona tanto dignior, quanto minore impendio victor evaſit. Duabus his bellicis adjungi placuit tertiam Divi Eugenii nomen ſortitam, quæ eatenus Petro-Varadini in anchoris ſtabat. Singulæ iſtarum XL. & amplius tormentis, milite, turba nautica onuſtæ, mole, robore maritimis fere pares erant.

Hac clade nihilo ſegnior Gubernator, in omnem occaſionem rem bene gerendi pervigil excubabat. Eam reperiſſe ſibi viſus erat in adverſa ripa Savi, ubi ingens numerus foſſorum beneficio noctis eo deportatus juſſu Haubenii, quem Eugenius minoribus caſtris ad Savum protenſis præfecerat, novum aggerem in ripa fluminis moliebatur, præfecto huic operi Aloyſio Ferdinando Marſiglio, cui præſidii cauſa attributæ ſunt ſex cohortes, & tria equitum ſigna. Prima luce cum id conſpicaretur Gubernator, illico quaterna millia navigiis imponit, ac citatiſſimis remis noſtrarum navium impetu evitato in alteram ripam transvehit. Janicſari foſſores nocturno labore feſſos magnam partem interficiunt; Marſiglius, & Rudolphus Heiſterus equitum Tribuni, dum ſuos in prælium promovent, impetumque irruentium ſuſtinent, in primo agmine multis vulneribus ſternuntur. Impari numero circumventis in tempore ſuppetias tulit Miglius, Darmſtadianæ legionis Pro-Tribunus. Hic equitum ſuorum alacritate fretus, in hoſtem victoria elatum tanta vi invectus eſt, ut cæſis, qui primi accurrerant, pugnaciſſimis, reliquos in apertam fugam conjecerit. Pede preſſo perſecutus fugientes, ad Savum ſtragem multo majorem edidit. Etenim nautæ animadverſo ſuos toto campo propelli, ſubito metu conſternati, quædam navigia ſolicitatis in Danubium remis Belgradum impulerunt. Multos itaque navigiis deſtitutos, in ripa ipſa circumventos aut ferro cominus, aut nantes deſtinatis ictibus eminus confecit; complures flumen, ut erant curſu exhauſti, ac armis graves, ſuis vorticibus hauſit. Perierunt hoſtium partim ferro, partim aquis circiter mille cum eorum Ductore Thraciæ a) Præfecto, qui fortiſſimus habebatur; noſtrorum facile quingenti.

Singularem hoc prælio fortitudinis laudem conſecutus eſt Maldefeldius Pro-Centurio, qui interfectis manu ſua vicenis, in Signiferum ante alios pugnam accendentem, quanta vi poteſt, invehitur; ereptoque ei vexillo victoriam abſolvit. Ferunt delato ad Principem Eugenium ſigno, virum in corona Præfectorum dilaudaſſe, & vexillum ante Prætorium juſſiſſe explicari commendatione virtutis. Miglius ſinceris laudibus per caſtra celebratus, eadem alacritate, qua hoſtem depulit, ſtationem emptam ſanguine aggere munivit, ex quo urbs aquaria detrimenta non levia poſtea accepit. At fama Comitis Haubenii multum vapulabat, veluti muneris ſui oblitus, neglexiſſet hoſtium conſilia explorare; certe ſtationes Savi adverſus ſubitas incurſiones, e diſciplina militari non firmaverit, nec laborantibus in tanta propinquitate locorum imploratam tulerit opem. Revocatus in majora caſtra, ſucceſſorem accepit Martignium notæ virtutis in exercitu Tribunum.

Sini-

a) Thracia, vulgo Rumelia, & Rumilia dicta, ut habet Hiſtor. Muſul. Turc. Lib. XIV. ad annum Chriſti 1449. §. 40.

Sinistro rumore, & judicio Eugenii Principis homo gloriæ appetens nimium everberatus nihil omisit, quo sive maculam, sive æmulorum invidiam fortibus factis obtereret. Itaque hostium erumpentium vim dum primus plerumque excipit; ac infringere adlaborat, in æstu gloriæ victor occubuit.

A. C. 1717.

Interea Vezirius cognomento Chalibes, A) Alii Vezirii in pugna ad Temesiam occumbentis successor, vir militiæ gnarus, animoque perinde, ac ore validus, ex ultima Asia, & Europa evocatis militibus, bellicum apparatum terra, & aquis Nissam præmisit; quo ipse exeunte Majo lentis itineribus cum copiis contendit. Fama est, ducenta armatorum millia sub signa confluxisse, ut adeo superioris anni cladem supplementis abunde reparaverit. Tanto exercitui parem annonam, castrensem supellectilem, aliaque gerendo bello necessaria Quæstores in tempore procurarunt. Ærarium præterea militare notis artibus plurimum auxit Vezirius. Hujus instinctu nova vectigalia omni Imperio exacta, Hebræis, atque Christianis novum tributi genus impositum. Quinque demum provinciarum Prætorum, quod segniores in milite legendo a bello abhorrere viderentur, divitiæ in ærarium illatæ, militem spe implevere, non defectura stipendia etsi pluribus annis traheretur bellum. His omnibus diligenter curatis, exercitus difficillimo itinere Nissa Belgrado appropinquavit die XXX. mensis Julii; præmissis aliquot signis equitum ad explorandas munitiones castrorum, aut intercipiendos milites, si qui a castris pabuli causa longius discessissent. Ad valla castrorum audacius provecti, ab equitatu nostro levioris armaturæ, conserto vix prælio repelluntur; at mox suorum conspectu animati, resumptis animis terga vertere victores cogunt, pulsi pariter, & pellentes. Non multo post omnis advenit exercitus, suarumque virium non ignarus, haud procul a nostris castris consedit. Præsidiarii ubi videre tot tabernacula uno quasi momento assurgere, & castra multo vastiora castris ad spatium uniushoræ opponi, dici nequit, quantos clamores, quanta lætitiæ signa e propugnaculis murorum ediderint. Sed non diuturna hæc lætitia fuit.

Nam obesso omni ex parte Belgrado, die XXIII. Julii urbs aquaria viginti muralibus tormentis, ac sex ollis igniariis adeo prospero successu infestari cœpit, ut oborto, & dominante in angustos vicos incendio, pars major amplissimæ urbis absumpta fuerit; cumque dies, noctesque collineatis ictibus mœnia, & propugnacula impeterentur, tanta strages consecuta est, ut stationariis interiora urbis paterent. Eodem fere tempore Mersius munitionem Turcarum ad brachium Danubii extructam, simul & insulam, & biremem omni apparatu bellico egregie ornatam occupavit, cum strage quingentorum hostium. Ejecti celeritate navium in urbem delati, oppidanis non exiguam formidinem incusserunt, æstimantibus: URBEM haud dubie captum iri, cujus munimenta externa capiuntur. At plus terroris, & damni intulit pila grandior igniaria, quæ vi pulverum tam feliciter in sublime propulsa est, ut præceps ac minax rediens saxeum fornicem perruperit, atque in apothecam pulverariam immersa, inevitabili strage loca vicina involverit, tanto cum fragore cadentium tectorum, ut urbs tota suis fundamentis emota, suisque ruinis consepulta videretur. Peste hac pulveraria perierunt ter mille præsidiarii, uti a transfugis proditum est; multæ domus, flamma in diem alterum populante vicos, in cineres resederunt. Hæc inopina urbis clades quemadmodum Eugenio spem fecerat capiendi præsidium, ita curas anxii, turbidique Vezirii ad opem ferendam intendebat.

Adhibitis in consilium Purpuratis primoribus belli, visum est omnibus: *haud tutum esse castra Christianorum invadere, aditum nullum ad socios patere; Belgradum Belgrado obsideri; vallum a Savo ad Danubium ductum adeo*

A) Hoc nomine compellatur in Religione vindicata, sive Relatione belli Turcici a R. P. Antonio Vanosi e Soc. Jesu concinnata Viennæ anno MDCCXX. Itaque Mustaphas a milite fugitivo in Vezirium lectus, jussu Imperatoris suam Belgradi præfecturam repetierit.

A. C. *adeo frequentibus propugnaculis horrere, ut sine strage fortissimarum legio-*
1717. *num irruptio in castra tentari nequeat; & quamvis superarentur prima hæc munimenta, restare altera prope ipsam urbem; satius videri, ipsos obsidentes obsessos tenere, omnique machinarum genere infestare, ut de vitanda clade magis, atque victoria obtinenda sibi prospiciant.* Hanc sententiam cum ipse quoque Vezirius probaret, & loci natura ultro suaderet, ad oppugnationem castrorum omnia maturavit. Erant circum castra Eugeniana editi colles, e quibus perspici potuit, quidquid ageretur in castris. Ad eos occupandos partem unam exercitus immittit, alteram ad eorum radices metari jubet; & quoniam multitudine militum, qui in dies augebantur, abundabat, omne illud spatium, quod a Savo ad Danubium protenditur, amplexus, Eugenium circumvallare instituit; castella non pauca fundat, deducto ab his aggere, qui unum alteri perpetua sepe committat; prorsus ut Ottomanorum munitiones nihil cederent Eugenianis. Sedes insuper tormentorum idoneis locis erigi, fossas produci, atque accessus ad flumen utrumque, & castra fieri imperat.

Rumor obsessi exercitus per Europam diditus, Christianæ Reipub. amantiores incredibili mœrore affecit, dum secum reputarent: a tergo instare ducenta, & amplius millia barbarorum; a fronte objici urbem cum numerosis præsidiariis, mori perinde, ac vivere paratis; a duobus lateribus duo vastissima flumina, pontibus quidem, & navigiis domita, at ventorum, aquarumque vi nunquam non exposita; *FORTUNAM* uti in reliquis rebus, ita vel plurimum in bellis converti, justeque formidandam, qua aspirante eatenus res prospere sunt gestæ. Verum miles præsente Eugenio vincere assuetus, inter hæc talia pericula metum exuerat periclitandi, illudque in votis unice habebat, ut proruto vallo copia daretur conserendi manus cum hoste. Pugnam & ipsi militum Ductores optabant; unus Eugenius obnitebatur cunctatoris providi gloriam tot palmis additurus. Interim Vezirius festinatis dies, noctesque operis, Eugenianis munitionibus propior accedit; centum amplius tormentis, ollis igniariis quinque, & triginta sine induciis impetit, ut adeo ob crebra funera convulsis tentoriis castrorum positus mutari debuerit. Denique collem Savo imminentem, repentina invasione occupatum, præsidio munit, indeque castellum, quo pontes nostri defendebantur, impugnare occepit. Eugenius animadverso, Turcas ad ictum duntaxat tormenti a Savo abesse, veritusque, ne noctu transmisso flumine pontes interscinderent hostes, aut militem, cui Martignius præerat, a reliquo intercluderent, prælio decertare statuit. Ut festinaret, Joannes Vekonyus A) Rakoczii quondam miles, plurimum momenti attulit. Hic enim epistolam Vezirii obsidionem solvere molientis ad Mustapham Belgradi Gubernatorem perferre jussus, deflexo itinere Joannem Palffium, quocum anno præterlapso ad Temesiam notitiam contraxerat, adit; exhibitaque epistola Eugenium de Vezirii Christianos eodem tempore e castris, ac urbe aggredi parantis certiorem facit; quo intellecto hostem præveniendum decernit.

Die itaque XV. Augusti magnæ Dominæ Hungarorum sacro, occumbente jam sole, accitis in Sanctius Consilium supremis militum Præfectis, typum aciei, quidve singulis in prælio curandum, scite, partiteque tanto silentio præscribit, ut quid ageretur, ab hoste cognosci haud posset. Proruto vallo, acies sub alteram noctis vigiliam silentibus signis in hostem movet. Primæ aciei dextrum cornu Maximilianus Starembergius, sinistrum Harrachius curabat. Secundam Beveranus Princeps regebat. Universo peditatui præerat Alexander Wirtembergicus Princeps. Equitatum omnem Eugenius cornibus circumdedit, & totidem acies instituit. In cornu dextro Mersium, Ebergenyium, Batteum; in sinistro Nadasdium, Montecuculum, & Martignium curare jubet. Equitatui præpositus erat Joannes Palffius, qui

A) Continuator Epitomes Chronologicæ rerum Hungaricarum ad annum MDCCXVII. Et P. Valentinus Kéri e Soc. Jesu, in Serie Banorum Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ &c. edit. Tyrnav. MDCCXXXVII.

qui etiam in prima acie a dextro constitit. Subsidiarium militem Seken- A. C. dorffius ad subita pericula in armis tenuit. Septem legiones equitum cum 1717. parte peditum ad castrorum, pontium, & navium custodiam relictæ sub Viardo, Lanthierio, & Orsetto; Camusio rei tormentaria Præfecto mandatum, ut urbem nulla quiete concessa, acerrime verberet. Palffius cum suo equitatu pugnæ initium fecit, collem occupare connisus, ubi hostes primam sedem tormentorum habuere. Verum densissima nebula, dubia adhuc nascentis diei luce, omnia obtinente, eques in munitiones, quas ea nocte Savum versus produxerant hostes, incurrit. Stationarii Janicsarii repentino nostrorum adventu nihil turbati, misso ululatu ad arma conclamant, simulque glandium procellam in adversos effundunt. Tum enim vero Turcarum castra hostem prælium cientem adesse cognoverunt.

Palffius transcensis celeriter vallis, in repugnantes incredibili fiducia invectus, speciem præbuit advenientis universi exercitus. Ea re perterriti Janicsari loco cesserunt; sed accurrentibus in auxilium aliis, atque aliis, ipsi quoque obversa fronte pugnam sane cruentam edidere, donec Mersius adducto ex secunda acie equitatu, resistentium pervicaciam fregisset. Starembergius pari contentione peditatum in dextro latere consistentem, ad castrorum valla occupanda duxit. Hostis suis munitionibus tutus, continenti fistularum displosione invasores non mediocri strage affecit, ut adeo multi Præfectorum ante valla occubuerint. Sed cum Starembergius voce, & exemplo identidem instaret, munitionem inter stragem commilitonum obtinent, versisque illico tormentis, pedetentim adhucdum recedentes, prope fugere compellunt. Sinistrum cornu serius ac imperatum erat, tardante nebula collem ab Eugenio designatum assiliit; cumque equitatus in dextro cornu nimium deflexisset ad Savum, & propterea rara admodum esset media acies, Turcæ hoc aditu reperto, magno numero irrumpunt, atque equites veluti a reliquo exercitu abscissos, & inter multiplices castrorum fossas deprehensos, summa vi urgere incipiunt. Ponente sub horam octavam nebula, legionum equestrium discrimen conspicatus Eugenius, qui in lævo cornu constiterat, Wirtembergicum cum peditatu auxilium ferre jubet. Honorarii bellatores, qui Eugenium erant secuti, illico circa Wirtembergicum sese stipant, ac primum in aggressione periculum exposcunt. Adductis machinis ferox, & memorabilis pugna, si unquam alias, exarsit, veluti de possessione omnis Hungariæ decernendum foret.

In ipso ardore certaminis, Viardus e castris eruptione facta cum turma equitum, e proximo colle, unde Wirtembergici impetebantur, barbaros deturbavit, ac victor in castra rediit, facinus egregium collaudante Eugenio. Ad extremum virtute peditum eo ex loco depulsi hostes, in ultimam tormentorum sedem aggeribus cinctam semet recipiunt. Sed Cæsarei undique victores uno impetu ex hac quoque arce victos ejiciunt. Spahii relictis peditibus, castris, omnique supellectili, in apertam fugam effusi, post quinque horarum anceps certamen, plenam victoriam nostris cessere. Eugenius debellato hoste, militem in proximo castris tumulo, unde fugientes conspici poterant, sistere jubet; solum levioris armaturæ militibus potestatem fecit insequendi. Delecti dein peditum, equitumque manipuli, qui castra opulentissimæ urbis, sed a civibus desertæ speciem referentia popularentur. Reperta sunt majoris, minorisve formæ tormenta centum triginta & unum; mortaria septem & triginta; sexcenta vasa nitrati pulveris, globi majoris formæ A) ex ære fusi, ac sulphureo pulvere conferti ter mille, totidem minoris B) formæ; tormentarii globi vicies mille; signa militaria novem, & quinquaginta cum novem equorum caudis; curruum tria millia omni rerum genere onustorum; jumentorum tanta multitudo, ut uno argenteo tres cameli coemi potuerint. De numero cæsorum variant Scriptores.

A) Vulgo Bombæ, quas invenit anno 1588. artifex Ventonensis, ut refert noster Famianus Strada elegantissimus Scriptor Part. II. pag. 334. edit. Vienn. B) Granatæ vocitantur, quas jaciunt Pyrobolarii.

A. C. 1717. res. Nonnulli in prælio, & fuga duodeviginti millia cecidisse scribunt; alii viginti quinque millia cum Aga Janicsarorum, qui ad extremos spiritus fortissime dimicans, in ultima munitione occubuit. Nec Vezirius suo defuit muneri, sive in castrorum oppugnatione, sive in ipso prælio (quod virum militarem violentæ neci Constantinopoli postea eripuit) Imperatorias artes exprompsit. Ubi vidit suum militem e munitionibus ejici, tormentis fœdum in modum sterni, Spahios fugam arripuisse, tandem & ipse paucis comitatus Nissam cursum intendit, quo plerique peditum cursu exhausti pervenerunt.

At ii, qui in urbe clausi tenebantur, toto pugnæ tempore eruptionem nullam fecerunt, popterea quod partim caligine nebularum, ventorumque vehementia, partim insolito machinarum fragore, & ignium vi in urbem injectorum prohibiti, nihil quid ageretur in castris Vezirii, intellexerint. Posteaquam per captivos in urbem missos cognovere, suos fugatos, profligatosque, a quibus se in dies sperabant obsidione solvendos, alto mærore & metu defixi, altero a pugna die candido vexillo elato, colloquium super deditione urbis postularunt. Missus Comes Philippius, nomine Eugenii præsidiariis liberum abitum cum omni supellectili addixit; at rem annonariam, navalem, tormentariam Cæsari relinquendam. Durum admodum videbatur Gubernatori, tantum apparatum bellicum in manus tradere Christianorum; viresque diutinæ obsidioni pares citra minas Comiti ostentat. Abrupto colloquio, omnibus machinis in urbem fulminatum est. Tantam ignium procellam cum perferre non possent præsidiarii, insequenti die, nempe XVII. Augusti; pro arbitratu victoris conditiones accepere. Summa hæc erat: res tormentaria, nautica, annonaria Cæsareis Quæstoribus consignetur, ac capti hoc bello libertati reddantur; Præsidiariis telis suis instructi, explicatis signis, cæteraque gentis pompa liceat discedere, facile istud concedente Eugenio dicere solito cum Alexandro Parmensi Belgii Gubernatore: a) PARUM referre quam splendide armis induti, modo arcibus exuti hostes abirent. Cives cujusvis religionis, suis immunitatibus gaudeant; fas esto fortunas, & sedes alio transferre, ut collibitum fuerit. Pars una militum, & civium secundo Danubio Uipalankam, vel Orsovam devehatur; pars altera terrestri itinere Nissam conductis ter centum curribus, deducatur. His conditionibus occupato Belgrado, Eugenius cum in urbe, tum in castris sub tentorio Vezirii, inter Divini solennia sacrificii, ac lætos machinarum fragores, victori Deo gratias egit. Post biduum egressi sunt Turcarum XXX. circiter millia; relicto ut conventum erat, apparatu nautico, tormentis triginta septem supra quingenta, mortariis novem & sexaginta cum ingenti copia nitrati pulveris.

Dum hæc secundo Marte ad Istrum geruntur, tristibus nunciis e Transylvania adfertur: quindena circiter millia Tartarorum Chami filio, & Kollosacensi Præfecto Ductoribus, ad Bistriciam urbem omnia ferro, & flamma vastare, ipsique urbi excidium minitari. Illico Viardus cum aliquot legionibus ad opem ferendam C. Stephano Steinvillio, supremo armorum Præfecto, properare jussus est in Daciam. Sed jam in Hungariam prædatores effusi, Szattmariensem, Maramarosiensem, Ugocsensem provincias, aucto per incendia, & cædes furore evastant, atque incolas in servitutem abripiunt. Ad Nagybanyam a Babocsaianis equitibus Hungaris obruti, omnibus spoliis exuti magnam partem cæduntur. In Szattmariensi agro pari fortuna a domestico milite profligati, octo captivorum millia amisere. Alii ad fines Polonorum delati, alii per Rudnenses angustias frustra tentata fuga, ab efferatis eius viciniæ colonis, raptis undeunde telis, partim occiduntur, partim capti in triumphum ducuntur. Dettineus, qui anno superiore Maurocordatum in Daciam captum adduxerat, eodem fere tempore Nicopolim versus procurrens, longe, lateque ad Istri oram armorum terrorem sparsit. Interim Viardus magnis itineribus in Transylvaniam profectus,

a) Famianus Strada Part. II. pag. 357. a quo non pauca cum delectu mutuatus sum.

fectus, prope Devam munitam arcem idoneis nunciis intelligit: procellam illam Tartarorum, armis potissimum incolarum; quos armaverant C. Alexander Karolyi supremus, & Bagosius Szattmariensis provinciæ Pro-Comes, uterque vetus militiæ; jam dissipatam esse, solum metuere Provinciales, ne sociorum clade irritati Tartari, novo turbine regionem a milite, & præsidiis non satis firmatam involvant. Idcirco deductis legionibus ad limites Daciæ, Bistricensi agro inprimis prospectum fuit, facto aggere ad plures leucas protenso, interjectis castellis terreis, quo hostis ab irruptionibus arceretur. Arma subinde in Valachiam promota a Cæsareo Tribuno Schramio, ad Alutam usque fluvium, provinciam illam sub jugum misere. Opportunis præterea locis munitiones excitatæ sunt, quæ quantum securitatis Transylvaniæ præstitere, tantum audaciæ hostibus irrupturis ademere. Non prætereundum hoc loco silentio militare facinus C. Josephi Eszterhazii. Jussus is erat a Principe Eugenio Ujpalankam, cui hostis obsidionem minabatur, tueri, simulque explorare, ecquid molirentur Turcæ e fuga magno numero contracti? Delectis e quinis legionibus Hungarorum sex centuriis, ac nonaginta Rasciis, iter accelerat; utque falleret numerosum hostem, laxari jubet ordines, augeri tubarum, tympanorumque sonitum, nubem præterea pulveream multo densiorem excitari, quam pro numero equestris procellæ. Turcæ rati victorem exercitum omnibus viribus imminere, desertis castris in præcipitem fugam vertuntur, atque omnem prædam cum X tormentis equitibus Eszterhazianis diripiendam relinquunt. A)

A. C. 1717.

Translatis salubrioris cœli causa Semlinum castris, Princeps Eugenius metu perculsis instandum ratus, ad urendum hostilem agrum, ad vicinas arces, præsidia capienda victorem militem immittit. Rama, Semendria ad Istrum, Sabacsium B) ad Savum, a Turcis deserta in manus nostrorum venerunt. Agmen hostile Temesiensi oræ infestum, accepto cladis Ottomanicæ nuncio, in fugam versum, ab equitatu Hungaro male mulctatur, amissis insuper decem tormentis, omnique castrensi supellectili. Orsovæ natura, & arte firmissimi munimenti præsidiarii obsidionem toleraturi putabantur. Verum TIMORE expugnatis nulla sat firma sunt munimenta. Vix viso mille quingentorum Hungarorum agmine, quod ductabat Splenyius, interriti animi felix procursor, præsidiarii certatim se ejiciunt in naves, ac relicta ingenti vi annonæ, reique bellicæ fugam capessunt. Iisdem diebus Meadia ad fines Valachiæ munimentum, ex qua in Temesiensem agrum crebræ excursiones fiebant, a Turcis deserta, militi nostro in prædam cessit. Muniverant eam anno præterlapso Cæsarei, imposito Hetlevallio Velzekianæ legionis vigiliarum Præfecto cum aliquot cohortibus peditum. Turcæ Tartaris mixti transmisso ad Orsovam Danubio, improviso Meadiam cingunt, & repetita aggressione ad deditionem cogunt. Hetlevallius cum suis, nondum capto Belgrado, ex pacto Temesiam deportatus est. Classis quoque nostra Archithalasso Andersonio, insigni detrimento affecit Turcicam, quæ oram Danubii Pancsovam inter, & pontem navalem infestam reddidit. Ita Cæsar terra, & aquis hoc anno vicit.

In Croatia C. Joannes Draskovichius, volente Senatu Bellico arma in hosticum intulit. Præsidiarii arcis Cosorazæ in finibus Bosniæ sitæ, & loco, quem haud inscite septo arboreo, turrique muniverant; & numero freti, rejecto de deditione colloquio, arma feroces arripuerunt. Propulsa in ruinam turri, Croatæ frameis, & scalis armati arcem invadunt, ac pugna non acri minus, quam constanti in muris contracta, pulsis defensoribus in arcem emicant. Armati, ne uno quidem superstite, interfecti sunt, munitiones solo æquatæ. Ut terror latius spargeretur per Bosniam, placuit equitatum plures in turmas dividere, ac populationem circumferre, quoad Cserichius Novii, Kamengradii, aliarumque ad Unnam arcium Guberna-

A) Posthuma Memoria Josephi C. Eszterhazy de Galantha, Perpetui in Frakno, Lib. III. pag. 149. edit. Tyrnav. B) Rama castellum prope Danubium. De Semendria, & Sabacsio sæpenumero actum est Tom. I. Imp. Ottom.

A. C. 1717. bernator ad extinguendas faces, ſiſtendamque vaſtitatem cum copiis accurreret. Sed tantus erat ardor militis Croatæ, ut Dux ipſe cum filio, & fratre, majorique parte peditum cæſus fuerit. Hac clade fractus Bosniæ Præfectus, de ſua provincia defendenda magis, quam mittendis in Hungariam auxiliaribus copiis ſolicitus fuit.

Eugenius dimiſſis in ſtativa militibus, Viennam profectus, inter fauſtas populi acclamationes ad diem XIX. Octob. Auguſtum Carolum in ſuburbanis hortis ſalutavit, qui eum virtutis ergo gladio incluſis auro gemmis ornato donavit. Imperatorias tanti Herois artes, non Hungaria modo, & Auſtria ſummis laudibus extulit, ſed & omnis Germania, & Italia de Eugenii ſcientia rei militaris multo, quam quæ ſuperioribus bellis, plura prædicavit; tanto quidem effuſiore ubique lætitia, quanto ſe periculo propiores intellexerant. Quo tempore cum aliis in locis, tum unus Mediolani Orator excellens Joannes Paulus Alcitati Soc. Jeſu, eloquentem, & plenam dignitatis habuit orationem, laudavitque e roſtris Eugenium, quod, quæ ſingulæ res magnum Imperatorem efficiunt, eas uno omnes præſtitiſſet bello, oppugnando, propugnando, debellandoque. A) At Conſtantinopolis luctu involuta, ſuorum cladem mæſtis lacrymis deflevit. Vezirius nulla honoris pompa exceptus ab Imperatore, aut civibus, quod fortunam ſibi iratam habuiſſet, præfecturam armorum juſſus eſt tradere Ibrahimo B) Imperatoris Genero; Baſſa vero Kolloſacenſis ſiniſtræ in Daciam ſuſceptæ expeditionis Dux in carcerem compingitur. Reliqua Turcia ad caſum Belgradi, & cædem exercitus fama longe, lateque ruinam deportante, concuti viſa eſt. Niſſæ, Scopiæ, Adrianopoleos cives, veluti ad eos victore cum exercitu properaret Eugenius, vaſis collectis fugam meditari; Valachi, Moldavi Turcici juris, relictis ſuis mappalibus interiora provinciarum trepidi petere; cives denique Byzantini ad omnem nuncium pavere, ac in dies obſidionem formidare. In ea communi omnium trepidatione neque Imperator, neque Vezirius de ſupplementis, de apparatu caſtrenſi, navali, deque annona comparanda cogitarunt. Unam pacem, quæ decumanis vulneribus Imperii Turcici mederi poſſet, animo voluebant. Populus quoque reliquus, & miles in ſumma rerum omnium deſperatione, armorum ceſſationem in foro, in circulis loquebatur. Et jam nuper Belgradi Gubernator Muſtaphas inter emigrandum pacis mentionem fecerat teſtatus: *Suos a pace minime abhorrere; habituros, quæ occupaſſent, Cæſareos; reliqua ad diem placitam ex jure, & æquo conventura.*

1718. Angliæ, & Hollandiæ Oratores, quorum conſiliis Carloviczenſis pax coaluerat, uti ad annum MDCXCIX. demonſtratum eſt, primi ſuam operam contulerunt, ut pax quam primum fieret. Et Achmetes Imperator Temeſiæ jactura commotus, quodve Deum ſibi iratum eſſe nihil ambigeret, propterea quod ruptis præter fas induciis Venetos invaſerit, jam ſuperioris anni æſtate Jacobo Colyerio Hollando ſignificarat: *rem pergratam ſibi præſtituram Rempub. ſi viam ineundæ cum Cæſare concordiæ emolliret; ſe a pacis conſiliis alienum non eſſe.* Clade ſubinde ad Belgradum accepta, ut maturarent pacis negotium aggredi, Oratores identidem hortabatur. Colyerius cum duobus Agis Adrianopoli Sophiam profectus, Eugenium admonuit: *Ea mente Soltanum eſſe, ut pacem malit. Temeſiæ provinciam perpetuo jure Cæſari ceſſurum; pro Belgrado alia munita in Boſnia loca daturum; aut æris tantundem numeraturum, quantum impendendum foret ad par præſidium excitandum.* Cui ita reſponſum ab Eugenio, ut intelligeret nec alienum

A) Guido Ferrarius memorato Lib. III. de rebus geſtis Eugenii. B) Veroſimilius videtur, hunc Ibrahimum nominatum fuiſſe Vezirium, Gerardo Cornelio Drieschio in memorata Hiſtoria magnæ Legationis, quam ſuſcepit S. R. I. Comes Damianus Hugo Virmondtus ad Portam Ottom. Orator; etſi legam in Religione vindicata, ſive Relatione belli Turcici Mehemetem Niſſchanzi, ſeu magnum Cancellarium Imperii, ut hoc nomen interpretatur Joannes Leunclav. Lib. Onomaſt.

num esse a pace Cæsarem (quippe in Sicilia inopinatum bellum exarsit, quo legiones deportandæ erant) nec ab Anglorum, Hollandorumque arbitrio; modo dignitatem Cæsaris victoris præ oculis haberent. Veneti quoque belli pertæsi, & insuper Hispanorum auxiliis destituti, quietem optarunt, ac Cæsare adnitente quidquid obmoverent Turcæ, in eadem pacificationis commercia sunt admissi.

A. C. 1718.

Omnium animis in cessationem armorum inclinatis, vere ineunte oppidulum Passarovicium, inter Moravæ amnis, & Danubii confluentem situm, primi petierunt Suttonus Eques Britannicus, & Jacobus Colyerius Hollandicus, temperaturi postulata partium; subinde Turcici Legati, dein Cæsarei Comes Damianus Hugo Virmondtus, obitis legationibus Europæ notus, & Dalmannus Turcicarum rerum, quod multos annos Byzantii res Cæsaris curarit, apprime gnarus; demum die XII. Maii Carolus Ruzzinus Reipub. Venetæ Legatus, cujus fidei in hujusmodi negotiis Respub. permultum tribuebat. A) Permutatis, ac examinatis de amore fiduciariis literis, adest Aga cum epistola ad Eugenium ab Ibrahimo Vezirio data, qua mirifice contestatus studium pacis, petiit: ut secum in colloquium veniret, quo lineam pacis postremam ipsi ducerent. Sed ille Belgradum nave appulsus, negavit se arbitrum pacis delectum; sibi curam exercitus esse commissam, & jam expeditionem adornare. Et reapse tanquam acerrimum bellum a Turcia instaret, copiosus miles in castris aderat prope Temesiam, & Semlinum, classis rebus omnibus instructa in Danubio fluitabat. Hic armorum apparatus multas difficultates abrupit, & spiritus Turcarum, quos rumor belli Siculi intenderat, depressit. Statim in Principio adhæsit negotium pacis, quod Legati Turcici potestatem arctis admodum limitibus circumscriptam, & literas solius Vezirii nomine signatas haberent; Cæsarei contra amplissimam. Illico per cursores alteras prioribus castigatis, submisit Achmetes Imperator.


Itaque die XXX. Maii sub latissimo Virmundti tentorio conventus est actus. In eo ratam habuere Ottomani legem, pacificationis nempe fundamentum: partes belligerantes in possessione captarum urbium, & provinciarum manerent; Venetis redderentur ea, quæ jure ab Ottomanis repeterent. Quid vero nomine possessionis veniat, Cæsarei subinde explicuere, videlicet: Præfectura Temesiensis cum ea Valachiæ parte, quæ Aluta fluvio clauditur; Belgradum cum Serviæ regno, tum Bosnia cum munimento Zwornik; reliquum Croatiæ cum Bihacsio, Crojam urbem Albaniæ in gratiam commerciorum Cæsari permitterent. Denique Peloponnesum Venetæ Reipub. restituerent. Cum isthæc explanatio possessionis nimium dura videretur Turcis, opera Conciliatorum mitigata est, paxque his capitibus conclusa. Pax esto in XXIV. annos, & mutua injuriarum oblivio. Temesia, Belgradum cum agro adjacente, pars Valachiæ ad fluvium Alutam, Bosnia Savo finitima cum omnibus castellis Augusto Cæsari transcribantur. Limites judicio peritorum statuantur. Fas esto Christianis Hierosolymas pietatis causa proficisci, nec insolitis vectigalibus premantur. Captivi dies intra unum & sexaginta restituantur; qua lege Maurocordatus Valachiæ suæ in locum Steinii, & Petraschii Pro-Tribunorum reddatur.

Hic est ille Antonius Baro Petraschius B) celeberrimus procursor, qui ante obsessum Belgradum onerarias devehere jussus Pancsovam, spreto bellicarum auxilio, quas Schwendimanius adduxerat, Temesii ostium vix prætergressus, a classe Turcarum invaditur. Post atrocem pugnam hostis superior, captis, aut mersis undeviginti armatis celocibus, vulgo Saikis, ipsum Petraschium cum duabus prope Hungarorum peditum centuriis primum Belgradum, dein Adrianopolim, Byzantium in triumphum abducit, ad VII. turres subinde deportandum. Reliqua non discrepabant a capitibus Passo-

A) Carolus Ruzzinus Patritius Venetus interfuit Carloviczensi pacificationi. B) Vide Religionem vindicatam pag. 73.

A. C. 1718. Paſſaroviczenſis pacificationis. Hæc ad diem XXI. Julii ab ipſis Legatis ſolenni ritu confecta, dein Viennam, Adrianopolim, ac Venetias miſſa, intra ſpatium XXX. dierum confirmata fuerunt. Inſequenti anno Caduceatores expediti C. Virmundtus Conſtantinopolim, Sade Ibrahimus Viennam, pacem Paſſaroviczii concluſam ſtabiliverunt.

F I N I S.




Errata Tom. II. corrige.

Pag. 35. linea 4. Florentini lege: Natolini; ibid. lin. 37. Mahometes Vezirius, Amurathes Vezirius; pag. 77. lin. 52. ademit, ademerunt; pag. 93. lin. 38. injuriæ, injuria; pag. 98. lin. 12. excuſſerunt, exuſſerunt; pag. 116. lin. 20. Non, nam; ibid. lin. 24. turras, turres; pag. 118. lin. 19. Apaſſio, Apaffio; ibid. lin. 38. Apaſſius, Apaffius; pag. 120. lin. 17. Ego, Ergo; pag. 124. lin. 21. Ars, Arx; pag. 366. lin. 19. Heislerus, Heidershemius.

INDEX.

I N D E X
RERUM ET PERSONARUM.

A.


Bas Rex Persarum foedus icit cum Ibrahimo Imp. 20.

Abassa rebellis, praefectura Erzeri urbis emollitus arma ponit 1. jussus dare frumentum, militem in bellum Persicum, arma corripit in Turcas; Erzerum strenue defendit; recedentes Turcas carpit 4. cum Vezirio pacem init; Erzerum Turcis tradit; Byzantium abit, ab Amurathe Bosniae praeficitur 5. bellum in Polonos conflat; copias in eosdem ducit 9. victus Byzantii interficitur 10.

Abdius, seu Abdurachmanes, Budae Gubernator ad defensionem urbis omnia comparat 216. de deditione compellatur; ejus responsum 218. ferro, & igne tuetur muros laceros 219. 220. colloquium petit 219. opem poscit a Vezirio 221. cum robore Janicsarorum se opponit aggressuris 222. fortiter pugnans occumbit 223.

Abdulatifes Gubernator Varadini defensionem adornat 324. renuit praesidium dedere 324. paciscitur 329. dedititii detinentur in captivitate; cur? 330.

Academici Viennenses propugnant urbem adversus Turcam 137.

Achatius Barcsaius Jenaeam arcem Turcis dedit; Orator delectus a Transylvanis pacem concludit cum Kiuperle Vezirio; favore Vezirii fit Transylv. Princeps; metu Georgii II. Rákoczii Temesiam se recipit 54. copias suas Turcicis jungit, & Rákoczium profligat; a Kiuperle jubetur Daciam gubernare; bellum decernunt Transylvani in eum; a militibus Kemenyii interficitur 55.

Achmates Vezirius nominatus Caseffrem seditiosorum Ducem occidi svadet Amurathi IV. Imp. lapidibus pene obruitur per seditiosos; frustatim conciditur 7.

Achmetes II. fit Imperator 319. Chalilem Vezirium confirmat 323. cum Legato Angliae de pace confert 323. Chalilem exilio punit 328. novum Vezirium deligit nomine Alyum 329. hunc carceri mancipat; cur? Mustapham ei sufficit 338. bellum prosequi ardet; Vezirium aula proturbat 348. cedit Tökölio aliquot oppida ad oram Danubii 351. morbis obnoxius; unde oborti? 356. successori suo Mustaphae uxorem & liberos commendat; moritur Adrianopoli, cadaver Byzantium avectum 357.

Achmetes III. Mahometis IV. filius literas dat ad seditiosos benevolentiae plenas; fit Imperator 412. seditionis authores suppliciis afficit; civilem, & militarem statum componit; Legatos mittit ad Europaeos Principes de Imperio obtento, & pacis conservandae studio 413. ad Peloponnesum oculos conjicit; bellum Moschis indicit 414. post unam expeditionem pacem facit 415. in castra proficiscitur 417. Vezirium victorem muneribus colit, filiam eidem in matrimonium dat 421. pacem per Caesareos ruptam Byzantii vulgat 423. post infaustum praelium, & amissam Temesiam belli suasores suffocari jubet; pacem optat; cum Wortlaeo Angliae Oratore consultat; bellum apparat 433. Archithalassum exilio mulctat; cur? 434. audita clade suorum, classem Byzantium festinare jubet 437. perdito Belgrado armorum cessationem exoptat; pacificatores Passaroviczium mittit 447. conditiones pacis probat 448.

Achmetes acclamatur Vezirius a militibus 411. ad inaugurandum Imper. abit Byzantium 412. cum Moschis aequo Marte congressus, castra eorum impugnat; rursum suas copias in campum educit; pacem init? triumphans Byzantium ingreditur 417.

Achmetes Dephterdar Vezirius dictus, in Cretam militem, & annonam mittit 27. Muftii militem per suos satellites ad Ibrahimum raptat 29. a Janicsaris propterea suffocatur 30.

Achmetes Vezirius Capello Reip. Venetae Legato duras conditiones pacis dictat; eum Byzantio exesse jubet, & Adrianopoli custodiae tradit 36. Venetis infestus minatur; classem alteri gubernandam committit; Purpurati ejus ignaviam sugillant; exauthoratus subinde strangulatur 37.

Achmetes fit Vezirius, Mustaphae II. Imp. fidus 358. cum triumphante Imp. Byzantium ingreditur 362. ad Szentam in pugna cadit 373.

Achmetes Kiuperlis vicario nomine Byzantium gubernat 49. a morte sui parentis fit Vezirius; Janicsarorum Agam, & Mufftium exilio mulctat; Imperatori gratiosus 50. exercitum movet in Georg. II. Rákoczi Transyl. Principem; Jenaeam subigit; pacem init cum Transylvanis 54. Varadinum expugnat; Barcsajum regendae Transylvaniae praeficit 55. in Daciam copias movet; Apaffium Principem Transylv. constituit 56. bellum denunciat Goesio Oratori Caesareo; Essekini deliberat, utrum Illyricum, vel Hungariam petat? 57. odium ejus in Nicolaum Zrinyium; Goesio conditiones pacis iniquissimas affert; Danubium ponte committit ad Strigonium; Adamum Forgáchium acie vincit; ad vastandam Hungariam, & Moraviam suos dimittit 58. Uivárinum deditione accipit 60. Neo-Zrinyiam expugnat 62. audita suorum caede ad Arabonem fluvium copias rapit; pars earum in ripam adversam evadit; praelio incalescente plures submittit 63. caeduntur a Montecuculo; clades tribuitur imperitiae ejus; numerus interfectorum; acceptis supplementis Uivárinum petit; inducias paciscitur cum Renningero; blanditur sibi de expeditione Hungarica 64. Leslaeum M. Leopoldi Legatum Belgradi jubet subsistere; pace confecta militem in hyberna dimittit 65. deliberat in speciem de bello Veneto 66. classem in Cretam mittit 67. 68. Venetos de pace compellat; Candiae oppugnationem infert 68. novam Candiam, aliaque castella diruit 69. agit de pace cum Oratore Veneto 71.

71. hyemis tempore ad Candiam hæret; ejus epistola de rebus gestis in Creta 72. terrestrem oppugnationem in maritimam commutat; opera castrensia ad mare deducit; ipse ligonem tractat 73. vetat mentionem pacis fieri in castris, Molinum Oratorem Venetum in Cretam deportari jubet 75. acrius instat Candiæ; increpitus ab Imperat. in morbum incidit 76. iterum agit de pace; monetur ab Imperat. ut molliores conditiones Venetis proponat 77. supremam impressionem cum Janicsaris facit 79. Candiam deditione obtinet; quibus conditionibus? urbem ingreditur; movetur loci excidio; victoriæ nuncios Larissam, & Byzantium dimittit 80. Oratorem Polonum contemptim habet 85. Cosaccorum partes tuetur 86. 87. ad bellum Polonicum proficiscitur cum Imperat. Cameneci Gubernatorem monet de præsidio tradendo 89. dissuadet Mahometi nimium venandi studium 92. fugitivos in castra recipit 94. sinistra valetudine usus Imperii negotiis abstinet 100. moritur; mœror militum 103. ejus vitia & dotes animi 104.

Achmetes Peloponnesi Præfectus navigia colligit adversus Venetos 25.

Achmetes Schelebis Ducem Lotharingum interpellat de pace; ejus oratio 198. rejicitur; Leopold. Cæsarem convenire cupit; Comaromii jussus subsistere, legationis capita Mininskio Interpreti exponit 199.

Adamus C. Battyáni ad solvendum Kis-Comaromium festinat; Kanisiensem agrum vastat 52. Turcas cædit 146. 217. naves Turcarum occupat ad Budam 217. Provincialem militem in castra adducit 238. ad Sclavoniam recuperandam cum Hungaris abit 242. Albam Regalem oppugnat, & capit 276. Kanisam expugnat; dictum ejus ad Gubernatorem Turcam 303. fit Banus Illyrici; Maydanium præsidium capit; cædes oppidanorum 344. Uranogræcium, aliaque munita loca Turcis eripit 368. Bihacsium oppugnat 375.

Adamus C. Forgách Uivarini Gubernator Turcas aggredi statuit; consilium mutat Pio Marchione obnitente; aciem struit; prælio vincitur; numerus Cæsorum 58. Uivárinum propugnat 59. seditione oborta facit deditionem; quot Turcarum perierint? 60.

Adamus Henricus B. Steinavius Venet. copiarum Imperator 351. ad Argos prospere dimicat cum Ibrahimo; iste beneficio noctis in tutiora se recipit 363. Mezzomortis classem tormentis impetit 368.

Adamus C. Zrinyi ad Szalankemenum a Turcis cæsus 322.

Adrianopolis conflagrat 9. Mahometem IV. Imp. inter plausus excipit 49. ejus salubritas 49. civium lætitia ob pacem confectam 400.

Æneas C. Caprara velitationem ad Petronellam commissam Leopoldo Imp. narrat 135. primus Turcarum aciem impellit ad Viennam 144. celebratur a Lotharingo 174. curam exercitus ad Budam suscipit 175. Uiváriino oppugnando imponitur 192. assultu capit 195. Cassoviam obtinet; Caraffam in Daciam expedit cum parte exercitus 303. suppetias impedit Budensibus 221. fit Legatus Electoris Bavari 276. Serviam Leopoldo Imp. asserit; cur Bulgaris non miserit auxilia? 279. jubet Petro-Varadinum muniri 348. ad Illokium castra ponit 359. absente Electore Saxoniæ copiis præest; legiones in stativa dimittit 367.

Africani Venetam navim capiunt cum aliquot Nobilibus 49. auxilium ferunt Mahometi IV. Imp. 183. 253. turbas domesticas alunt 402. eorum navigia Turcicis junguntur 417.

Agria obsessa a Doria Marchione 237. traditur 243.

Agrienses Turcæ vicinam regionem populantur 52. cæduntur a Semsejo Tribuno 237.

Aga Maurus stimulat Kara-Mustapham ad accelerandam expugnationem Viennæ 140.

Albaniæ populus conspirat in Turcas 25. Venetorum arma implorat 283. Solymanum Albaniæ Præfectum clade afficiunt; Cornaro spolia mittunt 284. ad Piccolomineum videndum accurrunt 293.

Alba Regalis obsidetur a nostris; cives penuria rerum laborant 275. deditur; quæ fortuna hujus urbis 276.

Albertus C. Caprara legatione fungitur Byzantii; simulata humanitate accipitur a Vezirio; agit de prorogandis induciis; iniquæ conditiones ei proponuntur 122. 123. Vezirio pacis violationem exprobat 128. admonet Leopoldum Imp. de bello Turcico 129.

Albertus Wenceslaus Wallensteinius Betlenium obsidione Neogradi depellit; ab isto deluditur 17.

Alexander Alcenagus Venetus absente Königsmarkio oppugnationi Navarini præest 259. ad Naupliam glande confixus obiit; ejus militaria facta apud Rempub. 261.

Alexander Bonus Peloponnesi Gubernator urbi Naupliæ opem fert, montem Palamidæ defendit; Salium Tribunum in custodiam dat; cur? ferro percussus cum quibusdam Nobilium captus ad Achmetem III. Imp. mittitur; animi mœrore contabescit 418.

Alexander Borrius Tenedum impugnat; pulveraria turri succensa deditionem maturat 44.

Alexander Marchio S. Andreæ Candiam defendit 71. maritima munimenta propugnanda suscipit cum Bernardo Nano; incendio grassante stationes firmat 74. in consultationem, & armorum societatem non admittitur 78.

Alexander C. Károly Tartaros profligat 445.

Alexander Maurocordatus linguarum Interpres in aula Turc. Chmelniczkium Byzantium deducit 107. legatur ad Badensem pacis ineundæ causa 234. ad Leopoldum M. eadem de causa 286. nihil impetrat; cur? 287. Legatorum Angliæ, & Hollandiæ Interpretem agit 332. Carloviczii de pace tractat 385. titulos honorum sibi arrogat 387. modum redimendi captivos Christianos describit 395. ob pacem confectam honoribus, & stipendio augetur 400. ejus filius Nicolaus Princeps Valachiæ fit 416.

Alexander Molinus Creta insula Turcarum supplementa arcet; classem hostilem partim fugat, partim capit; Ramadanis Begi navigia mergit; ipsum cum filio captivum mittit Venetias 70. negat Candiam dedendam 79. mare Ægeum infestum reddit; coorta tempestate duo navigia perdit 254. Algerienses persequitur 257. fit Prætor Dalmatiæ 296. militem suum cladi eripit 297. præfecturam classis accipit 363. ad Argos fat felici-

feliciter pugnat *ibid.* hostium classem tormentis infestat 368. ter sat prospere cum Mezomorte confligit 375. ad Andrum insulam lustrat militem; angustias Hellesponti obsidet; certamen Turcis indicit; classem dividit 380.

Alexander Papa VII. Venetis auxiliatur 46.

Alexander Papa VIII. ære, milite Venetos juvat 311. naves expedit 312. ob ejus mortem retinetur classis Pontificia in Italia 326.

Alexander Valier Venetus ad Epidaurum sauciatur 296. acre certamen contrahit; navigio uno amisso, se cum altero captivum tradit; Cretam avehitur a Turcis 311.

Alexander Princeps Wirtenbergicus ad Petro-Varadinum felix pugnæ initium facit 424. sinistram aciem Turcarum in fugam vertit; Temesiam cum Pálffio claudit 425. Palankam expugnat 426. in pugna ad Belgradum peditatui præest 442. equitibus maturum auxilium fert; Janicsaros in ultimam munitionem retrudit; ibi cædes, & victoria 443.

Alexius Simon Scheynius Moschorum Ductor internecione cædit Turcas, & Tartaros 377.

Aloysius Ferdin. C. Marsilius, seu Marsiglius Moravæ amni pontem imponit 292. & Danubio 293. a Leopoldo M. nominatur Pacificator 379. in via supellectili sua spoliatur; limites provinciarum describit 400. aggerem jacit in ripa Savi; a Turcis fossores invadentibus occiditur 440.

Aloysius Mocenicus in Dalmatia rem prospere gerit 437.

Alys Africanæ classis Archithalassus Lauretum invadere cogitat; vento in altum rejicitur; maritima oppida populatur; Lissæ imminet; tempestate repellitur 22.

Alys Temesiæ Præfectus pacificationis negotium de industria protrahit; simulata fide capita pacis signat 56. æmulum habet Budensem Gubernat. Ismaelem; frustra suadet Kiuperli Vezirio expeditionem Illyricam 57.

Alyus Vezirius Achmetem III. Imp. in Venetos inflammat; ejus oratio 415. Muffium, & Agam Janicsarorum exilio mulctat; tempestatem commovet in Brankovajum & Cantacuzenum; bellum apparat; in Peloponnesum movet exercitum 416. Legatum mittit Viennam; belli Veneti causas edit; Corinthum oppugnat 417. per dolum eam capit; Naupliam obsidet, & assultu capit; in cives, & præsidiarios sævit; Methonen subjugat; classem in insulam Cretam navigare jubet 418. filiam Imperatoris in conjugem accipit; Jancongiam præfectura classis movere contendit 421. ejus superbum responsum ad Oratorem Cæsareum 422. robur exercitus in Cæsareos movet; Savo fluvio appropinquat 423. castra Eugenii Principis infestat; aciem instruit; peditatum nostrum repellit 424. pugna victus occumbit 425. quantus numerus cæsorum ex utraque parte 425.

Alyus Mesopot. Prætor fit Vezirius 329. copias in Serviam dimittit; Belgradum munit 331. in Hungaria excubat; celebratur a suis, quod nullam cladem acceperit; pacis causa Belgradi dimoratur 332. cum pompa Adrianopolim intrat 333. jussu Imperatoris in vincula conjectus; cur? 338.

Alyus Tripolit. Begus Vezirius nominatur; bellum apparat; ad Petro-Varadinum Christianorum castra, classem & pontem impetit; Archithalassum præfectura exuit, dein strangulari jubet 348. nostros arcte obsessos tenet; conclamatis vasis subito discedit, cur? 350. quantum numerum armatorum amiserit 351.

Amidshaogli Kiuperlis Vezirius fit 377. ad Belgradum metatur 379. inducias promulgat 384. a seditiosis exauthoratur 411.

Amurathes Archithalassus pugnam vitat; ab Imp. increpitus, ad Hellesponti angustias classem propellit 38. transfuga ei pandit, quid firmum, quid debile apud classem Venetam *ibid.* prælio maritimo concurrit; æquo fere Marte dimicat; quot occubuerint ex utraque parte? Ægeum mare percursat 39. Vezirii dignitatem obtinet 40. Byzantini tumultus causa habetur; in ordinem redactus, non sine suspicione veneni mortem obit 41.

Amurathes Janicsarorum Aga vitam adimit Mahometi Vezirio; ipse hoc munus occupat; Oratori Veneto vincula demit 32. Spahiis Janicsaros opponit; eos sine pugna in castra cogit redire 35. in Seniorem Soltanam conspirat; successorem accipit Achmetem 36.

Amurathes IV. Impér. quibus animi dotibus instructus regnare cœperit? Calilem fidum ministrum in aulam evocat 1. bellum Tartaris infert; Chami filium frustra conatur in Crimæam reducere; in Persidem copias mittit 3. 4. 6. Giosulem Vezirium exauthorat; Achmetem Vezirium creat 7. seditiosos alios mari mergi, alios obtruncari jubet 8. ejus solicitudo ardente Byzantio; Muffitum, ejus filium, aliosque enecat; Legatos Principum Christianorum vexat 9. in Persas ducit populabundus, Byzantium redux triumphat 10. Præfectos militum seditionis authores occidi jubet 11. grandem exercitum in Persas movet, frigoris, caloris patiens, more Janicsarorum vestitus 12. Bagdatum cingit, crebrisque urget assultibus 13. deditione capit; toto Imperio victori applauditur 14. virtutem bellicam Præfectorum remuneratur 15. Mustapham Achmetis I. Imp. fratrem occidi jubet; triumphum agit de Persis 15. Betlenio multum favet; pacem prorogat Ferdin. II. petente 16. Betlenium deserit; Georgio I. Rákoczio insignia principatus mittit, & auxiliares copias 17. moritur; ejus vitia 18.

Ancyra urbs a seditiosis Turcis diripitur 290.

Andreas Barcsai Achatii frater pugna vincitur a Transylvanis; captus necatur 55.

Andreas Barozius transfuga Candiam prodit 73.

Andreas Cornarus Corcyrensibus auxilio est; partem classis Pisanus ei tradit; pugna navali victor concurrit cum Turcis 429. ob servatam Corcyram Italiæ laudes aufert 432.

Andreas Memus Venet. Legatus monet Remp. de bello imminente; vili hospitio includitur; libertatem recuperat 416.

Andreas Pisanus fit Venetæ classis Imp. 421. jubet Cornarum Corcyrenses tueri; partitur cum eodem classem; Corcyræ opem fert; navali prælio cum Turcis congreditur 429. male eos mulctat 430. insulam S. Mauræ occupat; ob Corcyram servatam enco-

encomiis celebratur 432. auxiliares naves ad Corcyram accipit 435. navale prælium committit 436. quis prælii exitus 437. Nicopolim cum omni præsidio suæ potestatis facit 437.
Andreas Potoczki Turcas & Tartaros profligat 156. morbo correptus castris abstinet 267.
Angelus Bembus quatuor navagia adimit Vezirio 44.
Angelus Emus Dalmatiæ Prætor Morlachos & Dalmatas in arma concitat; Seraskerium oppugnatione Sfingæ depellit 420. præsidiis, & Morlachis de re frumentaria solers providet; milites Corcyram immittit 428.
Anselmus Fleischmanus Orator Caroli VI. Cæsaris Augusti apud Achmetem III. Imp. 417. admonet Vezirium, ne pacem rumpat; abitum paranti Byzantio vis infertur 422. Belgradi libertatem recipit 427.
Antonius Barbarus Judicum sententia absolvitur 48. Candiam propugnat cum Marchione de Villa, eorum æmulatio in discordias erumpit 69. propugnaculum, panigra appellatum defendit; frustra suadet Morosino discessum ex urbe Candia 70. ab hoc dissidet; Venetias revocatur; ei succedit Bernardus Nanus 71. Dalmatiæ Curator Morlachos jubet arma ponere 81.
Antonius Bennussius navali pugnæ prosperum finem imponit; in Ordinem S. Marci relatus 435.
Antonius Canagettus Bosniam populatur 376.
Antonius C. Caraffa copias Leopoldi M. in Transylvaniam ducit 203. Munkacsinum obsidet 205. fanum S. Jobi ad Varadinum expugnat 215. superiori Hungariæ prospicit 216. conjuratos plectit 236. Lippam subigit 276.
Antonius Cardosa Venetus a Turcis occiditur 418.
Antonius Loredanus assilientes Turcas arcet 431. in Ordinem equestrem D. Marci refertur 432. insulæ S. Mauræ succurrit 434.
Antonius Marinus Capellus Lyssam tuetur; classem Turc. vincit 22.
Antonius Molinus Livadiam Achajæ urbem assultu capit 363.
Antonius L. B. Petraschius capitur a Turcis, ad VII. turres deportandus 447.
Antonius Pisanus Zemonicum Dalmatiæ urbem cum Gubernatore intercipit 27.
Antonius Rascianus suos populares conquirit 302. jubetur a Veteranio in Valachiam irrumpere 306. secundas excursiones facit; evincit apud Leopold. Imp. ut Rasciani in legiones distribuantur 324.
Antonius Zenus copiarum Imp. Chium insulam petit; tempestate jactatur; urbem Chium oppugnandam decernit; suburbia occupat 354. tum præsidium & naves 355. classem Turc. in fugam conjicit; duas naves per incendium amittit; ad Phocæam VII. hostiles mergit, & tres capit 362. immaturo consilio urbem Chium & portum evertit 362. præfectura movetur 363.
Apaffi, Vide Michael.
Apparatus belli Turcici 12. 72. 131. 157. 161. 184. 213. 314. 315. 371. 433. Hungarici 126. 164. 183. 185. 216. 314. 315. 331. 437. Veneti 32. & seq. 252. 311. 326. 344. 421. Moschovitici 92. 298. 376. 401. Persici 19. Classis Turc. 38. 185. Venetæ 69. 252.
Arabes tumultuantur 339. ad obsequium redeunt 340. pontes Danubio impositos solvere moliuntur 349. rebellant; placantur literis Imp. 371.
Arebus Hung. Seraskerius Jeghenum opprimit 289. militem contrahit in bellum Hung. 291. ad Patasinum excubat; pugna victus castra amittit 292. iterum 293. reste vitam finit 494.
Areschotus Dux sauciatur in pugna Szalankem. 321. inter curationem extinguitur 321.
Ariezaga Palotam capit 245. Albam Regalem circumvallat, & obtinet 276.
Armamentarium Candiæ eversum 74. Cameneci 90. Belgradi 441.
Armenus apud Leopold. M. pacem nundinatur; ejus oratio 188.
Aspremontius fit Belgradi Gubernator; successorem accipit Ducem Croyum 308. e lacero præsidio ægre vitam aufert 309.
Assemburgus classi Danubianæ præfectus 341. negat bellicas infra Belgradum sine clade deduci posse; navarchi metu bellicam amittit; ad Semlinum hæret 342. item ad Petro-Varadinum 360. bellicas IV. naufragio perdit 366.
Asovia expugnata a Cosaccis 19. a Turcis obsidetur; eam evertunt ipsi Cosacci; instaurant 20. ad tolerandam absidionem belle instruitur 92. Moschorum viribus fracta evertitur; instauratur per Turcas 95. ejus descriptio 364. a Moschis circumsidetur 365. deditione capta 370. in pacificatione Moschis cedit 402. 409. Turcis redditur 415.
Astius Baro assilit suburbium Budense 171. Uivarinum 195. auxiliares copias in Budensi suburbio fundit; in suprema aggressione cadit 222.
Athenæ urbs se dedit Königsmarkio 264.
Auerspergius Princeps Bihacsium oppugnat; in assultu cladem accipit 375.
Aulon urbs Albaniæ a Turcis obsidetur; a Venetis incensa deseritur 326.
Avaritia Caimacanis Byzantini 19. Purpuratorum 21. Mahometis IV. Imp. 232.

B.

BAbocsa a Nicolao Zrinyio capta 60.
Babocsajus legionis Hung. Tribunus Turcarum adventum Pálffio significat 426.
Baderlinus Moschoviæ Legatus ad M. Leopoldum 116.
Badoarus, Vide Barbarus, Jacobus, Joannes, Marinus.
Bagdatum Turcæ obsident 3. cladem passi discedunt 4. iterum, iterumque obsidetur 6. 13. quantus numerus defendentium? *ibid.* deditur Amurathi IV. Imp. 14. milite firmatur 15.
Bagosi Tartaros fundit 445.
Bairames Purpuratus Vezirii munus invitus accipit 11. Amurathem IV. Imp. in Syriam deducit; ob laxatam militarem disciplinam correptus contabescit.
Ballarinus, aliis Bellarinus, Capello Legato Veneto a secretis, de pace agit; Candia spem concordiæ abrumpit 41. ad triumphum Turc. inspiciendum evocatur; jussu Imperat. scribit ad Remp. de negotio pacis 46. Vezirius idem recoquit 51. bellum denunciatur Venetis 66 in Cretam accersitur; moritur in via; sumptibus Reip. elatus 68.

Ballius

Ballius Bella Fontana auxiliaribus navigiis praeest 435. classem Turc. persequitur 436.
Barbarus Vide Antonius, Franciscus, Jacobus.
Barbarus Badoarus Lazari Mocenici mortem ulciscitur; nobilem victoriam de Turcis refert; morbo oppressus extinguitur 45.
Barcsaj is Vide Achatius, Andreas.
Barfusius Borussorum Ductor mediae aciei praeest ad Szalankem. 320. Sauravii C. sinistrae alae suppetias fert 321.
Barkoczius Tribunus Varadini suburbia exurit; Tökölio metum obsidionis incutit, Tartaros ad Szegedinum caedit 226.
Basilius Galicinus numerosum militem in Turcas educit; fame pressus copias retrahit; Samuelovichium Cosaccorum Ducem, proditionis reum peragit 270. in Tartaros movet 298. ad Istrum eos fundit; reparatis viribus eum clade afficiunt 301.
Basilius Lupulus Vaivoda Moldaviae in fugam agitur a Rákoczio 51.
Battyáni Vide Adamus.
Bavari obsessae Viennae succurrunt 143. in castra Turc. irrumpunt 145. portam Budensem arcis Strigon. oppugnant 154. laetus eorum adventus in castra Buden. 176. Spahios castra percursantes sistunt; in muros atiliunt 177. clade afficiuntur 179. Uivarinum assultu obtinent 195 in oppugnatione castelli Budensis multum laboris & periculi subeunt 217. semilunam castelli occupant 219. in ruinis cruentum certamen contrahunt 220. captis stationibus dejiciuntur 220. castellum denique expugnant 223. Belgradum impugnant 341.
Bectes Purpuratus in seniorem Soltanam conspirat; globo Janicsarorum succinctus, eam suffocat; novarum molitionum manifestus eodem mortis genere suffertur 36.
Bekius Tribunus Vissegradi arcem tormentis quatit 167. Turcas incurrentes ad Budam sustinet 171. Thingenii successor in Gubernanda Buda, supplicio afficit proditorem urbis 237.
Belgradi suburbia Jeghenus succendit 277. urbs per assultum capta a Bavaro; ejus depopulatio; numerus caesorum 278. munitur ab Hoffkirchio 291. a Badensi milites accipit 306. vi pulveris in ruinas actum Turcae occupant 309. obsidetur nostro exercitu 341. assultu frustra tentato obsidio solvitur 344. difficultates Belgradum obsidendi 438. obsidetur; praesidiarii spem habent urbis conservandae; pontem moliuntur destruere; terra & aquis clauduntur 439. infestatur igniariis ollis; incendio foedatur 441. deditur 444.
Bellum Tartaricum 2. Persicum 3. 12. Venetum 23. 65. 251. 255. 262. 417. Africanum civile 348. Polonicum 9. 83. 100. 132. 266. 364. Moschoviticum 83. 105. 270. 300. 370. 382. Hungaricum 51. 61. 117. 128. 422. Civile Turcicum 40. 46. 289. 339. 411. Dalmaticum 25. 251. 254. 261.
Bernardus Nanus Candiae munitiones maritimas defendendas suscipit; ictu glandis prostratus militum moerorem auget; viri militaria facta 74.
Besir, aliis Bechir, Maurus Mustapham Achmetis I. Imp. fratrem occidit 15. classi gubernandae praeponitur 21. Venetum Oratorem eludere conatur; Caneam urbem violatis pactis vastat 24.
Betlen Vide Gabriel, Stephanus.
Bihácsium a nostris incassum oppugnatur 375.
Blumenthal L. B. ad Budam occumbit 175.
Boguslaus Chmelnizki Cosaccorum Dux ad Suecum deficit; redit in concordiam cum Polonis, & pristinam dignitatem retinet; homo inquies Polonos deserit 42. praeliis superior per Russiam grassatur; caesus, reparatis viribus Podoliae partem sui juris facit; Regem Casimirum premit 83. ad obsequium redit; rursum in arma coortus vincitur; vivere desiit 84.
Bonvicinus Venetus hostium naves fugat, & certamen dirimit 380.
Borussi ad Budam 217. hostem displosis fistulis disjiciunt 218. partem murorum eripiunt 219. turrim amittunt 220. ad Semlinum Caesareis se jungunt 319. ad Essekinum 331. Belgradum oppugnatum veniunt 341. in assultu aliquot Praefecti conficiuntur 341. in castra Caesarea veniunt 448.
Brandius Tribunus Polon. Tartaris stragem infert 347. Camenecenses praesidiarios territat 355.
Brankovajus Valachiae Princeps a Tökölio, & filio suo accusatus apud Turcas, absolvitur 330. veneno suffertur; succedit filius 340.
Brodium per Croyum Ducem subigitur 326.
Brunsvicenses Candiam strenue defendunt 75.
Buda describitur 170. obsidetur a nostris; suburbia capiuntur 171. machinis impetitur; Turcae repugnant 174. flumentanas turres frustra invadunt nostri; numerus caesorum 175. 180. liberatur obsidione *ibid.* rursum cingitur 216. e duobus potissimum locis infestatur; oppidum inferius hosti eripitur 217. praesidiarii cum clade nostros rejiciunt; quot caesi? 218. 219. ferro & igne muros tuentur *ibid.* laeti victoria 220. supremam aggressionem imperterriti sustinent 222. victi repelluntur in castellum; quot capti, & occisi? quantum praedae repertum? 223. quoties capta, obsessa; quantus numerus caesorum Christianorum 225. proditione fere perit 237.
Bulgari in libertatem semet asserere nituntur authore Petro Parchevicio Archi Praesule Martianopolit. 41. detecto foedere variis suppliciis mactantur; in Hungariam non pauci se recipiunt; in Turcas iterum consurgunt 43. vectigales sunt primariae Soltanae 233. praeda fiunt Jegheni Seraskerii 278. auxilium orant Capraram adversus Turcam; suas copias Caesareis immiscent 279. castra faciunt ad Cutlavizam; Turcicum agrum populantur; a Tökölio caeduntur; castra amittunt; Chiprovazium virili animo defendunt; ab eodem Tökölio expugnati sine discrimine trucidantur 280. novas sedes in Hungaria quaerunt; varia fortuna Bulgarorum 281.
Bulgaria vastatur 41. praesidio Janicsarorum munitur 43. uritur a Turcis 278. 280.
Buquoja legio concisa 320.
Buquojus in pugna Szalankem. interfectus 322.
Buzinium juris C. de Keglevics Dunewaldus Turcis eripit 243.
Byzantii, seu Constantinop. seditio 7. authores illius plectuntur in foro 8. e praelio fugitivi ibidem mactati 10. Byzantium impugnan-

pugnandum suadent nonnulli in Veneto Senatu 33. turbæ duas inter Soltanas 35. seditio 40. 41. seditiosi puniuntur 44. pestis sævit 49. seditio vires capit 272. urbs conflagrat 273.
Byzantini populationem suarum fortunarum metuunt 8. signa lætitiæ inviti edunt ob victoriam Amurathis 14. tumultuantur causa Hellesponti obsessi 27. lætitia eorum audito classis Venetæ infortunio 28. hæc multum imminuitur, validiore classe Hellespontum obsidente 29. timent obsidionem Byzantii 43. lætantur Imp. Adrianopoli rediisse 98. Imperatori obviam procedunt; mœror eorum e discessu Imp. 99. populationem timent 248. 290. urgent Archithalassum, ut Corone urbi auxilium ferat 257. eorum officinæ a milite seditioso direptæ 272. arma rapiunt in seditiosos 273. defensionem urbis adornant 290. timent exercitum Moschorum in Crimæam tendentem 299. Szalankemensi clade percelluntur 323. visis Confœderatorum Legatis exultant 404. in Mufftium, & Imp. seditionem commovent 410. pacem exoptant; infelicis belli authores insectantur 433. amisso Belgrado tristes 446.

C.

CAffa, sive Capha urbs Crimææ præsidio Turc. insidetur 2. a Tartaris capta Turcis restituitur; qua conditione? 3.
Caimacanes Byzantinus inprosperæ expeditionis author capite truncatur 18.
Calil Osmanis Imp. fidus minister in aulam revocatur 1. bellum in Tartaros dissuadet 2. cruentum bellum pace componit 3. Vezirius dictus supplementa militum in Persidem ducit; Taurim urbem subjugat; Bagdato copias admovet; indecoram pacem init cum Persis; dignitate dejectus, auro necem redimit 4.
Cameli in pugna capti 163.
Camenecum præsidium Podoliæ clausum a Turcis; traditur Mahometi IV. Imp. 90. armamentarium vi pulveris nitrati evertitur *ibid.* solvitur obsidione 95. Armeni, & Hebræi in ditionem Turcicam deportantur 96. præsidiarii tumultuantes ære placantur 297. insidiis tentatur 298. Polonis cedit in pacificatione 392. traditur iisdem 401.
Candia urbs Cretæ a Cussaine circumsidetur 29. novis copiis & operibus arctius clauditur; obsidio laxatur 32. præsidiarii languent metu munitionis excitatæ; proditionem aversantur 34. obsidione liberantur 37. Veneti militem injiciunt 67. Kiuperlis propius militem admovet 68. numerus obsidentium; defendentium 69. 73. præsidiarii castella ad portum erecta impetunt 73. noctis beneficio suppetias accipiunr 74. minus armamentarium evertitur 74. infelix Gallorum eruptio; unde clades accepta 77. numerus præsidiariorum; irrumpentes Janicsari repelluntur; consultatur de urbe dedenda 79. deditur; quibus conditionibus; ejus ruina. solitudo 80.
Canea urbs Cretæ a Turcis subacta vastatur 24. Veneti eam obsident frustra 25. Mocenicus insidias ei struit 33. Marchio de Villa eandem infestat 67. ejus descriptio 334. quanta cura custodiatur a Turcis; oppugnatur a Venetis 334.
Cantemir Turcar. Ductor a Tartaris clade affectus 3.
Capellus vide Anton. Joannes.
Caplanes Vide Kaplanes.
Caprara Vide Æneas, Albertus.
Capsam Archithalassus Turc. aliquot navigia in Cretam adducit; Grimani industriam eludit 67. rursum militem, & annonam eo deportat 70. 71. Parum insulam evastat 70.
Captivi Christiani a C. Nicolao Eszterházio liberati 16. Veneti Byzantium abducti 37. liberati in pugna maritima 43. Hungari Daci & Moravi abrepti in servitutem Turc. 53. 59. a Nicolao Zrinyio libertati redditi 60. Poloni a Tartaris & Cosaccis avecti 84. 364. a Turcis 96. fossiones facere adiguntur ad Viennam; contrucidantur per ludibrium 138. liberantur a Croatis 311. a Tartaris in castra compelluntur 350. libertatem recuperant Cicluti 352. & in urbe Chio 355. de redimendis agitur 395. in insula Corcyræ multi libertatem recuperant 432.
Captivi Persæ 10. 15. Turcæ 26.
Carabusa urbs Cretæ Turcis proditur 334.
Caraffa Vide Antonius.
Carloviczius Strigon. arcis Præfectus 155. vulneratur ad Parkanum 167. cadit in obsidione Budæ 171.
Carloviczium Sirmii oppidum; de pace tractatur 384.
Carolus Christianus Dux Holsatus in stativa abit 295. ad Szalankem. suam & Neoburgicam legionem Turcis opponit 320. ad vallum castrorum vitam ponit 322.
Carolus Hannoveranus pugnam dissuadet Strasfero 301. fortiter dimicans cadit 302.
Carolus Eugenius Dux Croyus peditatum movet in hostem ad Parkanum 152. in obsidione Budæ Vallensi portæ infestus imminet 172. fit Gubernator Belgradi; obsessum a Turcis ingreditur; spem facit militi protrahendi defensionem in hyemem 308. convulso Belgrado vi pulveris pyrii, ægre vitam salvat 309. Essekinum defendit; eruptione facta Turc. opera exscindit; militari astu eos obsidione depellit 310. Sclavoniam jubetur curare 324. Brodium, aliaque loca Cæsari asserit 326. Savo pontem injicit; Belgradum inpugnat 341.
Carolus Pisanus Venetos hortatur ad fortiter dimicandum 436.
Carolus Ruzzinus pacis causa Carloviczium missus 385. de limitibus provinciarum litigat 392. consulit Rempub. 393. firmus persistit in suis postulatis; paciscitur; apposita conditione signat tabulas pacis 394. ad Achmetem III. Imp. legatur 415. Passaroviczii pacis concludendæ causa adest 446.
Carolus XII. Rex Suecorum Moschos cædit 409. rursum in Moschos ducit; Pultavam oppugnat; in pugna sauciatus ægre manus Moschorum evadit; quantam cladem acceperit; Oczakovium Turcici juris præsidium se fuga recipit 414.
Carolus VI. Imp. Legatos Venetæ Reipub. de bello inferendo Turcis audit 416. Fleischmanum expedit Byzantium; quæ dederit mandata 417. fœdus icit cum Venetis 422. bellum in Turcas apparat 423. 437.
Carolus V. Lotharingus supremus copiarum Dux Strigonii situm explorat; Comaromium retrahit militem; præsidia aliquot munit;

munit; firmis castris se tenet 133. in Csalokōziam insulam, dein Rosaviam, Petronellam exercitum reducit 134. Tartaros spoliis onustos fundit, fugatque 135. item Tōkōlium, subinde Turcas 141. aciem ad Viennam instruit 143. castris hostem exuit 144. laus illius; Regem Polon. in urbem Viennensem deducit 145. præ Uivárino Strigonium oppugnandum censet 150. Polonis ad Parkanum auxilio est 151. Turcas fundit 152. Strigonium Cæsari subjicit 155. castra metatur ad Nitram fluvium 165. dein ad Parkanum 166. Vissegradum capit 167. prælio superat Bodæ Præfectum 168. de obsidenda Buda deliberat; ejus oratio; pontem navalem Danubio injicit; celebratur trajectus omni Europa 170. Budam claudit 172. Seraskerium in fugam vertit; gregarios, & Duces sine discrimine nationum apud M. Leopoldum celebrat 173. flumentanas turres occupare nititur; febribus laborat 175. in Seraskerium movet 176. 178. tentatis assultibus obsidionem solvit 179. Uivárinum acri obsidione premit 191. partem copiarum rapit ad liberandum Strigonium 192. ingenti clade sternit Seraskerium 194. Budam rursum claudit 217. cella pulveraria accensa urbem dedi postulat 218. assultus ordinat 218. 222. Vezirium in fugam agit *ibid.* assultu urbem obtinet 223. Viennam abit 225. ponte sternit Dravum 238. castra castris Turcarum confert; Vezirium in pugnam allicere conatur 239. in campum patentem copias retrahit 240. universa acie confligit 241. binis hostium castris potitur; Daciam in fidem M. Leopoldi accipit 242. febribus corripitur 276.

Carolus Wallensteinius Legatus ad Polonos 129. fœdus procurat adversus Turcas 132.

Casparus C. Eszterházi ad Vezekinum occumbit 52.

Casresses Seditiosorum Turc. caput occiditur 7.

Cassovia intercepta a Tōkōlio 124. per Capraram recuperatur 203.

Castellius C. Varadinensi obsidioni præficitur 324. oppidum Gyulæ capit; arcis præsidiarii nostros spoliis intentos oppido proturbant 330.

Catharinus Cornarus milites mercede conductos Candiæ injicit 73. orto incendio stationes firmat 74. propugnaculum S. Andreæ tuetur; ictu majoris pilæ exanimatur; publica oratione Venetiis laudatur 76.

Catharina Joan. Sigism. Septemviri Brandeburgici soror Betlenio nubit; dominatu Transylvaniæ dejicitur 17.

Cauda equina ad fores palatii Imp. Byzantii depacta, apud Ottomanos belli denunciatio 88. 126. 422. 433. qua solennitate id fiat 126.

Caunicius C. ad Electorem Bavarum Legatus 129. Leopoldo M. auxilia impetrat 132.

Cecrinum Cosaccorum urbem principem Turcæ intercipere attentant 109. ejus descriptio; obsidione cingitur a Kara-Mustapha 112. capitur; pulveraria turris succensa stragem ædificiorum edit; urbem victor Turca ruinis sepelit 114.

Chalcis urbs Eubœæ impetitur a Venetis 283.

Chalibes fit Vezirius; apparatus belli urget 441. Principis Eugenii castra obsidenda decernit; ea ollis igniariis impetit 442. fortiter pugnat; amissis castris fugit 444. præfectura exuitur 446.

Chalil eligitur Vezirius 323. Tōkōlium, & Petroczium in vincula conjicit cur? utrumque libertati restituit 325. sævit in Purpuratos; Musftio infestus; in exilium pellitur; ejus divitiæ 328.

Chamus Tartar. Chmelniczkio Cosaccorum Duci auxiliatur 83. eundem destituit 84. Mahometi IV. Imp. ad Tyram fluvium occurrit 89. domi se continet ob sinistram valetudinem; e Medici consilio in castra proficiscitur 95. insigni pompa castra Turcarum intrat 111.

Chiprovazium Bulgariæ oppidum expugnatum per Tōkōlium; cives concisi 280.

Chius urbs a Zeno, & Steinavio subacta 355.

Chmelniczki Vide Boguslaus, Georgius.

Christianæ Religionis in Turcia descriptio 396.

Christiani Principes lenti succurrunt Venetis 24. probant decretum editum de bello Cretensi continuando; auxilia rari mittunt 46. pollicentur Leopoldo Imp. suppetias 132. accelerant iter ad liberandam Viennam; quantum armatorum numerum collegerint? 143.

Chussaines Vezirius peculatus reus, fuga se subducit; ejus occisori V. aureorum millia decreta 1.

Ciclutum deditione Veneti accipiunt; munitur novis operibus; Turcæ illud invadunt; a Cæsare Odo Marchione defenditur; cum cæde hostium obsidione liberatur 352.

Cimariotæ delusis Ottomanis se clientelæ Venetorum committunt 255.

Circumcisio solennis Mahometis IV. Imp. filii 96.

Cittadella Cassoviensis a Tōkōlio occupata 124.

Classis Alexandrina a Melitensibus, & Corsicanis expugnatur 92.

Classis Confœderat. tempestate disjicitur; discordes Præfecti 25.

Classis Danubiana Cæsarea a Turcica vincitur 320. ædificatur Fleuryo Magistro; quieta hæret 332. instauratur 423. custodit pontes 438. Schwendimanio Archithalasso Turcicam vincit; triumphat 440. 445.

Classis Danub. Turc. Mezzomorti committitur 303. nostram vincit 320. quiescit 332. annonam vehit Belgradum 340. navigia nostra, & pontem ignibus divexat 349. Semendriam advecta 365. pars illius ad Titulium oppugnandum missa 366. vincitur a nostra 440.

Classis Turc. Caffam navigat 3. tempestate disjicitur 22. incendio magnam partem deletur 32. in Cretam navigat cum milite 34. a Mocenico fugata Chium insulam petit 34. in fuga XXXXIII. navigiis mulctatur 35. pugnam vitat; in portu Rhodio obsidetur 37. faventibus tenebris in Cretam venit 37. adornatur magnis curis 185. 348. 434.

Classis Veneta mare infestum reddit 27. Prætoria fluctibus hauritur, magnitudo cladis 28. Hellesponti angustias deserit 33. tempestate jactatur 36. 354. aliquot navigia pereunt 47. apparatus ejus 345.

Claudius Florimundus C. Mersi Pancsovam, & Uipalankam Turcis eripit 427. Donaviczæ alveum

alveum ampliorem efficit; tres bellicas per hunc alveum devehit 437. Danubium trajicit 438. munitionem cum strage hostium occupat 441. in pugna ad Belgradum dextro cornu præest cum Ebergényio 442. Pálffio auxiliatur 443.

Clemens IX. Papa auxiliares copias in Cretam expedit 71. 73. hortatur Principes ad opem ferendam Candiæ 72. 75.

Clemens XI. Papa Venetos ære juvat adversus Turcas 416. & navibus 417. 421. 429. ensem, & pileum victori Eugenio mittit 425.

Clissa, præsidium Dalmatiæ, a Foscolo obtinetur 28.

Cocinum a Polonis receptum 94. Turcis deditur; contra datam fidem præsidiarii trucidantur 95.

Commercius Princeps muros Uivarini assilit 195. in assultu Belgradi vulneratur 278. ad Szentam mediam aciem regit; abit cum Eugenio in Bosniam 373.

Comparatio Amurathis IV. Imp. cum Nerone 11. ejusdem cum Britomaro 12. ejusdem cum Tarquinio 18. cladis Transylvanorum cum Cinensi Romanorum 53. Achmetis Kuperlis Vezirii cum Tiberio Augusto 103. Rákocziæ Tökölii consortis cum Tullia 121. Caraffæ cum Fulvio 236. Agriensium cum Caulinensibus 242. Ludovici Badensis cum Hannibale 322. Popilii cum Effendio 394.

Conjuratio in Ibrahimum Imp. 29. in seniorem Soltanam 35. in Mahometem IV. Imp. 249. in Solymanum III. Imp. detegitur 275.

Conradus Finkius Turcis Budam prodere molitus 236. securi percutitur 237.

Constantinopolis Vide Byzantium.

Constantinus Brankovajus Valachiæ Princeps Byzantii cum omni sua familia excruciatur; cur 416.

Contarenus, seu Contarinus Vide Jacobus, Joannes, Ludovicus.

Corcyra a Venetis munitur 32. a Schulenburgio 428. impugnatur a Turcis 430. strenue defensa 431. liberatur obsidione; quo modo? quantum prædarum in castris repertum? 432. Ibrahimus Archithalassus eam ad ictum destinat 437.

Corinthus occupata per Venetos 264. dolo Turcarum iis ablata 417.

Cornarus vide Andreas, Catharinus, Hieronymus.

Cornarus machinator suis promissis minora præstat ad Budam 174. a Tartaris captus 323. fuga elabitur; narrat apparatus hostiles 331.

Corone urbs Peloponnesi a Morosino obsessa; ejus descriptio 356. assultu capta vastatur 257.

Cosaccorum incursiones prohibentur ab Amurathe IV. Imp. 3. in eos copias suas immittit 6. Assovia expugnata piraticam faciunt 19. Turcas obsidione Assoviæ depellunt; urbe excisa, pars in Moschoviam, pars in Poloniam se recipit; Assoviam instaurant 0. Rákoczium in Polonia deserunt 53. a Joanne Casimiro R. Polon. subjugantur; Radzivilium cædunt 84. eorum jura tuetur Vezirius 86. 87. in Turciam jussu Imp. migrant 96. Dorosenskio Duce ad Moschos deficiunt 105. fuga eorum detegitur 106. non moventur literis Chmelniczkii 108. in urbe Cecrini obsessi, prospere erumpunt 113. Chmelniczkium concidunt 115. armis Turcarum fracti 157. Jassium urbem incendunt 269. Crimææ populationem inferunt 285. Sueci partes amplectuntur; internecione cæsi a Moschis 414.

Cretæ insulæ Gubernator securi percutitur 284. præsidia reliqua Turcis deduntur 419.

Croatæ in castra confluunt 61. prædatorium Turc. agmen dissipant 117. Turcas profligant 181. 207. 208. prædas agunt in hostico *ibid.* Billastenam facta testudine capiunt 208. ad Budam dimicant 221. Quinque-Ecclesias, aliaque loca expugnare juvant 226. Orakoviczium occupant; castra Turcarum obtinent 231. ad Essekinum Turcas fugant 239. Kanisam expugnant 303. Savum flumen custodiunt 306. Bosniam populantur; Christianos in libertatem vindicant 311. patriam suam propugnant 325. procurrunt in agrum hostium; oppidum Bihács exurunt 333. Maydanum in potestatem Cæsaris redigunt 344. aliquot præsidiis hostem proturbant 368. Bihácsium premunt 375. dolent munitiones everti confecta cum Turcis pace 390.

Croyus Dux, Vide Carolus.

Csáki, vide Ladislaus.

Csonkabegus subacta Buda captivum se dat; ejus dictum ad Bavarum Electorem; Christiana sacra amplectitur 223.

Cuniculis Candia petitur 29. 70. 76. Epidauri mænia convelluntur 37. item Cecrini urbis 112. Pesztini 180. Vienna pluribus tentatur 138. 142. 143. deteguntur cuniculi 139. ad Budam successu carent 174. 219. iisdem vexatur Buda 218 Corone urbs 257. urbs Chius 355. Olchinium in Dalmatia 368. Nauplia urbs 418. Corcyra 430.

Cussaines Budæ præpositus fit armorum Præfectus in Creta; Sudam circumvallat 25. urbem Rhetimum capit 26. Sudæ obsidionem solvit 27. Mehemeti Vezirio mortem accelerat 27. Candiam machinis verberat 29. arctius eam concludit; obsidionem solvit; cur? 32. Sudam per insidias occupare contendit 33. Candiam rursum impugnat 37. fere amittit præfecturam armorum 40. simultates inter eum, & Vezirium; classi præficitur; obsidentibus Hellespontum Venetis pugna abstinet; desidiæ insimulatus jugulatur 47.

Cussaines militum Præfectus Principem Moldaviæ clava pulsat 93. proditus ab isto castris exuitur; ad septem turres amandatur; adversam fortunam fracto animo fert 94.

Cyrillus Metropolita Ternovæ Bulgaros in libertatem asserere adlaborat 41.

Cytheum urbs Candiæ Venetis cedit 33.

Czoborius C. Turcis annonam intercipit; agrum Uivárinensium Turc. urit. 187.

D.

DAlmatia vastatur 262.

Dalmatæ migrant in ditionem Venetam 262. montem Abrahami fortiter defendunt 430.

Damianus Hugo C. Virmondtus Cæsareus Pacificator Passaroviczii 447. legatur Byzantium 448.

Daniel Delphinus Prætor Dalmatiæ 346. maritima oppida capit 351. Herzogovinæ Nobiles, Reipub. partes amplectuntur 352. Ciclutum

clutum obsidet; ejus descriptio 352. aliquot oppida dominio Reipub. adjicit 353. vim morbi superat hoste appropinquante; Bosniæ Præfectum in fugam compellit; militem victorem in hyberna dimittit 354. Olchinum oppugnat 368. Omarem Turc. Ducem fugat; obsidionem solvit 369. Lemnum insulam populatur; in pugna naufragii discrimen subit; prælio superior evadit 380.

Daniel Morosinus Turcicum navigium expugnat; Africani illud incendunt; ejus navis conflagrat; ad inimicam classem enatat 38.

Daroczi Tököliani juris oppida evastat; Veteranio se conjungit 351.

Deliberatio, an Mahometi IV. Byzantii persistendum, si Veneti urbi oppugnationem inferrent? Veneti consultant; quo arma vertenda? 43. de pace ineunda 46. iidem de bello continuando 64. de eruptione Gallorum ex urbe Candia 77. de Candiæ deditione 79. Kara-Mustapha deliberat, cui præsidio militem admoveat 134. Lotharingus de Buda impetenda 169. 172. 190. Vezirius de expeditione in Hungariam 303. Achmetes, & Purpurati de novo Vezirio deligendo 329. de bello continuando apud Polonos 346. Mustaphæ II. Imp. de eodem argumento 377. Rex Polonorum, quo arma vertat? 381.

Dellii, equestre genus militiæ apud Turcas; eorum descriptio 126.

Delphinus, Vide Daniel, Josephus, Laurentius.

Descriptio populationis tempore Mahometis IV. Imp. 41. Uivárini præsidii 59. urbis Candiæ 68. 80. ignium festivorum Adrianop. 91. Chami infirmi; solennis circumcisionis Principis Imp. 95. urbis Byzant. absente Imp. 98. Legati Poloniæ ingredientis Byzantium 102. Chmelniczkii carceres perpessi 107. Chami Tartar. castra Turc. intrantis 111. Cecrini Cosaccorum Ducis domicilii 112. Tököliani adventus Budam 125. caudæ equinæ depactæ 126. 127. Delliorum 126. tentorii Imp. 128. tempestatis Turc. castra turbantis 128. incedentis Turcici exercitus 130. castrorum ad Viennam 136. exercitus Christianorum, & pugnæ ad Viennam 143. Vezirii papilionis 145. situs Parkanensis 150. saikarum 164. Budæ 170. Uivárini 190. pontis Dravo impositi 238. Jegheni Bassæ 245. Mainotarum 255. Corones 256. Navarini 258. Ingressus Byzant. Solymani III. Imp. 314. Caneæ 335. Cicluti urbis 352. triumphi Mustaphæ II. Imp. 361. Assoviæ urbis 365. Bihácsii 375. Christianæ Religionis in Turcia 396. Legati Oetingani 402. ejusdem ingressus Byzant. 404. munimenti, quod Palanka Hungaris dicitur 426. tempestatis Turc. castra perturbantis 432. castrorum Principis Eugenii 439.

Dolgorukius Moschorum Ductor Tartaros fundit 382.

Dolus Betlenii Wallensteinium deludentis 17. Turcarum Uivárino imminentium 21. eorundem Epidauri mænia cuniculis convellentium 37. Mahometis IV. Imp. Hierapoleos Præfectum necantis 46. Turcarum in pace cudenda 56. 66. Pro-Gubernatoris Turcæ Uivárinensis 137. Schulzii Turcas cædentis 139. Lotharingi eosdem profligantis 141. Turcarum ad Párkanum 150. Heisleri ad Uivárinum 187. Lotharingi Seraskerium in pugnam allicientis 193. Turcarum ad Strigonium 195. Bassæ Varadinensis Tökölium in vincula conjicientis 202. Leslæi copias augentis 206. Vezirii suppetias mittentis Budensibus 221. Morosini ad Nicopolim 253. Ludov. Badensis Bosniæ Præfectum cædentis 281. Croyii Esfekinum defendentis 310. Mocenici præsidiarios Aulonis liberantis 326. Mustaphæ II. Imp. castra vallantis 366. Turcarum Corinthum occupantium 417.

Dominicus Mocenicus, aliis etiam Maurocenus, fit classis Venetæ Imp. Buthrotum Turcis eripit 312. castra figit ad Aulonem; præsidiariis viam fugiendi aperit; in Peloponnesum transmittit 326. Mitilenen insulam depopulatur; classi Ottomanicæ certamen indicit 327. Peloponnesum tutatur; Caneam obsidet 335, Epidaurum petit; classem inimicam in fugam dat; Seraskerium Peloponneso arcet 336.

Doria Marchio Agriam circumsidet 237. deditione accipit 243. captum Tökölius redimit a Tartaris 305. in captivitate moritur; cadaver ejus in ditionem Cæsaris avehitur 325.

Dorosenszkius, Vide Petrus.

Duchir Archithalassus Turc. glande confixus exspirat 434.

Dunewaldus, Vide Henricus.

Durlacensis Marchio Suevos in castra adducit 191.

E.

Effigies armata C. Schulenburgii Corcyræ 432.

Elis seditionem movet in Asia 7. Magnesiam urbem in præmium petit; Byzantium allectus, interficitur 8.

Emanuel C. Fürstenbergius ad Belgradum occisus 278.

Emericus Tököli Hungariam invadit 118. Austriam, Moraviam terrore complet; unde ei vires, & contumacia in Regem? 119. Tibiscanam regionem suas in partes trahit 120. Saponaræ Baroni Legato Leopoldi Cæs. imponit; nuptias celebrat cum juniore Rákoczia 121. Cittadelam, & Cassoviam subjicit 124. Budæ apparatu Regio excipitur; variis ornatur titulis; Munkacsiam arcem bellico apparatu instruit 125. exercitum conflat e diversis nationibus 129. comitia habet; pacta init cum Turcis 130. cum Mahomete IV. Imp. consultat de bello 132. Posonium occupat 140. mox amittit, & a Lotharingo cæditur; cladem in Hussainem rejicit 141. ad Regem Polon. Legatum expedit pacis causa 161. ejus postulata 162. in Leopoldum M. bellum continuat 163. castra amittit ad Eperjesinum 182. pacem quærit apud Leopoldum; cruditas postulatorum 189. Varadini captivus attinetur 202. libertati redditus sumptus belli accipit a Vezirio 212. Munkacsiæ succurrere laborat 214. 228. senescit ejus fortuna 229. Apaffium perfidiæ accusat apud Turcas 230. Tibiscanum agrum incursat 235. Fedislaviam diripit 279. Bulgarorum castra expugnat; stragem memorabilem edit 280. Chamos Tartar. muneribus sibi conciliat 289. ponte Istrum sternit; Cæsareos e stativis depellit; ad Clodovam bina vulnera accipit; Novigradum, & Orsovam subjugat 291. Valachiam ingressus exercitum suum auget; Transylvanis significat se Principem

cipem Daciæ a Solymano Imp. esse nominatum; Heisleri copias fundit; ipsum captivum detinet cum Marchione Doria; comitia edicit Transylvanis 305. ab incendiis, rapinis suum militem continet 306. Transylvania excedit 307. Temesiæ provinciam insidet 319. a Transylvania arcetur; Holsati copias fugat, ipsum occidit; cum Petroczio in vincula datur a Vezirio, sauciatur; cur? 325. libertatem consecutus conjugem suam Vienna accipit *ibid.* ejus oppida ad Danubium vastantur 351. post pugnam ad Szentam cum Soltano fugit Temesiam 375. vita ejus, & mores compendio narrantur 405. moritur 407.

Emir Arabs Achmetem II. Imp. armis lacessit; ejus oratio ad populares; Mesopotamiæ Prætorem Euphratis eluvione debilitatum in fugam avertit 339.

Emir Fatta Bagdatum Turcis tradit 14. in triumphum ducitur Byzantium 15.

Eperjesinum impugnatur a Schulzio 182. occupatur nondum signatis pactorum tabulis 202.

Epidaurus a Venetis obsessa deseritur a Turcis; solutis cuniculis cladem patiuntur Veneti; urbe excedunt 37. frustra eam obsident Veneti 40. 296.

Epistola Abassæ rebellis ad Amurathem IV. Imp. 5. Cussainis ad Ibrahimum Imp. 27. Ismaelis Budæ Præfecti ad Vezirium 57. Vesselenii ad Forgáchium Uivarini Gubernat. 59. Kiuperlis ad Mahometem IV. Imp. 72. hujus ad Coributum Reg. Polon. bellum denunciantis 88. Kiuperlis ad Gubernat. Cameneci 89. Mahometis IV. Imp. ad Regem, & Rempub. Polon. 93. Messalini Medici ad Ricautium Anglum 95. Cosaccorum ad Moschoviæ Czarum 105. Chmelniczkii ad Cosaccos 108. Chami ad Moschorum Czarum; hujus ad Mahometem IV. Imp. 109. Kara-Mustaphæ de Vienna dedenda 138. Tököliiad Vezirium 141. 162. Lotharingi ad Leopoldum Imp. de victoria ad Hansabegam obtenta 173. Seraskerii cladem excusantis apud Mahometem IV. Imp. 196. ejusdem ad Lotharingum de concordia 198. Rákocziæ, seu Tökölii conjugis ad Caraffam 205. Tökölii ad Hungaros 212. Principis Valachiæ ad Leopoldum Imp. 230. Joannis Sobieskii ad Alexandrum VIII. Pontif 327. Achmetis III. ad seditiosos 412.

Equites, Vide Spahii.

Erdödi, Vide Nicolaus.

Erivanum, sive Rivanum, ab Amurathe IV. expugnatum 10. a Persis recuperatur 11.

Ernestus L. B. Petrasch Lishiczam capit 437.

Erzerum obsessum traditur ex pacto Turcis 5.

Essekinum Danewaldus intrat 244. Bosniæ Præfectus illud oppugnat 310.

Esterházi, Vide Casparus, Franciscus, Joannes, Josephus, Ladislaus, Nicolaus, Paulus, Thomas.

Eubœam insulam Morosinus aggredi decernit, tempestate maris prohibetur 47. castello subacto insula Veneta Reipub. se dedit.

Eugenius Dux Sabaudiæ ad Belgradum sauciatur 278. fit copiarum Cæs. Imp. ad Kobilam metatur; Rabutinio obviam procedit; Tibisco duos pontes imponit 372. insequitur Mustaph. Imp.; hujus molitiones e captivis cognoscit; ad Szentam invadit Turcas 373. internecione delet turbatos; quantum spoliorum ceperit? 374. Bosniæ præsidiis potitur; Viennæ insolito plausu excipitur 375. Starenbergium ad munienda quædam loca dimittit 379. inducias promulgat 385. Legatum Turc. audit 417. copias Futakinum evocat 422. annonarias domos excitat; Palffium ad hostem explorandum mittit 423. Castra Capraræ cum copiis intrat; aciem instruit 424. victoriam de hoste refert; ensem & pileum a summo Pontif. accipit; Temesiam corona circumdat 425. auxiliares copias repellit; Palankam vi capit; deditione urbem Cæsari subjicit; quibus pactis? 426. discedit Viennam 427. Europæi Principes sub eo stipendia faciunt 437. Danubium in conspectu hostium transmittit; Belgradum terra, & aquis occludit 438. castris novas munitiones addit 439. epistola Vezirii intercepta pugnam decernit 442. aggressionis ordo; castra expugnat; quantum spoliorum repertum 443. cæsorum numerus; Belgradum ei deditur, quibus pactis? Deo grates persolvit 444. ad Istrum, & Savum præsidia capit 445. per omnem Europam celebratur; quid de pace reposuerit Colyerio 446.

Eunuchus, Seraglii curator, Mecham proficiscitur; ejus navigia Melitenses Equites intercipiunt; inde turbæ obortæ 23. 24.

Euphrates flu. Turcarum castra inundat; jumenta, atque homines haurit 339.

Expugnatio urbium Erivani 10. Candiæ 79. Cecrini 114. Uivarini 196. Budæ 225. &c.

F.

Facinus inhumanum Abassæ in Janicsáros 5. Janicsárorum in Vezirium Achmatem 7. crudele Techelis in Religiosos D. Francisci 28. egregium nautæ Veneti 32. crudele militum tumultuantium 117. egregium militis Hung. 219. Equitis Melitensis 266. militare Isaci Judæi 430.

Fames in Turc. exercitu 4. 15. 91. Cæsareo 16. 62. Transylvanico 53. in provinciis Turc. 209. Agriæ 242. Albæ Regali 275. in exercitu Polon. 285. apud præsidiarios Gyulenses 351. in Dalmatia 428.

Feldmeyerus transfuga pro Tökölio Eperjesinum tutatur 182. dedit se Schulzio 201.

Felix Potoczki Dux Polon. a Tartaris obsessus; eos fugat 381.

Ferdinandus II. R. Hung. pacem facit cum Betlenio; per Legatum agit Byzantii de pace proroganda 16.

Ferdinandus III. R. Hung. Parchevicium benigne accipit; eundem legat ad Regem Polon. moritur 42.

Ferdinandus IV. fit Hung. Rex 51.

Ferdinandus C. Harrach tormenti globo ad Budam percussus obit 175.

Feriolus Galliæ Legatus prope palatium Imp. Turc. ferrum ponere jubetur; reluctatur, & domum se confert 403.

Fevillada peditatus Gallici Magister acre certamen committit cum Turcis; Cretam petit cum nobilibus Gallis 73. Candiam intrat 74. erumpit in castra hostium; cum clade repulsus, in patriam solvit 75.

Flanginus naves Venetas moderatur; Ægæum mare percursat; pugna navali congreditur; hostium naves lacerat; vulneratur; vivere desit 435.

Fleuryus Marchio classem Danubianam ædificat 332.

Floren-

Florentini milites se adjungunt Venetis 323. 259.
Fluvii intumescentes rem frumentariam in ditionibus Venet. affligunt 262.
Forgách, Vide Adamus, Simon.
Foscarinus, Vide Hieronymus.
Franciscus Barbarus Hellesponti angustias clausas tenet 36. penuria cibariorum stationem deserit 37.
Franciscus Casimirus Wisovszki Orator ablegatur Byzantium; ægre impetrat alloquium apud Caimacanem 85. negat se acturum cum Panagiotto; ejus oratio apud Kiuperlem 86. bellum Turcis minatur; ridetur a Kiuperle; in custodiam datur; bellum in patriam reportat 88.
Franciscus C. Eszterházi ad Vezekinum cadit 52.
Franciscus Grimanus isthmum Corinthi insidet 380. ad regundos Dalmatiæ limites abit 401.
Franciscus Kornis Transylvanos incitat ad fortiter pugnandum 53.
Franciscus Marchio de Villa Sardus præfecturam Veneti peditatus accipit; in Cretam insulam, ubi belli moles, evocatur 65. ad Parum insulam imminutas Venet. copias miratur; milites navigationis tædio affectos numeratis stipendiis recreat; urbi Caneæ obsidionem infert 66. re infecta discedit; ad Candiam universas copias lustrat; eos ex insidiis invadunt Turcæ, & perturbant; castra invadentes profligat; Veneti ab iisdem retrusi 67. ejus bellica virtus deflorescit; cum Anton. Barbaro Candiam propugnat; eorum æmulatio in discordias erumpit; offensus in Zacynthum navigat; Candiam redit; Taurinum revocatur; cum Pontificio milite Candiam venit; ictu majoris pilæ sternitur 76.
Franciscus Morosinus suum navigium strenue defendit; minori pila conficitur 38.
Franciscus Morosinus classis Venetæ Imp. fauces Hellesponti custodit; classem Turc. pugna vincit; Epidaurum obsidet 40. classis ejus tempestate jactatur; Mainotarum regionem vastat 47. castella oræ maritimæ diruit; Eubœam insulam deditione accipit 48. ad novam Candiam cladem patitur cum Gallis; in patriam redit *ibid.* Præfectus maris iterum renunciatus in Cretam transmittit 68. Ægeas insulas, & Peloponnesum territat; desperato maris dominio Candiam se recipit 70. decernit erumpendum in hostium munitiones 77. Gallos Candiæ retinere nititur; ejus oratio ad Gallorum Ducem 78. irrumpentes Janicsaros repellit; deliberat de Candia dedenda 79. urbem S. Mauræ, & Nicopolim armis Venetorum subigit 253. Cimariotas, & Mainotas Reipub. conciliat 256. Mustapham castra Venet. exscindere parantem bis cum clade rejicit 257. ad Naupliam Turcas castris exuit; Coronen capit, ejus populatio 257. Corcyram hybernatum abit; ad insulas maris Ægei divexandas navigia expedit 258. Navarinum vetus, & novum Turcis eripit 259. Naupliæ maritimam obsidionem infert; Ismaelis copias tormentis impetit, ac victoriam conficit 260. Argos, aliaque oppida victor subjugat 261. Peloponnesi Gubernatorem pugna superat 263. Patras, Corinthum &c. occupat; laudibus ornatur 264. Dux Reipub. renunciatus, præfecturam classis retinet 282. Chalcidem oppugnat 283. 296. Epidaurum obsidet 296. Archithalassus rursum nominatur; ejus elogium, trophæum 345. moritur 346.
Franciscus C. Pálffi ad Essekinum sternitur 239.
Franciscus Redei fit Transylv. Princeps 54.
Franciscus Struczius Vacium servat 16.
Franciscus Tiepoleus opem Mocenici poscit; Turcas castrensi apparatu spoliat 336.
Franciscani RR. PP. Sacra Romana in Turcia propagant; privilegia obtinent; a Græcis Monachis ejiciuntur suis domiciliis; Rex Galliæ Patribus favet; amittunt sepulchrum nostri Servatoris Hierosolymis 396. in pacificatione Carloviczensi de recuperandis sacris locis agunt 398.
Franciscus Vandomus Beaufortii Dux VII. millia Gallorum in Cretam deportat 76. Candiam intrat; inter erumpentes primum locum tenet; strenue dimicans interimitur 78.
Fridericus Augustus Elector Saxoniæ Petro-Varadinum castra transfert; in Daciam ire festinat Veteranii juvandi causa 359. audit Lipam a Turcis occupatam; Veteranio auxilia sero submittit 360. in Transylvaniam festinat 361. statuit Temesvam obsidere; naturam loci lustrat; aggressionem unam instituit; Mustaphæ Imp. occurrit cum exercitu; prælium tumultuario committit 366. fere vincitur; quantus cæsorum numerus 367. fit Polon. Rex 371. Camenecum impugnare ardet; quo arma vertenda cum Regni Senatoribus deliberat; Potoczkio a Tartaris cincto suppetias fert 381. militem in stativa dimittit 382.
Frigus insolitum Turc. exercitum vexat 91.
Frumenti penuria in Turc. provinciis 209.
Fuedukes Bassa Verovitziam opprimere meditatur; fugatus a Croatis castra perdit 231.
Fulvius Tribunus Turcas arcet ab insula S. Mauræ 334.
Fülekum præsidiarii Turcis tradunt; evertitur 125.
Fürstenbergius C. ad Budam cæsus 171.

G.

Gabriel Betlen Hung. Austriam, Moraviam diripit; cæsareum militem Gedingæ obsessum tenet; frigore compulsus solvit obsidionem; pacem init cum Ferdinando II. R. H. 16. nuptiis celebratis cum Brandenburgica pacem rumpit; Murtezanem Budæ Præfectum in arma concitat; Wallensteinio illudit; moritur 17.
Gabriel C. Illesházi sinistrum cornu Hungarorum moderatur cum Pálffio ad Párkanum 58.
Gabriel Monachus pyrotechnicæ calentissimus ad defendendum Belgradum mittitur 308. Varadinum ignibus infestat 324.
Gabevszki Polon. Ductor Budziacenses Tartaros urit 337.
Galga Chamus Tartar. Moschos in receptu impetit 301. in Serviam suas copias adducit 319. pacis causa Legatum expedit ad Regem Polon. 338. muneribus donatur a Vezirio 340. filium amittit ad Kobilam; ejus mæror 350. ad Assoviam fugam arripit 370. Moschorum castris assidet; dein cæditur 377.

Galli auxiliares se Venetis conjungunt; in Cretam trajiciunt; ad Sudam minoribus præliis Turcam lacessunt; ad novam Candiam cupiditate spoliorum vincuntur 48. in Illyricum expectantur a Montecuculo 62. ad S. Gotthardum pugnant 63. Volones Harcourtio Duce Candiæ oppugnationem fortiter sustinent 71. aliquot centuriæ cum Nobilitate Gallica Ductore Fevillada in Cretam veniunt 73. in defensionem Candiæ conspirant 74. eruptione facta stragem edunt; in patriam solvunt 74. eorum VII. millia in cretam navigant; Candiam ingrediuntur; memorabili strage hostem afficiunt; nitrato pulvere succenso fugam capessunt 77. Marchio S. Andreæ suppetias fert; Beaufortius cadit; causæ eruptionis minus prosperæ 78. in patriam discedunt 79. Volones ad Novigradum a Turcis circumventi 190. Regii sanguinis Principes sub Eugenio stipendia faciunt 437.

Galliæ Orator Venetis dat spem concordiæ; intercedit pro Capello Reipub. Legato; ægre libertatem ei impetrat 36. Vide Feriolus.

Georgius Balbus Singam ab injuria hostium prohibet; sauciatur 420.

Georgius Bianchi ad Turcas deficit; prodit classem Venetam 38.

Georgius Chmelnizki Cosaccorum Dux in castris obrutus, deditionem facit; monasticen amplectitur 84. Ghildesii nomen assumit; captus a Tartaris in Crimæam asportatur; Chamo detegit natales suos; captivus attinetur in septem turribus; e fuga retrahitur; dignitati restitutus Vezirio fidam operam addicit; solicitat Cosaccos ad defectionem; nihil proficit; cum Ibrahimo expeditionem suscipit in Moschos, & Cosaccos 108. suorum IV. millia in castra adducit 111. ad Borysthenem fluv. a Cosoccis Moschoviticis frustatim conciditur 115.

Georgius Frider. Dux Wirtenbergicus Eperjesinum impugnat 201. ad Cassoviam tormenti globo vitam amittit 203.

Georgius Morosinus classis Venetæ Præfectus; ejus munia antea gesta 48. classem Turc. persequitur; classiarios captivos facit 49. Eubœam aggredi statuit; designationi intercedunt Melitenses; classem Turc. vincit 51.

Georgius Pejachevicius Bulgarorum copias Cæsareis adjungit 279. sub Ludovico Badensi arma circumfert; fortunam pristinam extra Bulgariæ fines reparat 280.

Georgius I. Rákoczi acclamatur Princeps Transyl. insignibus Principatus donatur ab Amurathe IV. Imp. Oratores mittit ad Turcas 17. cum Budensi Præfecto inimicitias exercet; istæ sine prælio extinguuntur 18. dena aureorum millia tributi nomine Byzantium mittit 21.

Georgius II. Rakoczi Transyl. Princeps, Moldaviæ Vaivodam imperio exuit 52. Valach a subacta Constantinum clientem suum Vaivodam dicit; Regem Polon. Casimirum fugat; a Suecis deseritur; cum paucis eluctatur in Transylvan. 53. Principatu dejicitur; in Hungariam se recipit; collectis copiis Turcas profligat; cum Moldaviæ, & Valachiæ Principibus fœdus percutit; Leopoldi M. auxilium implorat 54. acri certamine congressus cum Purpurato Budensi vulneratur amissis suorum VIII. millibus; rursus memorabilem pugnam edit; vulneratus, postea moritur 55.

Georgius Szelepcsényi Metropolites Strigon. pecuniam administrat Leopoldo M. 183.

Germani fortiter pugnant in Ottoman. 56. Candiam animo constanti propugnant 75. numerus eorum 78. Viennam adversus infinitam vim Turc. fortissime tuentur 137. & seq. Tökölium & Turcas fugere compellunt 140. 141. 194. Uivarinum armati occupant 195. Vide Strigon. Budam, Belgradum &c.

Giangeris Chami filius e Tartaria pulsus, Amurathem IV. Imp. auxilium petiturus adit 2. victus rebus afflictis medelam quærit in insula Rhodo; Crimæam repetens a suis abigitur 3.

Gidiekus Asiam turbat 289. de binis Præfectis Turc. triumphum refert; Byzantinos territat; civile bellum perosus Vezirio se subdit; excruciatur 290.

Giosul. Vezirius Abassæ rebelli imminet; Erzerum non audet aggredi; cum eodem pacem concludit; militarem disciplinam instaurat; Purpuratorum odium incurrit 5. Soltana agente Persis bellum movet; penu castrensi amissa, militem Bagdato reducit; iterum Bagdato assidet; incusatus Imperatorem pecunia nititur placare; dignitatem jubetur ponere 7.

Girapetra urbs Candiæ a Cussaine occupata 27. in ruinas agitur 33.

Globus ex olla igniaria ejectus armamentarium Candiæ succendit 74.

Goesius L. B. Orator Leop. M. de pace agit cum Turcis; luditur 56. Kiuperlis Vezirius eidem iniquas conditiones obtrudit; in humile diversorium Budæ amandatur 61.

Græci Monachi Sodales D. Francisci domiciliis, & templis spoliant; sepulchrum Servatoris nostri vi occupant 396. favore Panagiotti in aula potentis 397.

Græci in Peloponneso omni clade atteruntur per Turcas 260. 263. Königsmarkii, & Morosini arma exposcunt 263. Latinis adversantur; tributum pollicentur 398.

Græcus adolescens Lotharingo aperit, Vezirium pugnam meditari 240.

Græcus Sacerdos detegit Parthenio Cosaccorum defectionem ad Moschos; dat consilium eos reducendi 106.

Grimanus occiso Mustapha Eubœæ Præfecto classem inimicam cedere cogit; insulas complures Veneti juris facit 26. mare infestus percursat 27. Mirabellum expugnat; naufragio perit 28.

Grimanus, Vide Hieronymus.

Guadagnius Marchio armorum præfecturam apud Venetos accipit 296. ea se sponte abdicat 312.

Gualterus C. Leslæus Leopoldi M. Legatus munera defert Mahometi IV. Imp. ejusque matri, & Vezirio; Adrianopolim insigni pompa ingressus; pacem firmat 64. 117. ejus dotes animi 65. Venetos certiores reddit de continuando in insula Creta bello *ibid.*

Guidobaldus C. Staremberg ad Essekinum pontem Turc. exscindit 238. in assultu Belgradi in fossam urbis se primus conjicit; Beldradi Gubernator dicitur 278. Turcas prohibet a vallo faciendo 292. Nissæ Gubernator 306. eam tradit Kiuperli Vezirio; periculum vitæ 307. cum Souchio dextrum

cornu

cornu ducit in Turcas 320. saucius partes cæterorum Ducum explet; Spahios fluctuantes impellit 321. Sclavonia ei attribuitur; Dravo adjacentia castella munit 331. aggressionem tentat in muros Belgradi, non sine cæde rejicitur 343. Titulium, & classem jubetur defendere 366. ad Szentam dextro cornu præest; pontem Tibisco impositum tormentis quatit; secuta Turcarum strages 373. cum Principe Eugenio Bosniam armatus petit 374. Titulium tuetur 379. Sclavoniæ Gubernator Legatum Turc. excipit 403. reducis Legati navigia sistit; cur? 405.

Guilielmus Pagetus Anglus de pace confert cum Vezirio 332. libellum conditiones pacis continentem Vezirio, & Imp. porrigit; contemptim habitus domi se continet 339. a Mustapha Imp. de pacis negotio interpellatur; Viennam ea de causa ablegat suum hominem 378. Carloviczium se confert 385. mire patiens in emolliendis Turcis; ejus laus; Belgradi magnifico apparatu excipitur cum Ruzzino Veneto pacificatore 399.

Gyulam præsidium nostri intercipere conantur 348. deditione obtinent 351.

H.

HAllevilius castris ad Parkanum locatis præficitur 166. in Turcas invectus hasta confoditur 167.

Hannibal L. B. Degenfeldius copiarum Venet. Imp. 326. Naupliæ vi febrium extinctus 333.

Hassanes seditione mota, Vezirium ad cædem deposcit 40. occiditur cum suis 43.

Hassanes Budæ Præfectus a Souchesio bis campo depellitur 62. 63.

Hassanes Kanisæ Præfectus Kis-Comaromio excidium minatur; brachio mulctatus otium quærit 52.

Haubenius Savo flu. duos pontes imponit 439. Janicsaros incursantes castra cædit; minoribus castris præesse jubetur; ob stragem fossorum ejus fama vapulat; in magna castra revocatur 440. fortissime pugnans occumbit 441.

Heidershemius (aliquando Heislerus) annonarias domos excitat 359. in pugna ad Temesiam languentes erigit; minori pila ictus, dein Szegedini obit 367.

Heimburgum a victore Turca vastatur 136.

Heislerus vias militares ad Uivarinum insidet 186. Turcas ex insidiis opprimit 187. eosdem ad Aradinum cædit 204. annonarios currus ad Tibiscum intercipit 236. Titulio depellit hostem 276. diffractis Belgradi portis, equitatum in urbem infundit 278. prope Bulgariam stativa capit 279. Temesiæ præsidiariis, & Tökölio opponitur a Badensi 292. militem ad limites Transylv. movet 302. Apaffio Transylv. Principi auxilio est; Veteranio aliquot legiones mittit 304. cum exercitu cæsus a Tökölio, fit captivus 305. liber dimittitur 325. Varadinum in Regis potestatem redigit; ad aquas Badenses discedit 329.

Helena Veronica Rákoczia, uxor Tökölii Munkacsiam arcem defendit 204. epistolam dat ad Capraram 205. ob Unguarinum Cæsareis traditum supellectilem Galambosii diripiendam militibus præbet 206. hortatur præsidiarios ad crebriores eruptiones 214. se, arcemque tradit Caraffæ; quibus conditionibus; ad virum suum Vienna proficiscitur 325. moritur exul in Asia 406.

Hellesponti angustiæ a Venetis obsessæ 29. 32. 36. 43. 44. 47. pugna ad easdem 38. 40.

Hemskerkius Hollandus de pace tractat Byzantii 332. libellos de pacificatione Imp. & Vezirio porrigit 339. laus, & iter ejus Viennam 384.

Henricus Dunewaldus lævum cornu ad Viennam moderatur 143. Regem Poloniæ nomine Lotharingi admonet, ut peditatum in pugnam ducat 150. viam aperit ad victoriam in campo Párkanensi 152 in prælio Strigoniensi Tüngenio succurrit 191. Dravum cum suis superat; ad Essekinum vulneratus victoriam refert 239. expeditio Sclavonica ei committitur 243. munita loca Turcis adimit 244. cum Styrumio cornu sinistrum movet in Turcas ad Szalankemenum 320. jubetur accelerare iter cum suo agmine; multum confert ad victoriam 321. vivere desinit Essekini 322.

Herbersteinius C. Carolostadii Gubernator prædas agit per oppida Turc. 206. aliquot præsidia expugnat 209.

Hierapoleos Præfectus in Mahometem IV. Imp. bellum coquit; fingit apud se dimorari Amurathis filium; Vezirium profligat; Imperator dolo eum enecat 46.

Hierapolis urbs peste correpta 339.

Hieronymus Battagius victoriæ maritimæ initium facit 34.

Hieronymus Battaglia Bernardo Nano in defensione Candiæ succedit 74. negat Candiam dedendam 79.

Hieronymus Cornarus Dalmatiæ præficitur 255. aggeres volente Valierio nuper eductos, jussu Reipub. proruit 261. Novum castellum Dalmatiæ præsidium impugnat; cæsis auxiliaribus copiis, cruento assultu stationem figit in ruinis murorum 265. mox præsidium deditur 266 Dernium juris Veneti efficit 283. Albanis opem pollicetur; aversa fontis vena Clinovæ arcis præsidiarios ad deditionem cogit 284. fit Archithalassus Venetæ classis; ad Epidaurum telo percutitur 296. hanc obsidet, & capit; in Epiro aliquot præsidia occupat; successorem habet Dominicum Mocenicum 312.

Hieronymus Dolphinus Venetæ classis Præfectus Methonen accedit; in Zacynthum classem reducit; Leucadem, sive urbem S. Mauræ munimentis exuit 419. Venetias avocatur 421.

Hieronymus Foscarinus Dalmatiæ Præfectus nominatur 51.

Hieronymus Giaverina Orator Venetus Byzantii 68. a Vezirio Kiuperle in castra arcessitur; negat sibi potestatem datam de pace tractandi; moritur 71.

Hieronymus Grimanus Zacynthum insulam defendendam suscipit 67. onerarias Turc. occupat 68.

Hieronymus Loredanus Tenedo insula excedit; spontaneo exilio sententiam Reipub. evitat 45.

Hieronymus Michielius classis Venetæ Præfectus 351. angustias Corinthi insidet 354. hostem primus invadit; bellicam hostilem pessumdat; majori pila conteritur 363.

Hochpieda Colverii pacificatoris soror a Soltana seniore benigne habetur; Aga Janicsarorum eam comitatur 401. Minotum Corin-

Corinthi Gubernat. e captivitate redimit 418.

Hoffkirchius C. succurrit Jagodinæ; Semendriam recedit; præsidia munit 291. Savum custodire jubetur 306. Croatis subsidio mittit legionem unam 311. latera castrorum Turc. cum Hung. & Rascianis aggreditur; victoriæ præludit 321. Turc. agmen delet; annonam intercipit, Tartaros persequitur; humanas curas componit Dobróczini 344.

Hohenlojus Vid. Wolffgangus.

Hoffmannus Leopoldi M. Legatus, monet Vezirium, & Soltanum, ne factiosos Hung. foveant; inter ludibria auditur 118.

Holzclius Veredarius ad Turcas fugit; ejus mendacia 57.

Hungari fortiter pugnant in Turcas Duce Rákoczio; postremum vincuntur; Varadinum tuentur, deditionem faciunt 55. ad castra evocantur; quantus eorum numerus? 57. ad Párkanum cæsi 58. confluunt ad signa Nicolai Zrinyii 61. victoriam de Turcis reportant 63. Saikarii Danubium frænant 165. ab obsidione Uivarini revocantur 166. suburbium Budense populantur 171. ad Hansabegam equitatum Turc. fugant 173. opprimuntur DC. a Seraskerio; e castris domum discedunt, cur? 178. frumentum, & militem promittunt 183. Turcas muniendæ Budæ intentos obtruncant 187. in pugna Strigon. machinas occupant 195. ad Aradinum victoria potiuntur 204. fanum S. Jobi ad Varadinum oppugnant 215. vicena, & amplius eorum millia ad obsidendam Budam accurrunt 216 flumentanam partem urbis impetunt; assultum faciunt 218. tres turres depulso hoste obtinent; vires hostium distinent 219. eorum statio aliquot cohortibus Germanorum firmatur 221. ex iis præsidiarios accipit Buda 224. Turcas cædunt 227. 344 379. ad Sclavoniam recuperandam mittuntur 242. in castra veniunt 276. 345. 359. Tartar. & Turcas in fugam vertunt 292. pedites victoriam inchoant 292. in prælio Nissensi rem strenue gerunt 293. Kanisam domant 303 latera castrorum Turc. invadunt cum Rascianis; viam sternunt ad victoriam 321. Vallum ad Varadinum superant; illudque custodiunt 324. Orsova, aliisque insulis hostem depellunt 330. procursiones felices faciunt 361. 373. Bihácsium cum Croatis oppugnant 375. hostem persequuntur 374. supellectilem Mustaphæ II. Imp. diripiunt 377. Maurocordatum cum familia occupant 427. Orsovam Splényio Ductore capiunt 445.

Hussaines Bosniæ Præfectus Esekino oppugnando insistit; dolo militari delusus abscedit 310.

Hymnus Ambrosianus decantatus Viennæ 146. Strigonii 244. Essekini 244. Venetiis 364. 401. in castris 425.

I.

JAcobus Badoarus Byzantium suadet impugnandum 33.

Jacobus Barbarus cum suo milite cæsus 33.

Jacobus Colyerius Holland. Orator apud Turc. de pace compellatur a Mustapha Imp. 378. acceptus Purpuratis 384. Carloviczii inter multa tædia moratur; ejus industria pax conclusa; omni honore Belgradi colitur 399. ejus soror alloquio Soltanæ fruitur 401. differit de pace cum Princ. Eugenio 446. Passaroviczium petit 447.

Jacobus Contarenus supplicantium agmine Naivallem accedit 78.

Jacobus Minotus de Corintho tradenda paciscitur 417. in captivitatem lapsus, ab Hochpieda redemptus 418.

Jacobus Regius Princeps Polon. cum Patre ad liberandam obsidione Viennam contendit 143. solicitudo ejus de Patre in pugna Párkanensi 151. Cracoviam redit 156. Camenecum infestat 270. in castra Polon. venit 337. Candidatus regni Polon. 369.

Jacobus Riva classe valida Hellespontum obsidet; Ibrahimum exitum rimantem redire cogit Byzantium 29. rursum eandem stationem tenet; utramque hostium classem aggressus, plurima navigia Vulcano consecrat; ob hanc victoriam novis honoribus a Repub. ornatur 32. dissuadet obsidionem urbis Byzantinæ 33. angustias Hellesponti deserit; naves ad reparanda damna in opportunos portus dimittit; hac occasione usi Turcæ in Cretam militem trajiciunt 34.

Jagodina nullo successu oppugnatur a Turcis 291.

Jancongias Archithalassus Turc. classis Chium petit; vitæ ejus cursus 416. Tenedum insulam capit 417. Naupliam, & Methonen cum Vezirio sub jugum mittit 419. in Creta Sudam, & Spinalongam Venetis aufert 419. ejus nomen multum celebratur in aula, traducitur a Vezirio; Mufftius & Soltana eum a calumniis vindicant 421. Corcyræ expugnandæ parem militem, & apparatus obtinet 423. superbum ejus dictum 428. sinum Corcyrensem intrat cum classe; prælio navali concurrit 429. locum pugnæ retinet 430. bina castella armis subjicit 430. assultus tentat in ruinas Corcyræ; signa XXX. defigit; in castra rejicitur 431. subita tempestate perculsus obsidionem solvit 432. classem, & exercitum instaurat; exilio punitus excruciatur; opes suas prodit; & amittit 434.

Janicsari in Abassam rebellem arma corripiunt 1. astu elusi eadem ponunt 2. eorum rapinæ castigantur 5. seditione mota Byzantium turbidi proficiscuntur 6. Vezirium frameis concidunt 7. Agam suum suspendio necant; redeunt ad obsequium 8. eorum Præfecti de expeditione Persica questi, morte plectuntur 11. seditionem movent 14. ad Uivárinum proditi 21. in Ibrahimum Imp. & Vezirium conspirant; hunc suffocant, illum in carcerem compingunt 30. dissident cum Spahiis; aciem formant adversus eos 35. Soltanæ fauces elidunt 36. tumultuantur Byzantii, & ærarium Imp. effringunt 41. Zrinyii victoriam morantur; cæduntur 60. ad S. Gotthardum Imperiales fundunt 63. partim aquis, partim ferro pereunt; in Vezirium consurgunt 64. Gallos cum cæde fugant ad Candiam 78. Heimburgum vastant 136. seditiosi frameis conciduntur 149. delectus eorum fiunt 161. Budam mittuntur 185. 216. cum Spahiis tumultuarie pugnant 197. Budam acerrime propugnant 218. domos privatorum Byzantii diripiunt 272. Vezirium interficiunt 272. cæduntur 292. 293. 297. 321. tumultuantes suos Præfectos trucidant 338.

Jannina Princeps Mold. Jassio excedit 327. ejus oratio ad Sobieskium R. Polon. 328.

Jassium, urbs Moldáviæ Turcis erepta 94. Sobies-

Sobieskius R. Polon. eam occupat 268. deserit; incendio fœdatur a Cosaccis 269. rursum ab eodem Rege obtinetur 328.

Ibrahimus post carcerem IV. annorum rerum potitur; die inaugurationis vicos Byzantii fractus viribus obequitat; ejus vitia 19. 29. de ejus pellice, & filio per Melitenses capto rumor 23. Mustaphæ Præfecti divitias in ærarium redigit ob finistram pugnam 26. Ibrahimum classis Præfectum ad Hellesp. pontum a Venetis fugatum, trucidari jubet 29. in ergastulum conjectus, mente mota furit; morte afficitur 30.

Ibrahimus Alepi Gubernator fit classis Præfectus; pugnam committit cum Venetis ter 434. victorias falso nuntiat Imp. mendax rumor fidem reperit in aulis Principum 435. rursum prælio commisso inferior abscedit 436.

Ibrahimus Budæ Præfectus Janicsaris præest 131. ad obsidenda Lotharingi castra præmittitur 133. obsistit acriter Cæsareis in pugna Viennensi, Polonos urget 144. proditionis falso accusatus a Kara-Mustapha, vita privatur; ejus virtus militaris 148.

Ibrahimus alter Budæ Præfectus novas munitiones urbi addit 1[illegible]. oppidanos in arcem fugientes tormentis impetit 171. arcem acriter defendit 177. decus servatæ Budæ illi tribuitur a milite 180.

Ibrahimus Cameneci olim Gubernat. Viennam legatur 403. Leopoldo Imp. adfert munera; ejus urbani mores; navigia ejusdem sistuntur ad Valkovariam; cur ? lis enata consopitur 405.

Ibrahimus Chaetan apparatus facit in bellum Polon. multa oppida in suam potestatem redigit 99. Sobieskium Regem in castris obsidet 100. super conditionibus pacis agit; adversus Tartaros prædatores suos arma jubet capere *ibid.* acerrime dimicatur; pacis lineamenta describit 101. in Moschos & Cosaccos vadit 108. Cecrinum occupare tentat; Tartaris a Moscho cæsis, Benderam iter relegit 109.

Ibrahimus classis Turc. Præfectus pugna superatus ex imperio Ibrahimi mortis pœnam subit 29.

Jeghenus ad divexandum Lotharingi agmen immittitur 240. olim prædonum Ductor Asiam persultat; militiam Mahometis IV. Imp. amplexus Byzantium accedit 245. ejus bellica virtus, & vestitus; Vezirio minime gratus; in pugna ex composito desertus; turbas miscet; Sciausium sibi socium adsciscit 246. Vezirio fuga ablato imperium copiarum partitur cum Sciausio 247. Adrianopolim proficiscuntur, dein Byzantium 249. factione Sciausii nulla pompa urbem ingreditur; injuria stimulatus milites incitat ad petenda stipendia, & donativum 271. ære placantur 272. novum commentum spargit, quo Sciausius periit 272. fit Seraskerius in Hung. 273. in Solym. III. Imp. & Vezirium cum Soltana conspirat 274. ad Belgradum metatur 277. metu Bavari Electoris Belgradi suburbium incendit 277. Semendriam se recipit, dein Nissam; oppida Christiani nominis diripienda concedit militibus 278. conspirant in ejus necem; proscriptus necatur 289.

Ignes festivi Byzantii 10. 14. 315. 400. in Asiæ, Europæque urbibus 14. 91. Adrianopoli 64. 91. in campis Adrianop. 97. in Moschovia 377.

Illesházi, Vide Gabriel.

Incendium Byzantii 8. 273. Adrianopoli 9. Candiæ 74. Cecrini 114. Cassoviæ 124. Budæ 171. 218. Posegæ 244. Navarini 259. Jassii 269. Aulonæ 326. in urbe Chio 355. Temesiæ 366. gradi &c Belgradi 441.

Innocentius X. Pont. naves armatas Venetis mittit 24.

Innocentius XI. Pont. Leopoldo Imp. opem spondet adversus Turcam 132. vexillum Janicsarorum a R. Polon. dono missum accipit 145. fœdus procurat inter Cæsarem, Polonos, & Venetos 163. summam pecuniæ mittit Leopoldo Imp. in belli subsidium 183. Erdődii virtutem bellicam dilaudat 208. lætitia ejus de Buda capta 224. Divum Stephanum Hung. Reg. in communes toti Eccesiæ fastos transfert 224. navigia Venetis in auxilium expedit 253. Novum castellum Dalmatiæ præsidium cupit edomari; eo mittit militem suum 265. suadet Sobieskio R. Polon. Camenecum ut expugnet; eidem sumptus belli pollicetur 268.

Innocentius XII. Venetos juvat 333. navigia armata in Cretam mittit; Caneam obsident 335. prælium navale secundum faciunt 363. Corcyræ succurrit 435.

Innocentius Tensus Venetus cum suis incendio perit in pugna maritima 376.

Joannes Bapt. Nanus Scriptor rerum Venetarum; limites controversos Dalmatiæ definit 83.

Joannes Badoarus capitur 418.

Joannes Capellus Legatus Venetus, Candiæ insulam a Vezirio petit; in ergastulum retruditur 36. ad triumphum Turcicum inspiciendum evocatur 46.

Joannes Casimirus Rex Polon. cum Leopoldo M. fœdus icit 42. Cosaccorum Dux in eum hostilitatem exercet 83. Regiam purpuram in comitiis ponit 85.

Joannes Christophorus Zirovszki in Moschoviam legatur 163.

Joannes Contarenus Tenedi insulam trepidus deserit 45.

Joannes C. Draskovics Pro-Banus aliquot munitionibus Turcam depellit 427. 445.

Joannis C. Eszterházi Pro-Gubernatoris Jaurin. miles in turri Budensi vexillum figit 219. suum peditatum ad Budam circumvallat 220. Palotam cum B. Ariazaga 245. & Albam Regalem capit 276.

Joannes Gninskius Culmensis Palatinus legatione fungitur apud Mahometem IV. Imp. ejus ingressus Byzantium; & oratio ad Imper. 102. inter tædia pacem conficit 103.

Joannes C. Haller concordiam procurat inter Leopoldum M. & Apaffium 189. 229.

Joannes C. Kemény Ductor exercitus Transf. inopia rerum laborat; obsessus a Tartaris cladem accipit 55. fit Transylv. Princeps; Andream Barcsajum pugna victum suspendio necari jubet; Achatium Barcsajum per suos interficit 55. Leopoldi M. opem implorat adversus Turcam; suum militem cæsareis copiis conjungit; Apaffium principatus æmulum opprimere studet; in prælio occiditur 56.

Joannes Ludov. Kuffstein Legatum agit Byzantii 17.

Joannes C. Pálffi hostium conatus explorat; modica manu XL. millibus Turc. obsistit; victor in castra redit; in pugna decreto-

 ria

ria equitatum moderatur; Spahios loco movet 424. cum Wirtenbergico Temesiam claudit 425. ad Begum fluvium excubat; cum Eugenio Principe suppetias Turc. rejicit 426. Vezirii interceptas literas ad Eugenium defert; in expugnatione castrorum Turc. equitatui præest 442. primus valla invadit 443. in castra irrumpit; secuta cædes hostium, & victoria 443.

Joannes Pesarus in Senatu Veneto bellum continuandum suadet 48.

Joannes Princeps Moschoviæ, Imperii consors a militibus pronunciatur 117. renuit fœdus inire cum Leopoldo; cur? 163.

Joannes Radzivilius Poloni militis Ductor a Cosaccis cæsus 84. Povolociam Cosaccorum præsidium expugnat 97. Regi obsesso suppetias venit 100.

Joannes Sobieski Regiis copiis præficitur 92. supplementis militum exercitum auget 93. castris Turc. captis stragem edit; magnitudo victoriæ; Cocinum, & alia præsidia Turcis eripit 94. Rex Poloniæ electus Podoliam, & Ukrainam cum exercitu petit; plurima loca sui juris facit; Principem Moldaviæ in provincia stabilit; Cracoviam victor redit; Tartaros profligat 95. castra metatur ad oppidum Zurovno; obsessus agit de concordia 101. erumpit in Tartaros prædatores; cum Turcis acerrime confligit 102. bellum pace commutat 103. fœdus percutit cum Leopoldo Imp. 132. Viennæ obsessæ auxilium fert 143. in prælio Viennensi dextrum cornu in Turcas movet 143. pars magna victoriæ; capto Janicsarorum signo in castra irrumpit 144. tentorium Vezirii occupat 145. per ruinas murorum in urbem deducitur; Leopoldum Imp. convenit 146. anceps certamen ad Párkanum contrahit 150. ejus periculum 151. rursus hostes aggressus nobili victoria potitur 152. Cracoviam triumphabundus ingreditur 156. ad Tyram fluv. metatur; Tartaros in fugam conjicit 266. typum expeditionis in Turcas describit; Moschoviæ Principem in commune fœdus allicit 268. Camenecenses præsidiarios castigat; in Tartariam Budziacensem cum copiis abit; commeatu deficiente reditum maturat; bellum continuandum in comitiis evincit; per ægritudinem castris abstinet 269. bellum Turc. languet 297. ejus epistola ad Pontif. bellum apparat; Lubomirium Principem undique obsessum liberat 327. in castra venit cum binis suis filiis; Camenecum oppugnandum decernit; 337. pacem rejicit 338. comitia nullo successu solvuntur 347. moritur 369.

Joannes Soranzius, sive superantius, Orator Venetus purgat Rempub. Byzantii; Candiæ Gubernatorem certiorem facit de bello Turcico 24.

Joannes Steph. Knesevicius Bulgarorum Antistes contra Turcam auxilium poscit Capraram 278. Chiprovaczii obsessus, ferrum hoste evadit; iconem B. V. M. prodigiis claram secum in Transylv. defert 280.

Joannes Szent-Pálius Valachos fundit, fugatque 56.

Joannes Vékony epistolam Vezirii ad Gubernator. Belgradi scriptam Pálffio prodit 44.

Joannes Wertmüller rei tormentariæ Præfectus ad Caneam cum suis opprimitur 66.

Josephus Delphinus vicaria potestate navigiis Venetis præest; classem in altum jubet propelli ad pugnam capessendam 38. prætoriam fatiscentem tuetur; quot ex utraque parte ceciderint? 39.

Josephus C Eszterházi castra Turc. astu militari obtinet 445.

Josephus C. Herberstein Prior Melitensium in Peloponnesum trajicit 258. Novum castellum in Dalmatia infestat 265.

Josephus Morosinus tria millia Turc. in captivitatem redigit; hæc victoria multum recreat Rempub. 35.

Josephus Usius Morlachorum manu Turc. castra capit 255.

Josuffes Turc. Ductor per Morlachos clade afficitur 82.

Jörgerus C. Pro-Tribunus ad Temesiam occumbit 367.

Ipsir Hierapoleos Præfectus spem habet Vezirii munus obtinendi; ejus adminicula 39. cum valida armatorum manu Byzantium proficiscitur; in speciem amice susceptus, dum de bello Veneto consultat jugulatur 40.

Ipsiris filius patris mortem ulcisci contendit 40.

Isacus Judæus raræ fortitudinis exemplum edit in pugna 430.

Ismael Budæ Gubernator a Georgio II. Rákoczi in fugam actus 54. versa fortuna hunc profligat 55. æmulatio ejus cum Temesiensi 56. capita pacificationis sigillat 57. Uivárinum cum Kiuperle expugnat 59.

Ismael Peloponnesi Gubernator a Mainotis premitur; istorum aliquos Venetis detrahit; ejus oratio 256. a Morosino fugatur 258. prælio inferior 259. Græcæ Religionis vicos populatur 260. iterum victus a Königsmarkio; exauthoratur 262.

Ismael senex fit Vezirius; authores seditionis variis suppliciis afficit; dignitate movetur 273.

Julius Ludovicus Eugenii Principis frater, accepto a Tartaris vulnere, Viennæ moritur 135.

K.

Kanisam impugnat Zrinyius; oppugnationis difficultates 61. deditur 303.

Kanisiensem agrum nostri populantur 52.

Kaplanes Bassa Leopolim ad deditionem cogit 90. ad Cecrinum cæsus pontes exurit; plenam victoriam Cosaccorum corrumpit 113. a Duce Moschorum eluditur; in castrorum oppugnatione sauciatur 114.

Kara-Ibrahimus fit Vezirius; socium in præfectura accipit 159. mille armatos suo ære conducit 184. exauthoratus in Rhodum deportatur, occiditur 210.

Kara-Mustapha duras conditiones pacis obtrudit Polonis; Oratori Polon. alloquium ægre concedit 84. Vezirius nominatus Polonicæ pacificationis puncta in controversiam vocat 102. Chmelniczkium Cosaccorum Ducem instituit 108. molliores conditiones Moschis offert 110. in Moschos expeditionem molitur 110. ad Tyram fluv. metatur; Chmelniczkium, & Chamum lætus videt in castris 111. ad Cecrinum male mulctatur; castra vallat contra Moschos; cruentum certamen cum his contrahit 114. hac expeditione XXX. millia armatorum amittit 115. Tökolio favet 119. paratus facit in Hung. bellum; eidem mit-

tit militem; quo consilio 120. simulata humanitate Cæsareum Legatum accipit; in bellum Hung. exæstuat, cur? 122. Imperatorem in suam sententiam pertrahit 123. exercitum movet in Hungariam 130. deliberat, cui præsidio militem admoveat 134. Viennam cingit; literis sparsis urbem dedendam monet 138. assultus infelices tentat 140. numerum suorum init 143. aciem struit; memorabili pugna victus 144. in Hungariam fugit 146. cladem Mahometi Imp. nunciat 147. Præfectos Turc. occidi jubet 148. seditiosos ferro enecat 149. odium militis in eum 157. a Tőkőlio, & uxore Ibrahimi occisi incusatur; Belgradi elisis faucibus obit 158. mores, & vitæ cursus 159.

Karloviczium, Vide Carloviczium.

Kaunicz Vide Caunicz.

Kazanakensis nostrorum cædes 302.

Keglevics, Vide Petrus, Sigismundus.

Kemény Vide Joannes.

Keysersfeld machinator Petro-Varadinum munit 331. ad Belgradum cadit 342.

Kislar Eunuchorum Præfectus partem pecuniæ in ærarium Imp. transfert 233. Caimacanem proditionis arguit; necem Vezirii Imperatori persuadet 248. carceri includitur; solutis vinculis Memphim navigat; in portum Scutaris ejectus jugulatur 249.

Kiuperlis Mustaphas junioris Kiuperlis filius in Mahometem Imp. cœptam conspirationem pertexit; Sciausium, & Jeghenum Byzantium invitat; Mahometem cohibet a nece fratris Solymani 249. Vezirius seditiosos in eum concitat; Caneæ præfecturam accipit 272. fit Vezirius 294. ærarium Imp. auget; castrensem apparatum imminuit 302. insidiæ parantur ejus vitæ; insidiatores variis suppliciis mactantur; classi Danubianæ Mezzomortem præficit; Tőkőlio Daciam donat 303. copias in Serviam infundit; Nissam, & Semendriam capit 307. tum Belgradum 309. bellum apparat 314. 315. Solymano Imp. suadet, Byzantii ut sedem figat 315. Purpurati conspirant; seditionem comprimit; ejus oratio 317. ad exercitum festinat 319. nostrum exercitum sequitur; Buquoja legione concisa exercitum fere claudit; castra tuetur 320. 322. nobili pugna patrata glande conficitur 322.

Kiuperlis Caimacanes Byzant. seditiosos frustra placare nititur; Adrianopolim fugam arripit 410.

Kiuperlis, Vide Achmetes, Amidsahogli, Mehemetes, Mustaphas.

Kohári Vide Stephanus.

Kolbius Lipæ Præfectus captivus abripitur Temesiam 361.

Kolonics ad Szalankemenum occisus a Turca 322.

Kornis, Vide Franc. Sigismundus.

Krinszkius Tartaros cædit 285.

Kunizius L. B. Legatus apud Turcas, certiorem reddit Leopoldum Cæsarem, quid Byzantii agatur 119.

Kyba cum Hungaris & Rascianis Savum custodit 343. Bosniæ Prætorem fundit, fugatque 344. de Bosnia exterrita admonet Principem Eugenium 374. expeditum iter facit copiis in Bosniam 375.

L.

Ladislaus C. Csáki Legatus Leopold. Imp. Principes Valachiæ, & Moldaviæ ad Societatem armorum invitat 230. quid spei retulerit? *ibid.* ejus legio equestris Barnoviczam occupat; Christiani nominis captivos libertati restituit 279. Turcas, & Tartaros in fugam compellit 292. premitur in prælio Nissensi 293.

Ladislaus C. Eszterházi ad Vezekinum a Turcis concisus 52.

Ladislaus Pethő Kis-Comaromium propugnat 52.

Laurentius Delphinus male mulctatur in Dalmatia 51.

Laurentius Donatus Orator Reipub. Venetæ Byzantii; in carcerem detrusus, ære bellum redimit 251.

Laurentius Marcellus Archithalassus, in Candia rei Venetæ consulit; ad Hellespontum excubat 43. de classe Turcica triumphat; majori pila percussus occumbit; ejus laus 43.

Laurentius Molinus Ludovici filius naufragio perit 81.

Laurentius Soranzius legatur Byzantium 401.

Laureto Turcæ imminent; reflantibus ventis prohibentur portum accedere 22.

Lavergnia Marchio ad Szegedinum occumbit 226.

Lazarus Mocenicus in pugna oculum trajectus, victoriæ nuncius Venetias advolat 43. Venetæ classis Imperator Chium petit; in portu naves hostium partim concremat, partim captivas abducit; classem Turc. persequitur 44. Kiuperlem Vezirium Hellespontum cogit repetere; pulveraria cella prætoriæ accensa, mediis fluctibus sepelitur 45.

Legatus Amurathis IV. ad Mogolem II. Regis Persar. ad Amurathem IV. Imp. 16. Betlenii ad Mustapham I. Imp. 16. Georgii I. Rákóczii ad Amurathem IV. Imp. 17. Questenbergius ad Ibrahimum 20. Ludov. Contarenus ad Mahometem IV. 31. Capellus ad eundem 36. Confœderatorum ad Ferdin. R. Hung. Parchevicius 42. Perisius Leopoldi M. ad Mahometem IV. Imp. 56. Goesius apud eundem *ibid.* Gualterus Leslæus apud eundem 64. Ballarinus, Giavarina Reipub. Venetæ apud Mahometem IV. Imp. 68. Molinus apud eundem 75. Visovszkius apud eundem 85. Baderlinus ad Leopoldum M. 116. Radzivilius ad eundem 116. Hoffmanus ad Mahometem IV. Imp. 118. Sigismundus Homonai Tőkőlii ad Regem Polon. 161. Apaffii ad Leopold. Imp. 189. Tőkőlii ad eundem *ibid.* Tőkőlii ad Ordines Transf 229. Csákius Leopoldi M. ad Principes Valachiæ, & Moldaviæ 230. Maurocordatus Vezirii ad Badensem 234. Valkovius Principum Moschorum ad Rempub. 269. Maurocordatus & Sulifar ad M. Leopoldum 286. Selymi Girei Tartar. ad Polonos 312. Polonorum ad Moschos 313. Angliæ, & Holland. ad Achmetem II. Imp. 332. Persarum ad eundem 333. Tartar. Chami ad Polon. Regem 338. Petri Moschorum Czari ad Leopold. M. & Rempub. Venetam 370. Reipub. Venetæ ad Mustapham II. Imp. 401. Moschorum, & Leopoldi Imp. ad eundem 402. Achmetis III. Imperator. ad Leopoldum Imp. & Venetos 415. Veneto-

netorum ad Achmetem, & Principes Christianos 415. 416. Caroli VI. Imp. ad Achmetem III. Imp. 417. Achmetis III. ad Carolum VI. Imp. *ibid.*

Lemnos Insula Venetis cedit 44. Turcar. armis subacta 46. a Venetis vastatur 380.

Leonardus Fosculus Novigradum recipit; tum Salonam, Nadinum, Uranam Dalmatiæ præsidia capit 27. Techelem repetito certamine fundit; Morlachos in libertatem vindicat 28. in Asiam abit præfecturam maris accepturus; Samum, Lerum insulas Reipub. asserit 35. Scyrum insulam populatur; tempestate maris conflictatur 36. cum Melitensibus obsessam tenet classem Turc. Epidauro obsidionem infert; desertam ab hostibus ingreditur; solutis cuniculis cladem patitur; præfectura se abdicat 37.

Leopoldus M. Imp. Keményio Transylv. Principi auxiliares copias mittit 56. adversus Turcam exercitum comparat 57. hortatur Sobieskium R. Polon. ut bello cœpto insistat 103. Legatos Moschoviæ, & Polon. perbenigne accipit 116. Tököliuṃ ab armis conatur revocare; nuptias junioris Rákócziæ ei offert 119. Saponaram ad Tökölium ablegat cum opimis conditionibus 120. bellum parat; Legatos dimittit ad varios Principes petitum auxilia 129. fœdus facit cum Polonis 132. propinquante Turc. exercitu Vienna discedit 135. ad nuncium liberatæ Viennæ Lincio advolat 146. contra Turcas fœdus icit cum Polonis, & Venetis 163. Petrum & Joannem Alexovichios Moschoviæ Dominos ad fœdus idem invitat 163. pacem negat Mahometi Imp. Apaffio Principi Transylv. reconciliatur 189. Budam retentare jubet Lotharingum 216. apud Innocentium XI. Pontif. agit, ut D. Stephanum R. Hung. in communes toti Ecclesiæ codices transferat 224. Principes Valachiæ, & Moldaviæ in belli societatem vocat 230. Bulgaris auxiliatur 279. jubet Hejslerum Apaffio suppetias ferre 304. classem Danubianam ædificari mandat; de pace agendi potestatem facit Anglis 332. pacificatores in castra mittit 379. 385. Czarum Moschoviæ Viennæ magnifice habet 382. non probat facilitatem pacificatorum 390. captivorum, & Religionis causam istis commendat 395. Legatum Byzantium expedit 402. Turcicum accipit 405.

Leopoldus C. Kolonics Episc. Neostad. Viennæ obsessæ ære succurrit 137. quingentos alendos suscipit; a Leopoldo Imp. collaudatur 145.

Leopolis Turcis deditur; pecunia populationem redimit 90.

Leslæus C. Verovitiziam in Sclavonia capit; Turcas bis profligat 181. pontem Esseķin. exurere contendit 182. & reipsa incendio perdit 207.

Leucas, seu urbs S. Mauræ Venetis subditur 253. vi pulveris pyrii in ruinas acta 419.

Leva a Turcis capta 60. a Susa expugnata; frustra impetitur ab Hassane Budæ Præfecto 62.

Lipa præsidium assultu captum a Turcis 361.

Lodronius in velitatione occisus 221.

Loredanus, Vide Anton. Hieronym.

Löffelholzius Petro-Varadini Gubernator in hosticum irrumpit 423. pontem Danubii tutatur; mediam aciem in pugna moderatur 424.

Löwenhauptius Suecorum Ductor prælio superatur a Moschis; iterum victus capitur 414.

Lubomirskius Chmelniczkium Cosaccorum Ducem opprimit 84. in insidias præcipitat; a Rege Sobieskio liberatur 327.

Lucas Groatius ad Belgradum bellicam incendit, & Turcis in prædam relinquit 342.

Lucas Rocca Carabusam Turcis prodit, cur? quibus conditionibus; illusus ab iisdem 334.

Ludi militares Bagdati instruuntur 15. in campis Adrianopolit. 96.

Ludovicus Badensis Marchio in Turcas depugnat 152. 172. aliquot præsidia expugnat 226. in receptu postremum agmen ducit 240. Turcas campo propellit 281. supremus copiarum Ductor ad amnem Moravam movet; hostem profligat 292. 293. in Valachia stativa facit 295. cunctatur præesse copiis 304. Belgrado, aliisque locis munimenta addit; in Daciam festinat adversus Tökölium; eum e provincia ejicit 306. post cruentum certamen hostium castra expugnat 321. quantus numerus cæsorum 122. Varadinum circumsidet 324. morbo prostratus Viennam abit 331.

Ludovicus Contarenus Orator Venetus negat reddenda navigia Turc. Galatæ carceri mancipatur; concordiam firmat inter suam Rempub. & Turcas 23. Mahometem IV. Imp. de proroganda pace interpellat; cum fastidio exceptus, Venetias redit 31.

Ludovicus XIV. Rex Galliæ potestatem facit Volonibus Candiæ succurrendi 69. 73. armatorum VII. millia mittit 76. Religionem Catholicam in Turcia per suum Legatum tueri pergit 396.

Ludov. Leonardus Mocenicus Candiæ urbi præsidio est 29. 32. insulas Turcicæ ditionis evastat *ibid.* Caneæ urbi insidias struit, duo præsidia Turcis aufert, & evertit 33. classem Turc. bis vincit 34. per Ægeum mare persequitur; in urbe Candiæ extinguitur 39.

Ludovicus Molinus Orator Venetus apud Mahometem IV. Imp. 71. in Concilium Purpurat. admissus, de pace disserit; cum domesticis suis in Cretam deportatur; traditur custodiæ 75. arcessitus in castra de pace compellatur a Vezirio 76. 77. pacem stabiliturus Vezirium convenit, ejus filius naufragio perit; Adrianopoli benigne suscipitur ab Imper. 81.

Ludovicus Neoburgicus in Vissegradi oppidum armata manu irrumpit 166. in oppugnatione Budæ Viennensem portam infestat 172.

Luneburgicæ legiones Candiam propugnant 75. in Hungaria militant 331. Belgradum impetunt 341.

M.

Mahometes IV. sexennis puer Imperator acclamatur; compendio recensentur ejus militaria facta 31. ad perrumpendas Hellesponti fauces Vezirium excitat 38. seditiosos suppliciis castigat; classem ædificat 44. triumphat de Venetis; in Hieracoleos Præfectum movet; dolo eum interficit 47. Kiuperlem Byzantio præficit 49. a seniore Kiuperle monita accipit 50. Legatum mittit ad Ferd. III. Regem Hung 51. Rákóczium

kocziam dehortatur a bello Polonico 52. in Illyricum arma transferre mandat 61. inducias a Vezirio initas ratas habet 64. in Cretam cogitat transmittere 72. in gravem morbum incidit; rumor de ejus morte 76. ejus lætitia ob deditam Candiam 80. bellum Polonis denunciat 88. Camenecum, & Leopolim sui juris facit 90. in Moschoviticum & Polon. bellum apparatus conquirit 92. copias præcipuis Purpuratorum regendas tradit; ipse in montibus Moldaviæ dimoratur 93. Camenecum obsidione liberat 95. domicilium transfert Byzantium; cur? 99. spectat pompam Poloniæ Legati 102. arma in Moschos continuanda edicit 110. in campis Thraciæ militem convenire jubet 128. lustrat exercitum 128. ad Belgradum salutatur a Tökölio 131. redit Byzantium 131. stimulat Vezirium ad expugnandam Viennam 140. clade Viennensi turbatur 147. ad reparandas vires hortatur Purpuratos; ejus oratio 157. Kara-Mustapham interfici jubet 158. Africanos in auxilium vocat 183. belli paratus facit 184. 185. amici dissuadent profectionem in castra; eorum oratio 185. pacem nundinatur 188. pacem cupit cum Confœderatis 200. Solymanum Vezirium nominat 210. mœror ejus de amissa Buda 224. vitia ejus palam perstringuntur 231. pecuniam corradit 232. Moscheas expilat 233. fraude Kiuperlis amicorum præcipuos a se abalienat 249. exutus dignitate suam sortem dolet; in ergastulum truditur 250. Byzantium devectus 314. moritur 338.

Mahometes Dervis fit Vezirius 37. mortem oppetit 39.

Mahometes Purpuratus cum Mufftio conspirat in Ibrahimum Imp. & Vezirium; hoc suffocato Vezirius dicitur 30. vicario nomine Imperium administrat; Oratorem Venetum vinculis onerat 31. ob classem incendio deletam dignitatem & vitam perdit 32.

Mainotæ, populus Græci ritus, cum Venetis conspirant; ab istis deficiunt, eorum regio detrimenta patitur 47. eorum varia fortuna 255. in partes Venetorum pertrahuntur; Ismaeli Præfecto Peloponnesi cladem inferunt 256. ipsorum ditio a Venetis vindicatur 257. aliquot machinas castrenses Ismaeli adimunt 258. Venetis cibaria præstant 435.

Makarius Pro-Centurio Orakoviczium uno impetu captum delet; agrum hostilem urit; lectis spoliis recedit 231.

Maldefeldius Pro-Centurio vicenis Turcis interfectis, signifero vexillum eripit 440.

Marcellus Veneti equitatus Magister Ciclutum copias ducit 352. morbo corripitur; Delphinum in expugnando, & defendendo Cicluto adjuvat 353.

Marchio de Corbon circumventus ab hoste, in orbem pugnare cogitur 259. vulneratur 263.

Marinus Badoarus cum copiis cæsus 33.

Marsilius, sive Marsiglius, Vide Aloysius.

Martignius Tribunus castris minoribus præest 440. cum Nádásdio, Montecuculo sinistrum cornu ad Belgradum regit 442.

Mathæus Valachiæ Princeps dominatum suum firmat; Lupulum Moldaviæ Vaivodam delet 18.

Mathias Josephus C. Schulenburg copiarum apud Venetos Imp. Corcyram munit 421. 428. uti & montem Abrahami, & S. Servatoris; utrumque Turcæ expugnant 430. e ruinis murorum Corcyren. hostem pellit 431. decus servati præsidii ei attribuitur; quid honoris acceperit a SerenissimaRep. 432.

Mauræ S. urbs, Vide Leucas.

Maximilianus Emanuel Elector Bavar. florentes copias Budam devehit; ægrotante Lotharingo oppugnationem Budæ dirigit 176. in Seraskerium movet; Buda erumpentes rejicit 177. obsidionem solvendam censet 179. in castra venit 192. sinistram alam regit in pugna Strigon 194. pugnam inferendam Seraskerio suadet 198. Pesztinum intrat; castellum Budæ impugnandum sumit; hic plurimum periculi, & laboris 217. suos assilire muros jubet 219. 221. proruto vallo in Vezirium tendit *ibid.* postremam aggressionem differri petit 222. castellum per assultum capit; quantæ difficultates 223. fama sui nominis Turcas in fugam conjicit 237. copias conjungit Lotharingo 238. Vezirius eum intercipere laborat 240. cum Sciausio manus conserit; Picolomineum cædi eripit 241. Vezirii tentorium occupat 242. Sclavoniam recuperandam Dunewaldo commendat 243. Savum trajicit in conspectu Turc. 277. Belgradum verberat; assilientibus se miscet; vulneratur; urbem, & arcem capit; Viennam abit 278.

Maximilianus C. Staremberg dextrum cornu in Turcas movet; palustrem campum ramalibus sternit 168. in oppugnatione Budæ Viennensem portam machinis quatit 172. in castrorum invasione ad Belgradum sinistrum cornu moderatur 442. peditatum in castra infundit 443.

Mazzamammæ classem Mocenicus devincit 34. in portus munitos semet recipit; ejus copiæ peste laborant; ipse eidem malo succumbit; ejus filium Morosinus in fugam agit 49.

Mehemetes in Chamum Tartar. deligitur 2. cum Turcis feliciter decertat ad Caffam; Polonos, & Cosaccos sibi conciliat; in exilium pellitur 3.

Mehemetes legatur ad Leopoldum Imp. illius mores 65.

Mehemetes Damasci Præfectus fit Vezirius 21. exauthoratur 25. restitutus dignitati, ad Hellespontum pugna inferior discedit *ibid.* male sibi metuit ab Imp. 26. Oratorem Venetum compellat de pace; accusatus a Cussaine jugulatur 27.

Mehemetes Kiuperlis Vezirius dicitur 41. classem numerosam ad Hellespontum propellit; contracto certamine IV. navigia perdit; repetit Hellesponti angustias 44. Tenedum occupat 45. & Lemnum 46. suadet Imp. Adrianopolitanum iter 49. senio confectus orat Imper. ut filium Achmetem Vezirium nominet; monita dat Mahometi IV. Imp. de amplificando Imperio Turc. moritur 50.

Mehemetes Mempheos Præfectus fit Vezirius 8. adversus Persas proficiscitur; IV. Præfectos militum in Cyprum deportari mandat, cur? severum imperium exercet 9. Regem Persarum Bagdato arcet 10. exercitum in Syriam reducit; præfectura spoliatus, Byzantium redit 11.

Mehemetes Mesopotamiæ Præfectus Vezirii dignitate ornatur 13. in oppugnatione Bagdati obit 14.

Mehemetes Peloponnesi Gubernator a Morosino pugna superatus; Græcæ Religionis incolas divexat 263.

Mehemetes Reys-Effendius Pacificator Carlovicæii 385. offensus a Polono, & Moscho Pacificatoribus 387. cum Cæsareis de Transylvania, & limitibus provinciarum pertinax contendit 390. cum Moscho clam paciscitur 391. Polonis Camenecum cedit 392. cum Veneto multum tricatur 394. cum Cæsareis transigit 395.

Melitenses Equites Eunuchi prædivitis navigia expugnant; in Cretam Veneti juris insulam semet recipiunt 23. occasio sunt belli Veneti 24. vires consociant cum Venetis 26. Hellesponti fauces custodiunt 36. classem Turc. obsessam tenent 37. Epidaurum obsident 40. cum Venetis classem Turc. debellant 45. opem ferunt Reipub. 46. renuunt se adjungere Morosino; in patriam solvunt 51. Candiæ optant succurrere 71. in Cretam renavigant 73. redeunt in Italiam 74. Alexandrinam classem expugnant 92. Leucadem, & Nicopolim capiunt 253. ad Coronen rem fortiter gerunt 257. in Peloponnesum trajiciunt Ductore Herbersteinio 258. Novum Castellum impugnant, castra defendunt 265. in ruinis mororum stationem muniunt; in urbem irrumpunt, repelluntur; urbs deditur 266. suas naves Venetæ classi adjungunt 312. Caneam impetunt; prælio concurrunt 335. classem hostilem aggrediuntur, & victoriam reportant 362. bellum imminere sibi rati, auxilia contrahunt 416. Venetis præsidio sunt 421. 429. 435.

Mercatura inter Asiaticos, & Europæos instauratur 409.

Mercius, seu Merzius, & Mersius, C. ad Budam sauciatur; superante curationem malo Viennæ extinguitur 222.

Messalinus Medicus suadet Chamo expeditionem bellicam 95. ejus epistola ad Ricautium Anglum 96.

Mezzomortes classi Danubianæ præficitur 303. annonariis nostris potitur 320. commeatum vehit Belgradum 340. liberum Danubium habet; bellicam nostram capit 342. maris Præfectus prope Chium anchoras jacit; navigia X. amittit; Chium a Venetis desertam populatur 362. Ægeum mare infestum reddit; pugna inferior 363. 364. rursum victus a Venetis; vulneratur; Chium petit 376. in Divano sua militaria facta enarrat 378. ad Hellespontum pugna abstinet 380.

Michael. I. Apaffi Transylv. Princeps Keményium pugna superat 56. in eum arma movet infelici exitu Beldius 118. placat Mahometem, & Vezirium ob cædem Turc. 119. Szattmárinum obsidet 120. in Daciam subito abducit copias, cur? ejus indoles *ibid.* per Legatum convenit Leopold. M. 164. cur militem suum non miserit Seraskerio? 166. in concordiam redit cum Leopoldo Imp. 189. non probat Cæsareum militem in Daciam immissum 203. imponit Tököllio 229. insimulatur perfidiæ apud Turcas 230. Daciam in fidem Leopoldi M. dat 242. mortem obit 304.

Michael II. Apaffi Transylv. Princeps 304.

Michael Coributus Rex Polon. Oratorem ablegat Byzantium 85. nihil pacati impetrat 87. castra figit ad Lublinum 91. iniquas conditiones rejicit 92. moritur 93.

Michael C. Teleki Transylvan. Ductor a Tököllio cæsus; caput ejus Adrianopolim missum 305.

Miglius Pro-Trib. victores Turcas internecione delet; laus ejus 440.

Mininski, & Miniski, Orient. linguar. interpres recenset conditiones pacis a Turcis oblatas 199.

Mirandolæ Ducis copiæ auxilio veniunt urbi Candiæ 79.

Michael Morosinus cum Victore Zaneo Orator apud Carolum VI. Imp. 416.

Mocenicus, Vide Aloysius, Dominicus, Lazarus, Leonardus, Ludovicus, Sebastianus.

Mogol magnus controversias componit cum Persis 6. ab Amurathe IV. in Persas incitatur 11.

Moldavi a Rákóczio funduntur 52. stragem reddunt 53. cum eodem arma vertunt in Turcas 55.

Moldaviæ Princeps ferrea clava pulsatur a Cussaine 93. Turc. exercitum prodit Regi Sobieskio; Moldaviam recipit 94. provincia ejectus, reducitur a Sobieskio 95.

Molinus, Vide Alexander, Anton. Laurent. Ludov.

Monita Mahom. IV. Imp. data a Kiuperle 50.

Morlachi qui? libertatem Venetorum armis recuperant; fœdere se jungunt Venetis & Albanis 28. desertis Venetis fugam arripiunt 51. veteres suas sedes armis repetunt; Rizanum Dalmatiæ præsidium defendunt, subinde deserunt 81. cum Turcis secundum prælium faciunt; jussu Reip. arma ponunt 82. Cussainem Begum cum Nobilioribus Turcis interficiunt, cur? oppida hostium incursant 251. Venetis se conjungunt 254. Bosniæ Præfectus de iis victoriam consequitur; versa fortuna castra Turcarum diripiunt 255. Turcis infesti 283. clade afficiuntur 284. Scopiam urbem vastant 346. e castris Venetorum se subducunt 352. Turcas Venetorum castris infestos fugant 369. urbem Cetinam propugnant 381. inopia frumenti laborant 428.

Morosinus, Vide Daniel, Franciscus, Georg. Josephus, Michael, Thomas.

Moscheæ prædivites per Mahometem IV. expilantur 234.

Moschi a Polonis devicti 9. bellum apparant in Turcas 92. Doroseskio iter præcludunt ad Turc. castra 94. societatem armorum faciunt cum Polonis adversus Turcas 105. Tartaris profligatis castra Turc. obtinent 109. Cecrinum obsidione liberaturi iter accelerant 112. Cosaccos in castra recipiunt 114. Turcas a castrorum invasione arcent 114. de fœdere ineundo agunt apud Leopoldum M. & Regem Polon. eodem tempore pacem quærunt Byzantii; turbis agitantur a fatis Theodori Alexovichii 115. Joannem Principem Imperii consortem pronunciant; pacem XX. annorum cum Mahomete IV. pangunt 117. fœdere se jungunt Principibus Europæis adversus Turcas 269. numerosus eorum exercitus in campo 2 0. 286. Tartaros cædunt 300. cladem ab his accipiunt 301. bello abstinent 314. 347. præsidia expugnant 365. Assoviam nullo successu impugnant, cur? *ibid.* de classe Turc. triumphant; Tart. fugant, Assoviam capiunt 370. Tartaros, & Turc. ingenti clade prosternunt 377. 382. Precopiam urbem sui juris efficiunt 383 eorum Legati periculum in portu Byzantino 402. a Suecis cæduntur 409. Suecos bis prælio superant 414.

Moy-

Moyses Székely, sive Siculus, Amurathem IV. in partes Stephani Betlen flectit 17.
Muffitius ob raptum filiæ suæ in Ibrahimum Imp. conspirat; pedites ad seditionem concitat 30. Principum Christianorum Legatos apud Mahometem IV. tuetur 147. literis hortatur suos ad persequendum bellum 161. suadet armorum præfecturam Seraskerio committendam præ Vezirio 186. veneno necatur 249. ejus authoritate seditio extinguitur 273., ad supplicium postulatur 410. ejus domus diripitur 411. reste vitam finit 413.
Mulieres Turcicæ Strigonium defendunt 154. Uivárinum 195. Novum Castellum in Dalmatia 265.
Munkácsia arx resistit Cæsareis 204. traditur 275.
Murtasanes pacem facit cum Polonis 10.
Mussaipes Caimacanis dignitatem sibi pollicetur; filiam Imp. in consortem accipit; in aula gratiosus 110.
Mustaphas II. Imp. acclamatur; ejus indoles 357. vulgat, se in bellum Hung. profecturum; matrem suam pristinæ fortunæ restituit 358. Tôkôlium in arma stimulat; armatus Hungariam petit 359. festinatis itineribus Lipam contendit; eam assultu capit cæso præsidio 360. Veteranii castra expugnat; per Valachiam iter relegit; disciplina militaris in ejus exercitu; triumphantis in modum Byzantium intrat 361. ad Persam nuncios mittit de victoriis obtentis 362. ad solvendam obsidionem Temesiæ pergit 366. castrorum situm dum mutat, & munit, a nostris invaditur; vario Marte pugnatur; victorem se fert; quantus numerus cæsorum 367. bellum apparat; Arabes seditiosos placat 368. ad Belgradum metatur; Titulium disjicit; Szegedinum opprimere intendit; ponte Tibiscum sternit; equitatum traducit; ejus peditatus ab Eugenio Princ. cæsus 373. Temesiam, inde Belgradum fugit 374. Tartaris auxilia præbet 376. mœror illius e clade 377. Anglum, & Hollandum clam interpellat de pacificatione 378. Mehemetem Reys-Effendium nominat Pacificatorem 385. ejus lætitia ob pacem conclusam 400. e ponte labitur sine noxa *ibid.* Moschoviæ Legatum fere pro captivo habet, cur? 402. Venetis belli speciem præbet 408. cives, & milites sibi offensos reddit 409. Muffitium in vincula dat; arma expedit in seditiosos 411. a plerisque desertus, insignia Imperii ponit; in carcere vitam claudit 412.
Mustaphas Achmetis I. Imp. frater in carcere perimitur 15.
Mustaphas Caimacanes Alyo Vezirio vitam exorat 338. fit Vezirius 339. Daciam versus promovet copias 340. ad liberandum obsidione Belgradum revolat 343. Belgradum ingressus remuneratur Præfectos militum ob navatam operam; in Hung. & Sclavoniam prædabunda agmina immittit 344. factione Soltanæ aula movetur 348.
Mustaphas Purpuratus Bagdatum acriter premit; rescissis pactis Persarum urbem populatur 14. fit Vezirius; Persidem percursat 15. Byzantii triumphat 16. ejus authoritas Ibrahimo rerum potiente 19. offensionem incurrit apud Soltanam; hujus jussu obtorta gula jugulatur 21.

N.

NAdásdii C. Turcas cædunt ad Kanisam 146.
Nanus, Vide Bernardus, Joannes Bapt.
Naon interpres Venetus in furcam actus 421.
Naupactus a Turcis obsidetur; pelluntur amissis castris 336.
Nauplia Venetis dedidur 261. pestis in ea grassatur 262. a Turcis oppugnata, strenue defenditur; assultu postea capta 418.
Navailles Gallorum Dux Candiæ subsidio venit; eruptionem facit in castra, a fossæ margine hostem arcet 77. fugatur cum clade; inde discordiæ enatæ inter Præfectos militum; ejus oratio ad Morosinum 78. firmus perseverat in proposito e Creta discedendi 79.
Navarinum urbs Peloponnesi oppugnatur a Venetis; ejus descriptio 258. deditione capitur; vi pulveris nitrati fœde discerpitur 259.
Nehemius castellum excitat ad Tibiscum; pulsus a Turcis, Petro-Varadinum se confert; Principi Eugenio significat, Mustapham Imp. castra movisse 372. Titulium ab interitu servat 379.
Neo-Zrinyia arx a Nicolao Zrinyio excitatur 56. hanc Zrinyii defendendam spondent; inter capita pacificationis eversio ejus postulatur 57. a Kiuperle expugnata evertitur 62.
Nicolaus Barbarus cum suo filio captus ad Achmetem Imp. missus 418.
Nicolaus C. Erdődi Illyrici Pro-Rex Dubiczam intercipit; Turcas pulsat; eorum agrum urit 207. assultu Billastenam subigit; celebratur ab Innocent. XI. Pontif. 208. Illyricum ei committitur 242. oppida Turcarum edomat 245. Illyricum cum suo milite tutatur 325. moritur 344.
Nicolaus C. Eszterházi ter Turcas profligat 16.
Nicolaus Maurocordatus Alexandri filius fit Princeps Valachiæ 416. Nobiles Valachiæ, & Sacerdotes Austriacis partibus addictos vexat 427. Captivus Cibinium deportatur; libertatem consequitur 428.
Nicolaus Natolinus transfuga Turcis commeatum advehit; fit maritimæ expeditionis socius 34. captus, ac Venetias transmissus capite truncatur 35.
Nicolaus C. Strasoldus a Tôkôlianis vulneratur 201. terrestrium copiarum Imp. apud Venetos 252. Nicopoleos agro vastitatem infert 253.
Nicolaus C. Zrinyi Pro. Rex Illyrici oppugnatione Kis-Comaromii Turcas depellit 52. arcem Neo-Zrinyiam excitat 56. copiis Hungaricis præest; ejus pactum cum Petro fratre suo memoratam arcem propugnandi 57. ejus caput petitur Byzantium; in insula leporum Turcas cædit 58. eosdem ad Strigonium omni præda exuit; Sclavonicæ expeditioni dat initium 60. invidi criminantur eum apud M. Leopoldum; Bresniczam, & Babocsam capit; pontem Esfekinensem cum Paulo Eszterházio exurit; impugnat Quinque-Ecclesias, & Kanisam 61. Kiuperle propinquante se recipit; suadet Montecuculo pugnam; expugnata a Turcis Neo-Zrinyia, campo discedit; inter venandum ab apro discerpitur 62.

Nicopolis, seu Preuesa Venetis subditur 253.
Nissa a nostris obtinetur 294. annona instruitur 302. a Turcis capta 307.
Nitria Turcis cedit 60. Regiis armis recuperata 62.
Nostitius C. Orator Leopoldi M. fœdus Moschorum accelerat 268.
Novigradum, urbs Dalmatiæ, a Turcis occupata, per Venetos recepta 27.
Novigradum præsidium Hung. pulveraria turri accensa munitiones perdit 197.
Novum Castellum Dalmatiæ præsidium Cornarus edomat 266.
Nuptiæ filiæ Mahometis IV. Imp. 97.
Nuradines Tartar. Regulus castra facit in Moldavia 268. qua Polonorum copiis iter erat, incendia spargit; Polonos premit 269. Cameneco jubetur commeatum inferre; ad Tyram fluv. evigilat 284. Polonorum castra incursat; recedentibus infestus instat; Camenecum re cibaria recreat 285. Moschorum copias persequitur 301. ad Assoviam a Moschis fugatur 370.

O.

Oetinganus C. Pacificator Cæsareus 379. ejus oratio ad Polon. Pacificatorem 386. cedit quædam loca Ottomanis; cur? 390 legatur Byzantium; quo apparatu legationem obierit? 402. Belgradum invisit non sine pompa 403. ad Vidinum X. navigia amittit; frigore vexatur; Byzantium insigni pompa subit; de redimendis captivis differit sapienter; obita legatione Viennam redit 404. quibus detulerit munera? 405.
Oppugnatio Bagdati 3. 6. 13. Tenedi insulæ, & arcis 44. Lemni 46. Uivárini 133. Viennæ 137. Vide Buda, Strigonium, Corcyra &c.
Oratio Calilis Purpurati disuadentis bellum Tartar. 2. Regis Persarum pacem petentis 11. Janicsarorum in Ibrahimum Imp. 30. Badoari Veneti suadentis impugnandum Byzantium 33. Petri Parcheviczii fœdus suadentis adversus Turcam 42. Venetorum suadentium expugnandas Hellespontì fauces 43. Navaillis Gallorum Ducis ad Morosinum in patriam cogitantis; hujus ad Navaillem 78. Visovszkii apud Kiuperlem 86. 87. Kara Mustaphæ ad Chmelniczkium, Cosaccorum Ducem institutum 108. Sobieskii R. Polon. ad Legatum Moschoviæ 116. Saponaræ ad Tökölium 121. Kara-Mustaphæ bellum Hung. suadentis 122. 123. ejusdem ad Capraram 128. Tökölii ad Saponaram 129. Mufftii pro Legatis Principum Christian. 147. Polonorum ad Regem reditum in patriam urgentium 151. Ducum dissuadentium oppugnationem Strigonii 154. Lotharingi Budam ad ictum destinantis 169. Purpuratorum dissuadentium Mahometi IV. profectionem in castra 185. Armeni nomine Mahometis pacem petentis 188. Petnehazii perfidiam Turc. exprobrantis 202. Badensis ad Maurocordatum 238. Foscarini, & Justiniani suadentium in Senatu pacem 251. Moldaviæ Principis 268. Tartarorum opem petentium a Turcis contra Moschos 299. Hussei Angl. Legati ad Solym. Imp. 316. Emiris rebellis ad suos populares 339. Cancellarii R. Polon. de apparatu bellico parando 346. Oetingani C. ad Polon. Pacificatorem 386. seditiosorum in Mufftium 410. Achmetis Vezirii in Venetos 415.
Orlich L. B. ad custodiam pontis Danubii relictus 239. clade afficitur; auctus copiis hostem fugat 240.
Orsova per nostros instauratur 295. Turcis deditur; præsidiarii contra pacta Belgradum rapiuntur; occupata ab Hungaris 330. amissam iidem recipiunt 445.
Otto Vilhelmus Königsmarkius copiarum terrestrium apud Venetos Imperator; Navarino admovet copias cum Morosino 258. Ismaelem pugna vincit; Navarinum in potestatem Venetorum redigit 259. Methone obsessa Naupliam circumvallat; rursum Ismaelem vincit castris etiam occupatis 260. deditur Nauplia, & Argos 261. Peloponnesum subjugandam censet, Spartam, Athenas capit; præmiis colitur a Repub. Græcanicæ libertatis assertor audit 264. Chalcidem impugnat; moritur; militum mœror 283.

P.

Pacificatores Carloviczii conveniunt 385. leges statuunt 387. Moschi factum improbant 391. pacis tabulas signant 395. Passaroviczii pacem conficiunt 447. quibus conditionibus? *ibid.*
Palanka munimentum Temesiæ expugnatur; ejus descriptio 426.
Pálffi, Vide Franciscus, Joannes.
Palota a nostris capitur 245.
Panagiotus apud Mahometem IV. Imp. interpres 80. favet Græcis 397.
Pancsova a Turcis instaurata 379.
Papa oppidum deseritur a Turca 147.
Papa, Vide Alexander VII. VIII. Clemens IX. XI. Innocentius X. XI. XII. Urbanus VIII.
Párkány munimentum a nostris captum, & vastatum 153.
Parthenius Constantinop. Patriarcha defectionem Cosaccorum Vezirio narrat; dat consilium eos revocandi 106. Chmelniczkium comitatur Byzantium 107.
Parthenius alter Patriarcha Constantinop. fœdus init cum Bulgaris; supplicio afficitur 42.
Parus Insula Turcarum armis fœdatur 70.
Paulus Beldi dominatum Transylv. sibi asserere contendit; Mahometis IV. mandato ab armis discedit; ad VII. turres damnatus veneno suffertur 118.
Paulus Deák prosperas procursiones facit; inclarescit bello Gallico 360. captivos Turcas in castra raptat 373.
Paulus C. subinde Princeps Eszterházi, pontem Essekinensem cum Zrinyio incendio perdit 61. Uivárinum obsidet 133. finibus Hungariæ excedit 135. iterum Uivárinum claudit 166. annonam exercitui providet 371.
Pax stabilita inter Amurathem IV. & Abassam rebellem 5. inter Polonos, & Moschos 9. inter Ferd. II. Reg. Hung. & Bethlenium 16. inter Regem Pers. & Ibrahimum Imp. 20. inter Mahometem IV. & Transylvanos 54. inter Leopoldum M. & Mahometem IV. Imp. 64. conditiones pacis 64. 80. firmata inter Venetos & Mahometem IV. Imp. 81. inter Leopold. M. & Apafium 189. de pace actum 234. 287.

332. 385. quas conditiones posuerint Cæsarei, Veneti, Poloni? 287. pax Confœderatorum cum Turcis 398. 447.
Peloponnesus vastatur 260. 263. urbes incendio fœdatæ 264. a Turcis invaditur 417. subjugatur 419.
Perisius Orator Cæsar. de induciis prorogandis agit Byzantii 56.
Persaan Gallus exul castra Turcarum munit 239.
Persæ rem feliciter gerunt contra Turcas 4. capti in servitutem abducuntur 10. Bagdato infelix eorum eruptio 13. Persici belli rumor evanescit 408.
Pestis Sudæ inter Venetos 27. in exercitu Turc. & provinciis eorum 49. 377. in exercitu Veneto 262. in Asia 339.
Pesztinum munimentis exuitur partim a Seraskerio 168. partim a Lotharingo 180. desertum a Turcis Bavariæ Elector intrat 216.
Petneházius factionem Tökölii roborat 182. ad Leopold. M. cum suis transit; Cassovienses movet ad urbem dedendam 203. Turcas cædit ad Aradinum; donum accipit a Leopoldo M. 204.
Petro-Varadinum a nostris occupatur 244.
Petrus Alexovichius Moschoviæ Princeps, Joannem fratrem Imperii consortem admittit 117. renuit fœdus icere cum Leopoldo Cæsare; cur? 163. init fœdus 269. pollicetur Polonis, se grandem exercitum in Turcas missurum 286. apparatus facit in Tartaros 298. post insignem victoriam clade afficitur 300. Assoviæ obsidionem infert; castellum assultu suæ potestatis facit 365. pugna navali superior; Tartaros fugat; Assoviam obtinet; in minorem Tartariam bellum transfert 370. Moschuam urbem triumphans petit 371. provincias lustrat 377. Viennæ laureatas literas accipit 382. bellum continuare cupit 401. Oratorem mittit Byzantium pacis causa 402. infeliciter pugnat cum Rege Suecorum 409. memorabili pugna Suecos vincit 414. cum Turcis æquo Marte congressus, castra tuetur; pacem facit, quibus pactis? 415.
Petrus Dorosenski Cosaccorum Dux Polonis cladem infert 84. populares suos Imperio Turc. subdit 89. commendatur ei Podolia, & Ukraina 90. contra Polonos auxilia flagitat 92. suorum transfugio percellitur 97. ad Moschos transit; cur? 105. Cecrinum munire aggreditur 112. erumpit non sine cæde Turcarum 112.
Petrus C. Keglevics Turcas fundit, fugatque 368.
Petrus Marcellus cum Nobilioribus Venetis contra pacta detentus, a Seraskerio dimittitur 419.
Petrus Parchevicius Bulgaros in libertatem asserere conatur; ejus stirps; legatio ad Ferd. III. Regem Hung. tum Joannem Casimirum Regem Polon. 41. 42.
Petrus Valierius Dalmatiam administrat; Castellum Novum impugnat; ad Narentam vallum ducit 254. ad Sfingam castra amittit; in ordinem redigitur 255.
Petrus Zrinyi pactum init cum fratre Nicolao Neo-Zrinyiam tuendi 57.
Picolomineus in Bosnia hybernat 282. Semendriam adducit suas legiones 292. cum equitatu Hung. & Germanico Turcas persequitur; Macedoniam, & Albaniam territat 294. moritur 295.
Pio Marchio in pugnam animat Forgáchium 58. Uivárinum forti animo propugnat 59. dedendum censet 60.
Pisanus, Vide Andreas, Antonius, Carolus.
Polandus B. Temesiæ Præfectum fugere cogit 324. Turc. munimentum capit 344. in castra equitatum adducit 350 ad Temesiam in castris obit 367.
Poloni cum Moschis prospere dimicant; item cum Turcis 9. conditiones pacis a Mahomete IV. latas repudiant 91. Joan. Sobieskium in Regem eligunt 94. pauci in castra confluunt; cur? 100. Regi obsesso auxilia festinant 101. fœdus iciunt cum Leopoldo M. 132. ad Viennam acerrime pugnant, & vincunt 145. ad Altenburgum Turcas internecione delent 146. ad Párkány in insidias præcipitant 150. cladem accipiunt 151. eam reddunt 152. munimentum Párkáni superant; sociorum cladem acerbe ulciscuntur 153. in Moldavia rem feliciter gerunt 156. in saltibus Bukovinæ summo in discrimine versantur 267. Jassium occupant 269. Tartaros, & Turcas profligant; penuria rei cibariæ laborant 285. Legatum Turc. rejiciunt 291. Camenecum per insidias occupare tentant 298. a Tartaris male mulctantur; Moldaviæ signa inferunt, Soczovam præsidio firmant 313. Moldavos domant 327. Tartaros cædunt 338. 364. bellum languide administrant 346. pace confecta Camenecum recipiunt; Moldaviæ locis sua præsidia deducunt 401.
Polonia per Tartaros vastatur 86. 267. 269. 285.
Pons Danubio impositus 88. 111. 331. 349. 359. ad Viennam 141. ad Coloczam 225. ad Essekum 237. rumpitur ad Párkánum 152. Dravo injectus; ejus descriptio 238. Savo 227. Tibisco 372.
Populatio Bagdati 14. Dalmatiæ 22. insularum Turcici juris 32. Bulgariæ, Serviæ, Albaniæ 41. Transylvaniæ 54. 56. Poloniæ 84. 269. 313. 347. 364. Hungariæ 59. 118. 225. 346. Bosniæ 311. 376. Austriæ 136. Moschoviæ 9. 414.
Posega nostris occupatur 244.
Precopia reddita Tartaris 402.
Priolus cum Pisano Turc. classem aggreditur; in altera pugna occumbit 362.
Procopius Bogdanovizius Moschorum Pacificator Carloviczii 384. litem movet Polono Pacificatori de loco nobiliori, sedatur 386. congressu abstinet 387. cum Turca paciscitur 391.
Pugna maritima Venetos inter, & Turcas 26. 38. 43. 44. 45. 92. 362. 364. 380. 429.
Pugna terrestris 48. 141. 144. 150. 152. 194. 241. 259. 266. 292. 293. 321. 373. 414. &c.
Pulveraria cella succensa Budæ 218. Navarini 260. Patris 263. Athenis, 264. Belgradi 309.
Purpurati Amurathi IV. bellum suadent in Tartar. 3. bellum in Melitenses simulant 24. a Mahomete Vezirio in partem curarum deliguntur 31. finem imponendum bello Moschovitico suadent Mahometi IV. Imp. 110. a bello Hungarico abhorrent 123. bellum præ pace optant 235. mœsti ob cladem Szalankemenam 323. Angliæ & Hollandiæ Oratores colunt 384. casu Mustaphæ Imp. turbantur 400. ad bellum inclinant 433.

R.

Rabutinius Daciæ præficitur 367. in Hungariam evocatur cum legionibus 372. mediam aciem regit ad Szentam 373. in Daciam redit 374.
Radaurius Marchio Gallus ad Candiam vitam amittit 75.
Rákóczi, Vide Georg. I. Georg. II.
Rákóczia, Vide Helena.
Ramadanovſzki Moſchorum Ductor ad liberandum obſidione Cecrinum properat; caſtris munitis ſe tenet 112. Turcas inſequentes eludit 114. recedentes aggredi non audet, propterea a ſuis traductus 115.
Raſcani pro Titulio decertant 331. Serviam populatione hauriunt 332. Maurocordatum cum Hungaris in Daciam abducunt 427.
Raymundus C. Montecuculus Ovárinum inter & Jaurinum caſtra locat 57. impar hoſtium multitudini militem Csekléſium traducit; Uivárino nequit ſuccurrere 59. In Illyricum abit cum exercitu; pugna abſtinet; cunctationem ejus Zrinyius ſugillat 62. ad Arabonem fluv. ſe Turcis objicit; ingenti clade eos profligat; pactis induciis campo excedit 64.
Regepus Caimacanes Vezirio ſententiam capitis patefacit 247. proditionis accuſatus fugam arripit; tumultum concitat Byzantii; e latebris protractus oneratur catenis 248.
Renningerus Leopoldi M. Legatus cum Kiuperle inducias paciſcitur 64
Rivos C. e Luſitania naves adducit in auxilium Venetis 435. Ibrahimum fugere compellit 436.
Rizanum, ſeu Rizonium, Dalmatiæ præſidium a Morlachis defenſum, ſubinde deſeritur 82.
Rudigerus C. Staremberg Viennam forti animo tuetur 137. ſupplementa militum in urbe conſcribit 140. aſſilientes Turcas ter cum ſtrage rejicit a ruinis 142. 143. auxilium petit a Lotharingo 142. parta victoria Regem Polon. Duces Saxoniæ, & Lotharingiæ perſalutat 145. a Leopoldo Imp. collaudatur 146. peditatui præeſt in pugna ad Párkány 152. aquariam urbem Strigon. aſſultu occupat 155. Budæ oppugnationem curat 175.
Rummel Bavarorum Ductor Uivárinum aſſultu obtinet 194.
Ruſteines Agriam pertinax defendit 242. ejus oratio ad oppidanos; arcem tradit Doriæ 243.

S.

Saika uſitatum Hungaris, & Turcis navigii genus 164. ejus deſcriptio 165. extruuntur 331.
Saikarii Hung. Danubium frænant 165. Turcas fugant 166. Danubii inſulas percurſant 172. navigia hoſtium occupant 217. inſulas perluſtrant 220. revocantur Budam 222. Arabes in pontium perniciem conſpirantes intercipiunt 349. poſt atrox certamen cum Petráſchio capti Belgradum deportantur.
Saitanes fit Seraskerius, ſeu armorum Præfectus in Hung. 159. in Hungariam venit cum exercitu 166. levi pugna victus ſe retrahit 170. iterum vincitur 173. fere capitur in fuga 174. caſtris Lotharingi infeſtus aſſidet 177. pabulatores Hungaros cædit 178. triumphans Budam ingreditur 180. Viſſegradum capit 191. Strigonium impetit 192. Lotharingo obviam procedit 193. allectus in pugnam profligatur 194. excuſat cladem apud Imp. 196. tumultuantium authores plectit 197. de pace agit cum Lotharingo 198. pontem Eſſekin. reſtituit 211. jugulatur; cur? 212.
Samus inſula a Venetis obtinetur 35.
Sapieha Dux Lithuanici exercitus bis devincit Tartaros 356.
Saponara B. ad Tökölium Legatus deluditur 121. eundem ab armis revocare multis contendit 129.
Sarajum urbem Boſniæ noſtri depopulantur, dein ignis 375.
Scherffembergius C. Uivárinum oppugnat 191. aſſultu capit 195. Daciam componit 216. Budam ſuas copias adducit 222. Quinque-Eccleſias, aliaque loca cum Badenſi Turcis adimit 225. in aſſultu Belgradi occumbit 278.
Schlikius C. Pacificator 379.
Schulzius Leopoldina ſuburbia tuetur; Turcas per dolum cædit; ſtationem deſerit 139. fatigatur a Tökölio; caſtris ejicit Tökölianos; impugnat Eperjeſſinum 182. fugatur a Tökölio 200. Eperjeſſinum occupat 202. in Illyrico febrili æſtu extinguitur 216.
Sciauſius ingenio Marchionis de Perſaan caſtra munit 239. non audet laceſſere ultimum agmen Electoris Bavari 240. univerſum exercitum in pugnam trahit 241. turbas fovet poſt infelix prælium; ejus origo, & fortuna 246. incitat militem in Vezirium; a ſeditioſis Seraskerius nominatur; inſignia Vezirii ab Imp. accipit 247. non placatur Vezirii nece 249. triumphabundus Byzantium ingreditur; ſeditioſos ſibi conciliare nititur 271. 272. multis vulneribus confoditur 272.
Sebaſtianus Blumberg fungitur legatione in Moſchovia 163.
Sebaſtianus Mocenicus Venetam navim hoſti adimit 362.
Sebenicum urbs Dalmatiæ Turcis reſiſtit 25. 27.
Seditio Turcarum 6. 7. 11. 15. 46. 160. 149. 197. 209. 234. 247. 271. 289. 317. 409. 410.
Sefar Navarinum defendit 259. cadis pulverum ſponte ſuccenſis ſe in auras ejicit; cur? 260.
Seibelsdorff aggredientium Dux ad Belgradum ſternitur 343.
Selitar terreſtrium copiarum Ductor in Aſiam ſolvit 24. ex imperio Ibrahimi trucidatur 25.
Selymus Gieryus Tartar. Chamus LX. millia armatorum Turcis adducit 288. opem petit ab Imp. contra Moſchos 299. Moſchis ſuccumbit 300. his cladem reddit 301. Poloniam populatur 312.
Semendria malo dolo in poteſtatem Turc. venit; præſidiarii necantur 307.
Semſejus Hung. legionis Tribunus Agrienſes Turcas internecione delet 237.
Sfinga, ſeu Singa, Dalmatiæ præſidium, a Venetis bis incaſſum tentatur 254. Veneti jam juris obſidetur a Turcis, hoc malo liberatur per Angelum Emum 420.
Sigebertus Heiſter Orſova revocatur cum ſuis copiis 304. commeatus omnis generis convehit ad Eſſekinum 341. ad Szentam ſiniſtrum cornu ducit 373.

Sigefridus C. Breinerus in velitatione captus 424. in castris Turc. occisus reperitur 425.
Sigismundus C. Keglevics cum signis; & captivis Turcis Viennam missus aulam recreat 368.
Sigismundus C. Kornis Transylvanici Dux exercitus æquo Marte dimicat cum Turcis 18.
Siklosia arx a nostris expugnatur 226.
Simon C. Forgáchius Herbevillio suppetias venit 360. Uranogræcium cum Ballyanio subigit; Bosniam incursat 368. Bihácsium cum Auerspergio, & Battyanio oppugnat 375.
Sinan Archithalassus ad Hellespontum Venetos tormentis impetit; pugna congressus multos suorum amittit 43. præfectura motus Eubœam gubernare jubetur 44.
Soltana Amurathis IV. Imp. mater Vezirio peroflensa 6. eum opibus, & dignitate exutum aula proturbat 7. Ibrahimum filium suum Purpuratorum favore Imperatorem facit; curas Imperii cum Mustapha Vezirio partitur 19. hunc ob nimiam potentiam strangulari jubet 21. in vetus Seraglium relegata, conspirat in Ibrahimum filium suum 20. Ibrahimo dejecto potentior evadit 31. minatur insulis Venetorum populationem 32. machinationibus junioris Soltanæ strangulatur 36.
Soltana junior dominandi avida seniori insidiatur 35. 36. equitum ordini irata 39. clientes suos præfecturis admovet; a seditiosis ad necem quæritur 41. Principes adolescentes morti eripit 76. Adrianopoli moritur; ultima voluntate vim pecuniæ Mecham mittit 127.
Soltana Kasachis castra petit cum Mahomete IV. Imp. 130. redit Byzantium 131. ære subvenit Imperatori 233. hoc exauthorato deflorescit 250. in Solymanum III. Imp. conjurat 274. detecta conjuratione arcte custoditur 275. a Mustapha II. Imp. filio suo pristinæ fortunæ restituta; Vezir. præcipitat 358. ærarium juvat 378. Byzantium cum pompa ingreditur 400.
Solymanus exercitus Dux contra Polonos 209. fit Vezirius; ejus dotes 210. 220. 248. ærarium variis artibus auget; mortem accelerat Seraskerio 211. apparatus bellicos undique conquirit 213. ad Budam liberandam festinat 220. velitares pugnas miscet; in castra irrumpit 221. 222. prælio vitato vicos incendiis deformat 225. Maurocordatum expedit ad pacem conficiendam 234. castra ad Essekinum ponit 239. oborta seditione in castris fugit; exauthoratur 247. capite mulctatur 248.
Solymanus Mahometis IV. frater a seditiosis Imp. proclamatur, ægre mortem evadit 76. fit Imperator 250. ejus mores 73. Imperii insignibus ornatur 274. conjuratio in eum detegitur 275. pacem sollicitat apud Leopoldum M. 287. simulat se in bellum Hung. profecturum 290. sedem Imperii Byzantium transfert 314. clam se recipit Adrianopolim 317. moritur 318.
Solymanus Seraskerius Ciclutum impetit 352. cum clade rejectus exauthoratur 353.
Sophus Rex Persarum pro Bagdato suo excubans, gravem annonam Turcis facit 4. cum Mogole lites componit; fato proximus Nepoti, filio suo neglecto, regnum cedit 6.
Sophi Nepos Bagdato suo metuit 10. Erivanum sui juris facit 11. præsidium Bagdati auget 13. excidium spectat urbis 14. pacem frustra poscit ab Ottomanis 16.
Souchius Nitriam capit; Hassanem Budæ Præfectum inter multam cædem fugat; eundem rursus profligat 63. movet dextrum cornu in Turcas 320. sauciatur 321. inter primam curationem expirat 322.
Spahii in Janicsaros consurgunt 31. 197. fugam arripiunt 194. 227. 236. 241. 321.
Sparrius Aulonis Gubern. in eruptione cæsus urbem perdit 326.
Spinalonga præsidium Cretæ, fere proditione perit 34. traditur Turcis 419.
Stanislaus Jablonovius Podoliæ inferioris oppida Turcis eripit 266. per saltus Bukovinæ eluctatur 267. Tartaros cædit 355. Leopolim tutam præstat ab invasione Tartar. cum paucis in campum progressus, eosdem profligat 364
Stanislaus Malachovius Pacificator Polon. 384. cum Moscho Pacificatore litigat; non probat fundamentum pacificationis 386. post multam altercationem illud acceptat 387. Camenecum lucratur 392.
Starrhemberg Vide Guidobaldus, Maximilianus, Rudigerus.
Stephanus C. Betlen Orator apud Amurathem IV. Imp. 16. dominatu Transylv. dejicitur; opera Moysis Siculi Amurathem IV. sibi conciliat 17.
Stephanus Erdéli Orator apud Amurathem IV. Imp. 16.
Stephanus Cantacusenus Valach. Princeps Byzantii excruciatur; ejus uxor cum liberis Viennam adit 416.
Stephanus Dettineus Maurocordatum intercipit 427. Nicopolim versus excurrit; armorum terrorem spargit 444.
Stephanus C. Kohári a Turcis interimitur 63.
Stephanus C. Kohári Fülekum tuetur 124. traditur Varadinensi Bassæ; constantia ejus in ergastulo 125. ejus authoritate Uivárinum deditur Cæsareis 206. Dariæ Agriam obsidenti auxilium fert 240.
Stephanus Petroczi partes Tökölii firmat 182. a Badensi fugatur 306. in vincula raptus cum Tökölio; cur? libertati redditur 325.
Stephanus C. Steinville Nobiles Valachos benigne habet 427. cum Principe Valach. pacem init; eam Turcæ violant 428.
Stephanus C. Zichi Kanisam expugnat cum Battyanio 303.
Strafferus in stativa abit 298. ad Kazianekum profligatur 302.
Strigonium a nostris deditione acceptum 155. munitur 156. a Seraskerio impetitur 192.
Strozzius Turcas transitu Muræ prohibet; glande plumbea configitur 62.
Sudam Cretæ urbem circumvallat Cussaines 25. eam Turcæ obtinent 419.
Sulifar Effendius legatur ad M. Leopoldum; pacem postulat; ejus oratio 287. rursum de pace agit 295. conditiones profert 296. jubetur Vienna discedere; cur? Potendorffi subsistit; rursum pacificationem urget 323.
Szattmárinum Apaffius Transylv. Princeps oppugnat 120. Tökölius expugnat 123.
Szegedinum deditur nostris 303.
Szermetus Moschorum Ductor cum Mazeppa præsidia aliquot Turcis eripit 365.
Szigethum nostri accipiunt 286.

T.

TArtari Imp. Turc. & Vezirium ad bellum proficiscentes sequuntur equites; prædam pro mercede habent 2. funduntur ad limites Poloniæ 17. Transylv. exercitum cædunt 53. Transylvaniam vastant 54. Chmelniczkio se jungunt adversus Polonos 83. eum destituunt; Poloniam incursant 84. Valachiæ infesti a Polono milite profligantur 97. 98. provinciam Mosoniensem, & Soproniensem incendio defœdant 134. ad Petronellam fugantur 135. castris Budensibus imminent 222. in Moldaviam irrumpunt 268 a Moschis funduntur 300. restituunt cladem 301. Cæsareos in Servia mulctant 302. Bulgaros, Rascianos divexant 302. tum Polonos 313. castra ad Petro-Varadinum infestant 323. a Polonis prælio fusi 337. 347. 356. 364. Danubium tranant 350. a Moschis profligantur 383.

Tata per Turcas eversa 147.

Tauris urbs expugnata a Turcis; ferro & flamma evastatur 10.

Tempestate maris classis Turc. jactatur 22. 26. 98. Veneta 26. 28. 36. 47. 66. 68. 368. 430.

Tenedus insula a Venetis occupata 44. in Turc. potestatem venit 45.

Tentorium Mahometis IV. Imp. 128.

Theodorus Alexovichius Moschorum Czarus gentem Cosaccorum in suam clientelam accipit 105. de Tartaris & Turcis victoriam refert 109. varia fortuna bellum gerit in Turcam 114. 115. moritur 116.

Thingenius fit Budæ Gubernator 223.

Thomas C. Eszterházi ad Veszekinum a Turcis occisus 52.

Thomas Morosinus onerarias naves Turc. dissipat; de classe hostili triumphat 25. Africana navigia expugnat; in æstu pugnæ maritimæ glande sternitur 26.

Thomas Zanetus pecunia mulctatur ab Amurathe IV. Imp. 9.

Titulium, seu Erdődium, expugnatur a nostris 276. Turcis obsistit 331. per eos evertitur 360. instauratur nostrorum opera 361. a Mustapha II Imp. disjectum 372. reparatum Turcæ aggredi attentant 379.

Topal classis Turc. Præfectus pugnam vitat 44. Tenedum, & Lemnum insulas cum Vezirio occupat; per invidiam ab isto perimitur 47.

Tourius Melitensium Ductor ad Coronen aggerem recuperat; interficitur 257.

Transylvani Moldavos, & Valachos vincunt 51. Georgium II. Rákóczium principatu dejiciunt 54. cladem a Turcis accipiunt 55. agmen Turc. profligant 119. eorum lætitia ob concordiam Leopoldi M. & Apaffi 189. transigunt cum Lotharingo 242. Tőkőlius iis bellum minatur 291. in eum arma parant 305.

Transylv. Principes, Vide Gabr. Betlen, Georg. I. & II. Rákóczi, Steph. Betlen, Cathar. Brandeburgicam, Achatium Barcsajum, Franc. Rédei, Joan. Kemény, Michaelem I. & II. Apaffi.

Trautmanstorffius C. Turcas clade afficit 181. copiarum Venet. fit Imp. 333. Caneam oppugnandam statuit; stragem murorum edit; obsidionem solvit 336.

Triumphus Amurathis IV. Imp. 10. 15. Ægyptii Præfecti 20. Mahometis IV. Imp. 46. Georgii II. Rákóczii 52. Mahometis IV. Imp. 90. Seraskerii 180. Solymani 314. Mustaphæ II. Imp. 361. Petri Alexovichii Czari Moschorum 370. Achmetis Vezirii 415.

Truchsessius reliquias cæsi exercitus in tutiora abducit 360. Titulium defendit 366. superior Hungaria ejus curæ commendatur 367. sinistræ alæ ad Szentam præest 373.

Tumultus Byzantii 26. 27. 31. 76. 197.

Turcæ a Tartaris fusi; Persis bellum movent 3. cladem passi obsidionem Bagdati solvunt 4. eorum grandis exercitus adversus Persas 12. multis calamitatibus divexatur 15. cladem referunt ad portum Phocæum 32. Daciam invadunt 53. 54. causas belli edunt 56. insignem charitatem exhibent sauciis, & ægrotis Christianis Uivárini 60. cæsi ad Levam 63. ad S. Gotthardum 64. in Podolia 93. in Hungaria 144. 152. 168. 173. 222. 241. 293. 321. 425. 443. apparatus faciunt in bellum Hung. 126. magno numero ad signa confluunt; cur? 125. lustrantur 130. Viennam obsident 137. assilientes in mænia repelluntur cum clade 140. 143. quot perierint in oppugnatione Viennensi? 143. Budam acerrime tutantur; erumpunt crebrius 177. lætitia eorum ob Budam obsidione liberatam 181. Uivárinum propugnant 191. & Budam 218. ad hanc conservandam festinant 220. per media castra in præsidium penetrant 221. eam amittunt 224. inde mœror 224. a re nautica male comparati 253. castris exuuntur in Dalmatia 255. in Peloponneso multæ urbes iis adimuntur 253. castra amittunt 321. mœror e tot cladibus 377. pacem quærunt 383. Carloviczii eorum Legati adsunt 385. pax confit 389. Peloponnesum adoriuntur 417. Carolo VI. Augusto Cæsari bellum movent 423. Temesiam tradunt Principi Eugenio 426. Corcyram oppugnant 430. tempestate perculsi classem repetunt 432. Belgradum dedunt eidem Principi 444. pacem præ bello amplectuntur; quibus conditionibus? 447.

Turres suas tuentur præsidiarii Budenses 175. 218. Hungari ex iis ternas capiunt 219.

U.

UIvárinum dolo Turc. prope interceptum 21. oppugnatum deditionem facit Kiuperli Vezirio 60. ab Eszterházio Paulo obsessum 133. 166. iterum obsessum 186. ejus descriptio 190. assultu captum; quam fortunam habuerit? 196.

Uladislaus IV. Polon. Rex Moschos superat; copias suas Turcicis opponit 9. levibus præliis hostem atterit, & ad pacem petendam adigit 10.

Unguárinum circumvallatur a Schulzio 200. hortante Steph. Kohário traditur Cæsareis 206.

Urbanus VIII. Pontif. Christiani nominis Principes excitat ad bellum Turcicum 23.

Uscocchi qui sint? a Matthia II. R. Hung. & Veneta Repub. castigantur 22.

V.

VAcium occupant Turcæ 16. incendio delent 198.

Vaivodatus Chiprovaz. in Turcas conspirat 42. populationem ære redimit; Soltanæ subjacet 43

Valachi Tartarorum partes amplexi Transylvanos cædunt 53. fortiter pugnant cum Rákóczio in Turcas 55. a Szent-Pálio prælio fusi 56. pontem moliuntur imponere Danubio ad Viennam 141. Tökölio adhærent 305. e Dacia se ejiciunt 306. Polonos Tartaris produnt 364. Nobiles Cæsari se subdunt 427.

Valachiæ Princeps cum Bulgaris, Albanis in Turcas conjurat 42. timet amplecti partes Leopoldi Cæsaris 230. a Lotharingo in armorum societatem vocatur 242.

Vallisius Szegedinum deditione obtinet, & Csanadinum 227. Titulio Turcas depellit 276.

Vangurius Gallus machinator bellicus in defensione Neo-Zrinyiæ vulneratur 62.

Varadinum Turcis cedit 55. a nostris clauditur 215. 324. oppugnatum accipit Heislerus 329.

Vaudemontius Transylvaniæ præficitur 361. in pugna Temesiensi sauciatur 367. ad Szentam dextrum cornu moderatur 373. in Bosniam comitatur Princ. Eugenium 374.

Veneti negant naves Turcis reddendas a Capello captas 23. Amurathi IV. Imp. pacis consilia proponunt 23. adversus Turcam Christianorum Principum opem implorant 24. 26. Hellesponti, & Eubœæ custodias laxant 27. auxiliares copias Mocenico mittunt 32. Byzantium invadendum censent 33. ad Hellespontum acerrime pugnant 38. nobili victoria potiuntur 43 bellum præferunt paci; paratus belli undique conquirunt 46. conditiones pacis aspernantur 51. 68. bellum malunt 65. Marchioni de Villa præfecturam armorum deferunt 65. Morosinum Archithalassum creant 68. bellum prosequi statuunt 75. Candiam dedunt 80. ad pacem stabiliendam Molinum ablegant 80. fœdus iciunt cum Imp. Leopoldo & Polonis 163. 252. 351. repetunt a Turcis provincias, quas olim possedere 235. origo belli Veneti 251. eduntur belli causæ 252. Leucadem, seu S. Mauræ insulam, & Nicopolim sui juris faciunt 253. tum Coronen 257. mercede Helvetos conducunt; novos belli Duces deligunt 296. 333. Epidaurum capiunt 311. in Cretam arma transferunt; Carabusam proditione amittunt 334. Achajam tributariam faciunt 336. Morosino Archithalasso numerosam classem expediunt 345. Chium insulam subjugant 355. pugnas navales sat prosperas faciunt 362. Livadiam occupant 363. & Thebas 368. pugna navali superiores 380. Carloviczium legant pacificatorem 385. tabulas pacis approbant 399. Legatum dimittunt Byzantium 401. 413. ad Principes Europæos 416. Peloponnesum, & Dalmatiam tutantur 417. Corcyram muniunt 421. bellum apparant; quantum æris impenderint; fœdus ineunt cum Augusto Imp. Carolo 422. Schulenburgio honores decernunt 432. Passaroviczii pacem concludunt 447.

Verneda celebris machinator bellicus in oppugnatione Chalcidis pila discerptus 283.

Verovitizia, Sclavoniæ oppidum, deditione accepta a nostris 181.

Veszprimium ab hoste deseritur 147.

Veteranius C. bis Tartaros, & Turcas profligat 227. Karany-Sebesiam expugnat 276. Serviæ auxiliatur 302. præfectura armorum in Dacia ornatur 306. annonam comportat in loca munita 359. ad Lipam metatus a Turcis invaditur; lethali vulnere prosternitur 360. caput ejus ad Imp. Mustapham perlatum; numerus cæsorum 361.

Viardus e castris erumpens ad Belgradum, Wirtembergico auxilio est 443. in Daciam festinat 444.

Victoria classis Venetæ 43. 44. 45. 51. Lotharingi 141. Confœderatorum Christianorum 144. 152. 194. Principis Eugenii 425. 443.

Vidinum nostris traditur 295. per Tökölium captum 307.

Vienna novas munitiones accipit 136. numerus defensorum; obsidetur a Turcis; suburbia exuruntur 137. cuniculis suffoditur 142. 143. præsidiarii fortissime resistunt 142. ad ultimum exitium depellendum comparatur 143. numerus cæsorum fervente obsidione 146

Vilhelmus Husseyus Angliæ Legatus Byzantium destinatur 315. a Kiuperle magnifice acceptus Adrianopoli 318. Byzantium subit; faciles aditus apud Achmetem Imp. habet 323. moritur 332.

Vincentius Pasta Methonen munit; vulnere in fronte accepto, Byzantium captivus deportatur. 419.

Viscontius ad Navarinum strenue dimicat 259. morbo extinguitur in obsidione Naupliæ 261.

Vissegradum deditionem facit Lotharingo 167. Seraskerius illud obtinet 191.

Volones Galli navigant in Cretam 69. Itali in Pelopon. 262. aggressionem attentant in ruinas Budenses 218. 222. ad Semlinum velitares pugnas miscent 219. ad Belgradum primi cum Wirtembergico in hostem ruunt 443.

Wallensteinius, Vide Albertus, Carolus.

Wasenhoffius machinator bellicus suis promissis non respondet ad Kanisam 61.

Weingartlerus Semendriæ Gubernator cum præsidiariis conciditur 308.

Wirtembergicus, Vide Alexander, Georgius.

Wolffgangus C. Hohenlojus auxilares copias in Hung. ducit 57. Quinque-Ecclesias cum Zrinyio obsidet; persuadet obsidionem solvendam 61.

Wolffgangus C. Oetinganus Pacificator missus a Leopoldo M. 385. Polonorum Pacificatorem connititur placare; ejus oratio 386. negat Transylvaniam pristino loco reponendam 388. quid, & cur cesserit Turcis in designatione limitum? 388. transigit de reliquis capitibus 395.

Wortlæus Angliæ Orator consultat cum Achmete III. Imp. de pace 433.

Z.

ZAporovius Polon Ductor Tartaros trajectu Tyræ prohibet; in Moldaviam progressus male mulctatur 364.

Zaroffa Imp. Ibrahimi pellex 23.

Zemonicum Dalmatiæ præsidium a Turcis instauratur 251.

Zenus Prætor Dalmatiæ Cetinæ urbi auxilium mittit 380.

Zichi, Vide Stephanus.

Zrinyi, Vide Adamus, Nicolaus, Petrus.

Zungenberg Vide Csonka-Beg

Zurba genus militum apud Turcas seditionem movet in Vezirium 247.

FINIS INDICIS TOMI SECUNDI.

